SC.13.Pl.5.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO SESSORIANO
37
3 B
7
− 830

Digitized by Google

Digitized by Google

# JO. CHRISTOPHORI WOLFII

PAST. AD D. CATHARIN. HAMBVRG. ET SCHOLARCH.

# CVRÆ PHILOLOGICÆ ET CRITICÆ,

## *TOMVS IV.*

## IN X. POSTERIORES S. PAVLI EPISTOLAS,

QVIBVS
INTEGRITATI CONTEXTVS GRÆCI CONSVLITVR, SENSVS VERBORVM EX PRÆSIDIIS PHILOLOGICIS ILLVSTRATVR, DIVERSÆ INTERPRETVM SENTENTIÆ SVMMATIM ENARRANTVR, ET MODESTO EXAMINI SVBJECTÆ VEL APPROBANTVR VEL REPELLVNTVR.




*BASILEÆ*,
Sumtibus JOHANNIS CHRIST, MDCCXLI.

Digitized by Google

# VIRO
## SVMME VENERABILI ERVDITISSIMO
CELEBERRIMOQVE
# DOMINO
# ERICO BENZELIO
## DOCTORI THEOLOGO
INTER EGREGIOS EXIMIO
## EPISCOPO HODIE LINCOPIENSI
THEOLOGO
SINGVLARI DOCTRINAE PVRIORIS STVDIO
CANDORE ET PIETATE PRIDEM
COMMENDATISSIMO

ET

PHILOLOGO
DE LITERIS VARII GENERIS CVMPRIMIS
ELEGANTIORIBVS MERITISSIMO

STVDIVM SVVM CVLTVMQVE
QVO IPSVM A MVLTIS ANNIS
PROSECVTVS EST
TESTATVRVS

Digitized by Google

GRATVMQVE ANIMVM PRO AMICITIA ET BENEVOLENTIA PER LITERAS RERVMQVE TESTIMONIA SIBI COPIOSE PROBATA

SIGNIFICATVRVS

## PRÆSENS CVRARVM VOLVMEN

OFFERT

ET

PROSPEROS CONSILIORVM SVCCESSVS

INPRIMIS AVTEM

FELICEM OPERVM

# PHILONIS

INCREDIBILI ET CONTINVA PER MVLTOS ANNOS INDVSTRIA RECOGNITORVM

## EDITIONEM

QVÆ

*LONDINI ANGLORVM*

CVM MAXIME PARATVR

EX ANIMO ADPRECATVR

## JO. CHRISTOPH. WOLFIVS.

# LECTVRIS SALVTEM IN CHRISTO PLVRIMAM.

NIhil cauſæ eſt, amice Lector, cur in limine multum te detineam. Quæ enim de inſtituto meo dici poterant, de iis jam repetita vice, quantum ſatis eſt, præcepi. Itaque de eo tantum monendus es, me in Volumine hoc quarto operis qualiſcunque telam, quam orſus ſum, eadem ratione pertexere inſtituiſſe. Hujus vero conſilii mei velim probe memineris, ne plura a me exſpectes aut poſtules, quam illius rationes requirunt, aut ipſe ego ſperare juſſi.



Digitized by Google

*Fuerunt, quibus nonnulla mea diſplicere ſibi teſtati ſunt. Quod quidem ut non admodum miror, ita nec moleſte ferre poſſum, qui ab iiſdem & aliis quoque, ubi occaſio ferebat, diſſentire me profeſſus ſim. Inter hos eſt Anonymus eruditus, cui in* Bibliothecæ Germanicæ, *quæ Gallice inde ab aliquot annis edita eſt, Tomo XXV. Volumen III.* harum Curarum *non ſine elogiis, fere cumulatis, quæ humanitati & modeſtiæ ejus tribuo, enarrare, eademque opera in expoſitiones quaſdam meas animadvertere placuit. Ad illa reſponſionem ſummatim paravi, quæ in Volumine XXVII. ejuſdem Bibliothecæ, quod ſpero, lucem adſpiciet. Ibi ſcilicet ea tantum a me amolitus ſum, quæ fraudi mihi eſſe poterant, reliquis, quæ longiorem operam requirunt, ad Supplementa, quæ toti operi paro, remiſſis.*

*Præterea Rev. & Cl.* GEORGIUS LUDOVICUS OEDERUS, *Verbi Divini Miniſter & Gymnaſii Onoldini Rector, minorem, quod pace ejus dicam, animi moderationem adverſum me adhibuiſſe videtur. Cum enim expoſitiones ejus quaſdam in* Syntagmate Obſervationum, *Weiſſenburgi* 1729. *edito, obvias, examini qualicunque ſubjeciſſem, in præfatione ad nuperam* Centuriam Conjecturarum de difficilioribus Scripturæ Sacræ locis, *vocibus interdum ſatis aculeatis teſtatum is fecit, admodum ægre ſe animadverſiones meas tuliſſe, & majorem modeſtiam deſiderare. Delicatiorem eſſe oportet V. C. qui, quam Diariorum Scriptores, itemque alii, mihi tribuerunt, eam forte ſolus in me non inveniat. Haberet, cur de me quereretur, ſi vel imperitiam, vel pravam mentem, vel gloriæ ſtudium ipſi exprobraſſem. Horum vero nihil quiſquam invenerit. Satis habui, ſi* conjecturis *eum* uti, ingenio indulgere, & *loco non adeo obſcuro* tenebras offundere *monerem. Hoc ſcilicet eſt, quod* vituperationis *loco habet. Exſpectare ſane ſaltem eandem æquitatem ab eo poteram, qua Celeberrimi* J. F. REIMMANNI *de ſe judicium excepit. Is enim in* Catalogo Bibliothecæ Theologicæ Syſtematico Critico *pag.* 637. *eidem* παραδοξεφιλίαν & judicandi celeritatem *ceu* labeculas *quaſdam impegerat. At heic* παραδοξοφιλίαν, qua voce paſſim utatur REIMMANNUS, melius aliquid ſonaſſe ipſi exiſtimat, quam quod vulgo ea *ſignificetur. Judicet Lector, uter noſtrum mitius vel ſenſerit, vel ſcripſerit. Male ipſum habet, quod* conjecturis indulgere *dixi. Meminiſſe vero poterat, ſe* Quinquagenam *integram* Veriſimilium, ( *inter quæ* & conjecturas *diſcrimen nullum intercedere ipſe forte non negaverit,* ) Syntagmati *ſuo ſubjicere. Imo, quod plus valet, Centuriam Obſervationum novam*

Digitized by Google

vam Conjecturarum elogio ipſe inſignivit. Nonne merito Rev. Auctor αὐτο-κατάκριτος cordato cuique videbitur, qui in titulo operis nihil amplius a ſe exſpectari jubeat, & mihi tamen vitio vertat, quod eo loco obſervationes quaſdam ejus habeam, quo ipſe Centuriam integram haberi voluit? Habet omnino, cur ſecum ipſe tranſigat, qui me ad cauſam dicendam provocavit. Vituperium interpretatur, quando de tenebris loco cuidam offuſis queſtus ſum. Hoc ipſum τύπτειν τοὺς συνδούλους appellat. Recogitare debebat, de quo hominum genere Servator noſter ea dictione Matth. XXIV. v. 49. utatur, & quam illi pœnam denunciet. In illorum itaque claſſem me præceps conjicit. Nonne, quam ſibi factam putat injuriam, eam mihi facit? Id certe hominem, modeſte ſcribentem, & Sacra ſancte & caſte tractantem, qualem ſe ipſe profitetur, exprobrare mihi, & in me vertere non decuit. Sed condonabo illi hanc injuriam, imo excuſabo. Fortaſſe enim non ſatis meminit argumenti, de quo loc. cit. agitur, fortaſſe præcipitavit ſcriptionem, fortaſſe adfectui hic, ut alias ingenio, indulſit. Interim diſcet inpoſterum parcere verbis & Scripturæ dictis non abuti ad lædendum fratrem innocentem. Mitius ſecum agi cupit V. C. inprimis eo nomine, quod modeſte ſcribat, & pro virili parte juvare Hermeneuticam Sacram conetur. Lectoris eſto judicium, num modeſte ſcribat, qui in argumentis hiſtoricis antiquitatis teſtimonium conjecturis longius petitis convellere inſtituit, qui ad ſua reſponderi non poſſe confidenter pronunciat, qui paſſim profitetur, ſe non videre, qui factum ſit, ut alii non perſpicerent, quæ ſibi in luce clariſſima poſita eſſe videantur. Non ſufficit meo judicio modeſtiam verbis profiteri, quam teſtimonia rerum non confirmant. Modeſtiæ argumentum ſpeciatim haberi vult, quod nihil in contextu mutet, nec vel voculam conſtanter lectam deleat. Ego vero vel nihil vel parum admodum diſcriminis intercedere exiſtimem, ſive quis particulam ὅτι (Rom. XIII. v. 11.) expungat, ſive, invitis Codicibus & Interpretibus omnibus, illud in ὅ τε, convertat, atque adeo talem ſignificatum invehat, ut pro quando D. Paulus pronomen relativum quod ſcripſiſſe credi debeat.

Ut rem tandem conficiam, cauſam aperiam, cur de Rev. OEDERI Conjecturis ſententiam dicendam mihi ſubinde eſſe exiſtimaverim. Nunquam equidem ita ſtatui, quod in locis Codicis Sacri exponendis nullus prorſus locus conjecturis pateat. Sunt quædam δυσνόητα, ſunt, in argumentis inprimis hiſtoricis & antiquariis, quædam non ſatis ad liquidum perducta, & fortaſſe nunquam perducenda. In his doctrinæ & ingenii vires periclitari non

ſolum

Digitized by Google

*ſolum integrum cuique eſſe velim, ſed & præclarum laudeque dignum arbitror. Nec negaverim, Cl.* OEDERO *nonnunquam rem ſatis feliciter ceſſiſſe. At enimvero res peſſimi exempli, periculi item & offenſionis pleniſſima eſt, ſi conjecturis utaris in locis ejusmodi novo ſenſu induendis, quibus & antiquioris & recentioris memoriæ Interpretes, communi fere conſenſu, uſi ſunt ad doctrinas aliquot fidei iis ita ſuperſtruendas, ut idonei habiti ſint, qui in libris Symbolicis & Inſtitutionibus Theologicis recte adhibeantur. In ejusmodi vero etiam locis conjecturas ſuas adhibuiſſe V. C. patet ex iis, quæ in* Centuria Conjecturarum *ad Coloſſ. II.* 8. 9. & *Hebr. I.* 2. *itemque XI.* 3. & 6. *eſt commentatus. Ponam, eſſe, qui locos tales male adhuc intellectos opinetur; res ipſa jubet, ut in contrariam ſententiam non* conjecturas, *ſed argumenta, quæ rem conficiant, adferas. Alioquin enim non tam juvatur res Hermeneutica, quam* Scepticiſmus Exegeticus, *cui multi hodie ſtudent, provehitur, imo doctrinæ ipſæ, ſaltem apud nonnullos, in falſi ſuſpicionem adducuntur. Altera conſilii mei ratio in eo poſita eſt, quod vidi, V. C. non ſolum multum conjecturis ſuis tribuere, ſed & ad aliorum ſecum ſentientium ſuffragia provocare. Tentandum igitur eſſe putavi, an fieri poſſit, ut vel ingenio ſuo ipſe non nimium fideret, vel alii ſaltem, ne abripi ſe temere patiantur, adducerentur. Hoc mihi propoſitum habui, quo offendi ipſum adeo potuiſſe non exiſtimo, qui in aliorum ſententias ſat libere, ne quid gravius dicam, calamum ſtrinxit. Quod ad vindicias attinet, quas pro conjecturis ſuis in laudata præfatione attuliſſe ſibi viſus eſt, eas in Supplementis curatiori examine perſequar. Conſtitutum enim mihi eſt, non ante cogitationes convertere ad rem non neceſſariam perficiendam, quam operi ipſi, quod brevi, Summo Numine annuente, futurum ſpero, colophonem impoſuerim. Interim norit Lector, illam* Conjecturarum Centuriam *non ante ad manus meas perveniſſe, quam hæ Curæ fere usque ad epiſtolam ad Hebræos operarum carceribus liberatæ eſſent. Alioquin enim & alias nonnullas ejus obſervationes recognoſcendas mihi ſumſiſſem. Ita vale in Domino & conatibus meis fave.*

PRO-

Digitized by Google

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

EPiſtolam hanc *Epheſiis* inſcriptam eſſe ex limine ejus & his ſpeciatim verbis: *τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ*, intelligitur. Quamvis enim non deſint, qui *γνησιότητα* vocum *ἐν Ἐφέσῳ* in dubium vocent, temere tamen id fieri paulo poſt ad illas voces oſtendemus. Ex *νοθείᾳ* tamen earum præſtructa & aliis nonnullis argumentis efficere ſe poſſe quidam crediderunt, ut epiſtola hæc ad Epheſios ſpeciatim exarata eſſe præter rem exiſtimetur.

Atque hos quidem in duas claſſes diſtingui poſſe video. Alii enim *Laodicenis* potiſſimum deſtinatam opinantur; alii *Encyclicarum* more inſcriptam putant in hunc modum: *τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι . . . . . . καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*, ut ſic occaſio naſceretur nomen cujusque Eccleſiæ in Aſia minore, ad quam mitteretur, diſerte exprimendi. Hæc poſterior ſententia eſt viri eruditiſſimi *Jac. Uſſerii* in Annalibus ad A. C. LXIV. pag. 686. Eandem adoptavit ex Pontificiis *Julianus Garnerius* ad Baſilium Tom. I. pag. 255. „*Arbitramur itaque*, inquit, Uſſerium *ſecuti*, *Pauli ad* Epheſios *epiſtolam* circularem *fuiſſe*, *atque ex æquo ad omnes Aſiæ urbes pertinuiſſe*. Hinc contigit, ut ſimpliciter inſcripta ſit: *τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι*, ut, cum„ mitteretur ad aliam urbem, alio nomine inſcriberetur. Hoc in cauſa fuit,„ ut videtur, cur Marcio epiſtolam eam, quæ ad Epheſios miſſa fuerat,„ nomine epiſtolæ ad Laodicenos citet. Lege Tertull. in Marcion. lib. V.„ cap. 11. pag. 598. & rurſus cap. 17. pag. 607. Nec mirum, ſi Pauli„ epiſtola nomen epiſtolæ ad Epheſios retinuerit, cum Epheſus, quæ totius„ Aſiæ metropolis eſt, ſuum ei nomen potius, quam urbs alia dare debuerit.„

Altera diſſentientium claſſis eſt illorum, qui *Laodicenis* ſpeciatim inſcriptam eſſe aſſeverant. Inter hos ſunt ex veteribus *Marcion*, locis modo à *Garnerio* excitatis, & *Epiphanius* hæreſ. XLII. ex recentioribus vero complures:



no-

nominatim *Grotius* ad h.l. ex Anglis *Hammondus*, *Guilielmus Wakius*, Archiepiſcopus hodie Cantuarienſis, Anonymus in Animadverſionibus ad librum, *Reaſonableness of Chriſtianity, as delivered in the Scriptures*, Oxon. 1697. editis, *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 71. ſqq. & 809. *Jac. Peirce* in Notis ad Epiſt. ad Philipp. pag. 114. 115. & noviſſime *W. Wall* in Notis Criticis in N. T. Anglice editis pag. 280. & 282. Hujus liber cum in paucorum manibus apud nos ſit, verba ejus in compendio hic repræſentabimus. Poſtquam igitur pag. 280. monuerat, epiſtolam hanc (ad *Epheſios*) interdum vocatam eſſe epiſtolam ad *Laodicenſes*, atque hinc apparere, quod *Tychicus* à *Paulo* juſſus ſit, vel ipſam illam epiſtolam, vel ejus ſaltem exemplum Epheſum deferre, quamvis in Laodicenorum potiſſimum uſum, quod ex variis locis con-
„ſtet, ſit exarata; tandem pag. 282. hæc addit: Tychicus erat Epheſius, &
„vel à Paulo juſſus erat, aut ſaltem ab eodem poteſtatem acceperat, ut Ephe-
„ſiis in uſum Eccleſiarum copiam epiſtolæ ad Laodicenſes faceret: vel Laodi-
„cenſibus copiam tantum ejus relinquebat, αὐτογράφῳ ſecum ad Epheſios per-
„lato. Hinc aliquo tempore poſt fiebat, ut epiſtola hæc à variis deſcripta, &
„ad plures Eccleſias delata, communiter epiſtola ad Epheſios diceretur & in-
„ſcriberetur. In Græcia ſaltem, Aſia, & Occidentalibus regionibus omnibus
„ita appellabatur. Qui vero in Ponto erant Chriſtiani, aut qui in ceteris Ori-
„entalibus partibus (quæ procul dubio exemplaria ejus à Laodicenſibus, qui-
„bus propiores erant, acceperant) eam epiſtolam ad Laodicenſes vocabant.
„Exemplo eſt Marcion, Ponto quippe oriundus, ubi pater ejus Epiſcopum ege-
„rat. Cumque inſcriptio ejus in codicibus noſtris communiter habeat: τοῖς
„ἁγίοις, τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, S. Baſilius tamen, qui in Cappadocia vitam egit,
„teſtatur, quod in antiquis, quæ viderit, exemplaribus, inſcriptio ita fuerit for-
„mata: τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ...... relicto ſcilicet ſpatio vacuo. Enimvero
„Chriſtiani plerique omnes, qui ſecuta ætate illas orbis partes incolebant,
„non habita Marcionis ratione, cum mentionem epiſtolæ Pauli ἐκ Λαοδικείας
„Col. IV. 16. invenirent, eam illuc à Paulo miſſam eſſe ſuſpicabantur, miran-
„tes, quid de illa, quam tamen in manibus habebant, factum ſit. Hinc alia
„quædam brevior epiſtola jam pridem ſuppoſita eſt, quæ etiamnum circum-
„fertur. Eam imperitus & impudens auctor ſub nomine epiſtolæ Pauli ad
„Laodicenſes obtrudere aliis conatus eſt, ſed neminem ſatis imperitum inve-
„nit, qui eam pro tali agnoſceret. Ipſa epiſtola, (quemadmodum & illa ad
„Coloſſenſes) varia habet indicia, quibus conſtet, primum quidem, quod ab
„illo ſcripta ſit, qui nunquam illos, ad quos ſcribit, viderit, ſed præclara multa
„de iis fando acceperit; deinde vero, quod ad illos exarata ſit Chriſtianos,
„qui nunquam viderint Scriptorem, ſed, Gentilium Apoſtolum eſſe, tantum
„inaudiverint. Hæc *Wallius*, qui in obſervationibus ſuis ad hanc epiſtolam ſequentibus hinc inde paſſim ſententiæ hujus ſuæ fulcra ex illius contextu oſtendere conatur. Eandem ſententiam ex *Pontificiis* ſuam fecerunt *Eraſmus* & *Ludovicus Ellies du Pin* in Prolegomenis Biblicis lib. IV. cap. 4. §. 8. ex Reforma-

tis

tis autem noviſſime *Campeg. Vitringa*, filius, & *Hermannus Venema*, Theologi Franequerani. Prior enim ſingulari diſſertatione, Franequeræ olim habita Millianam opinionem adſtruere conatus eſt, quam poſterior in *Diſſertationibus* ejus *Sacris* ibidem 1731. 4. editis num. IV. recudi curavit, & novam de ſuo in eandem cauſam addidit, poſtquam *Vitringa* morte præventus tractationi ſuæ colophonem imponere præmatura morte vetaretur. Neutram ego adhuc oculis uſurpavi. Ex *Socinianis*, in has partes concedit *L.M. Artemonius*, i.e. *Samuel Crellius*, in Initio Evangelii Joannei reſtituto p. 212. *Jac. Peircii* exemplo, de quo utroque paulo poſt dicemus. Ex noſtratibus præter *Joan. Frid. Burgium*, Paſtorem Vratislavienſem, novi neminem, illis ὁμόψηφον. Hic enim in limine Analyſeos epiſtolæ hujus Lipſiæ ſeorſim editæ, & cum *Menonis Hannekenii* Explicatione ejusdem epiſtolæ Jenæ An. 1731. recuſæ, idem non ſolum profitetur, ſed etiam varia ejus loca ex hac hypotheſi interpretatur.

Quæ vero illi quidem ab utraque parte argumenta attulerunt, talia non ſunt viſa pleriſque, quæ adſenſum cordato extorquere poſſent. Ex *Anglis* aliter ſentiunt *Daniel Whitby* in Prolegomenis, quæ in commentario ejus Anglicano huic epiſtolæ præmiſſa leguntur; ex Reformatis *Jac. Lenfant* in obſervationibus ſuper editionem N. T. Milliani, Tomo XVI. Bibliothecæ Selectæ *Jo. Clerici* pag. 299. ſq. & *Sal. van Till* in Iſagoge in hanc epiſtolam p. 179. ubi & *Vſſerii* conjecturam enervat; ex noſtratibus vero Rev. *Jo. Jac. Quandt*, Theologus Regiomontanus, in diſſertatione ſingulari de eo, *utrum epiſtola ad Epheſios à Paulo Epheſiis, an Laodicenis inſcripta ſit*, Regiomonti An. 1712. habita, & noviſſime Rev. *Jo. Reinhardus Rus* in Præfatione ad B. *Menonis Hannekenii* Explicationem hujus epiſtolæ cum *Laurent. Reinhardi* Notis Jenæ 1731. 4. recuſam. Poſtremi hi duo argumenta Milliana, quibus ceteri fere utuntur, ita diſpulerunt, ut opera hac ego ſecure ſuperſedere poſſim. Quæ vero ex ipſius epiſtolæ hujus cap. I. 15. III. 2. & ad *Coloſſ*. IV. 16. pro illa ſententia afferri ſolent, de iis ſuo loco dicemus.

Hoc denique monendum puto, eſſe, qui *Epheſiorum* nomen diſerte ab Apoſtolo expreſſum eſſe profiteantur, tanquam qui metropolin illius regionis incoluerint, ad quam univerſam fuerit directa. Sic enim putant rationem reddi poſſe, cur Apoſtolus ita interdum ſcripſerit, ac ſi nonnullos eorum, ad quos ſcripſit, nunquam viderit. Hæc eſt ſententia B. *Gothofredi Olearii* in Prælectionibus MSS. in hanc epiſtolam, tum *Dan. Whitbii* in Prolegomenis, & fere *Lenfantii* l. c. pag. 301. Adde Prolegomena *Beauſobrii* & *Lenfantii* ad verſionem N. T. Gallicam pag. 245. Sic & *Beza* in notis ad ſubſcriptionem hujus epiſtolæ ſuſpicatur, *non tam ad Epheſios ipſos proprie miſſam epiſtolam, quam Epheſum, ut ad ceteras Aſiaticas eccleſias transmitteretur.* Mihi quidem hoc præſidio non admodum opus eſſe videtur, cum alia ratione diſſentientibus fieri ſatis poſſit.

De *Epheſo* ipſa legi velim, quæ *Salom. van Till* Iſagoge, commentario ſuo in hanc epiſtolam latine Amſtelodami 1726. 4. edito, præmiſſa, de ſtatu-

tu ejus tum politico, tum eccleſiaſtico, tum vero etiam religione gentium ita diſſeruit, ut hinc non exigua lux in ipſius epiſtolæ intelligentiam redundet. Huc ſpectat etiam M. *Gottlob. Frider. Gude*, V. D. M. in Luſatia Laubenſis, Commentatio Hiſtorico-Exegetico-Critica de Eccleſiæ Epheſinæ Statu, inprimis ævo Apoſtolico, Lipſ. 1732. 8. In tres illa Sectiones diſpertita eſt. Prima ad ſtatum Eccleſiæ externum & internum ante converſionem relata, cap. I. de gente & urbe, cap. II. de imperio Eccleſiæ civili, cap. III. de membris Eccleſiæ Epheſinæ, cap. IV. de moribus Epheſiorum ante converſionem ſpeciatimque περιεργίᾳ & aliis illorum vitiis, exponit. Secunda, ſtatum Eccleſiæ Epheſinæ intra ſui converſionem ediſſerens, cap. I. de prima Eccleſiæ illius plantatione, cap. II. de confirmatione & amplificatione ejus per Paulum, cap. III. de doctrina Evangelica eamque tradendi mediis; cap. IV. de impedimentis, quæ Paulo ſe objecerunt; cap. V. de felici Paulini laboris ſucceſſu; cap. VI. de cura in eam Paulina ſub abitum ſuum; cap. VII. de hæreticis, ſub & poſt Pauli diſceſſum exortis; cap. VIII. de Pauli cura poſt diſceſſum ſuum, literisque ſcriptis, commentatur. Tertia denique Sectio, ſtatum Eccleſiæ Epheſinæ poſt converſionem & Pauli matyrium contemplans; cap. I. de confirmatione ejus per Joannem Theologum, aliosque Viros Apoſtolicos; cap. II. de Hæreticis, qui Joannis ætate Eccleſiam turbarunt; cap. III. de vita & moribus Epheſiorum ævo Joannis; cap. IV. de ſtatu eorum ſequiore & hodierno diſſerit. Adde, quæ de *Epheſo* & *Epheſiis* afferunt *Guilielmus Beveregius* ad Synodicum p. 103. & *Jo. Albert. Fabricius* in Luce Evangelii toti Orbi exoriente pag. 87.

Epiſtolam hanc ad Epheſios, qui ex Gentilibus potiſſimum, tum vero etiam, qui ex Judæis converſi ad Chriſtum eſſent, ſpectare oſtendit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. cap. VI.

De *tempore*, quo exarata eſt, non parum inter eruditos diſputatur. Ex carcere Romano ſcriptam eſſe, pauci ſunt, qui inficientur, de quibus mox dicemus. Utrum vero is prior ſit, quo divinis auſpiciis liberatus eſt, an poſterior, ex quo, capite plexus, perpetuæ libertati vindicatus fuit, non æque liquet. Utriusque partis patronos plures recitat Rev. *Jo. Reinh. Rus* in Prolegomenis citatis pag. XVI. ipſe vero poſteriorem „ſententiam nonnullis argumentis adſerit. *Paulus*, inquit, eam exaraſſe „ſe indicat, abſente Timotheo, quippe cujus nullam in ſalutatione Epheſ. „I. 1. mentionem facit, uti fecerat, cum ex prioribus vinculis daret eam „ad Coloſſenſes, uti apparet ex Coloſſ. I. v. 1. Miſit eam Paulus per Ty„chicum, uti conſtat ex Act. XXI. 29 coll. cum Act. XX. 4. Epheſi„um, Epheſ. VI. 21. quem ſe ablegaſſe narrat 2 Tim. IV. 12. ſeqq. cum „tempus mortis ſibi inſtaret, per v. 6. loc. cit. Ex quibus colligere eſt, „aliam & longe diverſam eſſe hanc Tychici ad Epheſios ablegationem „ab ea, quæ facta fuit ad Coloſſenſes, ad quos perlata fuit illa per Tychi„cum atque Oneſimum, ſi fides habenda eſt ſubſcriptioni epiſtolæ ad Co-

loſſen-

loſſenſes. Dum igitur ad Epheſios ablegatus eſt Tychicus, dubio pro-"
cul epiſtolam hanc ferens, quum morti eſſet vicinus Paulus, non commo-"
de ſatis ad priora vincula Romana referri poteſt; ex his enim iterum eſt li-"
beratus, uti patet ex multis indiciis. Idem ſtatuit *Salom. van Till*, in Iſago-"
ge citata pag. 182. Priorem tamen ſententiam mihi præferendam videri non diffiteor, quam etiam M. *Gudius* libro citato pag. 161. ſq. adſtruxit.

In omnia alia divertit Cl. *Georgius Ludovicus Oederus* in Syntagmate Obſervationum pag. 650. ſqq. Oſtendere enim conatur, *receptiſſimam ſententiam, de qua vix ſit, qui vel dubit ſſet aliquando*, Romæ nempe, in vinculis eam epiſtolam ſcriptam eſſe, *ſi non falſitatis plane convinci, ſuſpectiſſimam tamen omnibus reddi poſſe*, ut credatur, *eam nec illo tempore, quo volunt Interpretes, neque Romæ ſcriptam eſſe.* Monere hic licuerit, non novam prorſus, quæ ipſi videtur, hanc eſſe ſententiam. *Euthalio* enim ejusmodi quid ſuboluiſſe neceſſe eſt, quando in Editione ſua epiſtolarum Pauli apud *Zacagnium* in Collectione Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ pag. 633. de epiſtola ad Epheſios ait; *Ταύτην ἐπιςέλλει ἀπὸ Ῥώμης, ὕπω μὲν ἑωρακὼς ἀυτὺς, ἀκύσας δὲ περὶ ἀυτῶν.* Hic Roma quidem epiſtolam hanc ſcriptam eſſe tradit, ſed ante, quam Apoſtolus vidiſſet Epheſios, atque adeo ante carcerem. In eum enim devenit primum Romæ, cum ab Epheſiis Hieroſolymam veniſſet, hinc autem Romam eſſet ductus, quod Acta Apoſtolorum diſerte tradunt, quemadmodum nec aliunde conſtat, Paulum antea Romæ fuiſſe verſatum, ut Apoſtolum. Euthalius itaque, fateor, ſibi non conſtat, quando vel ſic epiſtolam hanc Roma miſſam ait, ante, quam Epheſii ipſi eſſent conſpecti. Sed hæc quidem res nunc non agitur. Similiter *Athanaſius* in Synopſi Scripturæ epiſtolam hanc ante dicit exaratam, quam Epheſios Paulus vidiſſet. Ex recentioribus vero clarius *Beza* in notis ad ſubſcriptionem hujus epiſtolæ eandem conjecturam proponit, ſed non approbat. *Poteſt*, inquit, *etiam aliunde ſcripta videri, quum diuturna fuerit Pauli captivitas, & hæc particula in Claromontano codice non exſtet, quæ tamen mihi maxime videtur probabilis.* Non capio Bezæ rationem, cui conjecturam ſuam ſuperſtruit. Quo diuturnior fuit Pauli captivitas, hoc magis fieri potuit, ut ex ea ad Eccleſias atque adeo Epheſinam ſcriberet inprimis, cum ex captivitate Romana ipſi alio excurrere non licuerit.

Alterum quod monendum puto, eo continetur, quod vir doctus fateatur, ſe in hoc momento *Millii* rationibus ex parte uſum eſſe, quibus is efficere conatus eſt, epiſtolam hanc non *Epheſiis*, ſed *Laodicenis* ſpeciatim inſcriptam eſſe. Et vel ſic tamen diſerte tradit pag. 652. ſibi cum *Tertulliano* perſuaſum eſſe, epiſtolam hanc titulum ſuum *ex eccleſiæ veritate* habere. Dubitare aliquis poterat, num ſerio hæc ſcripſerit vir doctus. Argumenta enim *Millii* magis idonea ſunt, ut probent, ad *Epheſios* epiſtolam non eſſe ſcriptam, quam, quod vir doctus vult, ſcriptam quidem ad eos eſſe,

ſed nec *Romæ*, nec eo *tempore*, quo ſcripta creditur. Id ex dicendis conſtabit.

Primum argumentum repetit ex cap. I. 13. 15. 16. ubi Paulus ait, ſe, *poſtquam audiverit fidem Epheſiorum, in Domino Jeſu, —— non ceſſare gratias agere* &c. *Itane*, inquit, *Apoſtolus Romæ primum audivit Ephſi Eccleſiam Chriſto collectam eſſe, quam ipſe integro triennio ante docuerat & rexerat?* Vidit ipſe, famam illam de continuata Epheſiorum fide & demonſtrata in alios charitate accipi poſſe. Itaque de prima fidei ſuſceptione intelligenda verba eſſe ex v. 13. patere exiſtimat. At nil video in hoc commate, quod de iis etiam dici non poſſit, qui per annos plures in ſalutari doctrina tuenda ſint verſati. Non ſolum enim audiiſſe & recepiſſe dicuntur Evangelium, ſed poſtquam credidiſſent, *obſignati Spiritu promiſſionis Sancto*. Hæc vero obſignatio non in tirones tantum Chriſtianiſmi cadit, ſed inprimis in iis magis magisque conſpicitur, qui continuas Spiritus Sancti in ſe operationes experiuntur. Compara, quæ infra ad illud comma dicentur. At Paulus v. 16. ait, ſe, poſtquam hanc eorum fidem percepiſſet, *ὐ παύεσθαι εὐχαριςῦντα, non deſinere gratias agere, & eorum in precibus ſuis meminiſſe.* Ergo, inquit, *antequam de fide hac Epheſiorum audiverat, ſpeciatim pro illis non erat deprecatus, quod tamen, ſi Romæ tunc fuiſſet, pro Eccleſia ſibi dudum intime cognita omittere non potuiſſet.* Non negabit vir doctus, Paulum ante ſcriptam hanc epiſtolam pro Epheſiis precatum eſſe. Eos enim, ipſo fatente, ante docuerat. Itaque neceſſe eſt, ut *τὸ ὐ παύομαι non deſino*, non indicet, quod hactenus non ſit precatus, ſed potius innuat, ſe id nunquam intermiſiſſe, nec intermiſſurum eſſe inpoſterum, imo vero hoc magis continuaturum, quo majorem illis à Deo gratiam factam eſſe *intellexerit*. Paulus enim *fidem* illam & *charitatem* ab Epheſiis continuatam divini beneficii loco merito habebat, pro quo & *gratias agere* Deo, &. ut perpetuum eſſet, *precari* deceret, inprimis cum eſſent, v. c. inter *Galatas*, qui gratiam divinam fruſtra accepiſſe videbantur. Vid. *Galat.* III. 3. 4. & 2. *Corinth.* VI. 1. Cur itaque Paulus, *Romæ* etiam exiſtens, vel nuncium ejusmodi de præclara Epheſiorum conditione accipere, & hoc ipſo ad continuandum gratias Deo agendi & precandi ſtudium adduci non potuit? Si ponamus, ex priore Pauli carcere Romano literas has datas eſſe, non adeo longum temporis ſpatium, inter primam Epheſiorum converſionem & hanc ſcriptionem, interceſſit.

Sed admonitiones quædam, cap. II. v. 11. 13. & 19. datæ, non videntur cadere in illos, qui pridem Chriſtianiſmum eſſent profeſſi. Dicuntur enim fuiſſe *gentiles carne, olim procul fuiſſe, jam vero in Jeſu Chriſto eſſe*, &c. Eodem jure commonefieri illorum poterant Epheſii, quo Apoſtolus de ſe & aliis, ex Judæis pridem converſis, dicere poterat v. 3. *ἐν οἷς καὶ ἡμεῖς πάντες ἀνεςράφημέν ποτε, ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν* &c. —— *ὁ δὲ Θεὸς πλούσιος ὢν —— —— συνεζωοποίησε τῷ Χριςῷ.* Eodem jure, quo ad

*Corin-*

*Corinthios* pridem converſos, ſcribebat 1 Epiſt. VI. 11. καὶ ταῦτά τινες ἦτε. ἀλλὰ ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Commate 22. capitis II. Epheſii non magis dicuntur in domicilium *Dei nondum concreviſſe*, quam idem v. 21. de tota Chriſti Eccleſia, ceu templo ſancto, aſſeritur. Idem enim, quod de hac dicitur, ad Epheſios eadem ratione transfertur. Ἐν ᾧ πᾶσα ἡ οἰκοδομὴ συναρμολογουμένη αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον ἐν Κυρίῳ. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς συνοικοδομεῖσθε εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν πνεύματι. Eccleſia univerſa dicitur creſcere & exædificari in templum Dei ſanctum: & Epheſii dicuntur *ſimul ædificari*. Hoccine vero in eos tantum cadit, qui *primum* ut lapides ad Chriſtum, *lapidem vivum*, perferuntur? Nonne Petrus de omnibus & ſingulis Eccleſiæ membris ait: καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε, οἶκος πνευματικὸς, ἱεράτευμα ἅγιον? 1 *Pet.* II. 5.

Porro decretorium argumentum inveniſſe ſibi videtur in III. 2. *Si modo audiviſtis diſpenſationem gratiæ divinæ, quæ mihi ad vos data eſt. Sermo*, inquit, *hic eſt de Apoſtolico munere, ipſi, divinitus inter gentes demandato, quæ res an audita ſatis fuerit, dubitanter loquitur Apoſtolus.* Jam vero Epheſii, cum quibus Paulus integro triennio fuerat, de divino Apoſtoli munere dubii eſſe non poterant. Largiar, dubitanter hic loqui Apoſtolum, quod alii negant, de quibus ſuo loco. Sed Paulus infra IV. 15. etiam dubitanter loquitur: εἴγε αὐτὸν (τὸν Χριστὸν) ἠκούσατε, καὶ ἐν αὐτῷ ἐδιδάχθητε, καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. Ergone dubitabat Apoſtolus, Epheſios quicquam unquam de Chriſto *audiviſſe*? Hoc nemo dixerit. Manifeſtum potius eſt, τὸ ἀκούειν ejusmodi *auditionem de Chriſto* ibi inferre, quæ germana ſit & veræ indolis, quæ cum intelligentia interiore & receptione rei auditæ ſit conjuncta. Itaque τὸ ἀκούειν etiam h. l. non de nuda *inauditione*, ſed *perceptione* & *receptione rei auditæ* capienda eſt. Atque hoc ſibi voluit *Hammondus*, quando h. l. Græcum ἀκούειν & Hebraicum שמע per *ſcire* interpretatur. Nec video, quomodo vir doctus pag. 655. *falſiſſimum* hoc eſſe, *nec vel exemplo vel argumenti ſaltem ſpecie probari poſſe* contendat, quod שמע idem interdum ſit, atque *ſcire*: qui tamen ipſe ibidem addat, ſignificationem hanc obtinere, *ubi cauſa pro effectu metonymice ponatur.* Quid vero obſtat, quo minus metonymiam ejusmodi h. l. amplectamur, quam in loco parallelo IV. 15. admittendam eſſe oſtendimus? Quod ſi tamen τὸ *ſcire* cuiquam diſplicet, eligat alterum, ἰσοδύναμον, *intelligere, percipere, recipere.* Eam ſignificationem Hebraico שמע nemo negaverit, qui vel ſolum locum 2 *Regg.* XVIII. 26. expenderit. Nec negaverit Græco ἀκούειν, ſi legere voluerit, quæ Vol. I. harum Curarum pag. 452. & 905. dicta ſunt. Hæc vero notio à præſente loco non aliena eſt. Mens Apoſtoli eſt: *Si unquam recte percepiſtis ſeu intelligendo adſecuti eſtis diſpenſationem gratiæ divinæ à Deo mihi adverſus vos conceſſam*; h. e. ſi id perſuaſum vobis eſt, ut credatis, me divina gratia & revelatione (v. 3.) idoneum factum eſſe, qui doctrinæ Evangelicæ myſteria exponere aliis poſſim. De ejusmodi *cognitione* muneris ſui donorumque ad illud obeundum conceſſo-

rum

Digitized by Google

rum Apoſtolum hic loqui patet ex v. 4. ubi eosdem ad ipſam hanc epiſtolam revocat, qua lecta poſſint νοῆσαι τὴν σύνεσιν αὐτȣ̃ ἐν τῷ μυϛηρίῳ τȣ̃ Χριϛȣ̃ h. e. *intelligere cognitionem ſuam in myſterio Chriſti.* Nonne vero ad hanc ſui, munerisque ſibi crediti, memoriam excitare Epheſios poterat Paulus, etiamſi eos pridem erudierat, & doctorem imo Apoſtolum ſe illis præſtiterat? Eadem ratione id facere poterat, qua iisdem & aliis in memoriam revocare ſolebat priſtinum in Gentiliſmo vel Judaiſmo ſtatum, & ſecutam ex utroque evocationem. Ponamus tamen, τὸ, ἠκȣ́σατε ad nudam auditionem ſeu famam, aliunde de miniſterio Pauli Apoſtolico acceptam, referri debere, nihil tamen ad cauſam hanc præſidii acceſſerit. Paulus & alias gentes præter Epheſios docuerat. Poterant itaque Epheſii *audiiſſe*, easdem diſpenſandæ gratiæ divinæ dotes, quarum ſpecimen in illis ediderat, etiam apud alios, & ſpeciatim Romanos, ſibi præſto fuiſſe. Itaque & eo ſenſu, quem vir doctus vult, ſcribere Paulus hæc poterat cum maxime, quando Romæ erat, quo in loco, atque adeo inter Gentiles vincula ſua Evangelio incrementum attuliſſe in epiſtola ad *Philippenſes* I. 12. prædicat. Dum enim gratiæ πρὸς ὑμᾶς datæ meminit, non ſolos Epheſios innuit, ſed alios Gentiles, ipſis aliquando ſimiles. Ideo v. 1. ait ὑπὲρ ὑμῶν, τῶν ἐθνῶν, ſubindicans, in quo rerum ſtatu, nempe Gentiliſmo, ipſi extiterint, ex quo non minus, atque alii, ſua ope evaſerint.

Quæ ex cap. IV. 20. 21. *Vos non ita didiciſtis Chriſtum, ſiquidem eum audiviſtis* &c. urget, ea ſecurus ſilentio transmittere poſſum, qui jam oſtenderim, de quo *Chriſtum audiendi* genere hic agatur. Eosdem *priorem conſuetudinem deponere* v. 22. jubere poterat Apoſtolus, ſive recens, ſive pridem ad Chriſtum eſſent perducti, quemadmodum idem fit in epiſt. ad *Hebr.* XII 1. & 1 *Pet.* II. 1. ad Chriſtianos illius ætatis, ſive illi recens, ſive jam pridem Chriſtum agnoviſſent.

Cadunt itaque hæc in *Epheſios*, quemadmodum nec à Paulo alienum eſt, quod vult cap. VI. v. 19. pro ſe intercedi apud Deum, *ut ipſi ſermo detur cum apertione oris in parrheſia, ut notum faceret myſterium Evangelii.* Videntur hæc quidem *Oedero* pag. 657. *ad eam potius ætatem referenda, qua Paulus in Apoſtolatu recens fuerit, quam ad vincula Romana, poſterioribus temporibus inſecuta,* cum phraſis: *ad patefaciendum myſterium Evangelii* virum innuat, *qui res infectas demum aggreſſurus ſit.* Paulus, hæc ſcribens, captivus erat, atque adeo cauſæ dicendæ obnoxius. Ad hanc perorandam παῤῥησία inprimis opus erat, ut nec minis, nec metu frangeretur. Cur itaque eo inprimis tempore ſibi dicendi libertatem non expetendam cenſeret? Huc vero reſpexiſſe Paulum patet ex v. 20. ubi catenarum ſuarum diſerte meminit, optatque, ut ſibi vel ſic libere, & ita loqui, ut decet, detur. Patet itaque hoc loco non tam ſermonem eſſe de prædicatione Evangelii in univerſum, quam de illa, quæ vel in carcere ipſo, vel in foro fieri debebat.

Mirum

Mirum porro videri non debebat, ut fit pag. 657. quod Paulus ad Epheſios Roma ſcripſerit nil quicquam eorum, quæ ſe præſente Epheſi geſta, vel, ſecundum *Act.* XX. ab ipſo vale dicturo, pronunciata erant, imo nihil eorum, quæ Romæ agerentur, commemorarit. Quod enim ad poſterius attinet, *Tychicus*, ad quem diſerte ſe recipit v. 21. exponere omnia diſertius poterat. Priorum vero mentionem cur Paulus non fecerit, ut definire non auſim, ita, ſi non definiatur, non efficiet, ut epiſtolam hanc Roma ad Epheſios ſcriptam eſſe inficiemur.

Videamus nunc, quæ vir doctus receptæ ſententiæ argumentis opponat. Carcerem Pauli aliquoties in hac epiſtola appellari non negat, at Romanum fuiſſe inficiatur, cum Paulus ſæpe alias ſe in cuſtodiam miſſum profiteatur 2 *Cor.* XI. 23. Oſtendendum itaque ſaltem erat, quæ illa fuerit cuſtodia, in qua tempus longius egerit, ut epiſtolis ſcribendis vacare potuerit, & *Tychicum*, qui de rebus ſuis exponeret, mittere neceſſe habuerit. Longiorem & graviorem eam, in qua erat, fuiſſe, ex repetita ejus, & ἁλύσεως præterea mentione, tum vero ex Pauli metu, ne calamitatibus ſuis Epheſii langueſcerent, cap. III. 13. conjicere licet. Jam cum de alia tali & ſacræ literæ,& antiquitatis monimenta taceant, tutius in illuſtri illa cuſtodia Romana acquieſcimus, quam aliam, neſcio quam, quæ quidem huc pertinere poſſit, fingimus, inprimis, cum nihil contra eam allatum ſit, quod rem evertat. *Subſcriptiones*, quæ epiſtolis ſubjici ſolent, certam quidem fidem non præſtant. Neque tamen omnes ſunt falſæ, multo minus contemtim habendæ, aut penitus negligendæ, cum antiquitatis pondus habeant. Illa vero præſentis epiſtolæ, quæ Roma ſcriptam aſſerit, hoc minus negligi debet, quod in Codicibus omnibus, qui eam repræſentant, eadem ratione, ſine ulla varietate, exhibetur. In aliis enim, quarum fides merito ſuſpecta eſt, vel penitus eluſa, aliter agi, & falſi ſuſpicionem à Codicibus ipſis moveri, conſtat.

Longior hic fuiſſe nonnullis videri poſſim. Faciendum tamen putavi, ut conſtaret, ſententiam viri docti, quam *decretoriis* & *firmiſſimis* argumentis ſuperſtructam eſſe exiſtimat, exigua veri ſpecie ſe commendare. Alia meo judicio afferri debent, quæ ſententiam non ſolum à ſubſcriptione, ſed antiquitate etiam remotiore probatam, & recentiſſimis temporum ſcrutatoribus receptam, evertant. Ipſum *Euthalium*, Sæculi V. medii Scriptorem *Romam* ſcriptionis locum profitentem, quamvis ſibi cetera non ſatis conſtantem, ſupra audivimus. De reliquis taceo. Ne ſolus ego ab ipſo diſſentire videar, comparari velim, quæ Cl. M. *Gude* in commentatione luculenta de Eccleſiæ Epheſinæ Statu pag. 162. ſq. contra eundem diſputavit.

Cetera, quæ hic præmoneri poterant, ex eodem *Gudio*, tum vero *Sal. van Till*, cujus potiora idem præfationi ſuæ annexuit, repeti velim. Commentatorum in hanc epiſtolam indicem habes in M. *Ge. Jac. Schvvindelii* Bibliotheca Paſtorali, & M. *Jo. Chriſtoph. Wendleri* Prodromo Bibliothecæ Biblicæ perfectioris.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ] De nomine hoc & titulo conferri velim, quæ ad Rom. I. 1. dicta ſunt. *Hermannus Alexander Roellius*, Theologus quondam Franequeranus & poſtea Ultrajectinus, ad hæc verba illuſtranda ſingularem diſſertationem retulit, quam, *de Scriptoris epiſtolæ ad Epheſios nomine & divino munere*, inſcriptam edidit Franequeræ 1702.

*διὰ θελήματος Θεοῦ*] Lege nos ad Galat. I. 1. & junge diſſertationem *Roellii* modo laudatam, vel, ſi mavis, commentarium ejus in principium hujus epiſtolæ, qui ex diſſertatione illa, & aliis, antea ſeorſim editis, natus eſt. Eum nos quidem in ſequentibus non appellabimus, cum inſtituti noſtri ratio non ferat.

*τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ*] Ita codices manu exarati, & verſiones omnes. Et vel ſic *Millius* ad h. l. & in Prolegomenis §. 809. de *νοθεύσει* cogitare potuit, loco quodam Baſilii Magni libro II. ad Eunomium pag. 743. edit. Pariſ. 1638. ſeu noviſſimæ 1721. ſqq. per Julianum Garnerium curatæ Tom. I. p. 254. ſq. Accipe eum: *ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων ὡς γνησίως ἡνωμένοις τῷ ὄντι δι' ἐπιγνώσεως, ὄντας αὐτοὺς ἰδιαζόντως ὠνόμασεν, εἰπών. τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. οὕτω γὰρ καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὑρήκαμεν.* i. e. *Sed & Epheſiis cum ſcriberet, eos per excellentiam nominavit* exſiſtentes, *tanquam qui ei*, qui eſt, *vere eſſent per agnitionem conjuncti; quippe ait*, Sanctis, qui ſunt, & fidelibus in Chriſto Jeſu. *Sic enim, & qui ante nos fuerunt, tradiderunt, & nos in antiquis exemplaribus invenimus.* Hic in D. Pauli verbis, prout à *Baſilio* citantur, omitti vides voces *ἐν Ἐφέσῳ*, ex quo *Millius* ſuſpicari ſibi poſſe viſus eſt, optimum Doctorem indicare voluiſſe, easdem in antiquis exemplis, ad quæ præter judicium, à majoribus acceptum, provocat, lectas non fuiſſe. At Millium præcipitaſſe judicium ſapienter monuit *Jac. Lenfant*, in epiſtola ſingulari, quæ exſtat in Bibliotheca Selecta *Jo. Clerici* Tomo XVI. p. 301. obſervans, *Baſilium* pro ſcopo ſuo ad articulum *τοῖς*, voci *οὖσιν* præmiſſum, tantum reſpexiſſe, nulla habita ſequentium vocum *ἐν Ἐφέσῳ* ratione, quas proinde in allegatione ſua omiſerit, non quod eas in antiquis exemplis non legerit, atque adeo ipſe omittendas cenſuerit, ſed quod ad inſtitutum ſuum, quod tunc urgebat, non pertinerent. Argumenta, ab *Infantio* huc relata, adeo ſe non probarunt *Ludolpho Küſtero*, ut *Millii* ſententiam vindicandam ſuſciperet p. 7. Præfationis, repetitæ Novi Inſtrumenti Milliani editioni præmiſſæ. Sed nec ſibi defuit *Infantius* in alia quadam epiſtola, in eadem *Bibliotheca Selecta* Tom. XXI. p. 111. ſqq. latine legenda. Cum ex harum vocum *γνησιότητι* inprimis pendeat diſputatio de eo, utrum hæc epiſtola ab Apoſtolo *Epheſiis* vere ſit inſcripta, operæ omnino pretium fuerit, Infan-

Infantii argumenta, in compendium relata, hoc loco repræſentare. Oſtenſurus ſcilicet, *Baſilium* omiſſis vocibus, ἐν Ἐφέσῳ, non indicare voluiſſe, eas olim non fuiſſe lectas, atque adeo pro ſpuriis habendas, primo loco obſervat, Baſilium, locum hunc citantem, non monere, defuiſſe verba, ἐν Ἐφέσῳ, quod omnino fuiſſet monendum; verba autem hæc ideo non addidiſſe, quod jam initio verborum ſuorum Epheſios appellaverat, quodque illa non modo non utilia propoſito ipſius, ſed etiam noxia futura erant, cum ex ſola vocum ſtructura (τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ) vanæ ſubtilitatis argui potuiſſet. Præterea urget, ſi quidem *Baſilius* eo, quod *Millius* vult, conſilio voces illas omiſerit, tanquam in antiquis Codicibus deſideratas, mirum omnino eſſe, quod nullus ejusmodi codex (addiderim, verſio aut Interpres nullus) lectionis hujus exemplum exhibeat. Quod enim *Ludovicus Ellies du Pin* in Prolegomenis ſuis Biblicis cap. II. p. 50. tradit, exſtare hodienum Codices, *in quibus voces,* ἐν Ἐφέσῳ, *non legantur,* id ſine die & conſule, atque adeo memoria lapſus, vel judicio ex Baſilio oſcitanter lecto, præceps, adſeruit.

Ponamus porro, *Baſilium* id ſibi voluiſſe, quod viri docti contendunt, quomodo conciliari is poterit cum *Tertulliano*, libro V. adverſus Marcionem p. 607. ita ſcribente: *Eccleſia quidem veritate epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam. Tertullianus* diſerte ad *veritatem* i. e. traditionem ſeu doctrinam & teſtimonium Eccleſiæ ſcilicet ipſa *inſcriptionis ad Epheſios* formulâ (lege eundem Tertullianum p. 598.) editum provocat, idque contra *Marcionem, Laodicenos* hic ſubſtituentem, urget. Credine poteſt *Baſilius*, quaſi ad caſtra *Marcionis* dilapſus, ad Eccleſiæ traditionem, quam affert, pro eliminandis vocibus ἐν Ἐφέσῳ ſe recipere potuiſſe vel voluiſſe?

Ab altera parte exſtat hodienum Codex MS. in quo articulus τοῖς, ante vocem οὖσιν, deeſt. Hunc itaque *Baſilius* reſtitutum omnibus voluit, tanquam talem, qui interpretationi ſuæ ſubtiliori velificaretur. Nec obverti cum ratione poteſt, hoc modo *Baſilium* affirmare non potuiſſe, *Epheſios* ἰδιαζόντως à Paulo hic τοὺς ὄντας vocari, cum ab eodem *Romani, Philippenſes* & alii eadem ratione deſignentur. Scilicet Sanctus Pater de Epheſiis primum cogitabat, cum in hoc argumento eſſet, de *Romanis, Philippenſibus*, &c. idem dicturus, ſi primum ipſius memoriæ occurriſſent.

Denique Baſilium hic tantum de articulo τοῖς ante οὖσιν cogitaſſe, ut ſuam poſterioris vocis interpretationem ingenioſe potius, quam vere ſtabiliret, ex *Hieronymi*, expoſitionem illam (ſive apud *Baſilium*, ſive *Origenem, Apollinarem* & *Didymum* legerit,) averſantis, loco manifeſtum eſt. Is enim ita in epiſtolam ad Epheſios Tomo XI. f. 123. edit. Baſil. An. 1525. *Sanctis omnibus, qui ſunt Epheſi. Quidam curioſius, quam neceſſe eſt, putant ex eo, quod Moſi dictum ſit:* Hæc dices filiis Iſraël, qui eſt, miſit me; *etiam eos, qui in Epheſo ſunt, ſancti & fideles eſſentia vocabulo nuncupatos, ut quomodo à Sancto, Sancti, à Juſto, Juſti, à Sapiente, Sapientes, ita* AB EO, QUI EST, HI, QUI SUNT, APPELLENTUR — — — *alii vero ſimpliciter,*

*pliciter, non ad eos, qui ſunt, ſed qui Epheſi ſancti & fideles ſunt, ſcriptum arbitrantur.* Hic obſervandum eſt, nullam fieri mentionem ullius variantis lectionis, quam *Hieronymus* non erat omiſſurus, cum ſubtiliores Interpretes, qui ſcilicet abſentiam verborum ἐν Ἐφέσῳ prætexuiſſe creduntur, refellere ſatageret. Deinde ſecundum Hieronymum apud utroſque Interpretes, cum ſubtiliores, tum ſimpliciores, exſtat mentio Epheſiorum. Porro in eo vertitur interpretationis, non vero lectionis, varietas, quod alii perperam ſepararunt verba τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, ut Epheſii viderentur nomine *eſſentiæ* nuncupati; alii vero hæc rectiſſime conjungerent. Si Hieronymus exiſtimaſſet, Baſilii aut aliorum interpretationem in omiſſione verborum, ἐν Ἐφέσῳ, fuiſſe fundatam, quid magis obvium erat hac reſponſione: *Quidam curioſius, quam neceſſe eſt, putant* —— —— —— *etiam eos, qui in Epheſo ſunt, ſancti & fideles* ESSENTIAE *vocabulo nuncupatos*, QUIA IN NONNULLIS CODICIBUS DEEST IN EPHESO; *ſed cum Codices hæc verba habeant, nullum eſt eorum curioſitati fundamentum.*

Addidero his, nec *Hieronymum*, nec alios, ſi quidem *Baſilium* voces ἐν Ἐφέσῳ ſuppoſitas & infartas habuiſſe crederent, interpretationem ejus, tanquam ſubtiliorem & fundamento deſtitutam, explodere potuiſſe. Si enim ſimpliciter ſcriptum fuiſſet: τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, non poterant poſtremæ voces alio ſenſu accipi, quam quos *vere tales* latine appellamus. Qui hæc probe expenderit, is, ſi quid video, nunquam exiſtimaverit, *Baſilium*, voces ἐν Ἐφέσῳ omittentem, frigidam illis ſuffundere, qui eas olim abfuiſſe exiſtimant. Omiſit potius eas, quod ex altera parte ſatis ipſi erat, articulum τοῖς ex antiquis exemplis tanquam neceſſarium vindicare, ex altera vero intelligebat, expoſitionem ſuam pro nulla facile habitum iri, ſi voces ἐν Ἐφέσῳ voci οὖσι ſubjectæ legerentur.

Neque tamen deſunt, qui ante *Millium* Baſilii locum ita acceperunt. Huc pertinet, quod paulo ante eſt admonitum, *Uſſerius* in Annalibus p. 680. edit. Bremenſ. Confer doctiſſimum *Fabricium* Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. p. 858. Contendit is ex h. l. epiſtolam hanc *circularem* fuiſſe, & tanquam ad omnes Aſiæ Eccleſias ſpectantem inſcriptam fuiſſe τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, ut, ſi ad aliam urbem mitteretur, alio nomine inſcriberetur. Eandem *Uſſerii* ſententiam ſuam fecit *Julianus Garnerius* ad *Baſilium* l. c. Tom. I. pag. 255. quo loco cetera fatetur, *Baſilium* rem hic non ſatis attendiſſe, recteque ab *Hieronymo*, ſed modeſte, notatum eſſe, quem *Beza* minus reverenter *meram* & *inanem argutiam* attuliſſe minus reverenter dictitarit. *Richardus Simon* in Hiſtoria Critica Commentatorum N. T. pag. 105. voces has ἐν Ἐφέσῳ olim abfuiſſe ex eodem *Baſilii* loco opinatur, quamvis lectionem ipſam improbet. Noviſſime *Millii* partes amplexus eſt recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani p. 707.

Ceterum

Digitized by Google

Ceterum epiſtolam hanc à Paulo ita, ut Codices omnes habent, inſcriptam fuiſſe *Epheſiis*, per, τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, invicte mihi patere videtur ex ceteris inſcriptionibus Paulinis, quas epiſtolæ ad alias gentes, CHRISTO ſacras, directæ referunt. In epiſtola ad *Romanos* legis cap. I. v. 7. Πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ. In priore & poſteriore ad *Corinthios*: Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ. In illa ad *Philippenſes*: Πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τοῖς οὖσιν ἐν Φιλίπποις. In epiſtola ad *Coloſſenſes*: Τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις &c. Ponamus etiam, Apoſtolum eam, tanquam ceteris Aſiæ Eccleſiis communem, haberi & legi voluiſſe, unam tamen, & nominatim Epheſinam Eccleſiam tanquam ceterarum primariam appellaturus erat, nec ſimpliciter ſcripturus τοῖς ἁγίοις, τοῖς οὖσι, ut loci, quo mitteretur, nomen ſuppleri potuiſſet. Ita priorem ad Corinthios epiſtolam ſic orditur: Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ; & pergit: σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐν παντὶ τόπῳ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν. Similiter in 2 Epiſtola ad Corinthios: Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, τῇ οὔσῃ ἐν Κορίνθῳ, σὺν τοῖς ἁγίοις πᾶσιν, τοῖς οὖσιν ἐν ὅλῃ τῇ Ἀχαΐᾳ. Quod ſi itaque inſtitutum fuiſſet Paulo, epiſtolam hanc, tanquam circularem, ad cœtus plures referre, procul dubio conſilium ſuum eadem ratione aperuiſſet. Valeat itaque illa conjectura, quæ voces ἐν Ἐφέσῳ olim lectas non fuiſſe pugnat. Video nunc, *Samuelem Crellium* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 212. idem aſſerere, & provocare ad *Jac. Peirce*, qui pag. 114. & 115. Notarum in epiſtolam ad *Philippenſes* novis argumentis id adſtruxerit. Non vidi adhuc librum illum, nec proinde judicium ferre poſſum de rationibus ab illo allatis. Iis tamen non multum tribuendum eſſe ſuſpicor, ſi ex conjectura ejusdem *Peircii* de ceteris judicare fas ſit. *Conjicit enim*, indice *Crellio*, *Apoſtolum, cum epiſtolam hanc Tychico cap. VI. 22. (neſcio cui Eccleſiæ inſcriptam, aut præcipue deſtinatam, nam ad Laodicenos non fuiſſe exaratam, idem Peircius probavit) committeret, ei injunxiſſe, ut exemplum ejus Epheſiis exhiberet. Quod illi tanquam ſufficientem rationem arripuerint, exiſtimandi, loquendi & gloriandi de hac epiſtola tanquam ad ſe ſcripta; & eorum ambitionem, ut adeo inſignis epiſtola ad ipſos ſcripta fuiſſe putaretur, in cauſa fuiſſe, ut exempla ejus cum hac lectione* ἐν Ἐφέσῳ *cap. I. 1. diſpergerentur*, &c. Si ita conjectare licet, quidvis ex quovis facili opera effeceris.

καὶ πιστοῖς] Subtilior hic eſt *Lockius*, quando in commentario per πιστοὺς intelligi vult eos, qui præ ceteris in Evangelica fide perſtiterint, nec legi ſe per circumciſionem ſubjecerint. Propius ad Pauli mentem accedemus, ſi ſtatuamus, cum per vocem ἅγιοι Epheſios commonefeciſſe *beneficii divini*, cujus fructum ceperint, per πιστοὺς autem *ſtatus* & *conditionis*, in quam per *fidem* delati ſint, & in qua perſeverare ſingulos oporteat.

Verſ. 2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη] Vide dicta ad Galat. I. 3..

Verſ. 3. – 7. illuſtrantur à *Davide Hollazio* in Examine Theologiæ Part. III. pag. 33. ſq.

Verſ. 3. *Εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*] Sociniani ex eo, quod h. l. Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti *ὁ θεὸς* appellatur, conficere ſatagunt, Patrem eſſe unum illum & verum Deum. Id olim urſit *Vogelius in Dubiis* ſuis, quæ primum in lucem una cum præſtantiſſimi *Schrœderi* reſponſis prolata ſunt à Rev. G. G. *Zeltnero* in Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini pag. 652. Reſponſio Schrœderi ita habet: *Aut particula καὶ ſumitur ἐξηγητικῶς, & tum patet, nomen Dei accipi ὑποστατικῶς, quia limitatur nomine Patris, & diſtinguitur à filio: aut particula καὶ ſumitur copulative, & tum nomen Dei poteſt accipi οὐσιωδῶς, ut ſit ſenſus: Benedictus eſt Deus, qui eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & benedictus ſit peculiariter Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti. Neutro modo ſequitur, ſolum Patrem eſſe Deum. Non priori, quia etiam Chriſtus dicitur Θεὸς εὐλογητὸς Rom. XI. Non poſteriori, quia Pater hic peculiariter dicitur benedictus, quia ipſe primus eſt auctor beneficiorum, quæ per Chriſtum ſunt nobis præſtita.* Adde ibidem laudati *Zeltneri* annotationem pag. 653.

*ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ*] Quæ hic beneficia ſpiritualia intelligantur, ex Patrum mente ediſſerit *Svicerus* in Theſauro Eccleſiaſtico Tom. I. pag. 1246. Τὸ ἐν hic redundat, ut v. 6. quod etiam alias uſu venit.

*ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*] *in cœleſtibus*: aut rebus, (*χρήμασι*) ut infra VI. 12. ut quænam ſit benedictio ſpiritualis, intelligamus; aut *locis*, (*τόποις*) ut infra v. 20. & II. 6. juxta illud *Matthæi* VI. 20. *Philipp.* III. 20. *Coloſſ.* III. 1. Cœlitus enim à Dei ſolio dimanat ad nos, adeoque à Chriſto capite in Eccleſiæ myſticum corpus, omnis benedictio: *Joan.* I. 16. Unde Syrus reddit *in cœlis.* Ita Anonymus Anglus in Annotationibus in hanc epiſtolam cum ejusdem notis in V. T. per *Jac. Rhenferdium* Franequeræ 1704. 8. recuſis p. 732. Ad *res* ſeu *bona* hic reſpici, ut plerique alii, ita ex recentioribus *Hombergius* p. 285. exiſtimat, vertique vult, *benedictione cœleſti*, ac ſi Paulus ſcripſiſſet *εὐλογίᾳ πνευματικῇ καὶ ἐπουρανίῳ*, quemadmodum v. 18. *κληρονομία ἐν τοῖς ἁγίοις*, *hereditatem ſanctam*, & *πρόσωπον ἐν σαρκὶ*, *Coloſſ.* II. 1. *faciem carnalem* inferat. Similiter *Martianæus in Eſſais de Traduction*, pag. 357. *benedictionem in cœleſtibus* ait, indicare *benedictionem cœleſtem*, ſicut *cuſtodia in nocte* ſit *cuſtodia nocturna.* Mihi quidem ad *cœlum* reſpici hic videtur, tanquam *locum*, *unde* omnis hujusmodi benedictionis origo ſit repetenda, & *in quo* aliquando credentes æternæ beatitatis, inſtar cumuli omnis benedictionis, participes ſint futuri per Chriſtum. Deus enim *συνήγειρε* (*ἡμᾶς*) *καὶ συνεκάθισε ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ* Ἰησοῦ. *Epheſ.* II. 6. Propterea *οἱ ἅγιοι* vocantur *κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι.* *Hebr.* III. 1. Hoc modo Paulus beneficia divina, quæ in fideles in regno *gratiæ* & *gloriæ* cadunt, ſapientiſſime h. l. conjunxiſſe videbitur.

Apoſto-

Apoſtolus benedictionem illam efficaciter & *ſpiritualem* & *cœleſtem* appellat, ad deprimendam vanam ſecularium bonorum exſpectationem, qua Judæi in Meſſiam temere ferebantur, quod recte obſervat *Martianæus* loc. cit. pag. 356. quamvis omnino in eo falſus, quod benedictiones, à Patriarchis olim in ſuos collatas, ſeculares tantum fuiſſe affirmat. Quid enim fiet de benedictione, Abrahamo à Deo facta, & ab illo procul dubio cum poſteris communicata *Geneſ.* XXII. 18. ſi comparetur cum expoſitione Paulina? *Galat.* III. 8. Quid de benedictione Jacobæa, tribui Judæ ſpeciatim collata? *Geneſ.* XLIX. 10. Omitto alia exempla. Cl. *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. ſpiritualia & cœleſtia tum Gentiliſmo tum Judaiſmo putat opponi, cum in illo quidem omnia fuerint vana & externa; in hoc vero typica. Idem comparari vult diſſertationem ſuam de Hieroſolyma cœleſti, c. VI. 2. 3. quam nondum ego vidi.

ἐν Χριςῷ] Plerique codices, & potiores editiones hic legunt Χριςῷ ſine ἐν. Lectionem hanc ſequitur etiam *Millius* in contextu, poſt Stephanum, & recens editor N. T. Græco-Anglicani. Millius τὸ ἐν claritatis gratia additum exiſtimat, ad locum ipſum, & in Prolegom. §. 754. Adſtipulatur illi ex noſtratibus doctiſſimus *Raphelius* pag. 526. Annotationum ex *Herodoto.* Τὸ, Χριςῷ in Dativo hic poſitum fuiſſe cenſet pro Genitivo, ut ſenſus phraſeos: ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Χριςῷ, ſit, *in rebus Chriſti cœleſtibus*, ſicut & *Caſtellio* convertit. Quæ loquendi ratio cum nonnullis fuerit ignotior, factum putat, ut τὸ ἐν adjiceretur. Jam inficiari non licet, exſtare hoc loquendi genus in ſacris & profanis monimentis, v. c. *Act.* VII. 20. ἀςεῖος τῷ Θεῷ. 2 *Corinth.* X. 4. δυνατὰ τῷ Θεῷ. *Herodotus* lib. I. pag. 43. ἀναθήματα Κροίσῳ pro Κροίσου dicit. Et lib. V. pag. 370. τὰ δὲ ὅπλα ἴσχουσι Ἀθηναῖοι, pro τὰ οὖ ὅπλα, *armis ejus potiti ſunt Athenienſes.* Ita Hebræi *Pſalmum Davidis* מזמור לדוד *Pſalmum Davidi* appellant. Mihi tamen lectio ἐν Χριςῷ germana videtur. Eadem occurrit infra cap. II. 6. Imo commate proxime ſequente Paulus ait, ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, ſcilicet *Chriſto.* Quo ipſo ut Chriſtum electionis, tanquam ſpecialis gratiæ & benedictionis, fundamentum conſtituit, ita eadem opera innuit, ſe Chriſtum quoque commate antecedente originem omnis boni ſpiritualis pronunciaſſe. Taceo, frequens eſſe Paulo & ceteris Scriptoribus divinis, ut, ubi de negotio ſalutis hominum ſpiritualis & æternæ ſermo eſt, ἐν Χριςῷ vel διὰ Χριςοῦ id partum eſſe ſignificent. Nec mirum videri debet, particulam ἐν ex aliis codicibus excidiſſe. Fieri enim id vel ex eo facile potuit, quod in hoc uno commate præpoſitio ἐν ter occurrit. Malim itaque acquieſcere in *Chryſoſtomi* interpretatione, per διὰ Χριςοῦ, *per Chriſtum,* quam idem ita firmat: οὐ διὰ Μωϋσέως ἦν αὕτη ἡ εὐλογία, ὥςε οὐ μόνον τῇ ποιότητι, ἀλλὰ καὶ τῷ μεσίτῃ διαφέρομεν ἡμεῖς. *Non per Moſen erat hæc benedictio. Quare non ſolum qualitate, ſed etiam mediatore excellimus.* Confer B. *Menonis Hannekenii Explicationem* hujus epiſtolæ nuper recuſam pag. 7. *Schœtgenius*

*genius* in Horis Hebraicis τὸ Χριςῷ pro dativo commodi habet, hoc ſenſu, *in laudem Chriſti* ejusque regni amplificationem.

Verſ. 4. Καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς, κ.τ. λ.] Ex hoc loco, ceu palmario, doctrinam de electione ſeu Prædeſtinatione tradiderunt ex noſtratibus in diſſertationibus ſingularibus, *Chriſtianus Chemnitius* de Prædeſtinatione *Jenæ.* *Sebaſt. Schmidius* in der Verantwortung contra Reformatos pag. 497. *Jo. Hülſemannus* in Orthodoxia de Prædeſtinatione, Witteb. 1702. recuſa. *Jo. Deutſchmannus* in Jubilæo Apoſtolicæ Prædeſtinationis, Witteb. 1700. & in alia de myſterio electionis ibid. 1686. *Caſp. à Lilien* in Diſſertationibus ſacris de electione hominum ab æterno è prævisâ fide, pag. 59. ſqq. Et noviſſime *David. Gertmannus* in Exercitatione Anti-Roelliana, qua Pauli doctrinam ab ei, per Alexandr. Herm. Roellium in commentario in principium epiſtolæ ad Epheſios, affiсto abſoluto electionis decreto immunem eſſe, ex infinita Dei ſanctitate deducitur, Wittebergæ 1726. 4. Patrum, & ſpeciatim *Auguſtini*, ſententiam excuſſam videbis à *Dionyſio Petavio* in Dogmatibus Theologicis Tom. I. lib. IX. 12. 3. cap. 14. 3. & X. 1. 14. item cap. 16 11. & *Grotio* Tomo III. Operum Theologic. p. 106.

ἐξελέξατο ἡμᾶς] Conſtat, *Sam. Huberum* τὸ, ἡμᾶς, per *omnes* interpretandum ſtatuiſſe, ad ſuam de electione hominum univerſali ſententiam vi quaſi quadam ſtabiliendam. Contra eum, ut alios taceam, ex principiis Philologicis diſſerit *Hackſpanius* in Miſcellaneis pag. 178. ſq.

ἐν αὐτῷ] *Alex. Morus* in Notis pag. 157. & in Annotationibus ad Jeſ. LIII. pag. 22. legi vult ἐν αὑτῷ, *in ſe ipſo*, ut non ad *Chriſtum*, ſed ad *Patrem* referatur, *qui nos in tempore benedixerit in Chriſto*, *quemadmodum nos ab æterno elegerat in ſe ipſo.* Facile apparet, quo hæc tendant, eo ſcilicet, ut electio abſolute facta exiſtimari debeat. Sed nihil eſt, quod hanc *ſpiritus* mutationem ſuadeat. Non ullus codex Moro ſuffragatur, ſi *Bœrnerianum* excipias, legentem ἑαυτῷ, omiſſa præpoſitione ἐν. Hujus autem abſentia ut originem erroris librarii prodit, ita *Latina* verſio, Græcis ibidem ex adverſo poſita, *in ipſo*, i. e. *Chriſto*, ante commemorato, lapſum librarii caſtigat & convellit. Nec quicquam *Morum* juvat, quod, etiamſi legatur ἐν αὑτῷ, *ſpiritu leni notatum*, reddi poſſit, *in ſe ipſo.* Quamvis enim id in Scriptoribus fieri interdum oporteat, graves adſint cauſæ, neceſſe eſt, quæ illud non tam ſuadeant, quam jubeant. Nihil vero hujusmodi Morum hic afferre potuiſſe mirum non eſt, cum ſermonis Paulini ſeries omnia alia præcipiat. Divinus præco v. 3. omnem benedictionem ſpiritualem *à Chriſto*, tanquam fonte & fundamento, derivat. Hujus benedictionis momentum præcipuum eſt *electio.* Credine Paulus poteſt, hujus fundamentum alibi, quam in *Chriſto*, quærere voluiſſe. Et qui fieri poteſt, ut Pater nobis in tempore benedixerit in Chriſto, ſi ab æterno nos ad id elegerit in ſe ipſo? Ita Chriſtus nihil hic feciſſet. Nonne hæc conjectura etiam eo profligatur, quod *Epheſii* & illis ſimiles, v. 1. appellantur πιςοὶ ἐν Χριςῷ

Digitized by Google

Χριςῷ Ιησȣ̃? Nonne, inquam, hac appellatione definiuntur illi, quibus DEUS benedixerit, tanquam tales, quos prævideſt in Chriſto per fidem ita futuros, quales ſe tum temporis, cum Paulus illa ſcriberet, præſtabant? Precarium eſt, quod *Morus* negat, Scripturam *dicere nos ſolere in Chriſto ſive per Chriſtum electos.* Nonne enim hoc ipſum ſat diſerte affirmat Paulus, quando 2 *Theſſalon.* II. 13. ait: ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ᾽ ἀρχῆς (i. e. ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ) εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίςει ἀληθείας? *Electio ad ſalutem ab initio* hic memoratur, tanquam facta *per fidem veritati habitam.* Quæ vero eſt illa *veritas?* Nonne illa, quam Sanctiſſimus Dominus & Salvator noſter inculcat Joh. VI. 40. Τȣ̃το δὲ ἐςι τὸ θέλημα τȣ̃ πέμψαντός με, ἵνα πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιςεύων εἰς αὐτὸν ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον? Fruſtra præterea Vir doctus opinionem ſuam ornare conatur, quando urget, in ſequentibus legi v. 5. εἰς αὐτὸν κατὰ τὴν εὐδοκίαν τȣ̃ θελήματος αὐτȣ̃, & v. 6. εἰς ἔπαινον τῆς χάριτος αὐτȣ̃, ubi hæc omnia ad Patrem referantur. Diſtinguenda enim hic ſunt *prædicata*, & facile intelligitur, quomodo hæc ad Patrem pertineant, ita, ut electioni in Chriſto, tanquam fundamento, factæ, nulla fraus naſcatur. Aliud eſt *fundamentum* electionis, aliud *medium*, quo eligendus nititur, aliud *gratia* Dei, quæ illi *fundamento* & *medio* ſe alligavit, aliud *ordo*, in quo verſari oportet electum. Nonne denique omnia, quæ Patri hic tribuuntur, diſerte Chriſto, tanquam auctori & parario, vindicantur, quando Paulus verſ. 6. gratiam Patris commemorans, ait: ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ὑμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Valeat itaque illa opinio, quod τὸ, ἐν αὐτῷ ad *Patrem*, non ad *Chriſtum*, ſit referendum. Rectius *Jac. Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebraicæ pag. 109. obſervat, DEUM nos in Chriſto elegiſſe, h. e. *in eo fundaſſe æternam illam electionem noſtri.* Idem antea monuerat, τὸ ב ſæpe indicare fundamentum morale actionis, alius gratia factæ, etſi ſperatum tantum, quale motivum appellemus, ut *Geneſ.* XIX 18. & 25. & *Ezech.* XXIX. 20.

πρὸ καταβολῆς κόσμȣ] *Chriſtianus Fendius* in nova verſione & illuſtratione epiſtolæ hujus Germanica vertit per Grundlegung der Welt, quod tolerari poterat, quemadmodum ab altera parte vox Herabwerffung, quam illuſtrationis, ut videtur, cauſa ſubjungit, vox nihili eſt, & legentem turbat potius, quam docet. Quod ut auctori, in multis præterea σωκινίζοντι, familiare eſt; ita id h. l. ſemel monuiſſe ſuffecerit. Vim hujus phraſeos diſces ex iis, quæ commentatus ſum ad *Matth.* XXV. 34. Quando Paulus electionem fidelium ab æterno factam docet, fieri poteſt, ut alluſerit ad ſententiam Judæorum, ſui cauſa univerſum hoc conditum eſſe affirmantium. Vide huc *Cartvvrighti* Mellificium lib. I. Tom. IX. Critic. Sacr. *Hulſium* de Meſſia Part. II. p. 309. (ubi Meſſias ex mente Judæorum, tanquam futurus redemtor, ante mundum creatus dicitur,) & *Eiſenmengerum* in Judaiſmo Detecto, vernacula lingua edito, Parte I. p. 570. ſqq.

*εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἁγίες*] Vide *Svicerum* Part. I. pag. 423. qui hanc phraſin comparat cum *Jac.* I. 8. *εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτῦ κτισμάτων.*

*κ, ἀμώμυς*] B. *Lutherus* recte: unſträflich, pro quo Interpretes Germanici Pontificii: ohne Mackel. Vide tu *Raithium* pro Luthero perorantem in Vindiciis Verſionis German. pag. 530.

*ἐν ἀγάπῃ*] Sunt, qui hæc ad comma ſequens ante vocem *προορίσας* referri volunt. Ita *Chryſoſtomus*, *Theodoretus* & *Theophylactus* ex recentioribus autem, teſtante *Curcellæo*, *Budæus*, & Anonymus Anglus in Notis in Epiſt. ad Epheſios pag. 732. his verbis uſus: *Vox hæc jungenda verſui quinto, ut ad charitatem referatur, qua nos Deus eſt amplexus.* Idem probabile viſum eſt ex noſtratibus Vener. *C. M. Pfaffio* de Variantibus Lectionibus N. T. p. 241. & 179. & M. *Jo. Frider. Burg* in Analyſi Logica hujus Epiſtolæ pag. 8. Minus convenienter ita ſtatui non dubito, cum Græci ſermonis indoles requirat, ut, ſi Paulus amorem Dei in fideles prædeſtinationis cauſam pronunciare voluiſſet, verborum ſtructura ita potius formaretur: *προορίσας ὑμᾶς ἐν ἀγάπῃ.* Præterea cum Apoſtolus v. 6. *χάριν Θεῦ*, ut principium electionis hujus afferat, quæ *amorem* Dei proxime infert, ſimulque eam in Chriſto tanquam *ἠγαπημένῳ* fundatam teſtetur; non video, quomodo phraſis *ἐν ἀγάπῃ* ad amorem Dei in fideles, tanquam per electionem illam teſtatam factum, referri poſſit. Eædem quoque cauſæ me prohibent, quo minus eadem verba, commati quarto relicta, ad verbum *ἐξελέξατο* pertinere proxime exiſtimem. Ita ſcilicet ſtatuere video B. *Gothofredum Olearium* poſt alios, à B. *Calovio* in Bibliis Illuſtr. allatos, in notis MSS. in hanc epiſtolam. *Hæc verba*, inquit, *de electione ad gratiam antiquiſſimi Scriptores interpretantur*, *e. g.* Auguſtinus *de Prædeſtinatione Sanctorum cap. XVIII.* Hieronymus *ad h. l. Atque idem hoc evincunt phraſes omnes, quibus Apoſtolus utitur. Itaque de amore Dei, quo nos amavit, accipio, & refero ad verbum ἐξελέξατο, non autem, ut* Chryſoſtomus *&* Curcellæus, *ad verſum ſequentem.* Lege eundem in Obſervationibus ad Matthæum p. 723. Ad illas rationes, quas dixi, accedit ſpeciatim, quod verbum illud *ἐξελέξατο* nimis remotum ſit à vocibus *ἐν ἀγάπῃ*, quam ut illis ſine trajectione quadam inſolentiore jungi commode poſſit. In communiore itaque illorum ſententia aequieſcere malim, qui dictiones has ad antecedentes *ἁγίυς δὲ ἀμώμυς* ſpectare arbitrantes, amorem illum intelligunt, quia credentibus pia probaque vitæ conditione adverſus Deum demonſtretur. Hoc ſane modo etiam *ordo*, quem tenere deceat electos per fidem, ſapientiſſime fuerit demonſtratus, quemadmodum v. 15. *fides* & *charitas* conjunguntur: *διὰ τῦτο κἀγὼ ἀκύσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίςιν ἐν τῷ Κυρίῳ Ἰησῦ, καὶ τὴν ἀγάπην, τὴν εἰς πάντας τὺς ἁγίυς*, & *πίςις δι' ἀγάπης ἐνεργυμένη* in Chriſto valere dicitur *Galat.* V. 6. Neque obeſt huic interpretationi, quod *ὁ μακαρίτης* ad Matthæum l. c. urget, quod *τὸ ἄμωμον* alias non in reſpectu ad *ſanctificationem*, ſed ad *juſtificationem* in Scriptura nobis tribuatur, v. c. *Epheſ.* V. 27. & *Coloſſ.* I.

v. 22.

v. 22. Poſito enim hoc, non tollitur alterum, nempe, quod alias credentibus ſanctitas ſeu perfectio non quidem *graduum*, ſed *partium* adſcribatur. Hanc ſcilicet à credentibus poſtulari, per tot illuſtria Scripturæ loca nemo negaverit. Compara *Grotium* ad h. l. ad cujus obſervata B. *Calovius* id tantum ſapienter monuit, quod *ſanctitas* illa non cauſa electionis noſtræ impulſiva, ſed finis & ſcopus à Paulo conſtituatur.

Verſ. 5. Προορίσας ἡμᾶς] Subtilior hic eſt *Hombergius*, quando in Parergis pag. 286. ait: *Illud* προορίσας *utique debet explicari*, cum nos prædeſtinaſſet, *idque ex notiſſima vi illius participii, ex quo tunc facile intelligitur, hanc fuiſſe mentem Apoſtoli:* poſtquam nos prædeſtinavit adoptandos, elegit etiam nos, ut ſimus ſancti. Diſtingui ſcilicet vult inter *electionem* & *prædeſtinationem*, tanquam hanc altera illa priorem. Utramque vero vocem συνώνυμον eſſe ex aliis Scripturæ ſacræ locis patet, & à Theologis noſtratibus pridem eſt evictum. Προορισμὸς ille τὴν ἐκλογὴν explicat potius, quam ut diſtinctam infert, &, ſi diſcrimen aliquod ſtatuere velis, conſilium divinum ab *æterno* captum infert, quemadmodum ἐκλογὴ actum eligendi hos vel illos homines eo, quem ſupra diximus, modo indicat. Hinc mirum non eſt, Apoſtolum participio προορίσας uti, qui ab æterno atque adeo ante homines ipſos conditos prædeſtinationem illam factam eſſe monuerat. Recte B. *Scherzerus* noſtras in Syſtemate Theologico pag. 479. docet: Prædeſtinationem & Electionem *materialiter eſſe eadem, formali autem conceptu differre; ita ut vocula PRÆ ordinationis divinæ prioritatem & æternitatem; E vero vel EX* (*in voce* Electionis) *homines illos, ex quibus ſegregatio iſta fit, connotet. Uno verbo: differunt tantum ratione ordinativa & objectiva.* Ceterum de vocibus προορισμὸς & προορίζειν ex antiquitate Eccleſiaſtica lege differentem *Petavium* Tomo I. Dogmatum Theologicorum lib. IX. cap. I. pag. 343.

εἰς υἱοθεσίαν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτὸν] Voces εἰς αὐτὸν alii referunt ad *Patrem*, ut idem ſit, ac ſi ſcriptum eſſet εἰς αὑτὸν, quod *Stephanus*, *Millius* & alii editores exhibent; alii *ad Chriſtum*. Placent priores, quorum partes poſt *Grotium* amplexus eſt B. *Olearius* in notis MSS. Is enim ita verba vult conjungi, εἰς υἱοθεσίαν, εἰς αὐτὸν, ſicut Hebræi dicunt: לעשות בנים לו, *ut nos faceret filios ſibi*. Cum hac phraſis Attica, monente eodem, conſpirat, qua εἰσποιήσασθαι τέκνα dicuntur illi, qui alios adoptant. Scilicet *Pater* eſt, qui adoptat ſibi filios, *Chriſtus* autem, per quem ad gratiam ab eo partam adoptantur. Ita Johannes I. 12. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς αὐτὸν. Compara in hanc ſententiam *Hombergii* Parerga pag. 286. qui explicat per εἰς υἱοθεσίαν αὐτοῦ. Quæ phraſis utut græca non ſit, Pauli tamen ſententiam exprimit, qui ita ſcripturus fuiſſe videtur, ſi Græcum eſſet.

κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ] Inſpice *Suicerum* Tom. I. p. 1240. de εὐδοκίᾳ hac ex Patribus differentem. Verſio *Montenſis* Gallica ita hæc verterat:

C 2

Digitized by Google

terat: *par un pur effet de ſa volonté*, quam verſionem à *Malleto* oppugnatam vindicare conatur *Arnaldus* in *Continuation de la nouvelle defenſe* pag. 30. – 36. Si reſpiciatur ad homines, electio omnino pro pura puta Dei gratia eſt habenda: ſi vero ad *Chriſtum*, non abſoluta eſt, ſed in ejus merito, fide apprehenſo, fundata. Neque enim quicquam voluntatis abſolutæ ex voce *εὐδοκία* extorqueri poſſe, recte oſtendit *Jo. Georg. zur Linden* in Cogitationibus de voce *εὐδοκία* ab omni ſuſpicione abſoluti decreti liberanda, Jenæ 1732. 4. Vide ibi pag. 15. ad h. l.

Verſ. 6. *ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς*] *gratos* ſeu *amabiles reddidit.* Chryſoſtomus *χαριτῶν* per *ἐπίχαριν καὶ ποθεινὸν ποιεῖν* explicat. Apud externos Scriptores fruſtra quæri *Pfochenius* §. 167. & alii obſervarunt. Itaque ex *Luc.* I. 28. & Græca Verſ. V. T. tum vero Scriptoribus Eccleſiaſticis notionem ejus ediſſeruerunt ex noſtratibus *Jo. Conr. Dietericus* in Antiquitatibus N. T. pag. 251. ex ceteris *Svicerus* Tom. II. pag. 1503. & *Bynæus* de Natali Jeſu Chriſti pag. 54. ſqq. Compara dicta ad *Luc.* I. 28.

*ἐν τῷ ἠγαπημένῳ*] Codices nonnulli addunt *υἱῷ αὐτοῦ.* Vide *Millium* ad l. & Prolegom. §. 732. Easdem voces etiam adoptarunt Interpretes vernaculi Pontificii. Lege *Raithii* Vindicias pag. 530. Rectius abeſſe juſſit *Hieronymus* in h. l. quamvis in veteri codice Latino ſibi lectas, ſuffragante *Rich. Simone* Hiſtoria Critica de Verſionibus N. T. pag. 41.

Verſ 7. *κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ*] Quomodo *Martinus Ruarus* Centur. I. Epiſt. XXIII. pag. 148. ex his verbis pleniſſimæ Chriſti pro nobis ſatisfactioni detrahere conatus ſit, videbis in repetita earum editione à *Zeltnero* curata pag. 118. qui recte in notis ita: *Miror, tam inſulſe virum t ntum, qui ſalem habuit, hallucinari cum Soſino ſuo potuiſſe & extra oleam vagari.*

Verſ. 8. *Ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς*] *Knatchbullus* in notis Anglicanis editionis auctioris *Cantabrigienſis* An. 1693. pag. 231. recte obſervat, verbum *ἐπερίσσευσεν* hic ex ſignificatu *τοῦ Hiphil* apud Hebræos idem eſſe, quod *abundare fecit*, quo ſenſu vox *περισσεῦσαι* occurrat 2 *Corinth.* IX. 8. *Τὸ ἧς* reſpondet antecedenti *χάριτος*, ex Attico loquendi genere, cujusmodi ut alibi, ita *Rom.* IV. 17. occurrit.

*ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει*] *Hombergius* pag. 286. nullum inter utramque vocem diſcrimen agnoſcit, minus veriſimiliter: quo nomine diſſentientem à ſe nactus eſt auctorem Bibliothecæ Novæ Hallenſis, vernaculo ſermone editæ Parte XXXV. p. 375. Is inter cetera locum promit *Ariſtotelis* ex Topicorum lib. I. ubi hæc legis: *πρός τε τὴν γνῶσιν, καὶ τὴν καλὰ σοφίαν φρόνησιν.* Idem ait has voces ita à ſe invicem differre, ut Hebræorum חכמה & בינה ſeu תבונה (ita enim ibi legendum eſt, ubi pro priore operæ prave exhibent חוה) & *σοφία* referri vult ad *ingenium*, *φρόνησιν* vero ad *judicium*, ex quo factum ſit, ut v. c. Paulus dicere potuerit, ſe loqui *ἀληθείας* (h. e. *σοφίας*) & 

σωφρο-

σωφροσύνης (i. e. φρονήσεως) ῥήματα, *Actor.* XXVI. 25. Mihi quidem σοφία inferre videtur ſalutarem Chriſti & totius doctrinæ Evangelicæ cognitionem, φρόνησις vero eam *prudentiam*, quæ ad res recte judicandas & agendas requiritur, quæque probat & demonſtrat τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. *Hebr.* V. 14. Lege, quæ de voce φρόνησις diximus ad *Luc.* I. 17. & *Hermanni Witſii* Miſcellanea Tomo II. pag. 518. Non magis audiendus eſt Hombergius, quando poſt *Hieronymum* & Scholiaſten Græcum verba illa: ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει referri vult ad comma ſequens, ut pendeant à verbo γνωρίσας. Quæ ad v. 4. de phraſi ἐν ἀγάπῃ ad v. 5. non rejicienda dicta ſunt, ea hic quoque locum habent. Si Paulus hoc ſibi voluiſſet, ſcripturus erat γνωρίσας ἡμῖν ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει, ſicut v. 3. phraſin ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ ſubjecit verbo εὐλογήσας, & v. 6. verba: ἐν τῷ ἠγαπημένῳ verbo: ἐχαρίτωσεν.

Verſ. 9. κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ] Poſtrema illa verba *Hombergius* l. c. mavult referre ad comma ſequens, ideo, quod verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι ab eo omnino pendeat. Quod ut negari non poteſt, ita certe non efficit, ut exiſtimemus, nova hac commatum diſtinctione opus eſſe. Propius enim τὸ, ἣν προέθετο, ad εὐδοκίαν proxime antecedentem ſpectat, quam ad finem rei, qui commate decimo toto ediſſeritur. Multum vero refert, circumſpicere, quo modo eadem verba legenda, quove ſenſu induenda ſint. Pleræque editiones legunt ἐν αὐτῷ, ut reſpiciatur ad *Patrem*, qui *hanc benevolentiam ſibi* apud animum *propoſuerit*. Paucæ legunt ἐν αὐτῷ, quam qui ſequuntur lectionem, benevolentiam illam in *Chriſto* à Patre *propoſitam* & animo ab æterno præceptam eſſe ajunt. Recte quidem, ſi rem ipſam ſpectes, quæ ex v. 6. ubi ἐν τῷ ἠγαπημένῳ κεχαριτωμένοι dicantur, patet. Malim tamen communiorem illam lectionem tenere, ἐν αὐτῷ, ut ad *Patrem* referatur, qui *conſtitutum apud ſe* ab æterno habuerit, gratiæ ſuæ participes facere homines in Chriſtum credituros. Hinc ſequitur v. 11. ἡ πρόθεσις, (propoſitum, der Fürſatz, ut B. Lutherus convertit) τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Quæ quidem verba idem omnino clarius exprimunt, quod hoc commate ſignificatur. B. *Lutherus* interpretatur: und hat daſſelbige hervor gebracht, i. e. *promulgavit, publicavit illud*, ſcilicet myſterium voluntatis ſuæ, *in ipſo*, nempe in Chriſto. Enimvero Apoſtolus non loquitur hic de *myſterio voluntatis divinæ*, quod Chriſtus, ut υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς ἐξηγήσατο, Joh. I. 18. ſed de εὐδοκίᾳ ſeu *benevolentia*, quam Pater apud ſe *conſtitutam* habuerit. Non equidem negaverim, verbum προτιθέναι & προτίθεσθαι interdum idem eſſe, quod *publice proponere*. Id enim ex *Rom.* III. 25. & variis externorum Scriptorum locis, à *Stephano* in Theſauro Græco-Latino copioſe allatis, manifeſtum eſt. Hic vero ea ſignificatio locum tueri non poteſt, ubi de eo negotio ſermo eſt, in quo alias τῆς προθέσεως ſeu propoſiti divini mentio fieri ſolet. Vide v. c. ad *Rom.* VIII. 28. Quod ad lectionem, ἐν αὐτῷ, i. e. *in Chriſto*, attinet, ſi cui ea præferenda videatur, pro-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

vocare is poterit ad *Epheſ.* III. 11. ubi Paulus ita: *κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, ἣν ἐποίησεν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν.*

Verſ. 10. Ἐις οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, κ.τ.λ.] Comma hoc ex noſtratibus illuſtrant *Amelius* Part. I. der Erörterung pag. 112. *Alethæus* Tom. II. pag. 207. *Zimmermannus* in Analectis pag. 12. *Raphelius* in Notis Polyb. & Xenophont. & *Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Sociniſmi Altorfini pag. 1047. ſq. ex Reformatis *Altingius* de Sabbatho Tom. V. Opp. pag. 32. ſq. *Svicerus* Tom. I. pag. 277. 278. & Tom. II. pag. 754. *Alex. Morus* in Notis ad N. T. pag. 161. & *Ludovicus Cappellus* in Operibus pag. 257. ex Anglis, *Jo. Morus* in Operibus Theologic. pag. 121. ex Pontificiis denique *Petavius* Tom. IV. lib. II. c. 7. 1. & Tom. V. lib. II. c. 7. 1. ac lib. XII. c. 10. 3. 7. ſqq.

Οἰκονομία τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν] diſpenſationem ſeu adminiſtrationem gratiæ ſuæ, tempori deſtinato & exacto convenientem, infert. Hæc ſcilicet eſt notio vocis οἰκονομία etiam apud profanos Scriptores, ut cujuscunque negotii geſtionem ſeu adminiſtrationem inferat, quod oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis. Accipe locum unum ex *Polybio* lib. V. cap. 40. Τοῦ δὲ ἀσμένως δεξαμένου τὴν ἐλπίδα ταχεῖαν ἐλάμβανε τὸ πρᾶγμα τὴν οἰκονομίαν. *Cum oblatam ſpem lætus Rex acciperet, Theodotus brevi tempore ad exitum rem perducit.* Significatum vocis ex Sacris Eccleſiaſticis Scriptoribus diligentius ediſſerunt ex noſtratibus *Elias Veielius* in Exercitatione Theologico-Eccleſiaſtica de variis Oeconomiæ Sacræ generibus Ulmæ 1688. ex ceteris *Svicerus* in Theſauro Tom. II. pag. 458. & in Obſervationibus Sacris pag. 25. *Iſaacus Caſaubonus* ad Gregorii Nyſſeni epiſtolam pag. 90. ſq. *Joannes Crojus* pag. 162. Obſervationum Sacrarum, *Henricus Valeſius* ad Euſebium pag. 4. & 205. ſq. nec non *Petavius* Tom. IV. Dogmatum Theologicorum lib. II. cap. 1.

πληρώματος τῶν καιρῶν] *tempore exacto*, ut *Raphelius* l. c. vertit. *Jacobus Cappellus* p. 83. Obſervatt. reddit: *pro diſpenſatione temporum, quæ DEUS deſtinaverat complemento prophetiarum.* Compara, quæ ſcripſi ad *Galat.* IV. 4.

ἀνακεφαλαιώσασθαι] In exponenda hujus verbi notione copioſi ſunt plerique eorum, quos in limine hujus commatis excitavi. Præſtantiores eredo eſſe eorum ſententias, qui vertunt, vel per *recapitulare* & *recolligere*, vel per *comprehendere ſub uno capite*, quod eſt Chriſtus. Poſterius malim, inprimis, cum infra v. 22. dicatur, quod Deus αὐτὸν (Chriſtum) ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ. Conſentientem habeo *Alexandr. Morum* l. c. poſt Patres, *Chryſoſtomum* & *Oecumenium*, qui per συνάψαι & ἑνῶσαι explicant. Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 277. ſq. Hanc expoſitionem ornavit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 255. & Polybianis p. 535. ubi verbum ἀνακεφαλαιοῦν comparat cum συγκεφαλαιοῦν. Eo vero *Xenophon* ita utitur Cyropædiæ lib. VIII. p. 160. ut συγκεφαλαιοῦν τὰς οἰκονομικὰς πράξεις, cum dicat,

*qui*

*qui domum vel villam committit procuratori vel villico, ad quem univerſa familiæ negotia referantur.* Neque mirum cuiquam videri debet, quod Apoſtolus non verbo συγκεφαλαιώσασθαι, ſed ἀνακεφαλαιώσασθαι utatur, cum poſterius illud aptius ſit ad indicandum, per Chriſtum effectum eſſe, ut, quæ ab hominibus facta erat diſceſſio, tolleretur, & idem ad unum caput revocarentur. Eandem expoſitionem amplectitur *Lockius* in commentario, diſſentiente & dubitante *Clerico* in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. p. 163. num vox ipſa id quidem inferat. *Grotius* & *Hammondus* militare verbum eſſe opinantur, quod de militibus ſparſis in unum globum contrahendis adhiberi ſoleat. Adſtipulatur illis *Amelius l. c.* *Pet. Dinantius* in commentario Belgico ſuper hanc epiſtolam vertit, *in unum recolligere*, deſumtam cenſens hanc vocem ex Arithmetica, in qua plures numeri præmiſſi in unam denique ſummam reducantur. Lege plura in Bibliotheca Bremenſi, Claſſ. V. pag. 535. ſq. Cl. *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. idem eſſe vult, quod *capita vel homines diverſi ingenii conjungere & conciliare, ut jam idem velint*, quod in Judæos & Gentiles Chriſtus præſtiterit, qui olim inſtar duorum equorum alter meridiem, alter ſeptentrionem ſpectarint.

τὰ πάντα τά τε ἐν τοῖς ὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς] Hæc omnia plerique de Angelis, nempe bonis in cœlo, in quorum conſortium, abſque redemtione per Chriſtum ſi fuiſſet, homines nunquam erant perventuri, & homines, tum Gentiles antea, tum Judæos intelligunt. Alii vero nullam hic Angelorum rationem habendam cenſent, quippe ad quos gratia per Chriſtum parta, qua nec bonis opus eſt, non pertineat. Illi itaque potius de animabus in cœlum translatis, ibique triumphantibus, *cœleſtia* intelligunt. Ita Anonymus Anglicanus in notis in epiſtolam ad Epheſios à *Rhenferdio* recuſis p. 733. ait: *vertendum*, ut recolligeret, *ut* Rom. XIII. 9. *h. e. Eccleſiam triumphantem & militantem, Judaicam Chriſtianamque jungeret. Quidam hæc, &* Coloſſ. I. 20. *ad Angelos & creaturas*, Rom. VIII. 19. -- 22. *torquent. At hæ voces*, peccatorum remiſſio, ſupra v. 7. & ſanguis crucis, Coloſſ. I. 20. *refragantur.* Eadem fere mens fuit *Altingii* Tomo V. Opp. pag. 32. *Reſtitutionem*, inquit, *Chriſto adſcribit peragendam tam in cœlo, quam in terra, heic quidem, dum homines abalienatos per Satanæ ſeductionem, huic adverſarios, DEO autem conciliatos daret, atque omni labe ac dominio peccati liberaret; iſtic vero, dum eosdem coram ſe exaltato in cœlis conſummatos ſiſteret, heredes ibidem futuros.* Idem nuper ſtatuit ex noſtratibus Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad editionem verſionis Lutheri Germanicæ Altorfinæ. Non diffiteor, has partes & mihi placere. Quæ *Cappellus* pag. 257. Operum oppoſuit, neminem puto morabuntur. Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. per *cœlum* Eccleſiæ Chriſtianæ gremium, per *terram* Judaiſmum intelligit.

Conſtat, patronos τῆς ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων hoc quoque loco abuti. Illis ſe nuper junxit *Sam. Crellius* in Initio Evangelii reſtituto p. 447. Contra

Contra eos lege diſſerentem *Alethæum* l. c. quemadmodum ab eruditis Auctoribus Nov-antiquorum Theologicorum animadverſum An. 1731. p. 50. ſq. eſt in ea, quæ *Chriſtianus Fenie* ad verſionem ſuam novam hujus epiſtolæ p. 26. ſqq. de ἀνακεφαλαιώσει τῶν πάντων nove dixit.

Verſ. 11. Ἐν αὐτῷ] Voces has nonnullæ editiones in fine commatis 10. aliæ in initio commatis hujus collocant, eæque rectius agunt, præeunte quoque Interprete *Syro*. Vertendæ autem ſunt: *in eo*, inquam, nempe in Chriſto. Hujus enim nomen diſerte v. 10. appellatur, de quo cum aliud aliquid, ad fideles ſpectans, exponere conſtituiſſet Paulus, pronomen illud perſpicuitatis cauſa ponendum cenſuit, quemadmodum v. 13. omiſit, ſubjecto ſtatim ἐν ᾧ, ideo quod v. 12. ἐν τῷ Χριστῷ proxime erat commemoratum. Ex his præterea intelligitur, non audiendum eſſe Rev. *Zeltnerum*, quando in gloſſa ad h. l. rectius hæc reddi poſſe exiſtimat: durch daſſelbige, ita ut referatur ad *myſterium Evangelii*, quod v. 9. nobis dicitur patefactum. Nimium foret hyperbaton, ſi S. Paulus orationis ſuæ ſeriem ad *myſterium* hic retuliſſet. Neque verbum ἐκληρώθημεν, quod ſequitur, ad myſterii illius patefactionem quadrat. Denique v. 13. Evangelium prædicatum & fide receptum, ut inſtrumentum ſalutare v. 13. commemoratur. Taceo, phraſin ἐν ᾧ ſæpe in hac oratione repetitam, nempe v. 7. 13. bis ſemper ad Chriſtum referri.

ἐκληρώθημεν] Pauci quidam Codices legunt ἐκλήθημεν, vitio, puto, librariorum, qui verbi alterius notionem non ſatis adſequerentur. Utramque tamen lectionem Vulgatus videtur conjunxiſſe, quando vertit: *in quo & nos ſorte vocati ſumus.* Hinc factum eſt, ut *Zangerus*, *Emſerus* & *Dietenbergerus*, Interpretes Pontificii, verterent: durch welchen auch wir der Wahl nach beruffen ſind; pro quo B. *Lutherus*: durch welchen auch wir zum Erbtheil kommen ſind. Quam verſionem B. *Raithius* p. 531. Vindiciarum ex *Grotii* annotatis tuetur. Verſio *Montenſis* Gallica ſimiliter: *c' eſt en luy, que l' heritage nous eſt echeu comme par ſort;* quod cum reprehenderet *Malletus*, *Arnaldus* in continuata defenſione illius verſionis vindicavit pag. 39. cum *Ameloto* obſervans, Vulgatum videri legiſſe: κλήρῳ ἐκλήθημεν. *Chryſoſtomus* ita explicat: ἐξελέξατο, *elegit quaſi ſorte.* Hanc interpretationem amplectitur Cl. *Elsnerus* p. 203. confertque cum v. 4. ubi dicitur: ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ εἶναι ἡμᾶς ἁγίους. Affert idem *Demoſthenis* locum contra Eubulidem p. 542. προκριθὴν ἐν τοῖς εὐγενεστάτοις κληρῶσθαι τῆς ἱερωσύνης τῷ Ἡρακλεῖ, *delectus ſum, ut inter nobiliſſimos ſorte eligam Herculis Sacerdotes.* Mihi quidem in B *Lutheri* noſtri verſione videtur acquieſcendum. *Electio* enim jam innuitur verbo ſequenti προορισθέντες, quemadmodum v. 5. vox προορίσας verbum ἐξελέξατο commatis 4. explicat. Itaque τὸ ἐκληρώθημεν aliquid aliud quam *electionem* infert. Recte *Grotius* ad h. l. נחלנו *poſſeſſionem, i. e. jus poſſeſſionis accepimus, non terreſtris, ut majores noſtri per Jeſum filium Nun, ſed cæleſtis. Sic Pater dicitur κληρῶν τοὺς υἱοὺς in Græcis codicibus nonnullis*, Jeſ. XVII. *i. e. poſſeſſionem filiis relinquere.*

*quere.* Firmatur hæc expoſitio ex v. 14. ubi Spiritus Sanctus dicitur ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, tanquam per Chriſtum nobis datæ. Ex Patribus de hoc verbo diſſerit *Suicerus* Tom. II. p. 112.

Verſ. 12. – 14. illuſtrantur ab *Auguſto Hermanno Frankio* in Anmerckungen über etliche Oerter Heil. Schrifft p. 56. ſqq.

Verſ. 12. Εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτοῦ, τοὺς προηλπικότας ἐν τῷ Χριςῷ ] Rev. *Zeltnerus* in notis ad editionem Biblicam Lutheri verſionis pag. 203. ita παραφράζει: Daß wir (gebohrne aber nun bekehrte Juden) zu Lob ſeiner herrlichen Gnade (die wir zuvor ſchon darauf gehoffet hatten) in Chriſto ſeyn. (d. i. ſeiner theilhafftig würden. Rom. VIII. 1.) Vir doctus itaque verbum εἶναι proxime jungi vult vocibus ἐν Χριςῷ, ſicut vocem προηλπικότας ab illis ſeparat, & ad ſpem glorioſæ gratiæ ante conceptam refert. Non puto nova hac interpunctione opus eſſe. Paulus alias ait: ἐλπίζειν ἐν Χριςῷ, *Rom.* XV. 12. 1. *Corinth.* XV. 19. & ἐλπίζειν ἐν Κυρίῳ. Cur non hic diceret προηλπικέναι ἐν Χριςῷ? Nec minus commodum ſenſum fundit phraſis: εἶναι εἰς ἔπαινον δόξης, h. e. *inſervire laudi gloriæ* divinæ. Hæc enim finis eſt gratiæ illius tam glorioſe & copioſe in nos collatæ. Vide v. 6. & v. 14. Jam videndum eſt, quid ſibi velit vox προηλπικότες. Loquitur hic Paulus de ſe & filiis, qui ex Judæis Chriſtum fide receperant. Id manifeſtum eſt ex v. 13. ubi converſos ex Epheſiis, tanquam Gentilibus, à prioribus v. 12. diſtinguit: ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, κ. τ. λ. quemadmodum eosdem cap. II. 12. ait ſuperiori tempore fuiſſe χωρὶς Χριςοῦ, *ſine Chriſto.* Jam Apoſtoli & Judæi duplici modo προηλπικέναι, ſeu *ante ſperaſſe in Chriſto* dici poſſunt, vel quod priores Gentilibus ſperaverint, vel quod ſpem in Chriſto præceperint. Prius mavult *Beza* cum aliis, poſterius vero Rev. *Raphelius* præfert in Annotationibus Polybianis pag. 535. cum *Ambroſio*, eo quidem ſenſu, quod Apoſtoli, in Judaiſmo quoque verſantes, tamen ſpem habuerint in Chriſto venturo, utpote quem ex Prophetarum oraculis expectarint. Hanc in rem duo is promit *Polybii* loca ex lib. II. cap. 4. & XIV. cap. 3. ubi προκατελπίζειν eum dicit, qui *futura ſpe præcipit.* Quod ad rem ipſam nihil refert, utram ſententiam probes: poſterior tamen & mihi probabilior videtur. Confer *Martianai* Eſſais de Traduction pag. 358.

Verſ. 13. 14. exponit B. *Seb. Schmidius* in diſſert. de obſignatione fidelium interna, Argentorati 1681. 4.

Verſ. 13. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν ] Cl. *Wolle* in Commentatione de Parentheſi ſacra pag. 69. verba, quæ poſt vocem ὑμεῖς leguntur, parentheſi, tanquam patheticæ, includi vult. Ea vero opus non eſt, cum τὸ ἀκούσαντες, &c. non minus, quam ſequens πιςεύσαντες, illud ὑμεῖς determinet, nec proinde ab illo ſeparari quodammodo debeat. Id largior viro docto, quod τὸ, ἐν ᾧ non ſine efficacia in eodem commate repetatur. Senſus eſt: *in quo etiam vos* (olim Gentiles)

les) *poſtquam audiiſtis verbum veritatis & Evangelium de ſalute veſtra, in quo*, inquam, *poſtquam etiam*, quod magis valet, *crediditis obſignati eſtis* &c. Ex quo eadem opera intelligitur, nullo hic opus eſſe ſupplemento in priori phraſi: ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς, ubi alii intelligi ex prioribus volunt vel *eſtis* vel *ſperatis*; ſed omnia illa ad verbum ἐσφραγίσθητε referri debere. Similiter poſterius ἐν ᾧ cum *Beza* & *Eraſmo Schmidio* cave referas ad εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας, atque adeo vertas: *per quod.*

τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας] Lege *Vorſtii* Philologiam Sacram Parte II. pag. 123.

ἐσφραγίσθητε] Extra oleas hic vagantur, qui ut totum hoc comma, ita inprimis verbum ἐσφραγίσθητε à Paulo eo comparatum eſſe contendunt, ut cultui Dianæ, inter Epheſios celebratiſſimo, illudat. Ita rem inſtituit *Amelius* Parte II. pag. 293. ſqq. der Erörterung, &, qui ſub illo nomine latet, *Pet. Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 316. Ait is, Gentilibus σφραγῖδας, ſigilla, notas ſeu ſymbola quædam recepta fuiſſe, quæ Sacerdotes impertire conſueverint illis, qui in myſteriorum ſocietatem cooptarentur. Ita ſpeciatim *Galenus* de ſimplicium medicamentorum facult. lib. IX. Dianæ σφραγῖδα ſacram commemorat, quam *Dioſcorides* II. pag 867. εἰς τελετὰς h. e. ad ſacrorum initiamenta adhibitam, & capram exhibuiſſe tradit. Vide *Salmaſium* in Exercitat Plinianis pag. 1156. ex eo *Seldenum* de Synedriis Hebr. cap. II. pag. 156.

Hujusmodi σφραγῖσι oppoſitum à Paulo volunt illum σφραγισμὸν, qui à Spiritu Sancto per Chriſtum ad credentes perferatur. Longius hæc omnino petita ſunt, cum in propinquo ſint, quæ dictioni Paulinæ illuſtrandæ inſerviant. Paulus credentes certos eſſe ait de ſtatu gratiæ & futura beatitate per Spiritum Sanctum, qui *ſigillum* illis impreſſerit operationibus ſuis gratioſis internis, ut dicere quisque poſſit οἶδα, ᾧ πεπίστευκα, καὶ πέπεισμαι, ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. 2. *Timoth.* I. 12. De illa obſignatione per *ſigillum* facta τὸ σφραγίζειν ſæpe adhibent οἱ LXX. Vide v. c. 1. *Regg.* XXI. 8. *Eſther* VIII. 8. 9. 10. & *Dan.* VI. 17. Eodem vero verbo Scriptores Sacri N. T. utuntur ad certitudinem rei cujusque indicandam. Vide *Joh.* III. 23. VI. 27. & *Rom.* XV. 28. Quibus autem momentis ſpiritualis illa obſignatio abſolvatur, ex laudata *Schmidii* diſputatione diſces. *Chriſtianus Schœtgenius*, vir doctiſſimus, in Horis Hebraicis ad h. l. conferri hic vult, quæ Judæi de ſigillo DEI, tanquam DEO ipſo, qui ſit veritas, tradant; eademque opera videri jubet *Lightfootum* ad Joh. VII. 17. Placent interim *Witſii* verba ad Symbolum Apoſtolicum, pag. 443. *Obſignatio cum ſit ſimilitudinis, quæ in ſigillo eſt, expreſſio in re obſignata, qua dignoſcitur illius eſſe, cujus impreſſum ſignum gerit, vel qua inſtrumento alicui conciliatur fides; hic intelligitur per obſignationem communicatio efficax divinæ lucis, puritatis, ſanctitatis, juſtitiæ, bonitatis, gaudii, quod in Spiritu Sancto eſt, quibus evincitur, tales eſſe*

*eſſe DEI peculium, quod ſacrum ſibi & inviolabile præſtabit, quibus certi redduntur de promiſſionibus gratiæ & gloriæ.* *Burgius* in Analyſi hujus epiſtolæ §. 8, σφραγισμὸν hunc ad baptiſmum ſpeciatim referri vult, ideo inprimis, quod illum verbi σφραγίζειν ſignificatum Apoſtolico ævo obtinuiſſe oſtenderit *Grabius* in Spicilegio Patrum Sec. I. Tom I. p. 332. Sed non crediderim, id tantum & ſpeciatim velle Apoſtolum.

τῷ Πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ ] Spiritus Sanctus *Spiritus promiſſionis* dici duplici modo poteſt, vel quod à Prophetis & Chriſto ipſo promiſſus eſt, vel quod promiſſiones divinas, nobis factas, in animis obſignat, & certas facit. Utramque expoſitionem conjungit *Theophylactus*; ἐπαγγελίας πνεῦμα αὐτὸ καλεῖ ἢ ὅτι ἐξ ἐπαγγελίας ἐδόθη, ἢ ὅτι τὴν τῶν μελλόντων ἀγαθῶν ἐπαγγελίαν τὸ πνεῦμα βεβαιοῖ· δοθὲν γὰρ ἤδη ἡμῖν πιςοῦται καὶ τὰ μέλλοντα· διὸ καὶ ἀῤῥαβὼν λέγεται Promiſſionis Spiritum *illum vocat, vel quod ex promiſſione datus ſit, vel, quia futurorum promiſſionem Spiritus ſtabilit. Datus enim jam nobis futura rata efficit, propterea etiam arrhabo dicitur.* Utramque etiam *Chryſoſtomus*, ſed diverſis in locis tradit, quod intelliges ex *Suiceri* Theſauro Tom. II. pag. 767. Atque hic quidem poſteriorem interpretationem præfert. Mihi prior placet, cum σφραγισμὸς ille à Paulo Spiritui Sancto tributus, certam teſtificationem de promiſſionibus vel jam præſtitis, vel inpoſterum præſtandis, inferat, & Paulus ideo Spiritum Sanctum olim *promiſſum* hic dicere videatur, ut fideles ex facta illius *promiſſionis* præſtatione reliqua omnia, inpoſterum per eundem Spiritum præſtanda, certiſſima ſpe præciperent.

Verſ. 14. Ὅς ἐςιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν ] De voce ἀῤῥαβὼν lege nonnulla ad 2. *Corinth.* I. 22. & V. 5. ubi cum ſpem fecerimus amplioris h. l. diſſertationis, ære illo nos exſolvemus. Digna ſunt, quæ hic legantur *Stephani le Moyne* cogitata in Variis Sacris Tom. II. pag. 466. ſqq. ubi verba Epiſtolæ *Polycarpi*, καὶ τῷ ἀῤῥαβῶνι δικαιοσύνης ἡμῶν, ita illuſtrat: *Interpres, reddit,* & pignus juſtitiæ noſtræ. *Abuſive arrhabo videtur reddi pignus. Nam pignus non eſt pars ſortis, & eſt tantum ſymbolum aliquod, quo pactum aliquod, ad executionem mittendum, & ratum futurum ſignificatur. Quod pignus poſt executionem pacti iterum aſſumitur, & ab eo, cui traditum fuerat, in teſtimonium ratihabitionis futuræ, iterum vindicatur. Arrhabo alterius eſt generis, & eſt pars pretii, quæ in anteceſſum traditur, ut contractus non reſigendus ſignificetur, & pretium jam inchoate ſolutum repræſentetur. Iſidorus Lib. V. cap. 25.* Intereſt in loquendi uſu inter pignus & Arram. Nam pignus eſt, quod datur propter rem creditam, quæ dum redditur, ſtatim pignus aufertur. Arra vero eſt primum, quod pro re, bonæ fidei contractu emta, ex parte datur, & poſtea completur. Eſt enim Arra complenda, non auferenda; unde qui habet arram, non reddit ſicut pignus, ſed deſiderat plenitudinem, & dicta Arra à re, pro qua traditur.

*Sic etiam* Hieronymus *ad cap. I. Epheſ. qui diſtinguit inter Arram & pignus. Adeo, ut hic ſatius eſſet reddere arrhabonem quam pignus. Sic* 2. Corinth. V. 5. δȣ̀ς ἡμῖν τὸν ἀῤῥαβῶνα τȣ̃ πνεύματος: dans nobis arrhabonem Spiritus. *Et Epheſ.* I. 13. 14. In quo vel per quem obſignati eſtis Spiritu promiſſionis, qui eſt arrhabo hereditatis noſtræ. *Ubi quidem Interpretes intelligunt Chriſtum, non Spiritum, qui fuerit arrhabo hereditatis noſtræ. Et revera hic dicitur* ὅς ἐςιν ἀῤῥαβὼν, *qui eſt arrhabo non* ὅ, *quod referatur ad* πνεῦμα, *de quo proxime dixerat Apoſtolus; ſed* ὅς, *qui Chriſtus arrhabo noſtræ hereditatis nos obſignavit Spiritu promiſſionis. Et certe videtur etiam hoc innuere Polycarpus in hoc loco & alludere ad locum Apoſtoli. Nam dicit Polycarpus:* ἀδιαλείπτως προσκαρτερῶμεν τῇ ἐλπίδι ἡμῶν καὶ τῷ ἀῤῥαβῶνι τῆς δικαιοσύνης ἡμῶν, ὅς ἐςι Χριςὸς Ιησȣ̃ς. *Ubi JESUM Chriſtum vocat arrhabonem noſtrum,* ὅς ἐςιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν. *Adeo, ut* ὅς *non referatur ad* πνεῦμα, *ſed ad Chriſtum. Sed frequentiſſima eſt in Scriptura enallage generum, & poſſent hic multa exempla congeri mutationis generis. Deinde cum* ἀῤῥαβὼν *ſit maſculini generis, eo facilius potuit maſculinum genus uſurpari in relativo, ut non* ὅ, *ſed* ὅς *legeretur. Cum* ὅς *ad arrhabonem proxime referatur potius, quam ad* τὸ πνεῦμα. *Utuntur vero voce arrhabonis optimi Auctores Latini.* Plautus *in Milit. Act. IV. Scen. I.*

Hunc arrhabonem amoris primum à me accipe.

Terentius *Heautontimor. Act. III. Scen. III.*

Ea relicta arrhaboni eſt huic pro argento.

*Ubi arra videtur ſumi pro pignore. Et revera non ſemper obſervatur diſcrimen inter pignus & arrhabonem. Nam non ſemper arrhabo eſt pars pretii, & ſolutio initialis. Sumitur etiam pro ea, quæ promiſſionem certam reddit, & quæ repetitur poſt impletionem promiſſionis.* Sic Geneſ. XXXVIII. 16. 17. אם תתן ערבון. Verſu vero ſequente: ואמר וכ׳. Dixit Thamar, ſi dederis mihi pignus & arrhabonem. Quem arrhabonem dabo, inquit Juda; reſpondit Thamar: ſigillum tuum, ſudarium tuum, & baculum tuum.

*Unde patet arrhabonem non eſſe ſemper partem pretii, ſed eſt aliquando pignus, res quædam, quæ oppignorata traditur, donec contractus impleatur, & res, de qua conventum eſt, ad effectum deducatur. Poſt impletionem vero & liberatam fidem res oppignorata repetitur, & arrhabon iterum reſtituitur.*

Interjectis poſt hæc à pag. 468. ad 478. multis, quæ ad inveſtigandam vocis ἀῤῥαβὼν originem ex Hebræo ערבון, & alia pertinent, noſter tandem pag. 479. ad inſtitutum ſuum revertens, ita pergit: *Ergo arrhabon ſumitur pro pignore, pro parte pretii implendi, & ad ultimum quadrantem, tempore conſtituto perſolvendi. Quod optime quadrat Spiritui Sancto, qui cum fidelibus à Patre communicatur. Nam eſt ſignum, ſigillum,* σφραγὶς *ad ſecuritatem conſcientiæ*

*ſcientiæ noſtræ nobis à DEO conceſſum. Eſt pignus, quo certi reddimur, DEUM aliquando omnia promiſſa ſua impleturum, & perſpicue clareque confirmaturum, quod non ſit homo levitati obnoxius, nec filius hominis, quem dictorum ſuorum ſubeat unquam pœnitudo. Eſt etiam pars pretii & acquiſitæ hereditatis per ſanguinem Domini noſtri JESU Chriſti. Sanguis Chriſti eſt pretium iſtius emtionis. Omnia bona cœleſtia ſunt ipſa hereditas. Cujus pars jam nobis traditur, tanquam pignus* χειρόδοτον & κατακώχιμον, *nimirum Spiritus Sanctus, qui à nobis jam poſſidetur ſemper poſſidendus, & conceſſus in ſpem obtinendæ integræ hereditatis, & fruitionis, & uſus omnium bonorum cœleſtium, in quorum perfecta congerie conſiſtit æterna beatitudo, & quorum delibatæ primitiæ, nimirum Spiritus Sanctus, ſunt pignus homogeneum, arra ſanctiſſima & arrhabon certiſſimus.*

Hæc, quamvis longiuſcula, ex libro, rarius hodie obvio, deſcribenda putavi, cum ex iis manifeſtum ſit, vocis ἀῤῥαβὼν uſum late patere, & diverſos ejus ſignificatus ad locum hunc Paulinum non difficulter poſſe accommodari. Sive igitur per *pignus*, ( Pfand ) ſive per *arrham* ( Angabe, Angeld, Opffer-Pfennig ) verteris, nihil referet. *Arrhæ* tamen, non *pignoris* notionem hic teneri vult *Pearſonus* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 582. Verſ. Lat. Adde *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. pag. 459. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquit. Biblic. N. T. pag. 147.

Quod ad τὸ, ὅς attinet, pro quo in pauciſſimis Codicibus ὅ legitur, id quidem non ad Chriſtum, ſed ad Spiritum Sanctum eſt referendum, qui alias à Paulo hoc nomine appellatur. Nec intercedit genus maſculinum, ex rationibus à le *Moyne* allatis.

Denique notandum eſt, phraſin illam, ὅς ἐςιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, recte, tanquam prædicatum ad Spiritum Sanctum pertinens, per interpunctionem ſeparari à ſequentibus, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, quæ quod ad ſenſum pendent ab antecedente verbo: ἐσφραγίσθητε. Sic infra IV. 30. ſimiliter dicit Paulus: μὴ λυπεῖσθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως. *Hombergius* pag. 288. ideo verba illa parentheſi cupit includi.

εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως ] *Beza* vertit: *dum in libertatem vindicemur.* Sed eo ſua ſibi habere juſſo *Hombergius* pag. 288. *Lutheri* noſtri verſionem: Zu unſerer Erlöſung, daß wir ſein Eigenthum würden, præfert. *Putamus enim*, inquit, *perpenſis omnibus, verba illa poſita eſſe pro* εἰς ἀπολύτρωσιν καὶ περιποίησιν. *Nam manifeſtum eſt, ipſam quidem aſſertionem, & computationem vel acquiſitionem, non redimi lytro aliquo, ſed eam conſequens eſſe* τῆς ἀπολυτρώσεως: *quod etiam Apoſtolus, dum illa duo jungit, mediante caſu genitivo (vel mediante rectione Subſtantivorum) ſatis innuere videtur. Idem enim præſtat regimen illud, quod copula.* Applaudit *Hombergio* auctor Bibliothecæ Novæ Hallenſis, vernacule editæ, Parte XXXV, pag. 375. Mihi quidem vox περιποίησις ut *abſtractum* pro *concreto*

 poſita

poſita videtur cum *Gratia*, quem nec *Calovius* improbat, ut per περιποίησιν intelligatur Eccleſia, ſive univerſitas Chriſtianorum, quæ *Petro* 1. Epiſt. II. 9. *λαὸς εἰς περιποίησιν, populus acquiſitionis*, vel *acquiſitus*. Vocatur autem ſic Eccleſia DEI reſpectu Chriſti, qui eam περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. *Act.* XX. 27. Ita vox Hebraica: סגולה, Græcæ, περιποίησις apud τοὺς LXX. reſpondet, *Malach.* III. 17. ut populum acquiſitum denotet. Verba ita habent: *καὶ ἔσονταί μοι, λέγει κύριος παντοκράτωρ, εἰς περιποίησιν*, pro quo *Aquila* habet *περιούσιον*. Huc quoque ex parte, quamvis ſubtilius, tendit *Jacobus Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebraicæ pag. 549. *Ceterum*, inquit, Epheſ. I. 14. *quando Spiritus nobis arrha hereditatis dicitur eſſe, εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, poſterius nomen abſtractum ponitur pro concreto, idque ſeu tu mecum reſervationem, ſeu etiam, cum aliis acquiſitionem ſpectes: nam harum rerum abſtractarum neutra redimitur; ſed ſubjectum eſt id, quod vel acquiritur, vel acquiſitum præ aliis opibus poſſeſſis reſervatur ad poſſeſſionem perpetuam. Itaque in hac voce περιποιήσεως, περὶ non idem valet ac in περιποιήσασθαι, ſed idem ac περιεῖναι, quod ſupra attulimus cum derivato ſuo, ſignificatque ſupereſſe, reſtare, & compoſita cum ποίησις ſignificat, facere, rem eſſe ſuper alia reſpectu temporis, h. e. facere ut ſuperſit. Talia deduxerim non à περὶ, ſed à πέρι, quod vertitur ὑπερβαλλόντως, περισσῶς.* Fortaſſe tamen *ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως* erit *redemtio acquirens*, ſive *per quam acquirimus & poſſidemus ſalutem æternam*: vid. 1. *Theſſal.* V. 9. 2. *Theſſal.* II. 14. & *Hebr.* X. 39. Ita ſcribit *Meno Hannekenius* in Expoſitione hujus Epiſtolæ pag. 12.

Alia hic invenire ſibi videtur *Lamb*, *Bos* in Exercitationibus pag. 181. *Ἀπολύτρωσιν*, ait, *eſt tempus vel diem redemtionis, ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, ut cap. IV. v. 30. περιποίησις autem eſt ſalus & conſervatio, ut Hebr. X. 39. ubi opponitur τῇ ἀπωλείᾳ. Jam ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως eſt redemtio, vel dies redemtionis, quæ ſalutem & conſervationem adfert. Ita ſæpe Genitivus adhibetur, ut κέρας σωτηρίας*, cornu, quod ſalutem adfert. *Senſus itaque verborum Pauli eſt:* Quotquot credidiſtis, per Spiritum promiſſionis Sanctum, qui eſt arrhabo hereditatis noſtræ, obſignati eſtis, usque ad redemtionem ſalutis, *id eſt*, usque ad diem redemtionis, quæ ſalutem affert. Senſus, fateor, bonus eſt, ſed per ambages quasdam, quibus opus eſſe non videtur, elicitus.

Nec ſcopum ſatis ferit *Pet. Dinantius* in Commentario Belgico in hanc epiſtolam, quando cum Interpretibus Belgis intelligit *redemtionem reportatam* ſeu *plene acceptam*, eo ſenſu, quod redemtio & ſalus Eccleſiæ deſtinata quidem ſit in decreto æterno, acquiſita per Chriſti ſanguinem, promiſſa in verbo, ſecundum primitias conceſſa in hac vita; neque tamen plene poſſidenda, niſi poſt mortem & judicium, ubi non amplius *ſperata* & *promiſſa*, ſed in fruitionem conceſſa ſit futura. De populo ſeu cœtu acquiſito ejusque liberatione Paulum hic loqui, ideo inprimis inficiatur, quod Eccleſiæ jam per vocem ἡμῶν facta ſit mentio. Sed id quidem fraudi eſſe non poteſt, cum Paulus per

ἡμεῖς

Digitized by Google

ἡμεῖς ſc aliosque, tum temporis credentes, intelligat, deinde vero eandem, quæ ipſorum ſit, ſortem toti Eccleſiæ, tanquam cœtui pridem acquiſito, futuram eſſe pronunciet.

Verſ. 15. Διὰ τοῦτο κἀγὼ ἀκούσας τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ] Ad h. l. provocant, qui epiſtolam hanc ab Apoſtolo Epheſiis inſcriptam eſſe negant. Cauſantur ſcilicet, Paulum de fide eorum, tanquam ſibi audita, loqui non potuiſſe, quam ipſe præſens perſpexerit. Nonne vero continuari illa Epheſiorum fides, amori in alios juncta, debebat? nonne corroborari, & creſcere? nonne de incremento illo Apoſtolus Romæ certus reddi poterat? Placent, quæ Anonymus Anglus Annotatt. in hanc epiſtolam pag. 734. ſcribit: *Quidam hinc eliciunt, ſcriptam hanc à Paulo prius epiſtolam, quam Epheſios vidiſſet, cum tantum hoc innuat: adaucta ſeſe ipſorum audiſſe charismata, ex quo ipſos ad fidem vocarat.*

τὴν καθ' ὑμᾶς πίστιν ] i. e. *fidem veſtram, fidem, quæ in vobis eſt.* Vide Curas noſtras ad Matthæum pag. 3. τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον. *Lockius* hic ſubtilior eſt, quando πίστιν non ſimpliciter de receptione Evangelii, ſed de puritate doctrinæ Evangelicæ, ſine admiſtis legis cerimonialis inſtitutis, accipi vult, ideo, quod Paulus ipſe eos ad fidem perduxerit. Enimvero non tam fidei intemerata puritas, quam provectio ejus, robur & incrementum heic laudatur.

Verſ. 16. Τὴν ἀγάπην, τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους ] in omnes ſanctos, non ſolum qui Epheſi, ſed & alibi locorum, verſabantur, ſive illi ex Judæis, ſive ex Gentilibus ad Chriſtum eſſent perducti.

Verſ. 17. ὁ πατὴρ τῆς δόξης ] Nominis hujus rationem exponit *Martinus Feſſelius* Tom. I. Adverſariorum Sacrorum pag. 350. recteque ait, idem eſſe ac ſi *auctorem* omnis veræ gloriæ dixiſſet. DEI enim eſſe gloriam, *Matth.* VI. 13. DEUM Patrem gloriam Chriſti quærere, *Joh.* VIII. 50. hunc vero omnia ad gloriam Patris referre. ibid. v. 49. Patrem autem, dum mittat Filium & Spiritum Sanctum, omnis gloriæ noſtræ eſſe originem, fideleſque tandem ad gloriam æternam evehere. Compara hæc cum cogitatis *Petri Dinantii* ad h. l. in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 537. Nec omitte *Svicerum* Tom. I. Theſauri pag. 943. qui cum primum Θεὸν δόξης per Θεὸν δεδοξασμένον ex *Oecumenio* expoſuiſſet, *Athanaſii* deinde & *Gregorii Nazianzeni* locos affert, quibus Pater Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, reſpectu humanitatis ejus, πατὴρ autem δόξης, i. e. *Chriſti*, reſpectu æternæ generationis dici hic videtur. Patrem δόξης *patrem lucis* inferre, *Burgius* in Analyſi hujus epiſtolæ §. 10. exiſtimat ex *Act.* XXII. 11. 1. *Cor.* XV. 41. & *Apocal.* XXI. 23.

πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ] Lege *Svicerum* Tom. II. p. 768.

ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ ] i. e. εἰς ἐπίγνωσιν in cognitionem, nempe ampliorem & affectuoſam, quæ etiam vi vocis ipſius infertur. Scilicet τὸ ἐν ſæpe pro εἰς apud Scriptores ponitur. Vide *Franciſc. Vigerium* de Idiotiſmis Græc. L.

cap.

cap. IX. Sect. 3. reg. 9. & *Joach. Kuhnium* ad Æliani Varias Hiſtor. IV. 18. nec non *J. C. Swartzium* in Notis ad Olearium de Stylo N. T. pag. 31. Ita v. 18. εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς. Rectius hoc puto, quam quod *Hombergius* vult pag. 789. qui ſignificari hic putat *ſapientiam, quæ conſiſtat in cognitione DEI*, ut τὸ ἐν vim habeat exegeticam.

Totum comma illuſtrat *Tarnovius* in Exercitatt. Biblicis pag. 1214.

Vers. 18. Πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς] Cum oratio hæc cum antecedentibus cohærere non videatur, *Beza* legi poſſe cenſet, πεφωτισμένοις τοὺς ὀφθαλμοὺς, ut pendeat à voce ὑμῖν. *Heinſius* in Exercitationibus Sacris pag. 433. πεφωτισμένους ex Hebraica loquendi ratione idem eſſe cenſet, quod πεφωτισμένους εἶναι, h. e. φωτίζεσθαι. Sed recte monuit B. *Adamus Rechenbergius* in Exercitationibus in N. T. pag. 10. non opus eſſe ambagibus, modo ὀφθαλμοὺς referamus ad antecedens δώῃ, & oculos illuminatos pro dono Spiritus Sancti, quem Paulus Epheſiis adprecatus erat, habeamus. Felicius id procedet, ſi particulam καὶ, quam B. *Lutherus* etiam hic expreſſit, ſubintelligamus, quemadmodum idem fieri fas eſt. 2 *Corinth.* VIII. 4. Compara eruditiſſimi *J. C. Schwarzii* commentationem de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 121. Minime vero omnium hic audiendum eſſe exiſtimem Anonymum Anglum in Annotationibus in hanc epiſtolam pag. 734. qui quartum caſum per Atticiſmum abſolute poſitum eſſe opinatur.

τῆς διανοίας] Multi Codices MSS. & Verſiones quoque exhibent vocem καρδίας, idque cauſæ ſatis fuiſſe viſum eſt *Millio*, cur in Prolegom. §. 748. vocem διανοίας ex interpretamento natam arbitretur, conſentientem nactus Anonymum editorem N. T. Græco-Anglicani, qui καρδίας in ipſum contextum recepit. Sed non video, cur Paulum ita ſcripſiſſe dubitemus, qui in eadem hac epiſtola IV. 18. ἐσκοτισμένους τῇ διανοίᾳ dixit. Eadem fere phraſi uſum video *Platonem* in Sympoſio: ἥ τε τῆς διανοίας ὄψις ἄρχεται ὀξὺ βλέπειν, ὅταν ἡ τῶν ὀμμάτων τῆς ἀκμῆς λήγειν ἐπιχειρῇ, Confer *Gatakerum* ad Antonin. III. 15. pag. 115. *Antoninus* IV. 29. νοερὸν ὄμμα vocat. Judæorum Magiſtri in *Schabbath* fol. 30. 2. tradunt, *melius eſſe, ut exſtinguatur lux naturalis, quam lux DEI ſummi Benedicti.* Obſervavit id Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis, ut conſtaret, doctrinam de Illuminatione apud Judæos antiquos non plane exſulaſſe.

τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ] i. e. *quæ ſperare jubeat, quorum* (bonorum) *ſpem faciat vocatio.* Ita jam *Theophylactus* & alii Patres hæc acceperunt. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1095.

ἐν τοῖς ἁγίοις] In neutro genere hæc verba accipi vult *Hombergius*, pag. 288. ut ſupra v. 3. ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Sed diſpar eſt ratio. Τὰ ἅγια nunquam de bonis cœleſtibus dici memini. Viciſſim hereditas, de qua hic ſermo eſt, frequenter ſanctis hominibus adſcribitur. Ita *Coloſſ.* I. 12. εὐχαριστοῦντες τῷ πατρὶ, τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί. *Act.* XXVI. 18. κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πίστει τῇ εἰς ἐμέ. Ubi

ἐν

ἐν τοῖς ἡγιασμένοις idem eſt, quod hic: ἐν τοῖς ἁγίοις, quemadmodum ex Actuum loco intelligitur, quæ illa ſanctitatis origo ſit, nempe fides in Chriſtum.

Verſ. 19. Καὶ τί τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, κ. τ. λ.] Inſignem & efficacem verborum apparatum, quo Paulus hic utitur ad copias potentiæ divinæ, in ſalvandis per fidem hominibus demonſtratæ, amplificandas, egregie illuſtrat B. *Jo. Fechtius* in Philocalia Sacra p. 19. Adde *Witſium* p. 389. ad Symbolum Apoſtolicum.

εἰς ἡμᾶς] Perpauci Codices legunt εἰς ὑμᾶς, librarii errore admodum obvio. Sunt qui has voces quod ad ſenſum referri volunt ad comma 1. capitis II. Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς, κ. τ. λ. ita quidem, ut quæ interjiciuntur, ea à commate illo primo capitis II. per parentheſeos notam diſtinguantur. Lege in hanc ſententiam *Nortonum Knatchbullum*, *Wollium* de Parentheſi Sacra pag. 68. & *Burgium* in Analyſi hujus epiſtolæ §. 12. His vero id imprimis obſtare exiſtimo, quod, ſi Paulo ea fuiſſet mens, is quidem non ſimpliciter ὑμᾶς, ſed εἰς ὑμᾶς fuiſſet ſcripturus, quam particulam etiam illi, qui ita ſentiunt, ex antecedentibus repeti cupiunt. Alii parentheſin inchoare volunt à verbis καὶ ἐκάθισεν, & protendere usque ad v. 13. τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου, ut ſic verba prima capitis II. pendeant à phraſi verſus 20. ἐγείρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ ὑμᾶς, h. e. *dum excitavit illum à mortuis*, ——— *quemadmodum & vos, peccatis mortuos* &c. Vide *Aug. Herm. Franckii* Obſervationes vernaculas pag. 70. *Burgii* Analyſin epiſtolæ hujus pag. 12. *Lockium* item, & *Zeltneri* gloſſam ad h. l. Sed & hoc durius merito videbitur illi, qui integram orationis Paulinæ ſeriem curatius inſpexerit. Itaque rectiſſime agere illi exiſtimandi ſunt, qui ea, quæ usque ad caput II. à Paulo afferuntur, ſibi non interrupta relinquunt, & initium commatis primi: Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς, quod ad ſenſum conjungunt cum verſ. 5. capitis II. καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι συνεζωοποίησε, h. e. *Et vos* (olim Gentiles) *peccatis mortuos* —— *& nos quoque* (olim Judæos) *peccatis mortuos ſimul vivificavit*, &c. S. Paulum utrumque hoc ſubjectum (eos ſcilicet, qui olim *Gentiles*, & eos, qui olim *Judæi* fuerint) hic arctiſſime conjungi voluiſſe, vel ex eo intelligitur, quod utrinque eadem ſubjecti determinatione, nempe *morte in peccatis*, utatur. Ut taceam, ſic omnia egregie cohærere.

κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ] Hanc loquendi rationem affectibus exprimendis aptam, ab *Euſtathio* ad Iliad. γ΄ ἐπίχυσιν ταυτοδυνάμων λέξεων vocari, *Alexander Morus* in Notis ad h. l. recte monet, & ſimilia aliorum effata recitat, pag. 163. Eidem tamen non aſſentior, quando Paulum ita ſecundum Hebræorum conſuetudinem, qui pro ſuperlativis, quibus carent, modo eadem repetant, modo ſynonyma congerant, ſcripſiſſe, & ſpeciatim Paraphraſten Chaldæum ad Jeſ. LIII. *Et robur brachii potentiæ Domini nunc cui revelatur?* imitatum eſſe autumat. Quod enim omnibus lin-

guis commune eſt, id, cur Hebraiſmo potiſſimum acceptum ferri debeat, non intelligo. Multo minus vero video, cur illud ex Paraphraſta illo Chaldaico, cujus paraphraſis recentioris, vel ſaltem dubiæ ætatis eruditis plurimis videtur, repetiiſſe Paulus exiſtimandus ſit.

Verſ. 20. & 21. illuſtratos lege à *Seb. Schmidio* in Myſterio Gratiæ divinæ pag. 683. ſqq.

Verſ. 20. *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*] in cœleſtibus, ſive *locis*, *τόποις*, ſive *rebus*, *χρήμασι*. Poſteriori ſenſu accipi vult *Lockius* in commentario quando *τὰ ἐπουράνια* in genere neutro interpretatur de regno cœleſti, rebusque ad illud pertinentibus. Alii vero rectius exponunt de cœlo, tanquam in quod Chriſtus, quem ex mortuis à Patre reſuſcitatum ante dixit, receptus eſt & ad dextram Dei collocatus. *Eccleſiam* hic indicari vult *Schœtgenius* in Horis Hebraicis, quam Chriſtus ad dextram Dei collocatus, non ſolum gubernet, ſed & eandem ſecum ad excellentem gradum extollat.

Verſ. 22. *Ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητος*] Singularis hic eſt interpretatio *Salom. van Till*, qui *ἀρχὴν* de qualicunque præfectura cultus, qualis apud Aſiarchas, Syriarchas, aliosque ſimiles; *ἐξουσίαν* de omni poteſtate delegata à Superioribus in alios collata, qualis inter Græcos apud Prytanes; *δύναμιν* de omni poteſtate, quæ eſt in armis, quæque tum temporis erat apud Romanos milites & militiæ Duces, (conf. *Act.* XVI. 20.) *κυριότητα* denique de poteſtate Cæſaris & proconſulum, qui cap. VI. 12. *κοσμοκράτορες* vocantur, accipit. Erudite hæc quidem dicuntur, ſed minus convenienter. Nulla enim hic ratio habetur dignitatum, quæ in cœlis ſint, ad quas tamen hic reſpici ſequens phraſis: *οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι*, evincit. Nec aſſentiendum puto Patribus nonnllis, qui diverſa hæc dignitatum nomina ad Angelos tantum referre videntur, quando ex iis efficiunt, diverſos eorum eſſe ordines, & alios præter eos, quos Paulus *Coloſſ.* I. 16. commemoret. Vide, quæ hanc in rem commentatur *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo III. ubi de Angelis, lib. II. cap. I. p. 56. ſqq. Propius ad id, quod res eſt, accedemus, ſi cumulata hic diverſa nomina dicamus, ut eo efficacius quodcunque gloriæ & dignitatis genus, ſive in hac, ſive in futura vita, indicetur. Propterea ad Judæorum Doctores, Rabbinos, Phariſæos & Scribas, tanquam qui Magiſtratus Judæorum & ſacri & profani fuerint, referre nolim. Id facere video Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis. *Ἀρχὴν* confert cum Hebraico בשיאות, *ἐξουσίαν* cum צורבא, *δυναμιν* cum רבנות & *κυριότητα* cum מר.

*καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου*] Recte *Tillius* l. c. *auctoritatem* hic aït indicari, quam non Hebræi ſolum, ſed & Græci Latinique per *nomen* innuere ſolent; in eo tamen procul dubio, ſicut in antecedentibus, fallitur, quod eorum auctoritatem innui cenſet, *qui populo DEI præerant*. Id ſcilicet egit, ut Paulus crederetur ad *Græcos*, *Romanos* & *Judæos* hic reſpexiſſe.

Spe-

Spectat huc *Jo. Ludov. Miegii* Diſſertat. de nomine ſuper omne nomen, Heidelbergæ 1673.

ϰ μόνον ] Anonymus Anglus in Annotationibus ad h. l. à *Rhenferdio* recuſis, referri hoc vult ad verbum ἐκάθισε, v. 20. Ita vero nihil eſſet, quod illi in ſequentibus reſponderet. Sic enim v. 22. ſcribendum fuiſſet: ἀλλὰ ϰ̀ ὑπέταξεν, &c. Rectius id proxime jungitur verbo ὀνομαζομένε, ut innuatur, nihil unquam dignitatis conſtitutum eſſe, vel conſtitutum iri, in cœlo vel in terra, quo Chriſtus non ſit ſuperior.

ἐν τῷ αἰῶνι τέτῳ ἀλλὰ ϰ̀ ἐν τῷ μέλλοντι ] *Coccejus* per hoc ſeculum ad Vet. Teſt. in quo magnum ſit nomen Angeli, Prophetæ, Moſis, Pontificis maximi; per ſeculum futurum autem, Teſtamentum Novum, & regnum gloriæ, ubi maxime demonſtratum ſit διαφορώτερον Chriſti nomen, reſpici putat. Nec abludere videtur B. *Gothofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. *In Oeconomia*, inquit, *V. T. nomen erat Pædagogorum & Magiſtrorum carnis præcipuum in Eccleſia Iſraëlitica. Jam Chriſtus habet nomen, eique ſæculum præſens ſubjectum eſt, nec deinceps alii Eccleſia obnoxia eſt.* Huc tendit etiam *Salom. van Till* ad h. l. ad Hebr. II. 5. οἰκεμένην τὴν μέλλεσαν provocans, & hæc addens: *Prævidit Apoſtolus in Spiritu, fore aliquando, qui in Eccleſia nomen humanum introducere vellent, verum auctoritati Chriſti oppoſitum, & inimicum. Attamen id ſolatio eſt, Chriſtum etiam ſupra illud nomen evectum fuiſſe. Obſcurum eſſe non poteſt, Anti-Chriſtum hic indigitari, qui cathedram Petri cathedræ Moſis ſubſtitutam vellet.* Similiter Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis innui putat, *non ſolum titulos dignitatum in Eccleſia Judaica tunc receptos, ſed & illos, qui futuris temporibus in Eccleſia Chriſti ab Anti-Chriſto recipiendi erant, ſublatos eſſe.* Subtilius hæc ita cogitari non negaverit, qui perpenderit, locum *Hebr.* II. 5. quem *Tillius* urget, huc advocari non poſſe. Ibi enim Veteri Teſtamento Novum, in quantum futurum id aliquando eſſe prædictum erat, ſub nomine οἰκεμένης τῆς μελλέσης opponitur, hoc vero loco ſermo eſt de mundo, qualis tunc erat, idemque opponitur mundo futuro. Quomodo itaque Paulus hic per αἰῶνα μέλλοντα intellexerit Teſtamentum novum, quod jam vigebat? Recte igitur hanc ſententiam deſeruit *Witſius* in Miſcellaneis Tom. I. pag. 620. phraſinque de *vita hac* & *futura* accepit. Hic ſenſus phraſeos eſt *Matth.* XII. 32. ἐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἔτε ἐν τέτῳ τῷ αἰῶνι, ἔτε ἐν τῷ μέλλοντι. Vita hæc ſimiliter ὁ καιρὸς ἔτ☉, futura autem ὁ αἰὼν ὁ ἐρχόμεν☉ vocatur *Marc.* X. 30. Quod ad rem attinet, Paulus eodem fere ſenſu de Chriſto *Hebr.* XIII. 8. ait: Ἰησῦς Χριςὸς χθὲς ϰ̀ σήμερον ὁ αὐτός, ϰ̀ εἰς τὲς αἰῶνας. Confer ſimile Patrum judicium apud *Svicerum* Tomo I. Theſauri pag. 141. ſq.

Verſ. 22. 23. Καὶ πάντα ὑπέταξεν, κ. τ. λ. ] Lege *Alethæi* Erläuterung Tom. III. p. 635. Dignus etiam eſt, qui vel contra Pontificios ipſos ex parte legatur *Jo. Launojus* in Epiſtolis p. 63. 267. & 770.

*καὶ αὐτὸν ἔδωκε* ] *& ipſum conſtituit*, quo ſenſu Hebræi verbum נתן ſæpe adhibent. Junge *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. p. 544.

*κεφαλὴν* ] Lege *Petavium* Tomo V. Dogmatum, ubi de Incarnatione lib. II. cap. VIII. §. 7.

Verſ. 23. *Ἥτις ἐςὶ τὸ σῶμα αὐτȣ̃, τὸ πλήρωμα* ] Vocem *πλήρωμα* rectiſſime & veteres & recentiores Interpretes de *Eccleſia*, tanquam per appoſitionem ita dicta, accipiunt. Ex Patribus vide quos huc affert *Svicerus* Tom. II. pag. 756. De ceteris non dicam. *Hombergius* pag. 289. Parergorum his relictis, poſt *Caſtalionem τὸ πλήρωμα* cum ſequentibus de Chriſto dici vult, *quod nempe DEUS eum dederit, ut ſit caput Eccleſiæ, & πλήρωμα illius, qui omnia in omnibus implet.* Id clariſſime ait patere ex verſ. 10. præcedente, ubi dicantur omnia combinanda eſſe in Chriſto, quæ in cœlis ſunt & in terra, quemadmodum *Coloſſ.* I. 29. in Chriſto omnis plenitudo habitare dicatur. Enimvero vir doctus ea hic loca affert, quæ alio pertinent. Nec conciliari ejus expoſitio poteſt cum ſtructura orationis Apoſtolicæ, ita conformata: *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐςὶ τὸ σῶμα αὐτȣ̃, τὸ πλήρωμα τȣ̃ πάντα ἐν π. πλ.* Non negat idem, verba, *ἥτις ἐςὶ τὸ σῶμα αὐτȣ̃*, pertinere ad Eccleſiam. Quomodo itaque *τὸ πλήρωμα* referet ad Chriſtum, à quo jam deflexerat oratio? Fortaſſe dixerit, phraſin, *ἥτις ἐςὶ τὸ σῶμα αὐτȣ̃*, per parentheſeos notam à reliquis verbis eſſe ſeparandam. Sed quemadmodum de hoc ipſe tacet, quamvis alias frequenter parentheſes invehat, ita affirmanti nemo facile crediderit, cum appoſitiones ejusmodi, qualis heic eſt, Paulo frequententur. Confer infra II. v. 14. 15. ubi duplex *appoſitio* exſtat. Plus valet, quod ait, *ſolide doceri non poſſe, quomodo Eccleſia ſit πλήρωμα.* Id vero docet *Salomo van. Till*, ad h. l. *Τὸ πλήρωμα*, inquit, *aliquando activam, aliquando paſſivam ſignificationem habet. Ultimam ſignificationem hic recipimus, conſiderando Eccleſiam ut corpus impleri à Chriſto; quippe quæ ex ſe nihil habet, ſed à Chriſto Spiritum recipit, cujus ope vivat, excreſcat, fortis valensque reddatur, & ad omnem pulchritudinem exornetur.* Similiter, *Theodoretus* ad h. l. *Ἐπλήρωσε γὰρ αὐτὴν παντοδαπῶν χαρισμάτων, καὶ οἰκεῖ ἐν αὐτῇ, καὶ ἐμπεριπατεῖ κατὰ τὴν προφητικὴν φωνήν. Eam enim* (Chriſtus) *implevit omnis generis donis & in ea habitat & obambulat, juxta vocem Propheticam.* *Τὸ πλήρωμα* autem paſſive dici de *eo, quod impletur*, manifeſtum fit ex *Galat.* IV. 4. ubi *πλήρωμα τȣ̃ χρόνȣ*, imo & ex hujus capitis v. 10. ubi *πλήρωμα τῶν καιρῶν.* Et quis tandem erit, *ὁ πάντα ἐν πᾶσι πληρȣ́μενος*, *qui omnia in omnibus implet?* Qui *τὸ πλήρωμα* de Chriſto accipit, ex ejus mente procul dubio Pater fuerit, qui hic omnia in omnibus implere dicatur. Ita vero Scriptura Sacra non loquitur de Patre unquam, quando de Eccleſia, à Chriſto pendente, ſermo eſt. De Chriſto vero ita diſerte loquitur reſpectu fidelium, ut ab eo impleri dicantur *Coloſſ.* II. 20. *ἐςὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, ὅς ἐςιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξȣσίας.* Vide, quam egregie hæc noſtro loco reſpondeant.

Imo

Imo Chriſtum omnia implere, Paulus teſtatur infra IV. 10. *ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα.* Nihil igitur obſtat, quo minus *τὸ πλήρωμα* de Eeeleſia interpretemur, tanquam *corpore* Chriſti, quod ipſe vivificet, regat, omnibusque dotibus cœleſtibus impleat. De hac expoſitione rectius dieuntur ea, quæ *Hombergius* ad ſuam transfert: *Si quis aliam explicationis rationem teneat prater eam, quam diximus, ſuaviter decipitur.* Scripſeram hæc, eum video, Cl. *Elsnerum* pag. 204. ſq. contra hanc *Hombergii* ſententiam dixiſſe. Quod ut recte fit, ita humani aliquid paſſum video virum doctum, quando tradit, *Epheſ.* III. 19. *πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ*, *Eccleſiam Chriſti* ſignificare. Primo enim eo in loco non *Χριστοῦ*, ſed *Θεοῦ πλήρωμα* legitur; deinde vero *Eccleſiam* ibi intelligi non poſſe, ſuo loco infra oſtendemus. Idem cetera non inepte monet, Eccleſiam *πλήρωμα Χριστοῦ*, interpretante *Chryſoſtomo*, dici poſſe, ideo, quod *πλήρωμα κεφαλῆς σῶμα, πλήρωμα σώματος κεφαλή*, *implementum capitis, corpus, implementum autem corporis, caput* ſit. Ad hæc quoque obſervat, Eecleſiam *corpus* quoddam *civium* conſtituere, tam arcte cum capite conjunctum, (v. 20. hujus capitis) ut *habitent in Chriſto*, Coloſſ. I. 19. & Chriſtus in illis (infra III. 17.) atque adeo credit, etiam eo ſenſu Eccleſiam Chriſti *πλήρωμα* dictam, quo cives & incolæ urbis *πλήρωμα* ejus dicantur, apud *Ariſtidem* Orat. de non agendis Comœdiis pag. 282. & *remiges navis* vocantur ejus *πληρώματα*, obſervante *Caſaubono* ad Athenæum lib. VIII. cap. 10. pag. 612. Addidero his, quod *πλήρωμα τοῦ ἵππου* vocentur Græci, qui in equo Trojano deliteſcebant. Vide *Philoſtrati* Heroica cap. X. §. 12. pag. 717. ibique *Olearii* notas, qui huc etiam *πλήρωμα τῶν ἐθνῶν* *Rom.* XI. 25. refert. Eodem ſenſu *πλήρωμα* de ſumma capitali adhibetur apud *Ariſtophanem* in Veſpis v. 654. ubi lege Interpretes.

*τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου*] Vulgatus: *qui omnia in omnibus adimpletur*, quod probare potuiſſe *Hieronymum*, merito miratur *Millius* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 570. *cum palam ſit, hallucinatum fuiſſe Translatorem in participio πληρουμένου, quod paſſivæ vocis fuiſſe putabat, cum eſſet mediæ, activeque hic ſumêretur. Dici enim illa de Chriſto, qui aſcendit ſuper omnes cælos, ut impleret omnia*, cap. IV. 10. Recte hæc ita dici, ex ſuperioribus apparet. Nihilominus tamen in omnia alia diſceſſit Interpres nuperus Novi Teſtamenti Anglicanus. Hic enim ita convertit: *a work compleatly finished in all its parts;* i. e. opus omnibus ſuis partibus abſolutum. Hanc vero verſionem & ſenſui & Grammaticæ adverſari, prudens quisque intelligit, recteque obſervavit *Leonh. Twells* in Examine ſuo Critico, Anglice edito Parte I. pag. 137. inde eam repetens, quod Interpres magnificum hoc elogium Domino noſtro inviderit.

# CAPUT II.

VErſ. 1. Καὶ ὑμᾶς ] De nexu horum verborum dixi jam ad v. 19. *εἰς ἡμᾶς*, quæ velim reſpici. Hic addo, Cl. *Jo. Conrad Schwarzium* in Commentatione egregia de Solœciſmis diſcipulorum JESU antiquatis p. 120. nobiſcum facere, quando commata quinque priora hujus capitis ita vult jungi: *Καί ὑμας ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι καὶ ταῖς ἁμαρτίαις (ἐν αἷς ποτὲ —— ἠγάπησεν ἡμᾶς) καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκροὺς* &c. Idem ſtatuit M. *Laur. Müllerus* in Diſputat. de ſtilo idiotico, Scriptoribus N. T. & inprimis Paulo adſcripto p. 32. contra Hammondum eadem opera diſputans, qui poſt verba *καὶ ταῖ ἁμαρτίαις* parentheſin poni vult uſque ad finem verſus 4. *ὡς καὶ οἱ λοιποί*. Adſtipulatur præterea Cl. *G. L. Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 668. ubi rejectis aliorum, *Knatchbulli* ſpeciatim & *Hombergii*, opinionibus rem tandem ita perorat: *Quid vero clarius, quam voces:* Vos in peccatis mortuos, *eo referre, ubi* excitatio ex iſta morte *memoratur? Quod cum verſu 5. fiat, neſcio, quomodo contingat, ut ibi abſolvi orationem, per aliquot verſus pendentem, negemus. Res aperta eſt verſum quintum legentibus. Cur enim Apoſtolus verba: νεκρὺς ὄντας τοῖς παραπτώμασι, repetit, niſi quod docere vult, ſenſum commatis primi, ubi eadem verba prædixerat, hic abſolvi? Nec turbare aliquem debet, quod v. 1. ὑμᾶς exſtet, v. 5. ἡμᾶς, adeoque non abſolvi videatur propoſitio ibi inchoata, ſed nova poni. Nam, quia interjectis verſibus ad declinandam invidiam ſe atque tribules ſuos in eandem cum Ethnicis ſortem detruſerat, jam gratia divina, non illa modo, quæ mortuis in peccato Epheſiis obveniſſet, ſed communis, quæ omnibus, prædicanda erat, ut adeo voce ἡμᾶς per κοινοποίησιν omnes complecti debuerit Paulus, quibus ſalvifica gratia illuxiſſet. Omnem vero dubitandi anſam praecidit locus parallelus, Coloſſ.* II. 13. *Ibi enim συνεζωοποίησε ad vocem ὑμᾶς pertinet, ergo in noſtro quoque loco.* Adde omnino Rev. *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 529. qui ſimiles orationis ſtructuras ex *Herodoto* recitat; nec minus *Thom Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam lib. IV. pag. 307. Atque hæc quidem de nexu ſermonis ſufficiant.

Commata ſeptem priora hujus capitis illuſtrat *Oederus* l. c. pag. 669. — 681. Tria vero priora *Zimmermannus* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non naſcuntur, Chriſtiani* pag 499. ſqq.

Verſ. 1. *Καὶ ὑμᾶς ὄντας νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι* ] Cum mortuus apud Iſraëlitas ſecundum Moſaicam diſciplinam adeo fœdus eſſet, ut cadaver non ſolum, ſed ſingula quoque ejus membra vehementer pollucrent totum conclave, in quo cubabat, una cum vaſis, in eo repoſitis, rebusque, quæ cadaveri injiciebantur, Apoſtolus, facta ad ritus Judæorum alluſione, indicat, omnia eſſe in peccatore inquinata, fœda atque deteſtabilia, nec quidquam in tali homine, in peccatis mortuo, inveniri, quod DEO non diſpliceat. Ita recte Rev. *Salo-*

*mo*

*mo Deylingius* in Obſervationum Sacrarum Parte III. pag. 71. qui & à Judæorum Magiſtris, v. c. Rev. *Levi Gerſonide*, commentario in Legem fol. 192. peccatores appellari מתים i. e. *mortuos*, oſtendit. Hinc nec mirum, *Philonem* utpote Judæum, lib. I. Allegor. ita loqui: ὅταν ἡ ψυχὴ τῆς ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τῆς δὲ κακίας ζῇ· *Quum animus virtutis vita functus, vitam malitiæ degit.* Externi quoque Scriptores, qui tamen ipſi phraſeos hujus vim non aſſequebantur, mortis quippe ſpiritualis non ſatis gnari, interdum ita loquuntur, v. c. *Epictetus* apud Arrianum l. I. c. 9. p. 43. Diſſertatt. Νεκρὸν μὲν ὁ παιδευτὴς, νεκροὶ δ' ὑμεῖς, ὅτε χορτασθῆτε σήμερον, κάθησθε κλαίοντες περὶ τῆς αὔριον, πόθεν φάγητε. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 536. & *Jo. Alberti* Obſervationes Philologicas p. 368. ubi præter *Ariſtophanis* locum in Ranis Act. I. Scen, 7. appoſitum affert *Clementis Alexandr.* ex Stromatum lib. V. p. 574. Διὸ καὶ ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων, καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς. Hujus obſervatis video uſum eſſe cum laude *A. Blackwallum* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 68. quemadmodum ipſe (*Alberti*) ſe tuetur in Præfat. ad Periculum Criticum. Digna ſunt, quæ his ſubjungam, *Jo. Pearſoni* in notis ad *Ignatii* epiſt. ad Smyrnæos pag. 15. Νεκροὺς τοῖς παραπτώμασι eleganter ait poni, cum πτῶμα ſit cadaver. Gloſſ. πτῶμα ἐπὶ νεκροῦ, ut apud Pythagoreos κενοτάφιον ſignificavit. Origenes contra Celſ. Marc. Antonin. lib. VI. §. 13. Sophocles in Antigone: Τὰς γὰρ ἡδονὰς Ὅταν προδῶσιν ἄνδρες, οὐ τίθημ' ἐγὼ Ζῆν τοῦτον, ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν. Huc pertinet, quod Pythagorei illis, qui à ſe deſciverant, κενοτάφια ſtruere ſolebant. Lege *Spencerum* ad Origenem contra Celſum pag. 34. Patrum expoſitionem habes apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri pag. 392.

Verſ. 2. Ἐν αἷς ποτε περιεπατήσατε, κ. τ. λ.] Inſpiciendi hic ſunt *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 23. 24. *Tobias Eckhardus* in Diſſertatione ſingulari, quæ inſerta eſt Tomo II. Theſauri Diſſertationum pag. 617. ſqq. & *Jacobus Niloe* in *Luce Scripturæ*, libro Belgico, pag. 28. ſqq. Totum comma ita concinne convertit eruditiſſimus *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 100 *In quibus* (peccatis) *aliquando verſati eſtis ſecundum morem improborum hominum, ſecundum principem & rectorem magiſtratus aërei, ſpiritus in filiis obſtinatis nunc operoſi.* Verba quoque Pauli à *Briano Waltono* in Prolegomenis pag. 99. præter rem Solœciſmi poſtulata vindicat. *Nam* ἄρχοντα, inquit, τῆς ἐξουσίας *Paulus belle dixit. & nos niſi per ineptias ad nomen* πνεύματος *detorquere non poſſumus. Nam* ἐξουσία *eſt* poteſtas, *ſeu* præfectus, magiſtratus. Ἄρχων *igitur* τῆς ἐξουσίας *eſt is*, qui imperat magiſtratui, *ſeu*, qui regit conſiliis, & auctoritate, & juſſu magiſtratum. Ἐξουσίας *autem nomen eodem caſu, quo vocabulum* πνεύματος *poni commodiſſime poteſt. Nam* ἐξουσία *illa eſt* πνεῦμα, *&* πνεῦμα ἐξουσία. *Spiritus autem quosdam in aëre quaſi regnum quoddam exercere, ſatis ex Epheſ.* VI. 12. *Luc.* X. 18. *Apocal.* XII. 8. 9. 10. *liquet.* De phraſi περιπατεῖν ἐν ἁμαρτίαις inſpice *Suicerum* Tom. II. Theſauri pag. 679.

κατὰ

*κατὰ τὸν αἰῶνα τȣ͂ κόσμȣ τȣ́τȣ* ] B. *Lutherus* egregie: nach dem Lauffe dieſer Welt. Beza: *ut eſt vita hujus mundi.* Αἰὼν nempe ſicut & Latinorum *ævum*, *vitam* & vivendi rationem denotat, quod *Phavorinus* etiam annotavit & ex *Homero* adſtruxit. Confer *Sviceri* Obſervationes Sacras & Theſaurum Eccleſ. voce *αἰών*, & *Petavii* Dogmata Theologica Tom. I. lib. III. cap. 3. pag. 163. qui varias vocis hujus notiones ediſſerunt. De tempore vitæ ſæpe adhiberi, evincitur in Hiſtoria Critica Reipublicæ Literar. Tomo III. pag. 145. ſqq.

*κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξȣσίας τȣ͂ ἀέρος* ] De appellatione hac ex Patribus diſſerit *Jo. Caſp. Svicerus* in Obſervationibus Sacris pag. 212. ſq. & Tom. I. Theſauri pag. 143. & 541. Vide etiam *Thom. Munckerum* ad Fulgentii Mytholog. lib. I. cap. 4. pag. 38. Satanam hic intelligi apud omnes fere in confeſſo eſt, non æque vero perſpicuum, quo ſenſu ita appelletur. Cum enim pravi dæmones non minus in terra, quam in aëre, verſentur, nonnulli *τὴν ἐξȣσίαν τȣ͂ ἀέρος* idem hic eſſe volunt, quod *ἐξȣσία τȣ͂ σκότȣς* eſt *Luc.* XXII. 53. atque adeo eam metaphorice de *obnubilationibus* mentis accipiunt. Ita ſtatuunt *Coccejus* ad h. l. *Heinſius* item, & noviſſime *Jac. Nyloë* in Luce Scripturæ pag. 30. ſq. Nec negari poteſt, notionem hanc vocis *ἀέρος* Scriptoribus eſſe receptam. Ita Scholiaſtæ *Homeri* & *Heſiodi τὸν ἀέρα* paſſim per *σκότος* interpretantur. Add. *Jo. Clerici* notas ad Heſiodi Εργ. v. 549. Cum hujus ſignificatus exempla non niſi ex Poëtis adduci adhuc potuerint, in illo minus tuto acquieſcere licuerit. Accedit, quod docente Etymologico Magno, *ἀὴρ* non niſi in genere fœminino *ἀορασίαν καὶ σκότος* inferat. Cum itaque hic articulus *τȣ͂* in genere maſculino voci *ἀέρος* præmittatur, conſuetus *aëris* ſignificatus illi merito relinquitur, eo ſenſu, quem mox expoſituri ſumus.

Aliam metaphoram hic ſectatur *Salom. van Till.* ad h. l. Is enim *ἐξȣσίαν τȣ͂ ἀέρος* de arte Magica accipi vult, quam Epheſii olim ſtudioſe ſint ſectati, cujusque artis Dianam Patronam eſſe in Diſſertationibus Iſagogicis in hanc epiſtolam oſtenderit. Apoſtolum itaque putat ad mentem Magorum fuiſſe locutum, qui jactabant, poteſtatem in *aërem* ſibi eſſe conceſſam, cujus motibus omnia opera Magica præſtarent, *ἄρχοντα* autem appellaſſe, quem putabant imperium in hanc artem habere. Recte vero contra hæc Cl. *Nyloë* l. c. pag. 29. monuit, nondum conſtare, Magos illos poteſtatem in aërem ſibi tribuiſſe, aut *ἄρχοντα*, ſive Principem quendam, hujus artis præſidem & diſpenſatorem habuiſſe. Addiderim his, quod verba ſequentia: *τȣ͂ πνεύματος τȣ͂ νῦν ἐνεργȣ͂ντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας* evincant, Apoſtolum h. l. non de uno aliquo effectu, Magico ſcilicet, ſed de omnibus illis molitionibus loqui, quas Dæmon apud incredulos & contumaces urgeat.

Rectius omnino illi res inſtituunt, qui verba Pauli ita capiunt, ut mali dæmones in aëre ſtationem ſuam obtinere, & ſupra nos ac circa nos undiquaque collocati dicantur, ut homines pravi illorum inſultibus non minus, quam

aëri

aëri ipſi pateant. Hanc ſententiam fuiſſe olim *Judæorum*, & *Philoſophorum* ex paganis idoneis locis commonſtravit Cl. *Elsnerus* pag. 206. Judæi adverſus aëreos hos graſſatores Pſalmum CXI. compoſitum ajunt, ſicut bonam ejus partem ſub nomine שיר של פגעים, *Cantici Spectrorum*, *Maimonides* in *More Nevochim* Partt. III. cap. 51. affert, obſervante *Jacobo Windeto* de Vita functorum ſtatu Sect. XIII. pag. 210. Faſciculi IV. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectantium. Idem monet, Principem eorum Hebræis ראשון של שטנין eodem modo, quo hic *ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος* appellari. De Gentilium Philoſophis, aërem in primis plenum dæmonibus eſſe tradentibus, oſtenderunt præter *Dougtæum* in Analectis pag. 127. *Windetum* l. c. pag. 211. ſqq. *Radulphum Cudvorthum* in Syſtemate Intellectuali hujus univerſi pag. 720. & alibi, doctiſſimus *Joannes Albertus Fabricius* noſter ad *Sextum Empiricum* lib. IX. pag. 571. qui & conferri jubet *Steuchum Eugubinum* de perenni Philoſophia lib. VIII. cap. 27. locumque ex *Olympiodori* Commentario MS. in Platonis Alcibiadem promit, in quo dæmonum *ἐγκοσμίων* alii *οὐράνιοι*, alii *αἰθέριοι*, ſive *κύριοι*, alii *ἀέριοι*, alii *ἔνυδροι*, alii *χθόνιοι*, alii denique *ὑποταρτάριοι* vocantur.

Jam vero ex Codice Sacro etiam patet, Dæmones in aëre & in aërem poteſtatem ſuam, Divino Numine permittente, exercere. Vide v. c. *Jobi* I. 12. & *Apocal.* XIII. 13. quemadmodum & *Chryſoſtomus* ad h. l. de Diabolo ait: *ὅτι τὸν ὑπουράνιον ἔχει τόπον, καὶ πνεύματα πάλιν ἀέρια, καὶ ἀσώματοι δυνάμεις εἰσὶν αὐτοῦ ἐνεργοῦντος.* Plura hujuſmodi Patrum loca *Valeſius* affert ad Euſebium de laudibus Conſtantini pag. 500. & *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. III. ubi de Angelis, lib. III. cap. 8. pag. 98. Vide *Elsnerum* loc. cit. Jungam his denique B. *Gothofredi Olearii* ad h. l. Obſervata ex Prælectionibus MSS. *Diabolus*, inquit, *vocatur Princeps aëris, quod ex eo puto explicandum, quando ζόφῳ dicitur τεταρταρωμένος. Jam ἀὴρ ζοφωδὴς*, aër tenebricoſus, *commemoratur à veteribus Philoſophis, qui ambiat hunc mundum noſtrum, qui locus pertinet ad loca κατώτερα & ἐξώτερα, remotiora à regno lucis & gloriæ, in quo ſedes habent angeli boni, & animæ beatæ. Adeoque ἀὴρ ζοφωδὴς idem quod abyſſus, Luc. VIII. 3. Unde Auguſtinus in Pſalm. CXLIII. Diabolum ait damnatum ad aërem, tanquam ad carcerem. Diabolus igitur ejectus eſt ad inferiora; jam vero mundus ad inferiora ſpectat, ideoque regnat in inferioribus iſtis, ejectus è regno gloriæ.*

Unum ſupereſt, quod moneam. Cl. *Oederus* l. c. pag. 673. per *ἐξουσίαν* unum aliquem diabolum intelligit, qui *Apoſtoli ætate vehementer Evangelii propagationi obſtiterit, atque in idololatria homines ſtudioſe conſervarit*, quemadmodum *Danielis ætate quidam inter Dæmonas robore præpollens* princeps *fuerit* regni Perſici, *cui tribuendum erat, quicquid conſiliorum & machinationum in Judæorum perniciem factum eſt.* Non video ego, qui uni ejuſmodi dæmoni, ſalutaris doctrinæ adverſario primipilo, dæmon alius, inſtar princi-

pis præponi à Paulo potuerit, cum idem ille dæmon principatum potius in hoc negotio obtinuiſſet. Itaque præſtat, vocem ἐξουσίαν in genere de *magiſtratu*, h. e. pluribus dæmonibus, incredulitatis & impietatis promotoribus & ἐργοδιώκταις accipere, qui τοῦ ἄρχοντος nutibus & imperio paruerint.

τοῦ πνεύματος] Nihil hic eſt ſolœci, modo vocem hanc per *appoſitionem* junctam dicamus præcedenti ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, ut, quemadmodum per ἐξουσίαν ἀέρος, *magiſtratus aëreus*, ſeu in aëre potiſſimum dominans, indicatur, ita idem ille *magiſtratus*, cujus ſcilicet conditionis ſit, per πνεῦμα, *ſpiritum*, ſenſu collectivo, h. e. *cohortem ſpiritualem*, explicetur. Ita omnino accepit B. *Lutherus*, quando vertit: nach dem Fürſten, der in der Lufft herrſchet, nemlich, (en ἐξεργασίας notam!) nach dem Geiſte, der &c. Appoſitum ejusmodi frequens eſt S. Paulo. Vide v. c. cap. I. 23. ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα. Ita recte ſentiunt *Schvvarzius*, cujus verſionem ſupra habes, Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis à Rhenferdio editis, & *Oederus* l. c. qui tamen in eo falſus mihi videtur, quando τὸ πνεῦμα æque ac ἐξουσίαν de uno aliquo *ſpiritu* interpretatur. Si utramque vocem ἐξουσίαν & πνεῦμα collective accipias, res omnis eſt in vado. Cave, collectivam hanc ſignificationem in dubium voces. Obtinet enim alibi locorum, v. c. Actor. XXIII. 8. ubi Sadducæi μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα, h. e. neque Spiritus, ſive bonos, ſive malos, eſſe, affirmare dicuntur. Sic 2 Theſſalon. II. 2. jubemur μὴ θροεῖσθαι μήτε διὰ πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, *non turbari neque per Spiritus*, eorumque apparitiones & revelationes, *neque per* (hominum) *verba*.

τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος] Lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1115.

ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας] De hac loquendi ratione lege *Vorſtium* in Philologia Sacra Part. II. pag. 42. & *Suicerum* Tom. II. pag. 1357. Hebraica illa nonnullis viſa eſt, ſed nec profanos ab illo uſu vocis υἱὸς abhorrere, quo aliquem rei alicui deditum denotat, ab aliis eſt oſtenſum. Judæorum Magiſtri בני הימנותא, i. e. *filios fidei* ex contraria parte dicunt in Sohar Geneſ. fol. 22. col. 28. & fol. 28. col. 110. &c. monente Cl. *Schœtgenio* in notis ad h. l,

Verſ. 3. Ἐν οἷς] i. e. *inter quos*. Ita rectiſſime B. *Lutherus*, unter welchen, ita, ut referatur ad υἱοὺς τῆς ἀπειθείας. Sunt plures, qui interpretantur: *in quibus*, ſcilicet παραπτώμασι, ſeu peccatis, de quibus v. 1. Ita ex noſtratibus B. *Chriſtophorus Franckius* in Exercitationibus Anti-Limborchianis p. 244. ideo, quod *coactum ipſi videtur, dicere, Judæos eſſe converſatos inter Gentiles non quidem conjunctione loci, ſed ſimilitudine vitæ & morum.* Enimvero Paulus per υἱοὺς τῆς ἀπειθείας non Gentiles tantum innuit, ſed omnes, qui vel inter Gentiles, vel inter Judæos hoc nomen promeruerint. Cum vero & Paulus & alii, tunc credentes ex Judæis, incredulitati & contumaciæ olim fuerint obnoxii, apparet, quo ſenſu Paulus ſe & alios olim Judæos in illorum hominum claſſem

claſſem retulerit. *Franckius* pro ſua ſententia urget, hoc modo idem eſſe initium verſus tertii, quod præcedentis ſecundi. Sed hoc ipſum, recte conſideratum, noſtræ interpretationi robur affert. Nam τὸ ἐν αἷς verſ. 2. refert ſe manifeſte ad vocem antecedentem verſ. 1. ἁμαρτίαις. Et ſic τὸ ἐν οἷς verſus 3. reſpicit ad antecedentem phraſin, ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας. Taceo, Paulum ſubjungere ſtatim ſordes, in quibus verſati ſint, nempe, ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς, quod ſuperfluum foret, ſiquidem per τὸ ἐν οἷς intelligimus παραπτώματα.

ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς σαρκὸς ἡμῶν] Lege *Suicerum* Tom. II. p. 938.

ποιοῦντες τὰ θελήματα τῆς σαρκὸς καὶ τῶν διανοιῶν] *facientes voluntatem cogitationum cordis.* Ita Anonymus Anglus in Annotationibus à Rhenferdio editis. Non inepte quidem. Sic enim ἐπιθυμίαι, ſeu *cupiditates*, de quibus ante, & *cogitationes*, tanquam utræque malæ, repræſentarentur. Cum vero *voluntatum* hic mentio iterum fiat, quæ ab ἐπιθυμίαις non ſunt diſtinctæ, rectius agemus, ſi diverſos modos, ſecundum quos cupiditates illæ ſe exſerant, indicari heic cenſeamus. Voluntates igitur *carnis* erunt, quæ per *naturam*, etiam ſine ulla adhibita ratiocinatione, ſe produnt; *cogitationum* autem, quæ adhibita *ratiocinatione*, à prava ſcilicet cupiditate recta, proficiſcuntur. Confer huc B. *Schomerum* & Rev. *Raphelium* in Annotationibus Polybianis p. 537. qui poſterior hoc loco quodam *Polybii* ex lib. XVII. cap. 13. pag. 1047. illuſtrat. Is enim ait: τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδεδοξοποιημένον οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀλογιστίαν ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνειν; *humanum genus, adſcitis imbutum opinionibus, non pauciora per inconſiderantium & pravam ratiocinationem, quam per naturam, peccare.*

καὶ ἦμεν τέκνα φύσει ὀργῆς] *& eramus natura filii iræ.* Τὸ φύσει nonnullis idem hic eſſe videtur, quod Latine dixeris *vere*, ut illi, quod fictum eſt aut falſum, opponatur. Ita Patres nonnulli apud *Suicerum* Tomo II. p. 1475. & apud *Petavium* Tomo V. Dogmatum Theologicorum lib. III. cap. IV. §. 3. Alii de *indole, moribus,* & *conſuetudine recepta* accipiunt, cum *Franc. Puccio*, Pelagianiſque aliis, Socinianis & Arminianis. Vide *Hackſpanii* Miſcellanea lib. I. pag. 153. Horum ſententiam adductis variis hujus ſignificatus vocis, φύσις, exemplis ornare inprimis conatus eſt *Jo. Clericus* in Arte Critica Parte II. Sect. I. cap. VII. §. 6. Iisdem vero occurrerunt alii inprimis ex Theologis, ex quibus allegaſſe nunc ſuffecerit *Franckium* in Exercitationibus Anti-Limborchianis pag. 241. ſqq. *Iſaac. Fauſtium* in Vindiciis hujus dicti, Argentorati 1663. *Jo. Franciſc. Buddeum* in Inſtitutionibus Theologicis pag. 780. & in *Theologia Morali* pag. 40. *Jo. Guil. Baierum* in Analyſi & vindicatione dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. pag. 7. ſqq. Negari quidem non poteſt, vocem φύσις idem, quod *vere* tale eſt, aut per *indolem* & *conſuetudinem* fit, paſſim ſignificare. Vide quæ hanc in rem Vol. II. harum Curarum p. 483. ad 1 *Corinth.* XI. 14. (quo loco φύσιν *conſuetudinem* inferre *Hackſpanius* l. c.

 minus

minus recte largitus eſt) abunde diximus. Hoc tamen in loco illum ſignificatum non obtinere, & ſermonis Apoſtolici ſeries, & argumentum, de quo hic ſermo eſt, evincit. Neque enim Apoſtolus hic loquitur de indole gentis alicujus, ſed de labe univerſali, cujus cauſa alia eſſe non poteſt, quam id, quod cum nativitate ipſa ad nos perlatum eſt, h. e. *peccatum originale.* Præter hæc Cl. *Oederus* l. c. pag. 677. *argumento* quodam *Grammatico* Clericum *retundit. Tum eum*, inquit, *quem ipſe vult, ſenſum habere verba poſſent, ſi dixiſſet*, quid agerent patrarentve τῇ φύσει *mortales? At hoc non dicit Apoſtolus. Non dicit, inquam, homines* τῇ φύσει διεφθαρμένες, πονηρὲς, *& ſic porro, eſſe, ſed* filios iræ, *quæ vocabula non* crimen *innuunt, ſed* culpam, *non, quæ faciant, ſive ſoleant facere, ſed quantæ Dei iræ ſubſint. Non dicimus mali hominis mores expoſituri:* Regis iræ ſubjacet. *Ita enim intelligas, quid* paſſus ſit *ille*, quidve forte paſſurus inpoſterum; *quid* egerit, agatve? *cujusque indolis ſit? non intelligas. Nativitate autem & natura totum mortalium genus iræ Dei, juſtiſſimi Judicis, obnoxium eſt.* Lege ibidem cetera, rectiſſime contra *Clericum* diſputata. Eidem obviam ivit M. *Chriſtophorus Wolle* in Regulis XXX. ad circumſpectam illuſtrationem Novi Teſtamenti ex auctoribus profanis pag. 11. qui inter reliqua obſervat, φύσιν, ἀπὸ τοῦ φύεσθαι hic ſignificare nativitatem carnalem, & agnatam mortalibus labem: hic v. 8. opponi χάριτι. Confer *Joh.* I. 12. 13. & *Rom.* III. 23. 24. Eodem ſenſu olim accepit *Auguſtinus* lib. II. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 10. quando τὸ φύσει exponit per *naturaliter*, ſeu *originaliter.* Confer *Rich. Simonis* Hiſtor. Critic. de Interpretibus N. T. pag. 289. Hic tamen ſequi mavult *Hieronymum*, qui per *prorſus vel omnino* converti poſſe cenſuit, quemadmodum *Syrus* eodem modo, & Scholiaſtæ Græci plures per γνησίως reddiderunt. Dici poterat, nec eos, qui per *plene*, ut *Syrus*, vel *vere*, ἀληθῶς, ut *Theophylactus*, vertunt, à noſtra illa interpretatione deflectere, cum, quod quis natura eſt, id plene & vere eſſe dici poſſit. Conf. *Menonis Hannekenii* Expoſitionem hujus epiſtolæ pag. 21. Unum adhuc addam ſententiæ noſtræ approbatorem, *Jacobum Guſſetium* in Commentariis Linguæ Hebraicæ rad. בנה pag. 133. lit. P. Hic enim poſtquam phraſin: בני תמותה, *filios mortis, Pſalm.* CII. 21. expoſuerat, noſtram τέκνα ὀργῆς ita illuſtrat: *Plus dicit, quam malum impendens: nam hoc conſequens eſt iræ tantum, ſed ira eſt indicium & voluntas alterius, qui ſi ſit ſemper juſtus, ira ejus etiam eſt juſta, & fundata in merito, ac proinde, qui ejus iræ filius dicitur, dicitur eodem negotio mereri illam: cumque illud judicium iræ ſit ad pænam, pariter declaratur ille mereri pænam. Hinc expones*, ita pergit, Epheſ. II. 5. *nec ibi negliges* φύσει. *Locutio* דור עברתו, Jerem. VII. 29. *par eſt*, generatio iræ ejus. Noviſſime Cl. *Tobias Eckhardus* in Obſervatt. Philolog. ex *Ariſtophanis* Pluto in N. T. pag. 17. locum ex Act. I. Sc. II. ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν ἄθλιος φύσει *homo hic natus eſt ad miſeriam*, vel, *à natura miſer eſt*, attulit.

Verſ.

Verſ. 4. 5. Ὁ δὲ Θεὸς πλέσιος ὢν ἐν ἐλέει] Compara A. H. *Franckii* Annotationes vernaculas pag. 76. ſqq. & Celeb. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte V. p. 391.

διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτῦ] *propter multam charitatem ſuam*, non *per*. Prius enim illud ſemper ſignificatur per διὰ, quoties cum accuſandi caſu jungitur. Vide v. c. *Rom.* VIII. 11. &c. *Vulgatus* τὸ, πολλὴν vertit *nimiam*, i. e. valde grandem & immenſam, non quidem reſpectu Dei, cui proprium eſt, omnes ſuas prærogativas habere infinitas, ſed reſpectu miſeriæ, infelicitatis & vilitatis humanæ, quæ illa non eſt digna. Lege huc *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 606. nec omitte *Eraſmi Schmidii* notas ad h. l. in quibus is de voce ἀγάπη, ejusque h. l. ſignificatu diligenter commentatur.

Verſ. 5. 6. Καὶ ὄντας ἡμᾶς νεκρὺς, κ. τ. λ.] Utrumque hoc comma illuſtrat B. *Jac. Philipp. Spenerus* in Reſponſis Theologicis Germanicis Tom. IV. pag. 599. ſq. & B. *Jo. Georg. Dorſcheus* in Pentadecade Diſſertatt. Theologic. pag. 300. ſq.

τοῖς παραπτώμασι] Duo Codices legunt ἁμαρτίαις, eodem ſenſu. *Hieronymus* utramque vocem expreſſit, quando habet *delicta* & *peccata*. Fortaſſe tamen hic reſpexit ad verſ. 1. Compara *Rich. Simonem* in Hiſtoria Critica de Verſionibus Novi Teſtamenti pag. 43. Τὸ, παραπτώμασι non *dativi*, ut ἁμαρτίᾳ, *Rom.* VI. 2. ſed *ablativi* caſus notionem heic habere recte obſervat *Eraſmus Schmidius*.

συνεζωοποίησε τῷ Χριςῷ] Τὸ, σὺν Anonymus Interpres Anglus hujus epiſtolæ, à *Rhenferdio* editus, putat indicare *Gentiles* pariter & *Judæos*, per Chriſtum una vivificatos. Cave, fidem habeas. Τὸ, σὺν enim tantum ad Chriſtum, in quo & per quem hæc vivificatio ad credentes pervenerit, ſpectare, vel ex eo patet, quod Apoſtolus per ἡμᾶς & ſe & alios ex Judæis converſos intelligit, & ab Epheſiis, aliisque ex Gentilibus ad Chriſtum translatis, quos v. 1. per ὑμᾶς indicaverat, diſtinguit. Ceterum Judæos *vivificare* ſpirituali ſeu morali ſenſu adhibere patet ex libro *Reſchith Chochma*, pag. 16. Ibi enim ſicut peccator *in tenebris vivere*, & *occidi*, inque *mortis* & *impuritatis* locum ex loco vitæ & ſanctitatis deturbari dicitur; ita paulo poſt ejusmodi homo monetur, ut reſipiſcat & oret, & à ſe projiciat omnem transgreſſionem ſuam, ſitque cautus & expeditus in cultu Dei, ut animam ſuam VIVIFICET, להחיות את נפשו Per ſe tamen quisque intelligit, Paulum hic de *vivificatione* majoris momenti & alius generis loqui, ea ſcilicet, quæ nullo modo ex viribus aut voluntate hominis, in peccatis quippe mortui, ſed ex gratia & potentia Dei unice pendeat. De hoc Theologorum ſcholæ præcipiunt.

τῇ χάριτί ἐςε σεσωσμένοι] Codices pauci, à *Millio* appellati, legunt: ὗ τῇ χάριτί ἐςε σεσωσμένοι, ut ſic hæc verba ad Chriſtum, cujus mentio proxime anteceſſit, referantur. Ita etiam poſt *Vulgatum Hilarius* & *Pelagius* legerunt,

gerunt, obſervante *Richardo Simone* in Hiſtoria Critica de Verſionibus Novi Teſtamenti pag. 43. Ex recentioribus idem placuit *Bezæ* & *Eraſmo Shmidio*, cui *multum* hoe *ad συνέχειαν facere, & παρένθεσιν alias duriuſculam tollere* videtur. Idem ſentit Annotator Anglus Anonymus ſæpe laudatus, & ex noſtratibus *J. F. Burg* in Analyſi hujus epiſtolæ §. 14. Jam negari quidem non poteſt, pronomen relativum interdum omitti, v. c. Jacobi V. 6. Hoc tamen loco nihil opus eſt, ut ſubintelligatur. Patet enim, Paulum hic de *gratia divina* generatim loqui, quod repetita vice fit v. 8. Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, Θεοῦ τὸ δῶρον. Prætcrea fundamentum illius gratiæ v. 6. & 7. *in Chriſto* oſtenditur, ἐν χρηστότητι ἐφ᾽ ἡμᾶς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Itaque rectius agimus, ſi cum plerisque Novi Teſtamenti editionibus verba hæc à ceteris per parentheſin ſejungamus, quæ & Paulo alias frequentatur, & affectum ſcribentis egregie exprimit, quo ſcilicet ductus *gratiæ* hic ὡς ἐν παρέδῳ meminit, de qua verſ. 8. fuſius erat dicturus. Convenienter *Hombergius* pag. 290. monet, parentheſin eſſe abruptam, quæ v. 8. explicetur, fallique *Bezam*, qui illam duram & inſolentem, nec facile admittendam cenſuerit.

Verſ. 6. Καὶ συνήγειρε, καὶ συνεκάθισεν] Recte *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. V. lib. II. de Incarnatione cap VIII. pag. 83. ita: *Reſurrexiſſe nos, & in cælo jam regnare, ac conſidere dicit, non ſolum, quia id certa fide ac ſpe velut partum ac præſens quodammodo tenemus; verum etiam, quod in Chriſto jam revera bonis illis fruimur.* Quam in rem *Chryſoſtomum*, *Oecumenium* & *Theophylactum* legi vult.

ἐν τοῖς ἐπουρανίοις] *inter cælites*, ſeu *cæli incolas* vertit Cl. *Oederus* l. c. p. 680. quamvis cum iis, qui dona & bona cœleſtia malunt, non valde litigandum putet. Malim quidem poſterius.

Verſ. 7. Ἵνα ἐνδείξηται ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις] Αἰῶνες ἐπερχόμενοι ſunt ſecula, ætates, ſeu tempora inde ab Apoſtolicis illis ad finem mundi ſecutura, ut proinde ſimul innuatur, gratiam divinam per converſionem plurium hominum ad Chriſtum ſenſim manifeſtiorem redditum iri. Sic externis quoque Scriptoribus πᾶς αἰὼν adhibetur ad indicandam omnis generis poſteritatem longiſſime productam. Ita ſæpe *Longinus* περὶ ὕψους, v. c. Sect. IV. n. 13. ubi vide ſis *Jac. Tollium*. Adde *Vorſtii* Philologiam Sacram cap. 40. pag. 293. & quæ ad v. 2. de hac voce diximus. Pro ἐπερχομένοις legi alicubi ὑπερχομένοις monet *Curcellæus*: neſcio, quam recte. *Millius* enim ad *Curcellæum* tantum provocat, certo argumento, illius lectionis veſtigium alibi ſibi non eſſe obſervatum. Quicquid hujus erit, receptam illam lectionem nemo migraverit, qui meminerit, eandem alibi in Codice novo exſtare, v. c. *Luc.* XXI. 26. ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου τῆς προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ, & *Jac.* V. 1. ubi de ταλαιπωρίαις ταῖς ἐπερχομέναις. Non dubito ego, h. l. τὸ, ὑπερχομένοις natum eſſe ex voce proxime ſequente ὑπερβάλλοντα. Sed hæc tanti non ſunt.

ἐν

ἐν χρηστότητι ἐφ' ἡμᾶς] *Hombergius* pag. 291. Parergorum τὸ, ἐφ' ἡμᾶς referri vult, ad verbum ἐνδείξηται, non vero ad proxime antecedens ἐν χρηστότητι, ut πλοῦτος τῆς χάριτος ἐν χρηστότητι idem ſit, quod πλοῦτος χάριτος καὶ χρηστότητος. Sed hæc quidem linguæ Græcæ rationibus minus conveniunt. Si Paulus verbum ἐνδείξηται ad ἐφ' ἡμᾶς referri voluiſſet, ſcripſiſſet utique εἰς ἡμᾶς, vel ἐν ἡμῖν, vel ἡμῖν, Ita *Rom.* IX. 17. ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου. 2 *Corinth.* VIII. 24. εἰς αὐτοὺς ἐνδείξασθε. 2 *Timoth.* IV. 14. πολλά μοι κακὰ ἐνεδείξατο. Ab altera parte χρηστότης ἐπί τινα occurrit Rom. IX. 22. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν Θεοῦ· ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν· ἐπὶ δέ σε χρηστότητα. Quando præterea Paulus πλοῦτον τῆς χάριτος interpoſita voce αὐτοῦ ab illis, ἐν χρηστότητι, diſtinguit, manifeſtum eſt, poſterius illud proxime ad phraſin ἐφ' ἡμᾶς, tanquam objecti perſonalis indicium, pertinere. Recte itaque *Beza* vertit: *Opes gratiæ ſuæ pro* (ſua) *erga nos benignitate, in Chriſto Jeſu.* Confer, quæ ad verſ. 17. capitis I. diximus de phraſi: ἐν ἐπιγνώσει.

Verſ. 8. τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως] Pauci Codices legunt: τῇ γὰρ αὐτοῦ χάριτι σεσωσμένοι ἐσμέν Atque hanc lectionem præfert *Burgius* l. c. Ait enim, τὸ, αὐτοῦ, in *exemplaribus quibusdam obvium ſenſui complendo neceſſarium eſſe*, reliqua vero illis: ἐστὲ σεσωσμένοι, ideo præferenda, quod Apoſtolus *verbis antecedentibus & conſequentibus in theſi ſit locutus, atque adeo unicum comma in hypotheſi conceptum inſerere voluiſſe non videatur.* Mihi quidem τό αὐτοῦ nec poſſe nec debere ſubintelligi videtur. Sermo enim hic eſt de Deo Patre, qui *gratiam* ſuam *in Chriſto* manifeſtarit. Itaque ad Chriſtum, quamvis proxime commemoratum, ſpeciatim referri non poteſt, quemadmodum in ipſo hoc commate Θεοῦ τὸ δῶρον appellatur. Nec legi poteſt: σεσωσμένοι ἐσμέν. Si ratio à viro docto allata quicquam valeret, etiam v. 5. legendum foret: χάριτί ἐσμέν σεσωσμένοι, ubi tamen ipſe receptam lectionem retinuit, & illi quoque codices tenent, qui præter rationem τὸ οὖ, inſerſerunt. · Quemadmodum igitur ibi Apoſtolus à theſi ad hypotheſin divertit, ita, cur h. l. idem feciſſe negemus, n hil cauſæ eſt. Utrinque potius Apoſtolus efficaciter & affectuoſe orationem ſuam ad Epheſios convertit, ideo, ut eos excitaret ad ſalutem ſuam gratiæ Dei unice abſcribendam- Quod itaque v. 5. breviter innuit, id in præſenti commate repetit, & diſertius exponit. Verba hæc egregia diligenter à novatoris cujusdam cogitatis in h. l. in tractatu vernaculo: Betrachtung der Gnade GOttes, wie ſie durch den Glauben führet zur Seligkeit, vindicavit Rev. *Jo. Gottlob Stoltz* in Paradoxologia Novatorum in doctrina de Juſtificatione hominis coram Deo, Vitembergæ 1703. 4. Idem præſtitit B. *Sam. Schelguigius* contra *Caſpar. Erneſt. Trillerum* in Exercitatione Theologica de dono fidei juſtificantis, Gedani 1709. & Lipſiæ 1711. 4. contra alios vero B. *Jo. Guil. Baierus*, in Analyſi de Vindicatione dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Part. II. pag. 134. ſqq. Exſtat quoque *Petri du Boſc*, Reformati quondam doctoris, concio in hæc verba ſingularis Tomo I. p. 57. concionum

cionum Gallicarum germanice poſtea converſa, ſed cum delectu habito legenda. Ex Reformatis graviter ex h. l. de omni operum merito, à negotio ſalutis humanæ amoliendo, diſſerit *Jac. Guſſetius* in Præfatione ad Confutationem Libri *Chiſſuk Emuna* §. 19. ſqq. Conſuli etiam poterit ex Anglis *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis p. 112. & 115.

ἐςὲ σεσωσμένοι] Vocis vim temere enervat *Jo. Lockius*, quando in comm. ad h. l. idem hoc eſſe vult, ac ſi ſcriptum eſſet: *ad fidem Evangelicam eſtis perducti.* Aliud ſane eſt *fides* Evangelica, quam ut medium ſalutis adipiſcendæ à parte hominis commemorat Apoſtolus; aliud *ſalus*, cujus Epheſios participes redditos eſſe idem profitetur. Taceo communiſſimam verbi σώζεσθαι in ſacris literis notionem, quam merito hoc quoque loco tenent Patres, quos *Suicerus* appellat Tom. II. Theſauri, p. 1206.

Θεῦ τὸ δῶρον] Rectiſſime veteris Eccleſiæ Doctores ex h. l. *fidem* Dei donum eſſe, pronunciant. Vide eos apud *Suicerum* Tom. II. p. 728.

Verſ. 9. καὶ τῦτο ὐκ ἐξ ὑμῶν] Codices aliquot legunt ἡμῶν, quaſi de ſe & aliis Evangelii præconibus loqueretur Apoſtolus, quorum induſtriæ & curæ ſalus & converſio Epheſiorum adſcribi non debeat. Vide *Millium* ad h. l. & in Prolegom. §. 884. qui lectionem hanc probare videtur, quemadmodum & amplectitur *Burgius* l. c. Nuperus certe editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ita probavit, ut τὸ ἡμῶν non ſolum in verſione ſua exprimeret, ſed & in contextum reciperet. Perperam id factum eſſe dubitari nequit. Neque enim ſimpliciter inficiari poterat Apoſtolus, Epheſios opera ſua ut ad fidem, ita etiam ad ſalutem perductos eſſe. Imo vero Corinthiis diſerte teſtatur, ipſos per ſe & Apollo, tanquam Dei miniſtros, ad fidem perveniſſe. Τίς ὖν, inquit, ἐςὶ Παῦλος, τίς δὲ Ἀπολλῶς, ἀλλ᾽ ἢ διάκονοι, δι᾽ ὧν ἐπιςεύσατε, 1 *Corinth.* III. 5. Præterea in hoc commate duo afferuntur momenta, quorum neutrum vult Apoſtolus, ut Epheſii ullo modo ſibi ipſis acceptum ferant. Alterum eſt *ſalus*, alterum *fides*. De fide loquitur, quando ait: καὶ τῦτο ὐκ ἐξ ὑμῶν. Θεῦ τὸ δῶρον. Ad *ſalutem* vero potiſſimum reſpicit, quando ſubjungit: ὐκ ἐξ ἔργων ὑμῶν. Fieri enim poterat, ut *Epheſii* largirentur, ſe non niſi gratia & vi divina ad *fidem* perveniſſe, ſimul vero ſibi perſuaderent, ſalutem æternam etiam ex operibus ſuis, quæ nunc per Dei gratiam præſtare poſſent, pendere. Patet itaque, utrinque Epheſiorum tantum operam excludi, nec Apoſtolum de ſe aut aliis Evangelii præconibus hic cogitaſſe. Accedit ad hæc, quod, quemadmodum hic Apoſtolus de Epheſiis, tanquam ex Gentilibus per Deum ſalvatis ſpeciatim loquitur, ita v. 10. idem ad ſe & alios credentes vel ex Judæis vel ex Gentilibus transferat, ſcribens: αὐτῦ γάρ ἐσμεν ποίημα.

Verſ. 10. Αὐτῦ γάρ ἐσμὲν ποίημα, κτισθέντες ἐν Χριςῷ Ἰησῦ] Inſpiciendi hic fuerint præter *Sebaſt. Schmidium* in Collegio Biblico poſteriori pag. 243. ſqq. *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 288. & *Chriſtoph. Reuchlinus* in Diſputat. de nova creatione, Tubing. 1702.

Non

Non audiendus eſt *Tertullianus*, quando lib. V. cap. 17. contra Marcion. *τὸ ποίημα* refert ad ſubſtantiam, *τὸ κτίζεσθαι* vero ad gratiam. Conf. *Lacerdæ* Adverſaria cap. 53. pag. 63. Utrinque enim ad *novam creationem* à Paulo reſpici, argumentum, de quo agit, credere jubet. Nihil hic intercedit diſcriminis, niſi quod per *ποίημα*, *regeneratio* ipſa, per *τὸ κτίζεσται* autem *ἔργοις ἀγαθοῖς* junctum, finis interjectus, nempe *renovatio* indicetur. *Jobius* Monachus apud *Photium* in Biblioth. Cod. CXXII. pag. 393. recte ad h. l. *ποίημα καὶ κτίσμα δηλονότι τὴν ἀνάπλασιν ἡ Ἀποστολικὴ φωνὴ καλεῖ. facturam videlicet & creaturam vocat Apoſtolus reformationem.* Adde *Theodoretum* & *Theophylactum*.

*Ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς* ] *ad opera bona.* Τὸ *ἐπὶ* enim, dativo junctum, cauſam notat, propter quam aliquid fit, quemadmodum Græci dicunt, *Ἐπὶ ἀγαθῷ, ἐπὶ κακῷ, ἐπὶ κέρδει, boni alicujus, mali, lucri cauſa.* Lege Rev. *Raphelii* Annotationes Xenophonteas ad h. l. & ad *Matth.* XXVI. 50. item Herodoteas pag. 531. ubi etiam conferri vult 1 *Theſſalon.* IV. 7. Adde Cl. *Kirchmaieri* Diſputationem de Chaldæo-Syriſmis &c. dictioni N. T. immerito adfictis pag. 10.

*ἵνα ἐν αὐτοῖς περιπατήσωμεν* ] Vide ad v. 2.

Verſ. 11. *Διὸ μνημονεύετε, ὅτι ὑμεῖς ποτε τὰ ἔθνη ἐν σαρκὶ, οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑ. τ. λ. π. ἐν σ. χ.* Verſ. 12. *ὅτι ἦτε* ] Genera nominum hic pugnare nonnullis viſa ſunt, præter rem, & præcipitato judicio. Scilicet verba: *οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία ὑπὸ τῆς λεγομένης περιτομῆς ἐν σαρκὶ χειροποιήτου,* referenda ſunt ad vocem antecedentem *ὑμεῖς*, per appoſitionem, cui proinde *οἱ λεγόμενοι* egregie reſpondent. Propterea etiam Paulus *τὸ, ὅτι* initio verſus 12. repetit per *ὅτι ἦτε*, *quod*, inquam, *vos fueritis* &c. Res rectius intelligitur, ſi ipſa illa verba *οἱ λεγόμενοι — χειροποιήτου* à ceteris parentheſeos nota diſtinguantur, judice *J. C. Schwvartzio* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis, pag. 82. qui poſtea ſimilia huic externorum Scriptorum loca affert.

Verſ. 11. & 12. more ſuo diligenter & erudite perſecutus eſt Celeb. *Jo. Henr. à Seelen* in Diſſertatione Theologica Inaugurali, quam *Ideam Ethniciſmi*, ſive commentarium Theologico-Exegetico-Politico-Moralem inſcripſit. Ille primum lucem vidit *Roſtochii* 1725. deinde vero auctior recuſus eſt in Parte I. Meditationum Exegeticarum p. 245.-371. Summam habes in Collectione Nov-antiquorum Theologicorum vernacula An. 1726. p. 632. Poſtquam in Sectione Exegetica voces ipſas ex Philologia inprimis illuſtraſſet, controverſias nonnullas decidit, v. c. utrum religio Ethnica religioni Chriſtianæ ſit æquiparanda; an Ethniciſmus ſuppeditet veram notitiam SS. Trinitatis; num detur exactiſſimus omnium Auctorum Ethnicorum cum Sacris Bibliis conſenſus; an Chriſtianiſmus patiatur Ethnicorum Scriptorum uſum; utrum Philoſophi Ethnici jure dicantur Athei; num circumciſio æque apud Ethnicos, ac apud Judæos fuerit. Denique in Sectione morali in Ethnicorum, tum virtutes

fucatas & corruptas, tum vitia, in Deum, homines & ſe ipſos probata inquiritur.

ποτὲ] per weiland convertit B. *Lutherus*, quam probam eſſe vocem Germanicam, ex vetere Teutonica *vvila*, i. e. *tempus*, natam, oſtendit B. *Stadenius*. in der Erklärung der vornehmſten Deutſchen Wörter, pag. 718. Conf. *Seelenium* l. c. pag. 262.

ἔθνη ἐν σαρκὶ] Recte hæc à plerisque conjunguntur, quæ *Theodoretus* ad h. l. minus convenienter ſeparat & τὸ, ἐν σαρκὶ ad ſequentia refert. Rectiſſime Photius in Ἐξηγήσ. παλ. p. 623. edit. Veronenſ. ita: ὑμεῖς γὰρ τὰ ἔθνη οἱ ἐν σαρκὶ, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν πνεύματι. Scilicet περιτομὴ ἐν σαρκὶ, i. e. Judæi, hic opponuntur τοῖς ἔθνεσιν ἐν σαρκὶ, & ſimul innuitur, non minus Judæos (illius ſcilicet ætatis) in carne & ſecundum carnem vixiſſe, quamvis circumciſos, quam Gentiles, non circumciſos, quemadmodum etiam ideo ἡ περιτομὴ λεγομένη dicitur, quod Judæi nomen circumciſorum potius præ ſe tulerint, quam rem, à Deo per circumciſionem intentam, vere expreſſerint.

ἀκροβυστία) Explanat vocem *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 74. oſtendens præterea, quo ſenſu *Ariſtoteles* eam ἀκροποσθίαν appellet. Præcipitavit judicium *Ed. Leighius*, quando in Critica Sacra fingit, ἀκροβυστίαν ex ἀκροποσθία corruptam eſſe. Confer Cl. *Seelenium* l. c. pag. 273.

Verſ. 12. Ὅτι ἦτε ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ χωρὶς Χριστοῦ, κ.τ.λ.) Conſule B. *Jo. Franc. Buddei* Inſtitutiones Theologiæ Theticæ p. 43. ſq.

ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ) Hac voce utitur *Joſephus* Antiquitat. XI. v. 370. ubi Esdræ edictum recitat, quo omnes, qui ex captivitate Babylonica reverſi non intra biduum aut triduum Hieroſolyma venirent, ἀπηλλοτριωθήσεσθαι τοῦ πλήθους, h. e. excommunicandi, bonisque fiſco addictis privandi dicuntur. Conf. *Jo. Bapt. Ottii* Annotationes in Joſephum, Tomo II. Operum Joſephi ex edit. Havercampiana p. 316. Abalienationem illam *Jo. Spencerus* de Legibus ritualibus Hebræorum lib. I. c. VI. p. 111. edit. Tubingenſ. ita accipit, quod gentilibus in vetere illa Judæorum politia nec honores capere, nec civium jure vel nomine donari conceſſum fuerit. Confer p. 51. Ita nec Athenis peregrini civitate donabantur, quod ex *Demoſthenis* Oratione contra Eubulidem pag. 542. obſervat Cl. *Elsnerus* p. 208. Ibi enim Euxitheus ita: οὐ γὰρ ξένην καὶ ξένων τοὺς ἐμαυτοῦ γονέας ἐπιγραψάμενος μετέχειν ἠξίουν τῆς πόλεως. *Ariſtoteles* hos homines ἀλλοτρίους τῆς πολιτείας vocavit Politic. II. 6. obſervante *Hombergio* p. 291. Parergorum.

καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας) Mirum hic viſum eſt nonnullis, cur αἱ διαθῆκαι plurium numero dicantur, cum unum tantum fuerit Teſtamentum, quod ſcilicet ad venturum Meſſiam ſpectabat. Itaque alii alias hujus rei rationes reddiderunt. *Beza* id acceptum fert promiſſioni ſæpius factæ. Alii reſpectum haberi volunt ad Teſtament. in V. T. œconomia promulgatum, tanquam *implendum*, & ad Teſtamentum in œconomia nova repetitum, tanquam

Digitized by Google

quam *impletum.* Rectiſſime illi agere mihi videntur, qui plurium numerum pro ſingulari hic adhibitum cenſent, quemadmodum Teſtamentum unum *tabularum* nomine appellari ſolet. Ita vero etiam *Demoſthenes* in Stephanum pag. 609. ἀνοίγειν τὰς διαθήκας dicit, quod paulo ante διαθήκην vocaverat. Obſervavit hoc, & ſimilia aliorum loca attulit *Elsnerus* p. 208. Hypotheſi hic ſervit *Spencerus*, quando l. c. pag. 111. tradit, Gentiles hic ξένους &c. dici, quod non tantum à Judæorum politia, ſed etiam pacto & promiſſis, quibus illa politia nixa fuerit, alieni habiti ſint, cum ſemen Abrahami illa tantum ſpectarent, & aliis gentibus non innoteſcerent.

ἐλπίδα μὴ ἔχοντες] *Hoc voluit dicere* (verba habes *Vitringa* ex lib. III. Obſervationum Sacrarum cap. XII. pag. 187.) *quod Gentiles nullo prorſus fundamento potuerint exſpectare ſalutem. Aſſertionis hujus hæ ſunt rationes: 1) quia conſcientia ipſos condemnavit ut peccatores, ac proinde ὑποδίκους τῷ Θεῷ. 2) quia conſcientia poſt peccatum nullam ipſis certam viam monſtravit, qua DEum quærere & invenire poſſent. Utrique huic rationi hac ſubſternitur baſis, quod conſcientia percipiat, DEUM decere peccatores non dimittere impunitos.*

καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ] Vox ἄθεος h. l. commodiſſime explicatur ex illo *Clementis Alexandrini* Protreptici pag. 14. ἀθέους δὲ εἰκότως ἀποκαλῶ τούτους, οἳ τὸν μὲν ὄντως ὄντα Θεὸν ἠγνοήκασι. *Atheos autem jure dico eos, qui verum DEum ignorarunt.* Similiter *Origenes* contra Celſum lib. I. p. 5. ait: ἄθεος ἡ πολυθεότης. Et *Theodoretus* Therapeut. Serm. III. ἀθέους vult vocari μὴ μόνον ἐκείνους, οἳ οὐδένα θεὸν εἶναι νομίζουσιν, ἀλλὰ καὶ τοὺς εἰς πολλὰ τὸ θεῖον μερίσαντας σέβας, καὶ τῷ δημιουργῷ τῶν ὅλων τὴν κτίσιν συντάξαντας. Confer *Suicerum* Tom. I. Theſauri pag. 110. Ipſi quoque gentiles ἄθεον laxiori ſenſu dixerunt. Teſtis ſit *Apollonius* in epiſtola XVII. ad Euphradem: σὺ δ᾽ οὐ μάγος, ἀλλ᾽ ἄθεος. Ibi Atheus videtur notare eum, qui DEum non colit: μάγον enim dixerat eſſe θεραπευτὴν τῶν θεῶν. *Impium* quoque, ſeu atheum practicum ita inſigniri à Scriptoribus, tralatitium eſt. Loca idonea leges apud *Elsnerum* pag. 209. Ex Judæorum Magiſtris addere hic liceat *Abarbanelis* verba ex Quæſt. I. in Zachariam: דר בחוצה לארץ דומה שאין לו אלוה, *qui extra terram Iſraëliticam habitat, ſimilis eſt illi, qui DEum non habet.* Lege præterea de Atheiſmi genere hic notato *Reiſerum* de Atheiſmo pag. 233. & *Amelium* Parte II. der Erörterung pag. 199. ſq.

Verſ. 13. Νυνὶ δὲ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ — ἐγγὺς ἐγενήθητε] Non video, cur hoc comma ab antecedenti illo, ſuaſore Anonymo auctore Conſilii de nova Novi Teſtamenti Græci editione rectius curanda in Actis Eruditorum Lipſienſ. A. 1729. pag. 15. ſejungi non debeat, cum prius illud ſtatum Epheſiorum priſtinum longiuſcule, ſicut poſterius præſentem eorum conditionem beatiorem exponat: quemadmodum & utrique diverſum prædicatum, priori nempe τὸ ἦτε, poſteriori ἐγενήθητε jungitur. Quod ad phraſin attinet, eadem occur-

 rit

Digitized by Google

rit in *Vaijkra rabba* Sect. XIV. fol. 157 4. Meminimus nominis Dei, שהיינו רחוקים ████ וקרבנו לו, *qui fuimus longe remoti, & appropinquavimus ad ipſum.* Hunc & ſimiles illi locos affert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. Idem recte monet, locutionem hanc ex Scriptura Sacra, & ſpeciatim *Jeſ.* LVII. 19. eſſe petitam.

ἐν τῷ αἵματι τοῦ Χριστοῦ] Reſpicitur hic ad aquam, cineribus vaccæ rufæ miſtam, quæ ſumma pollebat virtute τυπικῶς emundandi pollutos in V. T. Hæc aqua luſtralis figura erat ſanguinis Chriſti ab omni peccatorum illuvie nos emundandi. Id conſtat ex *Hebr.* IX. 13. Eadem quoque non purgabat tantum pollutos, ſed etiam ad Deum reducebat peccatores ab eo alioquin remotos. Ita *Abarbanel* ad *Levit.* XIX. ait: *Scopum vaccæ eum fuiſſe, ut reduceret ſeparatos à caſtris divinæ præſentiæ, ut eo iterum appropinquarent.* Hoc idem præſtat CHRISTI *ſanguis*, homines longius à Deo rejectos ad thronum ejus reducens, & cum eo uniens. Ita ſcite commentatur Celeb. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus ſacris Parte III. Obſerv. IX. §. 4. pag. 72. Ex his partim ſuppleri, partim emendari poſſunt, quæ *Spencerus* loc. cit. pag. 111. affert.

Comma hoc integrum una cum tribus ſequentibus 14. 15. & 16. copioſe explicat *Jo. à Outrein* in *Bibelſche Keurſtoffen* pag. 283.–322.

Verſ. 14. Αὐτὸς γάρ ἐστιν ἡ εἰρήνη ἡμῶν, κ. τ. λ.] Vide hue *Amelii* Erörterung Parte II. pag. 278. ſeqq. & Bibliothecam Bremenſem Claſſ. III. pag 199. ſeq. & 246. ſeq. tum Claſſe V. pag. 537. item Celeb. *Val. Ern. Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte IV. pag. 326.

ἡ εἰρήνη ἡμῶν] i. e. *pacis auctor* & inſtaurator שילה, vel etiam *ſacrificium pacificum;* quæ poſterior ſententia eſt B. *Gothofredi Olearii* in Prælectionibus MSS. ut ſcilicet reſpectus habeatur ad αἷμα proxime ante commemoratum. *Lockius* τὸ ἡμῶν referri vult ad converſos *gentiles,* ad quos τὸ, ὑμεῖς v. 13. omnino pertineat. Rectius vero hic intellexeris converſos ex Judæis & Gentilibus. Id patet ex v. 15. ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον. Paulus hic eadem ratione agit, qua uſus eſt verſ. 10. ubi ea, quæ ante de converſis ex Gentilibus ſpeciatim dixerat, ad totum credentium cœtum, ex Judæis & Gentilibus coactum, applicat. Similiter enim hoc commate pacem omnibus credentibus ait eſſe partam, qua Epheſios, olim Gentiles, per Chriſtum frui v. 13. pronunciaverat.

ὁ ποιήσας τὰ ἀμφότερα ἕν] Phraſi huic ſimilis eſt *Herodotea* lib. VII. pag. 490. *ὅκως ἕν τι γένοιτο Ἑλληνικόν, ut, ſi fieri poſſet, omnis vis Græca unum eſſet.* Rem ipſam breviter ediſſerit B. *Feſſ.lius* in Adverſariis Sacris Tom. II. pag. 549. ſqq. Adde *Dionyſii Petavii* Dogmata Theologica Tom. V. ubi de Incarnat. lib. XII. cap. II. §. 7. & cap. VI. §. 1.

Καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας] Τὸ, λύσας proprie dicitur de intergerino pariete, μεταφορικῶς de inimicitia. Ita vero & *Herodotus* lib. VII. pag. 490. *καταλυσάμενοι τὰς ἔχθρας, in gratiam inter ſe redeuntes.* Habet

hæc

hæc Rev. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis p. 531. Τὸ *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, intergerini parietis ſeptum,* ut *Beza* & *Eraſmus Schmidius* vertunt, infert. Idem eſt, ac ſi ſcriptum ſit *μεσότοιχον διαφράσσον, paries intergerinus ſeparans,* quod recte hic obſervavit *van Till* pag. 208. Eo vero indicatur *lex ceremonialis,* ſeu *νόμος τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι*, ut v. 15. explicatur: *Quo Judæi non ſolum à Gentilibus dirimebantur, ſed & ipſimet à familiari Dei acceſſu quodammodo ſemovebantur*, quæ Rev. *Deylingii* verba ſunt in Diſſertat. de Chirographi & Principum legalium abolitione §. 16. *Vox μεσότοιχον*, ita idem pergit pag. 25. *apud Græcos Scriptores vix invenitur, qui de parietibus adium intergerinis vocem μεσαύλιον uſurpant. Vi ſuæ compoſitionis notat murum medium loca dividentem, & ſeparando arcentem. Huc nos ducit ſignificatio φραγμοῦ, quod pro lorica, pinnis inſtructa, ad muniendam urbem & caſtra à Scriptoribus Græcis ſæpe uſurpatur.* Proxime quæritur, quo tandem ex veteri œconomia hac phraſi alluſerit Apoſtolus. Plerorumque Interpretum cogitata *Herm. Witſii* verbis exponam, quæ lego in Ægyptiacis ejus lib. III. cap. XIV. §. 15. *Quum* ſeptum parietis intergerini *dicit, alludere videtur ad duplex* Templi ſeptum: *quorum* exterius, *intra quod Judæi, qui mundi erant, religionis cauſa conveniebant, loricam habebat, in qua paribus intervallis diſpoſitæ erant columellæ, Græcis ac Latinis literis inſcriptæ, quibus ſignificabatur, nemini alienigenæ licere ſub capitis pœna loricam iſtam ingredi, & irrumpere in interius ſeptum. Pariter in interiori ſepto alia fuit iſti ſimilis lorica, qua populus à Templi ingreſſu & atrio Sacerdotum arcebatur. Quod ex Joſepho obſervavit & ſcite huic Apoſtoli dicto applicuit* Ludovicus Cappellus. *Cum utrcque illo ſepto, ſive lorica, comparari poſſunt cærimoniæ: quæ Gentiles à Judæis ſubmovebant, quo nomine ſimiles erant prioris ſepti loricæ; & Judæos ipſos quodammodo à Deo & familiari ad ipſum acceſſu.* Hæc *Witſius*, qui in eandem ſententiam diſſerit in Oeconomia Fœderum lib. IV. cap. 13. *Ludovici Cappelli*, ad quem *Witſius* provocat, verba leguntur in ejus Spicilegio Notarum ad Novum Teſtamentum pag. 109. ſqq. Alios ita ſentientes recitat *Amelius*, ipſe illis ὁμόψηφος, l. c. pag. 279. Illis adde *Doutreinium* l. c. pag. 295. ſq. & *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 20.

Enimvero non tam ad Templum Hieroſolymitanum ejusque duplex atrium, quam ad duo oppida ſibi alioquin arctiſſime juncta, muro tamen ſeparata, vel diviſa, ita ut duo oppida omnino ſint, quorum cives nihil inter ſe commune quoad poſſeſſiones, jura & privilegia habeant, cum muro, tanquam lorica, à ſe invicem ſubmoti ſint, Paulus reſpicere hac phraſi viſus eſt *Jac. Gronovio.* Sententiam ejus commemoravit *Jacob Nyloe* in *Schriftuurlike Aanmerckingen* p.73. plenius autem Rev. *Herman van de Wall* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 199. ſqq. ipſe non diſſentiens. *Gronovius* illi non exiguam ſpeciem ex eo conciliat, quod Paulus gentiles, tanquam *ἀπηλλοτριωμένους τῆς πολιτείας τοῦ* Ισραὴλ primum, deinde vero, muro ſcilicet diruto, ut *συμπολίτας τῶν ἁγίων, Sanctorum concives*, repræſentat. Idem rem eandem il-

 luſtrat

luſtrat ex *Livio* lib. XXXIV. cap. 9. ubi ita: *Emporiæ duo oppida erant, muro diviſa. Unum Græci habebant: alterum Hiſpani: tertium genus Romani Coloni ab Divo Cæſare poſt devictos Pompeji liberos abjecti. Nunc in corpus unum confuſi omnes, Hiſpanis prius, poſtremo & Græcis in civitatem Romanam adſcitis* &c. Sic *Gronovius* ait duo orbis terrarum oppida fuiſſe, lege Moſaica, tanquam muro, diviſa: unum habuiſſe Gentiles, alterum Judæos: his Chriſtianos, tertium genus, à Chriſto eſſe adjectos, qui poſtea omnes in unum corpus coaluerint. Illuſtrari hæc poſſe video ex *Benjaminis Tudelenſis* Itinerario p. 44. Hic enim teſtatur, *Rabbanitas* & *Karæos*, quos & placitis & animis à ſe invicem alieniſſimos eſſe conſtat, CPoli ita ſua ætate habitaſſe, ut duo millia Rabbanitarum ab uno, quingenti vero Karæi ab altero latere, muro intergerino ſejuncti habitarent: ובינהים ובין הרבנים שהם תלמידי חכמים מחיצה: i. e. *inter eos & Rabbanitas, qui ſunt diſcipuli Sapientum, eſt maceria, faciens ſeparationem.* Conſtat præterea, noſtra quoque ætate Judæos Francofurti ad Mœnum ita ab incolis Chriſtianis eſſe diſtinctos, ut vicum ſibi proprium, portisque munitum habitent. Idem *Venetiis* uſu receptum eſſe, fando accepi. Ex hoc more locum noſtrum illuſtrandum quoque cenſet Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis, variis exemplis oſtendens, Judæos lubentiſſime ſic verſari ſemper voluiſſe, ut vel muro, vel ponte, vel alio quocunque modo ab aliarum religionum aſſeclis ſint diviſi. Quicquid hujus erit, malim equidem in priori ſententia acquieſcere, cum S. Paulus in ceteris hujus orationis verbis ad aliquot antiquitatum Judaicarum monumenta alludat, & conditio templi Hieroſolymitani tum Judæis, tum Epheſiis, ex Gentilibus jam converſis, exploratior fuerit, quam iſta *emporiarum*, aut aliorum locorum. Taceo, cum ratione credi poſſe, diviſam ejusmodi Judæorum habitationem Magiſtratuum potius juſſibus & voluntati, quam ipſorum arbitrio deberi. Hodie quidem illi, quod vel Hamburgum noſtrum docet, adeo non averſantur habitare inter medios Chriſtianos, ut omni potius ſtudio id quærant, imo iisdem ædibus jungantur, quod quidem permitti non debebat.

Alterutra harum ſententiarum præferenda omnino eſt illi B. *Wagenſeilii* ad Sota c. IX. §. 14. p. 1080. Cum enim ibi legeret hanc phraſin: אף אין הפרגוד ננעל לפניו, i. e. *etiam coram tali velum non obduci*; obſervat, per הפרגוד, de quo *Buxtorfius* in Lexico Talmudico p. 1797. plura, tum h. l. tum alias in Talmude idem indicari, quod h. l. per *μεσότοιχον τȣ̃ φραγμȣ̃* indicetur. *Elegans*, ita pergit, *eſt translatio, cum quædam quaſi cortina inter Deum hominesque alios, ſtatis temporibus obduci fingitur, à Regibus & Sponſis deſumta.* Notat enim הפרגוד, exponente Auctore τȣ̃ *Aruch*, f. 124. col. 4. proprie *velum, quod eſt ante ſponſarum thalamum, vel Regum januas.* Velum ejusmodi ad præſens negotium minus bene accommodari poſſe videtur, quod recte monuit Cl. *Schœtgenius* loc. cit.

Addam

Addam his *Theodori Janſſonii ab Almeloveen* conjecturam, in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 246. ſq. proditam. Is μεσότοιχον non duarum diſtinctarum domorum, cum *Jo. d' Outrein* loc. cit. pag. 294. ſed ſeparatorum quaſi cubiculorum vel conclavium parietem intergerinum interpretatus, reſpici putat velum, diſtinguens ſanctum à ſancto ſanctorum; in quo typi & myſteria Chriſti fuerint, quod ſepimentum tempore mortis Chriſti dilaceratum ſit, non alio modo, quam caro ejus ab efferis militibus fuit diſcerpta.

*Spencerus* hoc quoque loco ad hypotheſin ſatis notam palliandam abuſus eſt lib. II. cap. III. Sect. 2. de Legibus Hebr. ritualibus, pag. 290. edit. Tubingenſis, caſtigatus ideo à *Witſio* in Ægyptiacis pag. 289. & à *Petro Dinant* in Commentario Belgico ad h. l.

Cetera, quæ huc pertinent, perſecutus eſt *Jo. Chriſtian. Dares* in Diſputatione ſingulari *de pariete intergerino per Chriſtum deſtructo*, quæ, Franequeræ primum præſide *Jo. van der Wayen* habita, in Theſauro novo Diſputationum Vol. II. pag. 918. – 935. recuſa exſtat.

Verſ. 15. Τὴν ἔχθραν] *inimicitiam*, i. e. cauſam inimicitiæ, ſicut antea Chriſtus *pax noſtra*, i. e. auctor pacis noſtræ vocabatur. Lex itaque cerimonialis, quæ per μεσότοιχον indicatur, origo hic dicitur diſſenſionis & odii, quod inter Judæos & Gentiles intercedebat. Hujus odii exempla affert *Amelius* Parte II. pag. 279. qui tamen minus, ut puto, recte odium hoc ſpeciatim refert ad invidiam, qua Judæi Gentiles ob eorum converſionem proſequebantur. Nihil referet, ſive τὴν ἔχθραν ad antecedens λύσας cum nonnullis, ſive ad ſequens καταργήσας cum B. *Luthero* referas. Si prius; μεσότοιχον τῦ φραγμῦ: ſi poſterius; τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν reſpicit ἡ ἔχθρα.

ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῦ] *in carne ſua*, i. e. per corpus morti traditum, ſanguinemque effuſum, ἐν τῷ αἵματι, de quo v. 13. Mireris merito, *Chriſtianum Fendium* in nova ſua Verſione Germanica hujus Epiſtolæ, notis illuſtrata, p. 32. inimicitiam hanc ad *ipſius Chriſti carnem* referre, atque ex *Rom.* VIII. 7. τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν interpretari hanc phraſin potuiſſe. Lege eum, magno conatu nihil agentem, & dignitatem humanæ Chriſti naturæ deprimentem, p. 32. ſqq. Adde Collectionem Nov-antiquorum Theologic. vernaculam An. 1731. pag. 50. ſq. Error procul dubio ex eo natus eſt, quod phraſin, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῦ, quæ vel ad λύσας, vel ad καταργήσας, quod ad ſenſum, pertinet, ἀμέσως ad ἔχθραν retulerit. Confer *Hombergii* Parerga p. 291. Germanus verborum ſenſus intelligitur ex illis Pauli ad *Coloſſ.* I. 22. Νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτῦ διὰ τῦ θανάτυ, παραστῆσαι ὑμᾶς ἁγίυς καὶ ἀμώμυς καὶ ἀνεγκλήτυς κατενώπιον αὐτῦ. Quod Paulus hic, de Chriſto loquens, ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῦ dicit, id Coloſſenſibus per: ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτῦ repræſentat, addita mentione *mortis*, per quam ſe ipſum in ſacrificium obtulit. Subtilior hic fuit B. *Gothofredus Olearius*, quando in Prælectionibus ſuis MSS. φράσιν hanc ex diſciplina ſacrorum Gentilium expli-

explicare inſtituit, qui ſcilicet, pace coaleſcentes, communiter comedebant ex carnibus ſacrificiorum, unde cœna pacifica appellabatur. Hanc itaque Pauli putat eſſe ſententiam: Nos omnes ſpiritualiter manducamus carnem JEſu Chriſti fide, Judæi & Gentiles, Chriſtum amplexi, communi Sacra Cœna utimur: atque ſic inimicitia tollitur per carnem Chriſti. Conferri eam in rem ὁ μακαρίτης vult diſſertationem ſuam de κοινωνία cum Chriſto & dæmonibus. Tota ſermonis Paulini ſeries evincit, Apoſtolum hic in eo eſſe, ut oſtendat, qua ratione per Chriſtum lex cerimonialis, tanquam cauſa diſſenſionis, inter Judæos & Gentiles ſit ſublata, non autem id agere, ut appareat, ex quo intelligatur, quod diſſenſio illa, inimicitia & ſimultas ſit ſublata. Nolim denique phraſin ἐν τῇ σαρκὶ accipere *de gente Judaica*, cum *Burgio* l. c. ideo, quod lex cerimonialis cauſa fuerit odii Vatiniani apud Judæos & Gentiles. Quamvis enim σὰρξ Judæos notet *Rom.* XI. 14. hic tamen ad eosdem referri non poteſt, quando Paulus *medium* commemorat, per quod λύσις τῆς ἔχθρας in commune Judæorum & Gentium commodum facta ſit. Hanc Pauli mentem eſſe patet ex parallelo *Coloſſ.* I. 22. loco, modo adducto, ubi ἀποκαταλλάξιν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, i. e. ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ factam eſſe pronunciat.

Τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι] *Legem mandatorum in decretis* ſitam, recte convertit *Eraſmus Schmidius*, quemadmodum *Vulgatus* & *Eraſmus* τὸ, ἐν δόγμασι, *in decretis* reddunt. *Beza* mavult: *in ritibus*, contra quem *Vulgatum* tuetur *Jac. Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 355. Scilicet *ritus* V. T. omnino erant *leges* à Supremo Numine latæ; itaque erant & δόγματα Dei, h. e. *leges* ejus & *decreta*, unde & à Judæis nomine תורה vocantur. Recte igitur *leges* illas ſeu δόγματα, *decreta* reddit Vulgatus, cum leges, quas JCti Græci vocant δόγματα, Latini per *decreta* efferant. Conf. ejusdem Bibliothec. Claſſ. I. Faſcic. III. Sect. IV. §. 10. Apoſtolus cumulat hic voces, idem fere ſignificantes, ex more Scriptorum antiqui fœderis. Ita *Nehemias* IX. 14. commemorat: מצות וחוקים ותורה, quæ Interpretes Græci per ἐντολὰς καὶ προςάγματα καὶ νόμον convertunt. Hic תורה Græco νόμ☉, מצוות, ταῖς ἐντολαῖς, חוקים, τοῖς δόγμασι, reſpondent. Taceo loca plurima, ubi חוקים & מצות, i. e. ἐντολαὶ & δόγματα conjunguntur, v. c. *Deuteronom.* V. 31. VI. 1. *Jerem.* XXXII. 11. quemadmodum idem fit de תורה והחוקים, 2. *Chronic.* XXXIII. 8. Nullam, fateor, harum vocum οἱ LXX unquam per δόγμα vel δόγματα expreſſerunt. Paulus vero hac etiam alibi in eodem argumento utitur *Coloſſ.* II. 15. idemque diverſas has voces de una *lege cerimoniali* adhibuiſſe videtur, ut copiam earum & varietatem ſignificaret. Novi quidem, nonnullos eruditorum τὰς ἐντολὰς à δόγμασι ita hic diſtinguere, ut inſtituta illa cerimonialia primario dici exiſtiment ἐντολὰς ideo, quod *agenda* præcipiant, *omittenda* vetent, δόγματα autem, quod ex mero legiſlatoris *beneplacito* pependerint, atque adeo abrogari potuerint. Quæ cauſa eſt, cur τὰ δόγματα per *placita* interpretari malint, & ad hunc vo-

cis

cis ſignificatum probandum locis *Luc* II. 1. *Actor.* XVII 7. & XVI. 4 utantur. Lege *Jo. Doutreinium* loc. cit. pag. 298. & *Salom. van Till* ad h. l. pag. 208. Sed ſubtilius hæc mihi cogitari, nec uſui vocis δόγμα apud Græcos, de quo modo diximus, reſpondere videntur. Placent, quæ *Hombergius* pag. 291. ſq. hic commentatus eſt. *Verba*, inquit, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, *putamus, junctim explicare* τὴν ἔχθραν, *qualis & unde illa fuerit: maxime enim familiare eſt Apoſtolo, quod forte nunquam ſatis obſervatum, ut pluribus verbis, phraſibus, imò & integris periodis utatur ad eandem rem exprimendam, ordine in illis nullo obſervato: —— Vt adeo* νόμ☉ ἐντολῶν *idem ſit, quod* νόμ☉ ἐν δόγμασι, *& alienum ſit, ſi quis cum* Beza *velit* τὸ δόγμασι *vertere* ritibus. Vt breviter dicam; phraſis, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, idem ſibi vult, ac ſi Apoſtolus ſcripſiſſet, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν δογματικόν. Patrum de notione vocis δόγματα h. l. ſententias leges apud *Suicerum* Tom. I. pag. 932.

Ex his eadem opera intelligitur, *Grotium* præter rem voces ἐν δόγμασι ab antecedentibus τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ſeparaſſe, & ad verbum καταργήσας retuliſſe, eo ſenſu, quod Chriſtus per *dogmata ſua* inſtituta illa cerimonialia irrita reddiderit. Sermo ſane hic non eſt de doctrina Evangelica, de qua paulo poſt, ſed de *cruce* Chriſti, tanquam inſtrumento abrogationis ſuſceptæ & perfectæ. Confer, quæ contra *Grotium*, ad *Syrum*, *Cryſoſtomum*, *Oecumenium* & *Theophylactum*, hic fruſtra provocantem, diſputavit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis. De ſacrificio Chriſti in cruce, per quod univerſæ Legis Moſaicæ cerimoniæ ſint ſublatæ, ſermonem hic eſſe recte monuit *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 452.

καταργήσας] reſpondet voci λύσας, qua tamen efficacior nonnullis videtur, nominatim *Doutreinio* loc. cit. pag. 301. & *Almeloveenio* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 248. Huic enim Chriſtus pro tempore *ſolviſſe* ac *dimiſiſſe* ſepimentum, carnis nempe dilaceratione, *Hebr.* X. 20. videtur, ut per hiatum vel tempore ſublati veli, vel remoti ſepimenti, electi introirent, *cerimonias* autem plane ſuſtuliſſe, ita, ut nihil earum ſuperſit, cum tamen è contrario corpus ejus legatur glorificatum, quod conſciſſum & diſcerptum à ſe ſepimentum adſpicientes Judæi & Gentiles ſummis celebrare laudibus debeant. Ingenioſius hæc mihi quam verius cogitari videntur. Quod enim Paulus metaphorice dixerat, λῦσαι τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, id clarius deinde exprimit per τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργῆσαι. Vtrinque itaque idem dici neceſſe eſt, quamvis ex utraque phraſi conjuncta efficacia dictioni naſcatur.

ἵνα τοὺς δύο κτίσῃ ἐν ἑαυτῷ εἰς ἕνα καινὸν ἄνθρωπον] Lege huc *Feſſelium* in Adverſariis Sacris, Tom. II. pag. 550. *Vnum*, inquit, *novum hominem vocat, i. e. unum cœtum Eccleſiaſticum, ex Gentilibus pariter & Judæis collectum, qui tam arcto charitatis vinculo invicem ſunt connexi, ut non magis à ſe invicem diſſidere poſſint. Vocat autem* Novum: *nam qui in Chriſtum cre-*

*dunt, eidemque per fidem inſeruntur, nihil omnino retinere debent de contagio veteris Adami, ſed nova in Chriſto creatura per Spiritum Sanctum efficiuntur, & in fide ac charitate indies magis magisque proficiunt: unde etiam voce* τῆς κτίσεως *hic utitur, non quod novam creet ſubſtantiam, ſed, quod creatam & corruptam lapſu Protoplaſtorum in melius reſtituat.*

ποιῶν εἰρήνην] Ita Judæorum Magiſtri Moſen ajunt pacem inter Deum & Iſraëlitas feciſſe. Vide *Targum* Cantic. I. 5. & *Jalkut Rubeni* fol. 107. 4. Loca habes apud *Schœtgenium* l. c. p. 767.

Verſ. 16. *Καὶ ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ Θεῷ] Hic dativus* Θεῷ *non poteſt regi, niſi à verbo* ἀποκαταλλάξῃ (reconciliet.) *Socini autem interpretatio, ut DEO hic per ſe ſubſiſtat, aut reconciliare DEO, ſit, reconciliare ipſos inter ſe, ut DEO ſerviant, diſtorta eſt, dura & ſine exemplo. Neque valet argumentum inde ductum, quod eo loco Paulus proprie agat de pace, facta inter Judæos & Gentes: neque enim ſequitur ab hoc argumento alienam eſſe mentionem pacis, quæ utrique cum DEO comparata eſt. Duo enim diverſa, quæ junguntur, ita junguntur inter ſe, ut prius ac potius jungantur ipſi vinculo: neque enim junguntur inter ſe, niſi per & propter vinculum. Amici ergo facti inter ſe Gentes & Judæi per amicitiam cum DEO.* Ita recte contra Socinum diſputat *Grotius* in Defenſione Fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti, Tomo III. Operum Theologic. pag. 325. qui tamen ſecum ipſe pugnare videtur, quando in notis ad h. l. ait: *τῷ Θεῷ breviter dictum, pro, ut DEO ſerviant.*

ἐν ἑνὶ σώματι] Dupliciter hæc accipi poſſunt. Vel enim idem ſignificabunt, quod alias dixeris: *εἰς ἓν σῶμα, in unum corpus,* ſcilicet myſticum & ſpirituale, quod eſt Eccleſia, ex utroque populo, Judaico & Gentili, collecta. Hæc eſt ſententia B. *Feſſelii* l. c. & antea *Grotii*, aliorumque, quos ſequitur *Almeloveenius* loc. cit. pag. 249. monens præterea, *ſocietatem* vel *collegium* in antiquis Inſcriptionibus, à *Grutero* & *Reineſio* collectis, *corpus* vocari ſolere, quando v. c. *corpora fabrorum* commemorantur. Vel potius *proprium Chriſti corpus* innuunt, quod *unum* vocatur reſpectu duarum gentium, quæ per *unum* corpus Chriſti cum DEO ſint conciliatæ. Hanc ſententiam altera potiorem ducet, qui *Coloſſ.* I. v. 22. 23. noſtro parallelum comparaverit.

ἀποκτείνας τὴν ἔχθραν] Simili locutione in *Peſikta* (v. Jalkut Schimoni Parte I. fol. 214. 1. ad Numer. VII. 1.) ajunt, erecto à Moſe tabernaculo *inimicitiam ceſſaſſe in mundo.* Vide *Schœtgenium* l. c. p. 768.

ἐν αὐτῷ] Nonnulli Codices legunt ἐν αὑτῷ, quod etiam *Vulgatus* expreſſit: *in ſemet ipſo. Hieronymus* vero comment. in h. l. improbato vetere illo Interprete, mavult vertere *in ea*: quo ipſo τὸ, ἐν αὐτῷ ad antecedens σταυρῷ, *cruce,* refert. Atque id malim. Ad *crucem* enim Chriſti, ſanguinemque ejus in ea effuſum Paulus conciliationem illam ſpeciatim refert, *Coloſſ.* I. 20. Cumque illa crux proxime ante hic commemoretur, ad eam Paulum reſpexiſſe

ſe non dubito. Compara *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam Verſionum N. T. pag. 44. & 476.

Verſ. 17. *Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο*] Niſi *τὸ ἐλθὼν* de adventu Chriſti in carnem atque adeo mundum interpretari velimus, quo ſenſu *τὸ ἔρχεσθαι* de Chriſto, qui etiam *ὁ ἐρχόμενος* dicitur adhiberi ſolet; dici poſſit, eleganter, & quidem ex veterum Scriptorum uſu, h. l. redundare. Sic *Arrian.* Epictet. pag. 85. *ἂν οὖν ἐλθὼν Ἐπίκουρος εἴπῃ, ὅτι ἐν σαρκὶ εἶναι δεῖ τὸ ἀγαθόν.* *Cum ergo Epicurus dixerit, in corpore eſſe oportere bonum.* Alia ejusmodi loca attulit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 538. Verba ipſa reſpiciunt vaticinium *Jeſaiæ* LIX. 19. judice poſt *Grotium*, *Jo. Crojo* in Obſervationibus Sacris pag. 177. Ceterum Chriſtum ipſum conciliationem cum Deo annunciaſſe & Gentilibus & Judæis recte jam olim tradidit *Anſelmus*, allatis locis *Matth.* VIII. 11. XXI. 43. XXIV. 14. XXVIII. 19. *Joh.* X. 16. Adde *Joh.* XII. 20, 21, 23, 32. & *Marc.* VII. 27. Compara *Artemonii* (Sam. Crellii) Initium Evangelii S. Johannis reſtitutum p. 460.

*εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγὺς*] Codices nonnulli ante, *τοῖς ἐγγὺς* repetunt *εἰρήνην*, quo nihil opus eſt. Paulinis verbis reſpondent hæc *τῶν* LXX. ex Jeſaiæ loc. cit. *Εἰρήνην ἐπ' εἰρήνῃ τοῖς μακρὰν καὶ τοῖς ἐγγὺς οὖσι.*

Verſ. 18. *Ὅτι δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν*] Eandem fere *προσαγωγὴν* hic eſſe, quæ *ἐπισυναγωγὴ* *Hebr.* X. 25. dicatur, exiſtimat *Hombergius* pag. 293. Aliter autem ſtatuendum puto. *Προσαγωγὴ* enim ſignificat aditum ad Deum, qui apertus nobis eſt per Chriſtum. Confer *Rom.* V. 2. & hic infra III. 12. Hebræi vero l. c. de aggregatione ſui mutua non negligenda admonentur, qua de re ſuo loco dicemus.

*ἐν ἑνὶ Πνεύματι*] Vid. infra ad v. 22.

Verſ. 19. *Ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι*] Hos *Cicero* lib. I. Officiorum *peregrinos* & *incolas* vocat, judice *Lacerda* Adverſariorum pag. 221. qui præterea obſervat, *advenas* Græce dici *ἐποίκους*, *convenas* autem *συνοίκους*. *Jo. Schulzius* in Florum Sparſione ad loca quædam controverſa pag. 189. monet, *προστάτας* Athenis fuiſſe inquilinorum præſides, quibus uſi ſint *ξένοι καὶ πάροικοι*, teſte *Harpocratione*, Paulumque h. l. eo alludere, quando Græcos non amplius eſſe *παροίκους* pronunciet. Ex Judæorum tamen ritibus phraſin hanc repetere mavult *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra, & *Whitbius* ad h. l. qui poſterior ſpeciatim monet, ipſos quoque Proſelytos peregrinorum nomine, i. e. נכריים vel גוים appellatos fuiſſe. Confer *Amelium* Parte II. der Erörterung pag. 271. ſq. Longius divertit Anonymus Anglus in Annotationibus ad h. l. à *Rhenferdio* recuſis, quando ſimilitudinem hanc ab urbe Hieroſolyma, regiaque ac Templo Salomonis putat arceſſitam. Quo nomine hic Eccleſia Chriſtiana cum Republica comparetur, oſtendit *Amelius* loc. cit. Parte I. pag. 256.

*συμπολῖται*] Vocem barbaram hic videre ſibi viſus eſt ***Pollux*** lib. III. §. 51. & ***Thomas Magiſter*** de Vocibus Atticis pag. 42. *Δημότης Αττικοὶ, ἄνευ τῆς σύν —— ὡσαύτως καὶ πολίτης.* Contra hunc lege ***Lamb. Bos*** in Notis pag. 14. qui ex ***Æliano*** V. H. III. 24. eam vindicat. Eadem opera perfuncti ſunt ***Grævius*** ad Luciani Scholiaſten pag. 738. & ***Elsnerus*** ad h. l. pag. 209. ex noſtratibus vero ***Stolbergius*** de Solœciſmis Novi Teſtamenti pag 85. ***Rechenbergius*** in Exercitationibus Novi Teſtamenti pag. 7 & Rev. ***Raphelius*** in Annotationibus Polybianis pag. 539. Hic poſtremus aliquot ***Xenophontis***, ***Iſocratis*** & ***Polybii*** inprimis locis oſtendit, Scriptores hos verbis *συμπολιτεύειν*, *συμπολιτεύεσθαι* & *συμπολιτεία* uſos eſſe, argumento non dubio, *συμπολίτην* iisdem uſu ſuiſſe receptum.

Verſ. 20. *Ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Αποςόλων καὶ Προφητῶν, κ. τ. λ.*] Comma hoc una cum duobus ſequentibus illuſtrarunt ex noſtratibus D. ***Chriſtian. Langius*** in Conciliatione duorum dictorum Apoſtolicorum, nempe hujus, & 1 ***Timoth.*** III. 15. Lipſiæ 1635. 4. ***Georg. Frider. Meinhardus*** de Fabrica templi myſtici, ***Nicolaus Müllerus*** in Diſputatione ſingulari, Tubingæ 1696. ***Bernh. Wagnerus*** in Diſputatione de Eccleſia, Argentorati 1709. M. ***Henr. Conradi*** in Fabrica ſalutis & templorum ſpiritualium, Lipſiæ 1659 itemque ***Auguſt. Herm. Franckius*** in Annotationibus vernaculis pag. 81. ſqq. ex Anglis ***Gatakerus*** in Cinno pag. 401. ſq. ex Reformatis ***Jo. Marckius*** in Exercitationibus Biblicis num. XLIII. & noviſſime ***Franciſc. Fabricius*** in Diſputationibus de Chriſto unico & perpetuo fundamento Eccleſiæ, Lugd. Batav. 1717. 4. Inſpicere quoque juverit ***Jo. Launoji*** Epiſtolas pag. 264. 421. 422. & 777. edit. Cantabrigienſis. *Θεμέλιον Προφητῶν* Hebraice dixeris יסוד נביאים, quæ phraſis eſt in ***Succa*** fol. 44. 1. ubi dicitur: ***Uſum ſalicis in feſto tabernaculorum eſſe fundamentum Prophetarum.*** Vide ***Schœtgenium*** l. c. pag. 768.

*ὄντος ἀκρογωνιαίου*] Vide ***Dieterici*** Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti pag. 72. & ***Suiceri*** Theſaurum Tom. II. pag. 242. Codices nonnulli hic addunt *λίθου*, quos ***Eraſmus Schmidius*** in ſua editione ſequitur.

*αὐτοῦ Ιησοῦ Χριςοῦ*] Τὸ, *αὐτοῦ* referri poteſt vel ad *θεμέλιον*, eique ſuperſtructum ædificium, vel ad ***Chriſtum***, ut Chriſtus *ipſe* lapis angularis dicatur. Poſterius hoc mavult ***Eraſmus Schmidius***, & urget ***Franckius*** l. c.

Verſ. 21. *Αὔξει εἰς ναὸν ἅγιον*] Eadem phraſis infra IV. 15. & ***Coloſſ.*** I. 10. Similiter ***Herodotus*** lib. I p. 24. *τὸ Ελληνικὸν αὔξεται εἰς πλῆθος.* Conf. Rev. ***Raphelii*** Annotationes Herodoteas p. 532.

*ἐν Κυρίῳ*] Per dativum, ***Domino***, hoc ſimpliciter exprimi vult B. ***Gothofredus Olearius*** in Prælectionibus MSS. Quemadmodum vero commate ſequente *ἐν Πνεύματι* omnino idem eſt quod ***per Spiritum***, h. e. ex operationibus Spiritus Sancti, ita non dubium eſt, *ἐν Κυρίῳ* hic idem eſſe, quod ***per Dominum*** i. e. Chriſtum, cum quo fideles ſunt uniti, ejusque virtutis & potentiæ participes.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 22. Ἐις κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν Πνεύματι] Per Πνεῦμα hic recte intelligitur Spiritus Sanctus, à quo inhabitante fideles templum Dei dicuntur, 1. *Corinth.* III. 16. & VI. 19. Itaque nihil agit *Hombergius*, cum p. 293. τὸ, *ἐν πνεύματι* verti vult per *ſpirituale.* Nec rectius idem ſupra v. 18. τὸ, *ἐν ἑνὶ Πνεύματι* non de Spiritu Sancto, ſed de junctis Judæorum & Gentilium animis accipi vult. Hunc ſcilicet Apoſtoli ſcopum ibi eſſe ait, ut oſtendat, Gentes & Judæos unum eſſe factos & unitos, non ſolum quoad corpus, de quo v. 16. ſed & quoad animum, ſeu ſpiritum. Fallitur autem vir doctus, quando *τὸ, ἐν ἑνὶ σώματι de uno* fidelium *corpore* explicat, quod de Chriſto interpretandum eſſe oſtendimus. Recte B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis in verſ. 18. egregium teſtimonium de myſterio SS. Trinitatis quæſivit hic & invenit.

# CAPUT III.

VErſ. 1. Τούτου χάριν ἐγὼ Παῦλος ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ Ιησοῦ ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν] Duo hic ſunt ſententiarum divortia, in quæ Interpretes diſcedunt. Cum enim hæc oratio pendeat, & verbo deſtituatur, alii illud ſtatim ſupplendum cenſent, per γράφω, *ſcribo*, πρεσβεύω, *legatione fungor*, κεκαύχημαι, *glorior*, quæ poſteriora duo verba quidam Codices exhibent, vel etiam, quod plerique eorum faciunt, εἰμὶ, *ſum.* Hoc εἰμὶ, placet inprimis *Eraſmo*, *Bucero*, *Bullingero*, *Muſculo*, *Bezæ*, *Hyperio*, & *Crocio*, ex noſtratibus autem, ut ceteros taceam, *Calovio* in Bibliis Illuſtratis. Hoc interprete hic Pauli ſenſus fuerit: *Hujus rei cauſa, quod vos ſuperſtruamini cum aliis gentibus meo miniſterio ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ego Paulus vinctus ſum Jeſu Chriſti. Ferre non poteſt id Diabolus, nec organa ejus Judæi, Chriſticidæ, gentium hoſtes. Vinctus autem ſum, non tam propter vos, ſed etiam veſtro bono.* Ex veteribus idem ſentiunt *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Anshelmus*, & *Haymo*, *Camerarius* quoque, in parentheſin admittendam alioquin pronior, non prohibet, quo minus intelligendo perficiatur ſententia, quaſi hoc dicatur: *Ob hæc, ego Paulus ille ſum, qui teneor vinctus propter vos gentes: Vel hac de cauſa ego, ille vinctus Paulus, propter gentes hæc ſcribo.* Eandem ſententiam nuper adſtruxit Cl. *Elsnerus* pag. 210. his argumentis: *Hæc erat principalis muneris Pauli, utpote, Gentium Apoſtoli, cura, ut doceret:* εἶναι τὰ ἔθνη συγκληρονόμα καὶ σύσσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας, v. 6. 7. 8. 9. *ob eam autem cauſam tanta erat ejus afflictio in vinculis* v. 13. ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει, *propter illud myſterium*, Cap. VI. 19. 20. Conferri præterea vult *Actor* XXI. 21. 28. & epiſtolam Epheſinæ ſimillimam ad *Coloſſ.* I. 29. in nexu ſuo. Subaudiri itaque vult εἰμὶ poſt δέσμιος, per ellipſin alias frequentiſſimam, hoc ſenſu: *Ut vos* (gentiles) *una ædificemini in habitaculum Dei in Spiritu;* (vid. cap. II. 22.) *ego Paulus vinctus ſum Chriſti propter vos gentiles.*

Ab altera parte alii hyperbaton ſeu parentheſin putant ſtatuendam, ita ut comma primum referatur ad verſ. 14. τούτου χάριν κάμπτω τὰ γόνατά μου, hoc ſenſu: *Propterea ego Paulus vinctus Jeſu Chriſti propter vos Gentiles, propterea*, inquam, *flecto genua mea.* Argumentum interpretationis hujus præcipuum illi quidem in eo ponunt, quod verſ. 14. voces τούτου χάριν repetantur, certiſſimo indicio, Paulum eo redire, unde ante digreſſus erat, poſtquam v. 1. dixiſſet τούτου χάριν. Hanc ſententiam poſt *Lutherum*, qui in verſione ſua ad verſ. 1. nihil ſupplet, plerique noſtratium tuentur. Vide v. c. ex recentioribus Cl. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra pag. 70. & Rev. *Zeltnerum* in gloſſa ad h. l. tum *Lamb. Bos* in Exercitationibus pag. 182. & inprimis *Hombergium* in Parergis pag. 293. qui de ſua ſententia adeo certus eſt, ut ſine hac commata 2.–14. intelligi non poſſe putet. *Cum enim*, inquit, *dixiſſet, ſe vinctum eſſe Chriſti, de miniſterio ſuo, & vocatione & fine ejus plura affert, quæ mediocriter attentus usque ad verſ.* 14. *videbit ita cohærere, ut divelli non poſſint, & de verſu* 14. *deinde illum ad priora redire. Quod certe vel ex eo manifeſtiſſime* cenſet *probari, quod verſ.* 17. *dicit, ſe* proinde orare, ut Chriſtus per fidem in cordibus illorum habitet. Quæ quidem oratio optime reſpondeat antecedentibus, in quibus dixerit, fideles in Chriſto ædificari, ut ſint domicilium Dei, atque adeo à Chriſto inhabitandum.

Non exiguam ſane ſpeciem habet hæc interpretatio, ſi recogitemus, Paulum parentheſeos eſſe amantiorem, quod vel ex Rom. I. & hujus epiſtolæ capite II. patet. Cum tamen longior hæc ſit, quam qua alias uti Apoſtolus ſolet, & ſine ea ſenſui recte conſuli poſſit, alieniorem me ab ea eſſe non diffiteor. Accedit præterea, quod v. 13. Paulus dicit: Διὸ αἰτοῦμαι μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν, quibus verbis jungi potius debebat comma primum, tantum abeſt, ut ad verſ. 14. demum referatur. Non obſtat repetitio verborum τούτου χάριν verſ. 1. & 14. quam diſſentientes inprimis urgent. Recte enim monet Cl. *Elsnerus* pag. 211. *Prius illud* τούτου χάριν *cauſam* vinculorum *Apoſtoli indicat, quemadmodum poſterius rationem reddit* precum *Apoſtoli, ne iſtius calamitatis cauſa juſto magis turbarentur, aut animis deficerent Epheſii.*

Qui παρένθεσιν ſtatuunt, nec ipſi inter ſe conſentiunt. *Grotius* enim eam à v. 2. inchoari & cum v. 7. τῆς δυνάμεως αὐτοῦ claudi vult. *Eraſmus* vero *Shmidius* eam per totum caput III. protendi, & verba commatis primi, cum verbo παρακαλῶ cap. IV. v. 1. conjungenda eſſe opinatur. Ut verbo dicam, in ambages illi incidunt, qui commati primo plenum & abſolutum ſenſum, ſubintellecto verbo εἰμὶ, non vindicant.

ὑπὲρ ὑμῶν τῶν ἐθνῶν] Cum vox τῶν ἐθνῶν apud *Tertullian.* deſideretur, *Millius* eam in Prolegomenis ſcholii loco æſtimat, repugnantibus Codicibus omnibus, verſionibus & Scholiaſtis Græcis, qui recte hic ſermonis efficaciam obſervant. Compara *Whitbium* pag. 68. b.

Verſ.

Verſ. 2. Εἴγε ἠκούσατε] *Nam audiiſtis.* Ita verti hanc particulam cupit *Hombergius* Parergis pag. 294. affirmans præterea uſum ejus elegantem eſſe in parentheſi, v. c. apud *Ælianum* IX. 8. Εἴγε ἡ Δωρὶς ἡ μήτηρ αὐτοῦ Λοκρὶς ἦν. *Doris enim ipſius mater Locrenſis erat*, & ibidem XII. 25. Præſtruit ſcilicet vir doctus παρένθεσιν, quam nondum ſatis evictam eſſe oſtendimus. Rectius igitur reddideris per *ſiquidem*, vel *modo*, ſcilicet, recte perceperitis *diſpenſationem gratiæ* &c. Hoc enim ſenſu Paulum hanc particulum adhibere apparet ex cap. IV. 21. εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε, qui locus huic omnino parallelus eſt. Adde *Coloſſ.* I. 23. εἴγε ἐπιμένετε, & *Galat.* III. 4. Ex hac verborum interpretatione argumentum *Millii* infringitur, quo inter reliqua adſtruere conatus eſt, epiſtolam hanc Epheſiis, *tanquam qui ſexcenties Apoſtolum prædicantem audierint*, inſcriptam non fuiſſe. Adde quæ ad h. l. in Prolegomenis dixi.

τὴν οἰκονομίαν τῆς χάριτος] *diſpenſationem gratiæ*, i. e. ratione ſenſus, *officium diſpenſandi gratiam*, das Amt der Gnade GOTTES, prout B. *Lutherus* recte convertit. Confer *Suiceri* Theſaurum Tom. I. pag. 458. Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. παραδράζει: die Verwaltung und ordentliche Austheilung.

τῆς δοθείσης μοι εἰς ὑμᾶς] *Grotius* hic Hebraiſmum quærit in vocibus εἰς ὑμᾶς, tanquam quæ reſpondeant phraſi : עליכם. Recte vero *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 532. obſervavit, eo opus non eſſe, cum *Herodotus* lib. II. pag. 178. de Rege Amaſi dicat : οὔτε εἰς ἐπισκοπὴν ἔδίδου οὐδὲν, *neque ulla re ad ornamentum donavit.* Scilicet τὸ εἰς Græce dicitur *de emolumentis rerum, quidni etiam perſonarum*, ut proinde commodum indicetur, quod Epheſii & aliæ gentes ex prædicatione Pauli Evangelica ceperint. Confer *Coloſſ.* I. 25.

Verſ. 3. Καθὼς προέγραψα] Fuerunt, qui hinc conficerent, Paulum aliam ad Epheſios epiſtolam, hac priorem, ſcripſiſſe. Ingenio vero eos eſſe abuſos oſtenderunt alii. Vide imprimis *Johannis Alberti Fabricii* noſtri Codicem Apocryphum Novi Teſtamenti Tom. I. pag. 915. Supra ſcilicet cap. I. v. 9. ſeqq. idem hoc argumentum tetigerat, ad quod h. l. revertitur. Non puto hic opus eſſe, ut τὸ προέγραψα cum Cl. *Oedero* in Syntagmate p. 655. per *proſcripſi*, ſeu *publice propoſui*, vertamus, quamvis non negem, hanc verbi notionem alias exſtare. Vide ad *Galat.* III. 1.

ἐν ὀλίγῳ] i. e. διὰ βραχέων, *paucis*, ut *Chryſoſtomus* interpretatur. *Camerarius* mavult: *paulo ante*, vel *paulo ſuperius.* *Beza* & *Schmidius* dubii hærent, utrum ſit præferendum. Rev. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 533. Chryſoſtomum ſequitur, cum *Herodotus* lib. IV. pag. 267. qui ἐν ὀλίγοισι δηλώσω ſe ait, ea non *paulo poſt*, ſed *ſtatim* ſubjiciat. Addiderim ego, Paulum, ſi vocibus, ἐν ὀλίγῳ, ad ſuperiora reſpexiſſet, vix ſcriptum fuiſſe videri προέγραψα, ſed ἔγραψα. Anonymus Anglus in Annotationi-

bus

bus Latinis ad h. l. ita: *Primo & ſecundo capitibus: neque enim nova ſomnianda eſt epiſtola.*

Verſ. 4. Πρὸς ὃ δύνασθε ἀναγινώσκοντες νοῆσαι] i. e. *ex quo perlecto poteſtis intelligere*, ex *Bezæ* interpretatione, quam Rev. *Raphelius* l. c. pag. 533. adſtruit ex Græcorum phraſi, *πρὸς ταῦτα*, i. e. *propter hæc.* Ita *Herodotus* lib. IV. pag. 256. *καὶ τοὺς πρεσβυτέρους ἀδελφεοὺς πρὸς ταῦτα συγγνόντας τὴν βασιληΐην πᾶσαν παραδοῦναι τῷ νεωτάτῳ. Et ſeniores fratres, re conſiderata, totum regnum ad minimum detuliſſe.* Retulerim huc, quod Græci τὸ, πρὸς ſæpe pro *per* adhibent, v. c. *πρὸς ὀργὴν*, *per iram*, *πρὸς βίαν*, *per vim*, cujus locutionis exempla habes apud *Franciſc. Vigerium* de præcipuis Græcæ linguæ idiotiſmis, cap. IX. Sect. 8.

*τὴν σύνεσίν μου ἐν τῷ μυστηρίῳ τοῦ Χριστοῦ*] *Lockius* in commentario ſuo his verbis id ſpeciatim cenſet indicari, quod Epheſii certi eſſe poſſint, ſe, à Deo quippe *ἀμέσως* doctrinam Evangelicam edoctum, recte & voluntati divinæ convenienter legum cerimonialium obſervationem, tanquam adhuc non neceſſariam, in præconio ſuo amoliri.

Verſ. 5. Ὃ *ἐν ἑτέραις γενεαῖς*] Codices multi τὸ, *ἐν* omittunt, idque *Millius* in Prolegomenis §. 634. lucis cauſa poſtliminio additum cenſet, noviſſimum editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ita adſentientem ſibi nactus, ut etiam ex contextu expunxerit. At cauſæ ego nihil video, cur ab Apoſtolo profectum eſſe non exiſtimemus. Γενεαὶ tanquam *ætates*, ſeu *ſecula* diſtingvuntur hic ab *υἱοῖς ἀνθρώπων*, *hominibus*, qui olim diverſa ætate vixerunt. Hoc vero æque dici poteſt *ἐν ἑτέραις γενεαῖς*, quemadmodum *Demoſthenes*, Stephano monente, dixit; *ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς*, *noſtro ſæculo*, *noſtra memoria.* Hebræi dicerent בדורות, ſicut Noachus *juſtus & perfectus* fuiſſe בדורותיו, *Geneſ.* VI. 9. dicitur. Similiter S. *Lucas* I. 1. *εἰς γενεὰς γενεῶν*, & *Actorum* XV. 21. *ἐκ γενεῶν ἀρχαίων.*

Verſ. 6. Σύσσωμα] *Concorpores.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. pag. 1191.

*Διὰ τοῦ εὐαγγελίου*] Subtilior hic eſt *Lockius*, quando in commentario idem hoc eſſe cenſet, quod Latine diceres: *tempore prædicati Evangelii*, ſicut *Rom.* V. *δι' ἀκροβυστίας* idem ſit, quod: *tempore, quo præputium obtinuerit.* Evangelium ſane hic ut inſtrumentum affertur, cujus præconio declaratum ſit & effectum, ut Gentiles ejusdem conditionis & ſortis in Chriſto cum Judæis ortu & fierent, & agnoſcerentur. Sic ſupra II. 17. de Chriſto gentes ad hoc conſortium vocante; *Καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν.*

Verſ. 8. *Ἐμοὶ τῷ ἐλαχιστοτέρῳ πάντων*] *Mihi minori omnium longe minimo*, ut vertit Anonymus Anglus in Obſervationibus Latinis ad h. l. vel rectius *minimo minori*, ut doctiſſimus *Joannes Albertus Fabricius* ad Sextum Empiricum lib. IX. pag. 627. qui *ἐλαχιστοτάτῳ πλάτει* dicit. Similiter S. *Joannes* epiſto-

epiſtolæ tertiæ verſ. 4. *μειζοτέραν χαρὰν* dixit, ubi comparari poteſt *Eraſmus Schmidius*. Latinos quoque Scriptores *minimiſſimum*, *peſſimiſſimum & poſtremiſſimum* hominem appellaſſe laudatus *Fabricius* annotavit, allato etiam *Voſſio* de Analogia lib. II. cap. 27. De tituli hujus cauſa lege *Picinelli* Lumina reflexa pag. 707. Ita Paulus 1 *Corinth.* XV. 9. *ἐλάχιστον* ſe appellat, ubi vide, quæ ſcripſimus de illo Judæorum eruditorum more, ſecundum quem in epiſtolis & libris editis Scriptor ſe, צעיר vel צעירא, i. e. *parvum*, appellare conſuevit. Ita ex *Soncinatibus*, inter Typographos Judæorum facile antiquiſſimis, vidi, qui ſe appellet צעיר המחוקקים, *Typographorum parvum*, ſeu *minimum*.

*τῶν ἁγίων*] Hoc alicubi deeſt, ideoque *Millio* in Prolegomenis §. 785. à Scholiaſtis, orationem emollituris, ortum videtur. Sed vide tu *Whitbium* p. 68.

*πλοῦτον τοῦ Χριστοῦ*] i. e. *πλοῦτον τῆς χάριτος τοῦ Χριστοῦ*, ut videtur Cl. *Schœtgenio* in notis ad *Lamb. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 218.

Verſ. 9. *Καὶ φωτίσαι πάντας, τίς ἡ κοινωνία*] Ultimam hanc vocem cum *οἰκονομία* permutant codices aliquot editi, MSS. plures, & verſiones quoque antiquæ. Hinc eam alteri præfert *Millius*, in Prolegom. §. 731. & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, adeo ut in contextum admitteret. Nec diſſentit *Whitbius* in Examine pag. 68. in admittendis alioquin novis lectionibus merito difficilior. *Οἰκονομία*, inquit, *genuinam eſſe lectionem à Græcis Scholiis & verſionibus confirmatam agnoſco; ſed parum intereſt inter communicationem & diſpenſationem myſterii de vocandis Gentibus, ejusdem κοινωνία factam.* Ex noſtratibus B. *Calovius*, in Bibliis Illuſtratis, lectionis hujus antiquæ mentionem faciens, nihil contra eam adfert, adeoque in medio relinquit. Id quod ſecure fieri poteſt, cum utrinque idem naſcatur ſenſus, nec luxuriantibus ingeniis occaſio naſcatur de corruptela codicum conquerendi. Sufficit enim, eam in Codicibus & verſionibus antiquiſſimæ ætatis & optimæ notæ deprehendi. Videor, tamen mihi habere cauſas, cur vocem *κοινωνία* pro veriore habeam. Paulus, enim hic omnino loquitur de *communione*, quæ inter Judæos & Gentiles reſpectu gratiæ, in Evangelio promulgatæ, intercedat. Ideo v. 8. ait, datum ſibi eſſe, ut *inter Gentes* etiam *imperſcrutabiles Chriſti divitias aperiat*, gratiam intelligens à Chriſto partam, eamque *impervestigabilem* ſeu infinitam appellans, tanquam quæ in omnes homines redundet. Hoc præſtructo, proximum eſt, ut *communio* Judæorum & Gentium hac in parte celebretur, quæ adeo ignota erat Judæis, ut non ſolum vulgo incredibilis & amolienda haberetur, ſed ipſis quoque Apoſtolis, nominatim Petro *Actor.* X. 34. 35. dubia videretur. Præterea cauſa in promtu eſt, cur aliquis *κοινωνίαν* per *οἰκονομίαν* primum quaſi per ſcholion interpretaretur in margine, quod poſtea alius in contextum reciperet. Fieri enim hoc poterat ideo, quod Paulus tum alias, tum paulo ante verſ. 2. eadem utitur, quod clarior altera illa videbatur. Ab altera parte ratio reddi non poteſt, cur aliquis, vocem *οἰκονομία* legens, eam in *κοινωνίαν*

I

Digitized by Google

*νωνίαν* converteret. Tanta enim utriusque non eſt affinitas, ut à librario ſecum invicem permutarentur. Neque vero inſolens haberi debet iſta phraſis: *ἡ κοινωνία τοῦ μυστηρίου.* Idem enim infert, quod divinus Præco ad Corinthios, olim itidem Gentiles, ſcribit 1 Epiſt. I. 9. *πιστὸς ὁ Θεὸς, δι' οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.*

*τῷ τὰ πάντα κτίσαντι διὰ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ*) Conſtat, *Socinianos* potiſſimum *creationem* illam accipere de *nova*, ſeu *ſpirituali*, quæ redemtione per Chriſtum facta, & vocatione Gentilium ad Evangelium abſolvitur. Ita ex recentioribus *Jo. Locke* fuſe in commentario ad h. l. noviſſime autem *Artemonius*, ſive *Samuel Crellius* in Initio Evangelii S. Johannis reſtituto pag. 612. ſq. Ad primas rerum *omnium* origines hic reſpici, ut phraſis ipſa indicat, ita alii Scripturæ loci evincunt, qui non ſine vi quadam in alium ſenſum detorqueri unquam poſſint. Lege ex noſtratibus inprimis *Spenerum* in commentatione vernacula egregia, qua divinitatem Jeſu Chriſti adſtruxit, pag. 72. ſqq. Aliorum obſervatis hoc addidero. Paulus myſterium de reparando per Chriſtum hominum genere apud Deum *ab æterno* (*ἀπὸ τῶν αἰώνων*) ait fuiſſe reconditum. Illam conſilii & myſterii æternitatem diſertius declaraturus creationis rerum omnium meminit, tanquam quæ etiam alias in argumentum æternitatis divinæ adhiberi conſuevit.

*διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ*) Deſunt hæc verba in paucis Codicibus & verſionibus, *Syr. Vulg. Coptica.* Pro ſpuriis ideo habentur *Millio* ad h. l. & in Prolegomenis §. 1206. *Et quidem*, inquit, *cum vix fieri poſſit, ut exemplaribus antiquiſſimis exciderint Scribarum ſeu fraude, ſive etiam incuria, verba adeo inſignia, præſertim ante tempora Arii; adjecta h. l. crediderim interpretamenti gratia ex illo Apoſtoli Coloſſ. I.* 16. Ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη κ. τ. λ. Miror; cur vir doctus non potius provocaverit ad *Epheſ. II.* 10. Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. At idem hic locus efficit, ut credamus, Paulum creationis mentione facta, non minus hoc loco, quam in altero illo ad Chriſtum diſerte provocaſſe. *Whitbius* in Examine pag. 88. à *Millio* diſcedens, commode obſervat, verba illa non ſolum agnoſcere Scholia Græca omnia, ſed etiam monere, *ὅτι καλῶς ἐμνημόνευσε τῆς κτίσεως Ἰησοῦ χριστοῦ.* Valeat itaque recens editor Anglus Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, qui ex contextu hæc ita expunxit, ut in ſubjectis notis, ceu alias facere ſolet, ne mentionem quidem faceret omiſſionis, nedum cauſas afferret.

Verſ. 10. *Ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις ἐν τοῖς ἐπουρανίοις*) Per *ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας Nic. Zegerus Principes & Magiſtratus* ſæculares intelligit, quorum eminentiam & dignitatem Apoſtolus indicet, addito illo: *ἐν τοῖς ἐπουρανίοις.* Enimvero phraſin hanc longe aliud inferre, atque adeo huic interpretationi locum non permittere ex ſequentibus conſtabit.

Nec magis audiendi ſunt, qui *Præſides Eccleſiæ* indicari putant. Ita ex noſtratibus ſentit Cl. *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I.

pag.

Digitized by Google

pag. 840. *Tenendum*, inquit, *quod per Principes & poteſtates, quarum Chriſtus caput eſt factus, (Coloſſ, II. 10. 14. 15.) intelligantur* מושלים *dominatores,* מחוקקים *legiſlatores, qui, cum in cathedra Moſis ſederent, multa ſatis pro imperio agebant, ideoque Principes & poteſtates tum in aliis Scripturæ locis Epheſ. III. 11. Luc. XXIII. 13.–35. XXIV. 20. appellabantur.* Idem placet *Lockio* in commentar. ad h. l. Sicut itaque illi Præſides Eccleſiæ Judaicæ hic intelligi volunt; ita *Salomon van Till* in comment. ad h l. pag. 213. de Græcis Gentilibus ita accipit, ut Sacerdotes & Prytanes eorum, tanquam cultus Præſides ſignificentur. Hos vero Sacerdotes & Primores Græcorum audiviſſe ait Evangelium & converſionem, quod conſtet ex Actor. XIV. 11.–14. & XIX. 31. Vide tu, quæ contra hanc *Tillii* ſententiam ſupra ad cap. I. 21. peroravimus. De Judæorum quoque Doctoribus & Præſidibus hic cogitari non poteſt, niſi vim facere velimus vocibus ἀρχαὶ & ἐξουσίαι, quas nec in illis, qui afferri ſolent, locis hoc ſignificatu occurrere ſuo loco oſtendemus.

Reſtat itaque, ut in eorum ſententiam diſcedamus, qui diverſos Angelorum, bonorum ſcilicet ordines, hic innui cenſent. Lege nos ad cap. I. 21. Ita hæc interpretari recte viſum eſt antiquis doctoribus, *Chryſoſtomo*, *Theophylacto*, *Oecumenio* & *Hieronymo*, quorum locos congeſſit *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theologicis, Tom. III. ubi de Angelis lib. I. cap. 8. pag. 25. Atque idem ille Patrum ſententiam explanaturus hæc addit: *Quod equidem non ſic acceperim, ut is* (Chryſoſtomus) *prius homines ſciſſe crediderit, Deum hominem fore, quam Angelos; aut jam factum ab illis iſtos didiciſſe. Hoc enim falſum eſſe Scripturæ ipſæ demonſtrant: ut paulo poſt dicam. Sed de accuratiore ac pleniore notitia myſterii illius, ſive fructus, qui ex eo collectus eſt, puto illos loqui voluiſſe. Nam ex divini verbi incarnatione multa in homines beneficia derivata ſunt, & inuſitata ac miranda quadam effecta conſecuta; quæ ex rebus ipſis ac per homines; h. e. ſive uſu ipſo & experientia; ſive prædicantibus Apoſtolis didiciſſe demum Angelos Patres illi arbitrati ſunt.* Recte hæc ita dici arbitror, nec forte alius dubitaverit, qui recogitaverit *Petri* verba 1 Epiſt. I. 12. teſtantis, Angelos ipſos myſteria Evangelii prædicati perſpiciendi ſtudio & impetu quodam ferri. Ex Reformatis Doctoribus *Jo. d'Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. pag. 91. ſapienter hanc in rem ita diſſerit: *Hoc dicit Apoſtolus, quod nunc per Eccleſiam principatibus & poteſtatibus, i. e. Angelis, in cælis, ἴδιον οἰκητήριον, habentibus, ſed etiam in terris, & inter fideles verſantibus, nota fiat multivaria Dei ſapientia per prædicationem Evangelii, non Judæis tantum, verum etiam nunc Gentibus factam.* Nec obverti hic valide poteſt, quod urget *van Till*, Interpres alioquin non contemnendus loc. cit. *Quid enim*, inquiens, *ad rem faceret, ſi multa forte per prædicationem Evangelii Chriſtianorum myſteria Angelis innotuerint, quæ prius ignorabant? Dixerat Apoſtolus verſ. 8. hanc gratiam ſibi datam eſſe, ut hæc nota faceret; ut vero nemo, opinor, affirmaverit, Paulum Angelis evangelizaſſe, ſed Principibus Gentium.* Habes hic ipſiſſima *Knatchbulli* verba ad h. l. quæ ſua fecit

*Tillius.* Non neceſſe puto affirmare, Paulum Angelis hæc prædicaſſe: neque id ex nexu orationis Paulinæ conſequitur. Apoſtolus enim commate 8. & 9. homines, & inprimis Gentiles, eos eſſe ait, ad quos præconium ſuum ſpectet; commate vero decimo fructum commemorat, ad ipſos quoque Angelos ex hoc præconio eadem opera redundaturum, quando ſcilicet nunc demum intelligant inſignem illam & incredibilem copiam ac varietatem *Sapientiæ divinæ*, in conſilio & mente Summi Numinis ante reconditæ. Neque porro video, inepte dici, quod Angeli ipſi ex præconio Apoſtolico, quamvis ad ipſos proprie & proxime non relato, aliqua ſint edocti. Qui enim fieri non poſſit, ut Angeli, quorum ſcientia & ſapientia omnino finita eſt, aliqua diſcant ab hominibus à Spiritu Divino actis. Ad hunc vero provocaverat Paulus verſ. 5. *ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις Ἀποςόλοις αὐτȣ͂ καὶ προφήταις ἐν Πνεύματι.*

*ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις* ] Dubium eſt, utrum hæ voces proxime ad *τὰς ἐξȣσίας*, an potius ad ſequentes voces *διὰ τῆς ἐκκλησίας* referri debeant. Prius affirmant, qui de *Angelis bonis in cælo*, tanquam domicilio ipſis proprio, accipiunt. Nec inconvenienter illi agunt. Similiter enim Chriſtus ad dextram Patris *ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις*, i. e *in cælo* dicitur collocatus, ſicut fideles per Chriſtum *ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις*, *in cælis* poſiti dicuntur. Alii vero poſt *Knachtbullum* malunt poſterius. Hic ſcilicet *διὰ τῆς ἐκκλησίας ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις* intelligi cupit *res, quæ ad æternam vitam in cælis transſigendam pertinent & per Eccleſiam traduntur.* Aſſeclam is, ut multis aliis, nactus eſt *Carolum le Cene*, in Tentamine novæ verſionis pag. 681. *Tillius* quidem, *Knatchbullo* cetera *ὁμόψηφος*, referre mavult ad verbum *γνωρισθῇ*, ut ſi phraſi *ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις* ſubſtrata cognoſcendi materia judicetur, cujus Eccleſia ſit interpres. Huic autem interpretationi obſtat trajectio vocum, à qua abſtinendum eſſe Interpretes cordati pridem monuerunt, quando ſine ea commodus ſenſus ſubnaſcitur. Itaque nec probarim Rev. *Zeltneri* gloſſam ad h. l. ita hæc *περιφράζοντος*: An den himmliſchen Dingen, oder Wohlthaten, (cap II. 6.) die bey der Kirche wahrzunehmen ſind. Longius etiam abit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris pag. 110. per *ἐπȣρανίȣς* hic intelligens præcipuos ac ſapientiores Eccleſiæ doctores, ideo quod Eccleſia ſæpe *regnum* & *regnum cælorum* appelletur. Nunquam ego vidi, *τȣ̀ς ἐπȣρανίȣς* in Novo Fœdere de Doctoribus dici, quos præterea ipſa Eccleſia, tanquam interprete & documento divinæ ſapientiæ, quæ hic prædicatur, comprehendi nemo negaverit.

*ἡ πολυποίκιλος σοφία τȣ͂ Θεȣ͂* ] Sapientia Dei hic ut omni ex parte admirabilis repræſentatur. Sic externi Scriptores prudentes quosvis hoc nomine appellant. *Æſchylus* ſpeciatim in *Prometheo vincto*, Prometheum *ἄνδρα πολυποίκιλον*, vocat, tanquam qui omnium neceſſitati conſiliis ſuis proſpiciat. Debeo hæc prælectionibus B. *Gothofredi Olearii* MSS. ad h. l. Innuit is v. 307. & 308.

*Ὁρῶ Προμηθεῦ, καὶ προαινέσαι γέ σοι*
*Θέλω τὰ λῷςα, καίπερ ὄντι ποικίλῳ.*

Ibi

Ibi Scholiaſtes τῷ ποικίλῳ per συνετῷ, *prudenti*, explicat. Compara ipſum *Olearium* ad *Philoſtratum* in Prooemio ad Vitas Sophiſtarum, ubi is ἀπατηλὸν & ποικίλον conjungit. *Stanlejus* ad Æſchyli locum pag. 724. obſervat, *Catullum* in Nupt. Pel. & Thet *ſoletti corde Prometheum*, *Heſiodum* vero ποικίλον, ποικιλόμητιν & ποικιλόβουλον paſſim dicere.

Verſ. 11. Κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων] *Secundum propoſitum* ſeu *conſilium æternum*, ut recte explicat Anonymus Anglus in Annotationibus ad h. l.

ἣν ἐποίησεν] *quod conſtituit*, ſeu *ratum eſſe* voluit *in Chriſto.*

Verſ. 12. Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν παῤῥησίαν) Durch welchen wir haben Freudigkeit, recte omnino, & nequicquam criminantibus *Emſero*, *Zangero* & *Dietenbergero*, qui malunt Vertrauen, ſeu Hoffnung. Lege contra cos *Raithii* Vindicias pag. 530. Prudentiſſime ita egit *Lutherus*, qui *libertatem*, qua uti apud Deum in Chriſto poſſumus, efficaciter expreſſurus, eamque à ſequenti πεποιθήσει diſtincturus, ita convertit, omnemque *timoris*, qui *fiduciæ* fraudi eſt, umbram eadem opera ab animis credentium amolitus eſt. Paulus enim cumulatis in hoc commate vocibus id omnino egit, ut credentium *fiduciam* efficaciſſimam & maximam repræſentaret.

καὶ τὴν προσαγωγὴν) Vide ſupra II. 18.

Verſ. 13.--21. Διὸ αἰτοῦμαι, κ. τ. λ.) Hæc commata conſtituunt ſectionem epiſtolicam, quæ pro concione explicari conſuevit. Eam illuſtratam lege à Celeb. *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Parte II. pag. 141. ſqq.

Verſ. 13. Διὸ αἰτοῦμαι, μὴ ἐκκακεῖν) *Ideo precor*, *ne deficiatis.* Ita recte plerique Interpretes ad Epheſios hæc referunt, tanquam quos Paulus moneat, ne *ſegneſcant* aut *languidi* fiant in tenenda fidei profeſſione, quod accidere poterat, ſiquidem ſibi relicti, ex calamitatibus, quas Paulum religionis cauſa perpeti noverant, ſiniſtre de ea ſentire occiperent, vel ſaltem *metu*, ne ſimiles ſe opprimerent, percellerentur. Anonymus Anglus in Annotationibus ad h. l. rem in medio relinquit, utrum ad Epheſios, an Paulum hæc ſpectent, ita commentatus: *Ne deficiatis*, ut infra v. 16. vel, *ne deficiam*, juxta Syrum, qui ſic reddit: *ne ſpiritus mihi ſit anxius. Ut pro ſe primum*, *tum pro Epheſiis oret*, *verſu ſequenti*, Prior interpretatio omnino præſtat. Primo enim non ſatis conſtat, utrum hæc Pauli precatio ad Deum an ad Epheſios perferatur, quos oratos velit, ut de malo hoc cavendo ſoliciti ſint. Ea enim eſt Pauli humanitas, ut, quibus præcipere cum doctoris auctoritate poterat, eos precibus ſuis movere inſtituat. Ita egit etiam in *Corinthios* 2 Epiſt. V. 20. & X. 2. item in *Galatas* IV. 12. Hoc ſenſu ex recentioribus verba hæc acceperunt noviſſimi Interpretes Galli, *Clericus* & *Beauſobrius* cum *Infantio*; quemadmodum & B. *Lutheri* verſio ſic accipi poteſt. Nihil video obſtare, quo minus cum his faciam. Suadet id precatio, quam paulo poſt Apoſtolus ad Deum pro confirmandis & perficiendis Corinthiis diſertis verbis perfert, quæ obteſtationi ſuæ

& admonitioni juncta amicam vim animis illorum inferre poterat. Hoc vero ſi ponamus, per ſe conſequitur, Apoſtolum hic de ſua in fide perſeverantia non cogitaſſe. Ponamus tamen, per preces intelligi eas, quas apud Deum faciat. Probabilius ſane eſt, eas non pro ſe, ſed pro Epheſiis factas dici. In ſequentibus enim indicatur argumentum illarum, quod omnino ad obtinendam Epheſiorum in bono confirmationem pertinet. De verbo ἐκκακεῖν dictum eſt ad *Luc.* XVIII. 1.

ἐν ταῖς θλίψεσί μου ὑπὲρ ὑμῶν] *in adflictionibus, quas pro vobis ſuſtineo.* Cl. *Wokenius* l. c. ſtatuit, Paulum *loco* Epheſiorum calamitates ſe perpeſſum indicare, quia τὸ ὑπὲρ Genitivo junctum ſubſtitutionem aliquam in alterius locum inferat, quam in rem conferri jubet *Meditationes* ſuas Tom. I. pag. 121. Non perſuaſerim mihi, illam τοῦ ὑπὲρ ſignificationem perpetuam eſſe. Ita Paulus *Rom.* XV. 30. vult, Romanos συναγωνίσασθαι ἑαυτῷ ἐν ταῖς προσευχαῖς ὑπὲρ ἑαυτοῦ πρὸς τὸν Θεόν, quod aliter quidem accipi non poteſt, quam ut Romani una ſecum *in commodum* ipſius Pauli preces ad Deum faciant. Idem cap, XV. 8. ſe ait διάκονον γεγενῆσθαι περιτομῆς ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ, h. e. *in commodum* ſeu amplificationem *veritatis.* Similiter hoc loco id ſibi vult Paulus, ſe dura quæque jam perpeti ob Epheſios, partim in ipſorum commodum, ut ex illis veritatem doctrinæ Evangelicæ magis perſpiciant, cognito animi ſui robore, & ſuo exemplo ad ſimilem conſtantiam adducantur, partim ideo, quod ipſi & alii Gentiles, quibus Evangelium Paulus prædicaverat, occaſionem vexationibus ſuis præbuerint.

ἥτις ἐςὶ δόξα ὑμῶν) Gloria illa, recte monente Anonymo Anglo in Annotationibus Latinis ad h. l. vel ad adflictiones, vel ad tolerantiam illarum referri poteſt. Si ad hanc referas, laudi ſane futurum erat Epheſiis in cœtu piorum, ſi in ſocietatem earum ita venirent, ut eandem, quam Paulus, patientiam & conſtantiam probarent, nec *deficerent.* Si vero ad ipſas Pauli adflictiones pertinere credas, hoc quoque Epheſiis honorificum erat, quod divino nutu fiebat, ut Apoſtoli & nominatim Paulus tot vexationibus ſubjicerentur, ad ſtabiliendam, quam urgebant, Gentilium vocationem, fidemque eorum confirmandam. Conf. 2. *Corinth.* I. 6. Subtilior hic mihi videtur *Wokenius*, quando l. c. pag. 141. Epheſios gloriam ex afflictionibus Pauli ait accepiſſe, tanquam quæ propter communionem fidei, ipſorum quoque irregenitorum judicio, ita illis ſint imputatæ, quaſi ipſi tale quid paſſi fuiſſent. Idem interim l. c. recte monet, nullam hic eſſe enallagen, quando, commemoratis θλίψεσι in plurium numero, ſubjiciatur ἥτις in ſingulari. Scilicet frequens eſt Scriptoribus, ut relativum non ad antecedentem, ſed conſequentem, quæ h. l. δόξα eſt, referant.

Verſ. 14. Τούτου χάριν κάμπτω τὰ γόνατά μου, κ. τ. λ.] Ad hoc & ſequentia aliquot commata lege B. *Aug. Herm. Franckium* in Obſervationibus vernaculis ad quædam Scripturæ loca pag. 84. -- 99. & *Aletheum* Tomo III. der Erläuterung pag. 571. ſqq.

κάμπτω

*κάμπτω τὰ γόνατά μου*] Precantes genua flectere conſueviſſe, ut ex ſacris conſtat, v. c. *Luc.* XXII. 41. *Actor.* IX. 40. & XX. 36. ita veteris Eccleſiæ monumenta teſtatum reliqueruut. Vide *Juſtellum* ad Codicem Canonum pag. 75. De *γονυκλισίᾳ* gentilium in cultu Deorum commentatur Cl. *Chriſtianus Gottlieb Schvvarzius* in Miſcellaneis politioris literaturæ Diatrib. I. pag. 76. ſq. Supplices idem alias factitaſſe oſtendit *Dougtæus* in Analectis Novi Teſtamenti Excurſu XXXII.

*τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*] Deſunt hæc in *Alexandr.* & *Colbertino* Codicibus, item in verſ. *Coptica* & *Æthiop.* quemadmodum nec *Hieronymus* ſua ætate invenit. Vide *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam verſionum Novi Teſtamenti pag. 45. & 476. itemque *Millium* ad h. l. Et hic quidem *γνησιότητα* eorum recte adſtruit, ſibi ipſi parum conſtans, quando in Prolegomenis pro additamento habet. Vide *Whitbium* p. 93. Examinis.

Verſ. 15. *Ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται*] Lege huc B. *Jo. Tarnovii* Exercitationes Biblicas pag. 694. & *Theophilum Raynaudum* Tomo XI. Operum. pag. 157. ſq. ubi de *paternitate ſpirituali* ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus commentatur.

*πᾶσα πατριὰ*] Per *familiam* vertit *Beza*, per *paternitatem* autem *Eraſmus Schmidius.* *Belgæ* reddunt *Geslachte*, genus. *Vitringa* Obſervationum Sacrarum lib. II. pag. 82. mavult *Huysgeſin*, i. e. *domeſticos.* *Franckius* l. c. præfert Geſchlecht, quam vocem alii quoque Interpretes vernaculi adhibent. Ita Rev. *Zeltnerus* in notis ad Biblia Lutheri vernacula pag. 204. Von welchem das gantze (göttliche) geſchlecht (und Haußhalten in ſeinem Hauß der Kirche darüber er Hauß-Vater iſt.) Rectiſſime puto *familiam* ſeu *genus* hic intelligi, quo ſenſu eadem vox occurrit Luc. II. 4. ubi Joſephus dicitur fuiſſe *ἐκ πατριᾶς, ex familia Davidis.* Eruditi, & inter eos B. *Gothofredus Olearius* conferunt cum Hebræa voce : משפחה, quam *οἱ* LXX. per *πατριὰν* convertere ſolent. Similem huic phraſin ex *Joſepho* lib. XVIII. cap. 4. Antiquitatum *Altingius* affert lib. V. de Schilo cap. 3. Tomo V. Operum pag. 118. b. Is enim ait : *Adhuc nunc etiam Chriſtianorum, ab ipſo denominatorum non defecit tribus.* Hanc vero à Chriſto denominationem Pſalm. LXXII. 17. monet eſſe prædictam. Ex quo conſequitur, eum *τὸ ἐξ οὗ* non tam ad Patrem, quam ad Chriſtum retuliſſe. Hoc autem minus recte fieri ex ſequentibus apparet, quando verſ. 16. *Spiritus* fit mentio, quem Pater mittit, & verſ. 17. *Chriſti*, qui in credentibus habitet. Senſus Paulinæ phraſeos hic eſt : Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti deberi omne genus electorum, ſive illi in cœlis reſpectu animarum, ſive in terris degant; illi etiam deberi, quod filii Dei in Chriſto & appellentur & ſint. Hæc equidem malim, pro eo, quod *Suicerus* Tomo II. Theſauri p. 638. cenſet, Patrem hic *ut conditorem rerum omnium, quæ in cœlo & in terra ſunt, viſibilium & inviſibilium, cœleſtium & terreſtrium hic repræſentari.* Quamvis enim omnino talis ſit, hic tamen ita à Paulo adoratur, pro-

ut

ut Pater erat ut omnium regenitorum, ita ſpeciatim Epheſiorum, quos in fide atque adeo in ſtatu filiorum Dei conſervatos cupit. Recte Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis accipit de *tota Eccleſia triumphante & militante, eaque Judaica*, (qualis ſcilicet olim erat genuina) *& Chriſtiana*. Idem tamen τὸ ἐξ ȣ̃ ad Chriſtum minus recte refert. *Martianæus* in Conatibus ſuis Gallice editis p. 362. ita interpretatur: *Qui eſt le Pére des Péres & dans le Ciel, & ſur la terre.* Sed id quidem mentem Apoſtoli non exhaurit.

Verſ. 16. Εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον] i. e κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, ſeu ἐν τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ, per quem facultates & vires hominis regeniti ſpirituales ex gratia donatæ intelliguntur.

Verſ. 17. & 18. Κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν] Pertinet huc M. *Pauli Chriſtiani Hilſcheri* diſputatio de templo Dei myſtico à Paulo delineato, Lipſiæ 1706. 4. item *Joannis Henrici Urſini* Analecta Vol. I. pag. 198. ſqq. tum quæ *Suicerus* Tom. I. pag. 447. & 1113. & Tom. II. pag. 617. attulit. *Hilſcheri* illa diſputatio enarratur cum laude auctoris in Memoriis Trevoltinis An. 1710. pag. 814. ſqq. Speciatimis obſervat, Apoſtolum heic Eccleſiam Epheſiis contemplandam ſiſtere. inſtar templi, quod longe ſit auguſtius illo Dianæ, quo Epheſii Gentiles ſe tantopere jactabant. Contra abuſum & hujus & ſimilium locorum fanaticum lege B. *Gottlieb Wernsdorffii* diſputationem *de Chriſto in nobis*.

Verſ. 18. Ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι) Spectat huc elegans diſputatio D. *Joannis Bartholomæi Rüdigeri*, auctore Friderico Philippo Schloſſero Gieſſæ 1722. habita de Radicatione fidelium in Chriſto. Structura harum vocum Græcæ Linguæ rationibus parum reſpondere nonnullis viſa eſt, cum antecedens ὑμῶν requirat ἐῤῥιζωμένων καὶ τεθεμελιωμένων Itaque alii alias illi conſulendi, eamque à Solœciſmi ſuſpicione liberandi rationes inierunt. Plerique poſt *Photium* Cod. 230. pag. 462. *Theod. Bezam*. *Grotium* & *Heinſium* ex noſtratibus nominatim *Calixtus*, *Hedingerus*, *Schomerus* in notis & commentariis ſuis. *Starckius* item in Notis ad ſelecta loca Novi Teſtamenti pag. 145. *Olearius* in Prælectionibus MSS. & noviſſime Cl. *Joannes Conradus Schvvartzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 121. ex Reformatis *van Till*, ex Anglis Anonymus in Annotationibus Latinis, & *Blackvvallus* in Claſſicis Sacris Vol. II. pag. 19. ut alios omittam, τὸ ἵνα, quod proxime ſequitur, levi trajectione facta, ad initium hujus commatis referendum putant, ut οἱ ἐῤῥιζωμένοι & τεθεμελιωμένοι à verbo ἐξισχύσατε pendeant. In exemplum ſimilis trajectionis afferunt illi 2 *Corinth.* II. 4. & *Galat.* II. 10. Alli vero *Nominativos* illos etiam poſt infinitivum locum habere poſſe arbitrantur. Inter hos ex noſtratibus eſt *Eraſmus Schmidius*, hac regula nixus: *Cum in eadem perſona maneatur: neceſſe non eſt, ut idem ſervetur caſus, ſed nominativo quoque locus eſt poſt infinitivum.* Sic *Plutarchus* Apophthegm. Περικλῆς ἔφασε μέχρι τῶ βωμῶ φίλος εἶναι. *Pericles ſe amicum usque ad aras eſſe dixit.* Itaque *Schmidius*

*dius* pendere hos Nominativos vult ab antecedente verbo *κραταιωθῆναι* v. 16. quo fine etiam verba: *κατοικῆσαι τὸν Χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν* à reliquis per *παρενθέσεως* notam diſtinguit. Sed hoc quidem longius petitum nemini non, puto, videbitur. Sunt denique, qui Nominativos hos, inprimis Participiorum, abſolute poni cenſent ex communi Græcorum uſu, qui variis exemplis conſtet. Talia in medium attulerunt *Gatakerus* Miſcellan. lib. I. cap. 15. *Pricæus* ad *Act.* I. 4. &, ut alios taceam, Cl. *Johannes Conradus Schwarzius* pag. 92. de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis. Hanc ſententiam h. l. *Jo. Henrico Majo*, filio, nunc *μακαρίτῃ*, placuiſſe teſtis eſt Cl. *Schloſſerus* in laudata modo diſſertatione pag. 12. qui eandem & ipſe amplectitur. Mihi quidem illi probantur, qui *τὸ ἵνα*, reſpectu ad ſenſum & ſtructuram habito, tanquam ante vocem *ἐν ἀγάπῃ* poſitum, interpretantur, cujus transpoſitionis exempla alias exſtare jam docui. Illuſtris Pauli locus eſt 2 *Corinth.* II. 4. *οὐχ ἵνα λυπηθῆτε, ἀλλὰ τὴν ἀγάπην ἵνα γνῶτε.* Apoſtolus autem participia illa, *radicationem* & *fundationem* inferentia, non ſine emphaſi prædicato *ἵνα ἐξισχύσητε* præmiſit, ut intelligeretur, in his momentis verti omne robur ſpirituale, quod Epheſiis precabatur.

*ἐν ἀγάπῃ*] Amorem Dei, quo in Chriſto in credentes Epheſios ferebatur, non autem amorem Epheſiorum in Deum vel Chriſtum, hic ſignificari, ex veteribus *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*, ex recentioribus autem plerique, ſaltem ex noſtratibus, ſi unum alterumve exceperis, omnes agnoverunt, qui recte exiſtimarunt, amorem noſtrum in Deum nimis eſſe infirmum ac longe inferiorem, quam ut illi tam egregium ædificium ſuperſtrui poſſit. Itaque rectiſſime *ἀγάπη* illa intelligitur, de qua Apoſtolus cap. II. 4. *ὁ δὲ Θεὸς πλούσιος ὢν ἐν ἐλέει διὰ τὴν πολλὴν ἀγάπην αὐτοῦ, ἣν ἠγάπησεν ἡμᾶς.* Adde *Rom.* VIII. 35. Hanc interpretationem adſtructam vide à B. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis.

*ἐρριζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι*] Similiter *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, lib. I. pag. 27. ait: *Πεισίστρατος ἐρρίζωσε τὴν τυραννίδα.* Confer pag. 25. Utramque vero metaphoram eodem loco adhibuit *Philo* pag. 8. Operum: *ῥίζας ἀποτείνασα οἱονεὶ θεμελίους· radices ceu fundamenta demittens*; quod obſervatum eſt *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 120. quemadmodum *Lucianus* in Saltation. pag. 796. *ῥίζας καὶ θεμελίους τῆς ὀρχήσεως*, *radices & fundamenta ſaltationis*, commemorat. Confer. *Lamb. Bos* Exercitationes Philologicas p. 183. & ex Patribus *Suicerum* Tom. II. pag. 905. *Radicationis* hujus naturam & indolem diligenter exponit *Schloſſerus* in laudatæ Diſſertationis Sectione III. pag. 22. ſummamque dictorum hac deſcriptione complectitur: *Eſt actus gratiæ divinæ ſanctificantis, quo homo novus ac ſpiritualis, per fidem Chriſto unitus, jugiter altiores in ejus amorem radices agit, iisque indies validius ſe firmat, creſcit ac progreditur ad perfectius illud metrum* (*Epheſ. IV.* 13.) *ſtaturæ perfectionis Chriſti conſequendum, immoteque contra tentationes & pericula in ipſo, inſtar arboris robuſtæ, perſiſtendum.*

*τί τὸ πλάτος, καὶ μῆκος, καὶ βάθος, καὶ ὕψος*] In his verbis exponendis totus eſt *David Holtzhalbius*, Theologus Tigurinus, in diſſertatione de ſacra Pauli Mathematica. Alii hæc accipi volunt de Eccleſia, tanquam templo Chriſti myſtico, de quo v. 17. collato cum II. 21. 22. alii de Chriſto, ejusque in nos amore; alii utrumque momentum conjungi volunt. De Eccleſia accipit *Hombergius* in Parergis p. 295. provocans ſimul ad *Apocal.* XXI. 16. ubi Jeruſalem ſancta ſecundum triplicem menſuram delineatur. Huc etiam *Hilſcherus* in diſſertatione ad v. 17. laudata, cogitata ſua retulit. *Longitudinem* Eccleſiæ ait eam eſſe, per quam ab Oriente ad Occidentem pertingit, *latitudinem* vero, qua à Meridie ad Septentrionem profertur. *Profunditatem* in Chriſto, tanquam fundamento Eccleſiæ ſolidiſſimo & præſtantiſſimo quærit, *altitudinem* vero in eo, quod usque ad cœlum protendatur Eccleſia. Idem ſentit B. *Starckius* in Notis Select. ad loca difficiliora N. T. pag. 145. ſeq. De *amore* Chriſti in ſuos intelligi vult Cl. *Harenbergius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. p. 1103. *Longitudo*, inquit, *amoris Chriſti tendit ab æterno in ſempiternos ſeculorum decurſus. Latitudo ejusdem ſpatium totius orbis, Eccleſiamque Catholicam Chriſtum condidiſſe notat, fracto pariete intergerino cap. II. 14. ſeq. finibusque Eccleſiæ ultra gentem Judaicam dilatatis. Profunditas amoris Chriſti quicunque ſeſe ab inferiori barathro retractos & vindicatos gaudent. Altitudo, quod de terra nos in cælum ſublaturus ibidemque æternum regnum nobis donaturus ſit.* Compara in eandem ſententiam *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 156. & in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 74. ſq. Ad hos proxime accedit *Petrus Dinant* in Commentario Belgico, quando menſuram operis redemtionis hic delineari exiſtimat. Cogitata ejus expoſita lege in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. p. 538. ſeq. Alia quædam momenta huc refert Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis: *Quid æternitate longius? Eccleſia Catholica latius? inferis, quos Chriſtus triumphavit, profundius? aut cælo, quod penetravit, ſublimius?*

Mihi quidem illorum rationes ſe probant, qui contemplationem Eccleſiæ à Chriſto fundatæ & beneficiorum in illam collatorum ab Apoſtolo Epheſiis commendari arbitrantur. Hæc enim contemplatio efficere inprimis poterat, ut eadem opera & præſtantiam & eminentiam amoris Chriſti in ſe, quam Apoſtolus v. 19. prædicat, & in qua magis magisque radicatos Epheſios eſſe cupiebat, rectius & altius perſpicerent. His poſitis intelligenti patebit, cur quadruplicem menſuram ad Eccleſiam, quam antea inſtar templi, vel ædificii repræſentaverat, accommodet. Longius enim petita opinor, quæ *Amelius* ll. cc. poſt. *Grotium* de תנופה & תרומה, ſive agitatione & exaltatione in ſacrificiis Judaicis recepta (*Levit.* VII. 30.) huc advocat, per quam partes ſacrificii ſurſum deorſum, horſum vorſum à Sacerdote ante aram agitatæ ſint. Lege, quæ contra hæc diſſerit *Wokenius* in Stromatibus pag. 144. Simili dicendi ratione Judæos quoque de re magna uti oſtendit Cl. *Schœtgenius* loc. cit. pag. 770. ex *Chagiga* fol. 11. 2. & *Sohar Chadaſch* fol. 45. 3. recteque monet, tran-

translatam eam eſſe ex architectura, in qua nihil excedere & nihil deficere debeat.

Verſ. 19. *Γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλησαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τȣ̃ Χριςȣ̃*] Hæc verba B. *Lutherus* primum ita converſa edidit: Und erkennen, daß die Liebe Chriſti alle Erkänntniß überſteige. Pro quibus hodie legimus: Auch erkennen, daß Chriſtum lieb haben beſſer ſey, denn alles wiſſen. Quæ poſterior interpretatio ut in ſe & ſeorſim conſiderata egregium & veritati convenientem ſenſum fundit; ita priorem tamen & verbis ipſis & nexui ſermonis Paulini magis reſpondere Interpretes recentiores tantum non omnes agnoſcunt. Optaverat Apoſtolus v. 18. ut Epheſii in amore Chriſti, quo ſcilicet in ipſos & alios credentes feratur, magis magisque radicarentur, h. e. ut eum *per Spiritum Sanctum in corda ſua effuſum* perſentiſcerent & guſtarent, quæ Pauli verba ſunt *Rom.* V. v. 5. Jam vero præterea optat, ut magis magisque intelligant & adſequantur infinitum illum Chriſti (in ſe) amorem, qui alias omnes intellectus humani vires ſuperet. Lege in hanc ſententiam plura apud B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, *Wokenium & Starckium* loc. cit. item *Franckium* pag. 92. Obſervationum vernaculorum. Adde etiam B. *Lütkenii* Conciones Funebres num. XI. & Auctorem Menſium Reſervatorum Tom. I. pag. 48. ſeqq. & M. *Joannis Blöch* Diſſertationem de charitate Chriſti ſcientiæ ſupereminente Regiomonti 1688.

Mirum eſt, *Trillerum* in Unterſuchung etlicher Oerter Neuen Teſtaments, pag. 288. utramque B. Lutheri expoſitionem, quæ in amorem Chriſti hinc *activum*, hinc *paſſivum* tendit, deſerere, & ita vertere potuiſſe: Zu erkennen die über das Erkänntniß ſich (reichlich) ergieſſende Liebe Chriſti, h. e. *ut cognoſcatis amorem Chriſti ſuper cognitionem* (h. e. ut interpretatur, ſuper hominem, qui Chriſtum recte cognitum habet,) *largiter ſe effundentem*. Vide, quantam vim ille inferat phraſi *ὑπερβάλλεσαν τῆς γνώσεως*! *γνῶσις* ſcilicet ejus judicio infert homines, Chriſti cognitione plenos, *τὸ ὑπερβάλλειν* vero ipſi eſt, *ſe diffundere*. Neutrum ſignificatum ex Scriptoribus unquam probaverit, recte ideo caſtigatus à *Schœnlandio* in Vindiciis verſionis Lutheri Anti-Trillerianis pag. 262. ſq. Ceterum *τὸ ὑπερβάλλειν* idem ſæpe eſſe, quod Latini *ſuperare* dicunt, mox oſtendetur.

*Hombergius*, *Trillero* ex parte *ὁμόψηφος*, non felicius in exponendis his verbis verſatus videtur. Mavult enim vertere: *& cognoſcere excellentem illam charitatem cognitionis Chriſti*, i. e. ut intelligatis, quantus amor ſequatur cognitum ſemel Chriſtum. Quod ut efficiat verba Pauli ita accipi vult, ac ſi ſcriptum eſſet: *γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλȣσαν ἀγάπην τῆς γνώσεως τȣ̃ Χριςȣ̃*. Præeuntem habuit *Hieronymum*, qui interpretatus eſt: *Eximiam dilectionem cognitionis Chriſti*, quod *obſcuro ſenſu*, fieri, *& trajectione ita violenta, ut admitti non p ſſit*, recte monuit *Beza*. Neque video, *Hieronymi* cauſam ab *Hombergio* l. c. contra Bezam ſatis defendi. Fatetur is, recte habitu-

ram eſſe verſionem, quæ *charitatem Chriſti omni cognitione ſuperiorem* infert, ſi Apoſtolus orationis ſuæ ſeriem ita conformaſſet: *γνῶναι τὴν ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως.* Jam vero ita ſeribi: *γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ.* Quid vero obſtat, quo minus ſeriem hanc poſteriorem eandem cum priore habeamus. Nihil enim inter utramque diſcriminis intercedit, niſi quod in poſteriore, Paulina, participium ad inſtar adjectivi præmittatur ſubſtantivo *ἀγάπην*, quando contra *Hombergius* in priore ſubſtantivum illud præmittit. Nonne autem Paulus, ut alios taceam Scriptores, eadem ratione alibi agit? Ita v. c. cap. V. 27. ait, *ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπῖλον.* Vides hic τὸ, *ἔνδοξον* præmitti ſubſtantivo *τὴν ἐκκλησίαν.* Magis utique in promtu eſt, locutionem Paulinam eadem ratione hic accipere, quam trajectionem, omnino violentam, invehere, & præterea vocum *γνώσεως, cognitionis*, per *cogniti* interpretari, h. e. *abſtractum* pro *concreto* accipere. Quamvis enim id alias fieri ſoleat, exempla tamen ab *Hombergio* h. l. allata, admodum ſunt aliena. Idem multus in eo eſt, ut probet vocem *ὑπερβάλλον*, alias ſæpe inferre id, quod Latini *magnum, extremum, excellens* appellant. Id utique largietur *Beza*, neque tamen cauſa cadet. Dicit enim id fieri, ubi *τὸ ὑπερβάλλειν*, vel *ὑπερβάλλον*, vel *ὑπερβάλλουσα* non regit caſum objecti, de quo ſermo eſt. Tunc enim idem eſt, quod *ſuperare, vincere, ſuperiorem eſſe.* Probaverat hoc *Beza* duobus locis ex Ariſtotelis lib. 3. de Republica. Evolvi illos, prout exſtant Tom. II. Operum Ariſtotelis ex edit. Colon. Allobrogum Anni 1605. in fol. pag. 267. Alter ita habet: Μυθολογεῖται δὲ, καὶ τοὺς Ἀργοναύτας τὸν Ἡρακλέα καταλιπεῖν, διὰ τοιαύτην αἰτίαν. Οὐ γὰρ ἐθέλειν αὐτὸν ἄγειν τὴν Ἀργὼ μετὰ τῶν ἄλλων, ὡς ὑπερβάλλοντα πολὺ τῶν πλωτήρων. hoc eſt: *Fabulantur autem, etiam Argonautas Herculem propter talem cauſam reliquiſſe, noluiſſe eum Argo navim cum aliis vehere, ut longo intervallo ceteros vectores ſuperantem.* Alter locus ibidem ita eſt conceptus: Οὔτε γὰρ γραφεὺς ἐάσειεν ἂν τὸν ὑπερβάλλοντα πόδα τῆς συμμετρίας ἔχειν τὸ ζῶον. h. e. *Nam neque pictor animalis pedem eſſe majorem ſinat, quam partium inter ſe commenſus & convenientia poſtulat.* Non poterant loci, noſtro ſimiliores, afferri. Habes utique hic participium *ὑπερβάλλοντα*, cum Genitivo *objecti* conſtructum, eo ſenſu, ut *ſuperandi* & *excedendi* notionem inferat. Plura ejusmodi exempla *Stephanus* affert in Theſauro. Quid ad hæc *Hombergius*? Opponit illis loca veterum, ubi verbi cauſa *τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀσεβείας, ὑπερβάλλουσα ἀπορία, ὑπερβάλλουσα σπουδὴ de extrema impietate, paupertate* & *induſtria* adhibetur. Hæccine vero efficiunt, ut negemus, alibi participium *ὑπερβάλλον*, vel *ὑπερβάλλουσα*, genitivum *objecti* regens, *ſuperandi* ſignificatu valere? Neque urgere pro ſe vir doctus poteſt *τὸ ὑπερβάλλον τῆς ἀσεβείας.* Ibi enim participium neutrum pro ſubſtantivo poſitum eſt, & vel ſic ratione ſenſus infert *impietatem omni alia ſuperiorem.* Perſtet igitur noſtra illa: quam *Beza* præ ceteris adſtruxit, expoſitio, quæ etiam aliunde firmatur.

Com-

Commendat Apoſtolus cognitionem amoris Chriſti. Quod ut efficacius faciat, eandem prædicat, tanquam omni alia cognitione ſuperiorem, quemadmodum ipſe amor Chriſti omnes intelligendi vires excedat. Hinc eleganter ait: γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην. Denique ipſi *Hombergio* prior illa ſua interpretatio non ſatisfecit. Propterea aliam affert, quando pag. 297. ait: *Poteſt & ita explicari hæc res*: ut cognoſcatis quam excellens & amabilis ſit res cognitio Chriſti; *quem ſenſum hic revera adeſſe, puto planiſſime probari ex Philipp. III. 8. ubi dicitur:* ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστοῦ. *Ubi manifeſte* τὸ ὑπερέχον *tribuitur* τῇ γνώσει, *& Apoſtolus dicit, ſe omnia perdere, ut Chriſtum lucretur, & ut ipſum cognoſcat* verſ. 10. *Optat ergo Apoſtolus, hoc loco, ut Epheſii idem faciant cum omnibus Sanctis.* Qui utrumque locum inter ſe comparaverit, intelliget, in epiſtola ad Philippenſes & aliam eſſe phraſin, & alium ſcribentis ſenſum. Hic commemoratur ſubſtantive τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, i. e. eminens notitia, in noſtro vero loco ἡ ἀγάπη ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως active, i. e. *amor excedens omnem cognitionem.* Ibi ad Philippenſes deſcribitur cognitio ab attributo quodam ſuo; hic vero amor ab illa proprietate, qua intellectum omnem ſuperet. Ibi Apoſtolus commemorat, quid eminens Chriſti cognitio apud ſe pariat, nempe amorem in Chriſtum, & contemtum aliarum rerum omnium præ illo: hic amorem Chriſti in nos, tanquam intelligendo nunquam à nobis penitus adſequendum prædicat. Longior hic fui, quam primum inſtitueram. Sed videbatur mihi locus egregius & palmarius ab obſcurioribus & longius petitis expoſitionibus diligentius vindicandus: nec operæ me pœnitet.

ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ] *ut inpleamini ad omnem plenitudinem Dei.* Ita prorſus *Herodotus* lib. II. pag. 103. ἡ δὲ εἰς Ἡλιούπολιν ἀπὸ θαλάσσης πληροῖ ἐς τὸν ἀριθμὸν τοῦτον· *at ea, quæ à mari ad Heliopolin ducit, hunc ſtadiorum numerum complet.* Compara Rev. *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 535. *Herodotus* hic numerum ſtadiorum certum tanquam terminum definit, in quem producta ſit via, Heliopolin ducens. Sic & omnem Dei plenitudinem Paulus terminum conſtituit, ad quem tendere & pervenire debeant, qui cognitione amoris Chriſti in ſe magis magisque impleantur. Per *plenitudinem* vero illam *Dei* intelligenda ſunt omnia χαρίσματα, per Chriſtum nobis parta, quæ credentibus in Chriſtum à Deo conferuntur & ſenſim cumulantur. Chriſtus enim eſt, de quo Johannes I. 16. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. Ea Chriſtus θεάνθρωπος & mediator peperit, ea Deus donat, & quidem iis, qui fidem intima amoris Chriſti perſpicientia prægnantem habent. Nolim itaque hic τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ cum Cl. *Elsnero* pag. 204 interpretari de *Eccleſia Chriſti* tanquam Chriſti corpore myſtico. Neque enim hic de *Chriſto*, ſed de *Deo*, tanquam fonte omnium χαρισμάτων & πάσης δόσεως ἀγαθῆς καὶ παντὸς δωρήματος τελείου, *Jac.* I. 17. ſermo eſt, ad quem aditum nobis Chriſtus aperuit,

ut cum fiducia accedere poſſimus. *Hebr.* IV. 16. Junge his, quæ ſupra ad l. 21. diximus. Recte Cl. *Jo. Frider. Burgius* in Analyſi hujus epiſtolæ §. 16. ita: *Quæ verba,* (ἵνα πληρωθῆτε, κ. τ. λ) *ſi probe memineris, Apoſtolum hic perrexiſſe in allegoria à templo Dei petita, nullam habebant difficultatem. Reſpicit enim hic Apoſtolus ad gratioſam illam præſentiam Dei, qua in tabernaculo, Templo Salomonæo, Temploque, Ezechieli viſo, adfuit, quæ ἐπλήρωσεν ἡ δόξα τῦ Θεῦ, pro qua δόξῃ hic πλήρωμα Θεῦ ſumi ab Apoſtolo hoc certius perſuaſus ſum, quo evidentius illud eo ſenſu ab eodem Paulo accipi docet locus Coloſſ. II. 9. quo & iſtic Coloſſenſes ſuos dicit eſſe impletos. Quapropter alternante hic particula εἰς pro ἐν id exoptat Apoſtolus, ut Laodiceni, facti jam templum Θεῦ ζῶντος eam intimam præſentiam quoque experiantur, qua gaviſum eſt Templum Salomonæum &c.* Auguſtior videtur ſenſus, quem Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 771. his verbis, ſed dubitanter, tribuit, quando verti poſſe cenſet: *ut doceamini omnem doctrinam divinam.* Conferri hanc in rem jubet dicta ad *Matth.* V. 17.

Verſ. 20. ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι] Τὸ ὑπὲρ abeſt à nonnullis Codicibus, minus recte. Vindicat hanc præpoſitionem efficaciſſima Pauli oratio, quæ ex ſequenti ὑπὲρ ἐκπερισσῦ perſpicitur.

κατὰ τὴν δύναμιν, τὴν ἐνεργυμένην ἐν ἡμῖν] *juxta vim efficaciter agentem in nobis.* Ita recte *Eraſmus Schmidius*, & Interpretes, quos vidi, omnes. Sed intercedit *Gerhardus Outhovius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. p. 474. qui ita potius convertit: *pro vi illa, quæ efficitur*, vel *perficitur in nobis*, ſcil. potenti vel efficaci operatione Spiritus Sancti. Nititur hæc verſio alia quadam Viri docti obſervatione, ſecundum quam verbum ἐνεργεῖσθαι in tabulis Novi Inſtrumenti nonniſi paſſivo ſenſu adhiberi contendit. Hanc vero regulam ab exemplis in N. T. allatis deſeri ad *Rom.* VII. 5. ubi & de loco 1 *Theſſ.* II. 13. actum eſt, oſtendi. Hoc etiam in loco non de vi illa, quæ nobis *confertur*, ſed de vi & potentia Dei in nobis *operantis*, ſermonem eſſe, ex eo patet, quod Deus hic *agere* ποιῆσαι dicatur, quodque δυνάμενος appelletur, nempe pro illa vi, & facultate, quæ etiam in homines credentes ſe exſerat. Idem habendum eſt de *Coloſſ.* I. 29. εἰς ὃ καὶ κοπιῶ, ἀγωνιζόμενος κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτῦ τὴν ἐνεργυμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει. Nam & hic agi de efficacia *Chriſti*, quatenus *potenter agentem* ſe præſtet in Paulo, clarum eſt ex eo, quod illa ἐνέργεια αὐτῦ *ejus*, tanquam Chriſti propria, ſeu in Chriſto exiſtens, deſcribitur. Neque obverti ſolide poteſt 2 *Corinth.* XII. 9 ubi dicitur, quod Dei δύναμις ἐν ἀσθενείᾳ τελειῦται. Nam τὸ τελειῦται idem eſſe, quod ἐνεργεῖται, precario affirmatur. *Perfectio* potius & conſummatio ſeu corroboratio *potentiæ* ſignificatur. Neque potentia *Dei*, ut Vir doctus affirmat, ſed Pauli ipſius indicatur. Sic enim habent Pauli verba: ἡ γὰρ δύναμίς μυ ἐν ἀσθενείᾳ τελειῦται.

εἰς

Digitized by Google

*εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων*] Non inveni in ſacris literis pleniorem & diſertiorem infinitæ æternitatis deſcriptionem, quæ h. l. de inſigni Pauli ſcribentis affectu teſtatur.

*ἀμήν*] Vide dicta Vol. I. pag. 134. Scriptoribus ibi citatis adde nunc *Winckleri* Commentationem vernaculam, qua vocem hanc repræſentat tanquam ein Krafft-Macht-und Glaubens-Wort, *Jen.* 1729.

# CAPUT IV.

AD Caput hoc IV. & V. illuſtrandum refertur *Gotthardi Heideggeri* Idea Chriſtianæ honeſtatis, quæ exſtat in Recreationibus ejus Sacris Parte I.

Priora ſedecim hujus capitis commata exponuntur à M. *Jo. Gothofr. Nicandro* in Diſputatione de unitate doctrinæ, & hinc dependente unitate Eccleſiæ, Lipſiæ 1659.

Cum ſex priora commata Pericopen ſiſtant, quæ pro concione annuatim explicari ſolet, eadem illuſtranda ſibi ſumſit Cl. *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis, Parte II. pag. 147. ſqq.

Verſ. 1. *ὁ δέσμιος ἐν Κυρίῳ*] *vinctus in Domino*, i. e. propter Dominum. *Τὸ ἐν* enim ſæpe idem eſt, quod *propter*. Vide Volumen I. harum Curarum p. 208. & 1345. Adde *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 446.

*ἀξίως περιπατῆσαι τῆς κλήσεως*] M. *Antoninus* lib. XII. §. 1. *ἄξιον τοῦ γεννήσαντος κόσμου, dignum mundo*, i. e. Deo, *qui genuit*, appellat, ubi lege *Gatakeri* Notas, in quibus Paulina hæc & ſimiles phraſes illuſtrantur.

*τῆς κλήσεως, ἧς ἐκλήθητε*] Sic *Arrianus* Epictet. p. 122. *καταισχύνειν* dicit *τὴν κλῆσιν, ἣν κέκληκεν*, ignominia afficere vocationem, qua alius aliquem vocavit. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas p. 540.

Verſ. 2. *μετὰ μακροθυμίας*] *cum animi lenitate*. Hanc vocem Rev. *Zeltnerus* mavult referre ad *ἀνεχόμενοι* in gloſſa ad h. l. Cum vero non minus modeſtia & manſuetudo, quam lenitas animi ad tolerationem mutuam requirantur, videntur tres illæ virtutes à Paulo ita ſibi invicem junctæ, ut appareat, quibus rebus hunc in finem ſit ſtudendum.

*ἀνεχόμενοι ἀλλήλων ἐν ἀγάπῃ*] Solœciſmum hic Clericus cum *Hammondo* videre ſibi viſus eſt ad *Galat.* II. 6. cum vox *ἀνεχόμενοι* non reſpondeat antecedentibus, *παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς*. Alii itaque verbum *ἐστὲ* hic ſubintelligi volunt, h. e. *tolerate vos invicem*; quo poſito comma primum ab hoc *τελεία στιγμῇ* fuiſſet ſeparandum. Vide poſt *Knatchbullum Hombergium* pag. 297. Alii pendere *τὸ, ἀνεχόμενοι* volunt à verbo *ἐκλήθητε*. Alii cum *Grotio περιπατῆσαι* idem eſſe putant, quod *περιπατεῖτε*. Cl. *Elsnerus* pag. 212. exiſtimans, quod

quod ἀνεχόμενοι poſitum videri queat pro ἀνέχεσθε, mavult hic de ſtructura illa cogitare, ſecundum quam Scriptores nominativum ſubjungunt infinitivo, à præcedente caſu diſcrepantem. Ita omnino *Ælianus* Var. Hiſtor. lib. XIII. 23. Ἀπήντησεν αὐτῷ τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκοπῆναι, ὡς μὲν τινές φασιν, ἐξ ἐπιβουλῆς λίθῳ βληθεὶς, pro βληθέντι, quod præcedens αὐτῷ requirere videbatur. Plura ejusmodi exempla ex utriusque Linguæ Scriptoribus allata ſunt ab aliis, quos *Elsnerus* laudat. Confer nos ad III. 18. Huic ſententiæ adſtipulatur Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 88. *Hic non opus eſt*, inquit, *ut* ἀνεχόμενοι *reſtrictum dicatur ad* ἐκλήθητε, *quia ſententia Pauli nimis ſic diſtorqueretur; ſed participium nominativi caſus ſui quaſi juris eſt, nec revocatur anxie ad ſuperiora: uti ſupra demonſtravimus.* Prætulerim ego ellipſin verbi ἐςε. Ex gravi hac Pauli ad mutuam concordiam cohortatione Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis conficit, fuiſſe Epheſi quandam inter Judæos & Gentiles converſos diſſenſionem, in qua Judæi procul dubio majores ſibi partes vindicare voluerint.

Verſ. 3. Σπουδάζοντες τηρεῖν τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος] Lege B. *Balthaſ. Bebelii* Diſputationem de unitate Eccleſiæ, Argentorati 1685. & quos B. *Sam. Benedictus Carpzovius* ad h. l. conferri vult in der Fruchtbringenden Geſellſchafft, Part. I. pag. 778.

ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης] *per vinculum pacis. Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 969. σύνδεσμον idem hic notare putat, quod εἰρήνη, niſi quod ſit vox generalior, nec dubium eſſe, quin Apoſtolus hic reſpexerit ad originem vocis εἰρήνη, quæ repetenda ſit ab εἴρω, *necto, conjungo, copulo.* Non nego de origine vocis εἰρήνη recte ita ſtatui, recte etiam contra illos Grammaticos diſputari, qui εἰρήνην idem eſſe volunt, quod εἴρειν εἰς ἕν. Nec inficior, fieri interdum, ut duorum Subſtantivorum alterum abundet. Vide Vol. I. harum Curarum pag. 351. Hoc tamen loco idem uſu venire vix mihi perſuaſerim. Paulus potius & *vinculi* meminit, & oſtendit, in quo illud conſiſtat, nempe in pace, quæ in animo regnare debeat. Σύνδεσμος reſpicit ἑνότητα, εἰρήνη vero τὸ πνεῦμα. Idem eſt ac ſi ſcripſiſſet: Τηρεῖτε τὴν ἑνότητα τοῦ πνεύματος, ἐν τῷ συνδέσμῳ, ὅς ἐςιν εἰρήνη. Vocem πνεῦμα hic non de Spiritu Sancto, ſed de anima hominis regeniti puto accipiendam. Quod ad phraſin ſpectat, Judæi in *Sohar Chadaſch* fol. 4 3. ſimiliter dicunt: קשורא דייחודא, *vinculum unitatis.* Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad h. l. & ad *Apocal.* II. 1.

Verſ. 4. Ἓν σῶμα] *Unum corpus* ſcilicet eſt, vel, ut *unum* ſitis *corpus.* Confer *Rom.* XII. 5. Vide etiam Venerab. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimas, Parte I. pag. 342. Ex his imprimis verbis, & ſequentibus aliis *Joſua Arndius* de una fide ad ſalutem neceſſaria contra Honoratum Fabrum commentatus eſt.

ἐν

*ἓν βάπτισμα, μία πίστις*] Quomodo hæc cum *Hebr.* VI. 2. conciliari poſſint, ubi *διδαχὴ βαπτισμάτων* commemoratur, lege apud *Svicerum* Tom. I. pag. 651.

Verſ. 6. Εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων] Afferam hic B. *Feſſelii* verba ex Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 347. *Patris omnium nomine*, inquit, *non relative ſive perſonaliter prima ſolum divinitatis perſona, ſed eſſentialiter tota Trinitas intelligitur, quæ dicitur Pater jure creationis & conſervationis omnium creaturarum; id quod verbis conſequentibus luculenter conſtat*: Unus eſt Deus & Pater omnium: *quibus verbis eſſentiæ divinæ unitatem exprimit, poſtea ſubjungit, ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν, quibus verbis diſtinctas deitatis perſonas deſignat, perinde, ut Rom. XI. verſ. ult. fecerat.* Patri *enim tribuitur, quod ſit* ſuper omnia, *ſicut* Rom. XI. *verſ. ult. dicuntur* ab ipſo omnia; Filio, *quod ſit* per omnia, *quia* omnia per ipſum *dicuntur* facta, *Joh. I. 3.* Spiritui Sancto, *quod ſit* in omnibus, *Sapient. XII. 5. Id quod probe obſervandum contra Socinianos, qui nomine* Patris *totam Trinitatem hic negant intelligi.* Patris itaque nomen eſſentialiter, h. e. de SS. Trinitate accipit. Ponamus autem perſonaliter, h. e. de prima perſona intelligi debere, quod nonnulli etiam ex noſtratibus faciunt, vel ſic Filium & Spiritum Sanctum Deum verum eſſe non magis negari poterit, quam negari poteſt, Patrem eſſe *κύριον*, ſeu יהוה ideo, quod Filius h. l. *εἷς Κύριος* vocatur.

*ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν*] Pro ultima voce alii Codices & verſiones & editiones quoque legunt *ἡμῖν*; alii vero prorſus omittunt. Propterea *Millius τὸ ὑμῖν* æque ac *ἡμῖν* cenſet eſſe explanatoria, adeoque à Paulo non profecta; & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ſimpliciter legit *ἐν πᾶσιν*. Cum vero plerique & probatiores Codices *τὸ ὑμῖν* exhibeant, merito & ſecure eos ſequimur, quamvis alioquin quod ad ſenſum nihil interſit, ſi *ἡμῖν* legatur, cum in ſequenti commate ſeptimo Paulus ſcribat: *Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις.* Ita vero agere etiam alias ſolet, ut ab Epheſiis, ad quos ſcribit, orationem transferat ad alios etiam fideles. Sic II. 8. *Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως, καὶ τοῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν.* Et verſ. 10. *Αὐτοῦ γάρ ἐσμεν ποίημα.* Illa vero vox *ὑμῖν*, in fine commatis collocata, recte à pleriſque Interpretibus transfertur etiam ad antecedentia momenta: *ὁ ἐπὶ πάντων (ὑμῶν) καὶ διὰ πάντων (ὑμῶν.)* Loquitur enim Apoſtolus *de Deo & Patre omnium*, reſpectu inprimis ad fideles habito, in quibus operetur. Quod ut cap. III. v. 20. diſerte affirmaverat, ita hic quoque innuere exiſtimandus eſt, ut intelligerent Epheſii, ipſos amore in ſe mutuo ferri debere, etiam ideo, quod *unus Deus* ſuper omnes ſit, per omnes & in omnibus ipſis operetur, non facto vel habito ullo diſcrimine, ſicut ipſa etiam ſalutis inſtrumenta omnibus communia eſſe juſſerit. Ad hanc operationem intrinſecam inprimis reſpici apparet quoque ex commate ſeptimo, ubi de dono gratiæ, cuique & ſingulis conceſſo, diſſeritur. Diſſentit hic L. M. *Artemonius*, ſeu *Samuel Crellius*, in Initio Evangelii S. Johannis reſtituto p. 230. *Latius,*

*tius*, inquit, *hic patet vox πάντων*, omnia, *& aliter intelligenda*, *quam*, *cum poſtea dicit*, *&* in omnibus vobis, *ubi τὸ*, vobis, *reſtringit vocem* omnibus, *ad ſolos fideles Epheſios tam Judaicæ quam Ethnicæ nationis; ac proinde cum dicit, ὁ ἐπὶ πάντων*, *non debet vox ὑμῶν aut ἡμῶν ſubintelligi*, *ſed reſpicit antecedentia*, *omnes* v. 4. *&* 5. *prærogativas ac felicitates.* Hoc itaque ſibi vult *Artemonius*, non hic reſpici *perſonas*, ut ita loquar, ſed perſonarum qualitates & *prærogativas*, quemadmodum & *τὸ, διὰ πάντων*, ita accipit, ut DEUS *per omnes eas prærogativas* eſſe dicatur, *tanquam qui per eas omnes probet & oſtendat, ſe eſſe Deum & Patrem omnium.* Contorta hæc eſſe nemo non, puto, intelliget, qui ſuperiora, quæ attulimus, recte expenderit. Nec video, quomodo hic in *prærogativas* inciderit vir doctus, quarum ante non facta ſit mentio. Quæ enim v. 4. de uno corpore, uno ſpiritu & una vocatione afferuntur, ea oſtendunt, quales eſſe per Spiritum Sanctum, & quales ſe exiſtimare debeant Epheſii. Quando autem v. 5. affertur unus Dominus, una fides, unus baptiſmus, recenſentur adminicula ſalutis, à Domino (Chriſto) parta & exhibita. Omnia denique eo tendunt, quod diximus, ut, cum his mediis omnes ex æquo utantur, & uti poſſint per operationem Dei, ad omnes æqualiter pertinentem, & in omnibus ſe exſerentem, eo majus ſtudium pacis inter ſe ſervandæ præſtent. De prærogativis illis ſeu donis, quæ fidelibus ſint collocata, mentio fit demum verſ. 7. Patet itaque, *Artemonio* hic rem non felicius ceſſiſſe, quam in loco Rom. IX. 5. *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων*, ubi itidem de *prærogativis* cum minus recte cogitare Vol. II. harum Curarum oſtendimus. Addam his Anonymi Angli cogitata ex Annotationibus ejus Latinis: Super omnes, *nimirum Eccleſiæ cives, quoad imperium;* per omnes *eoſdem migrans, quoad providentiam ſpecialem;* in omnibus vobis, *quoad aſſiſtentem gratiam.* Cl. *Burgius* in Analyſi hujus epiſtolæ *τὸ, διὰ πάντων* verti vult, *inter omnes*, ex 2 *Corinth.* II. 4. *διὰ πολλῶν δακρύων, inter multas lacrymas.*

Verſ. 7. *Ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ* ] Verba hæc Interpretes adhuc omnes ita acceperunt, quod gratia unicuique credentium data ſit, ſecundum eam menſuram, qua Chriſto eam conferre cuique placuerit. Noviſſime autem Cl. *Oedero* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum p. 684. ſqq. ita placuit interpretari: *Unusquisque noſtrum gratiam ſeu donum à Deo accepit, juxta menſuram illius donationis, quæ Chriſto obtigit.* Δωρεὰ Χριστοῦ, inquit, *æque poteſt donum*, *quod* accepit Chriſtus, *ſignificare*, *quam*, *quod* dedit Chriſtus. *Δωρεὰ enim idem eſt*, quod *δῶρον*, *ut patet inter alia ex* Actor. XI. 17. *Porro eadem dona mox dicuntur* afferentium. *Matth.* V. 23. *Luc.* XXI. 1. *mox* Dei, cui oblata ſunt, *Luc.* XXI. 4. *ut adeo genitivus caſus tam* accipientem, *quam* dantem *ſignificare queat.* Poſteriorem hanc expoſitionem priori, quam tamen obtinere etiam poſſe non negat, ideo præfert, quod alioquin non pateat, cur Apoſtolus v. 8. ex Pſalmo LXVIII. doctrinam de *deſcenſu & adſcenſu Chriſti* afferat & urgeat. Apoſtolum enim in eo eſſe, ut *modeſtiæ* ſtudium inculcet. Huc vero non

Digitized by Google

non admodum facere, ſi ſtatuamus, Paulum dicere: *Modeſtiæ ſtudendum eſt, nam tantum unusquisque noſtrum accepit, quantum Chriſto libuit dare; prædictum eſt enim de Chriſto: aſcendit, & dona accepit.* Ab altera vero parte concinne orationem Pauli fluere, ſi ita capiatur: *Modeſti eſtote, neque ſectamini ſublimia. Dona enim divina nobis conceſſa ſunt, juxta menſuram donorum Chriſto collatorum, quem Scriptura memorat ante deſcendiſſe, quam aſcenderit, humiliatum prius atque depreſſum, quam exaltatum.* Hanc expoſitionem à commate 11. non quidem poſci, ferri tamen & ſuſtineri optime cenſet pag. 687. firmari autem vel maxime verbis commatis 13. *ad menſuram ſtaturæ plenitudinis Chriſti*, quæ hæc velint: Ita coaleſcere debet Eccleſiæ corpus ad juſtam magnitudinem, uti Chriſtus crevit, & auctus eſt ætate, ſapientia & gratia apud DEUM & homines. Lente ſcilicet, prout Chriſtus non involavit in gloriam ſuam, ſed ſuſpenſo gradu per infinitas adflictiones & ærumnas ivit.

Non ſine ingenio & doctrina, addo etiam veri ſpecie, hæc traduntur. Sunt tamen non pauca, quæ obverti poſſint. Non diſputabo nunc, num δωρεὰ Χριϛȣ̃ donationem Chriſto factam inferre poſſit, quamvis locus *Luc.* XXI. 4. à Viro docto allatus huc non admodum pertineat. Ibi enim per δῶρα τȣ̃ Θεȣ̃, non tam dona Deo facta, quam *gazophylacium Dei*, ſeu ſacrum infert. Vide Curas noſtras ad l. c. & ad *Matth.* XXVII. 6. Largior hoc tantiſper, inprimis, cum non neget, phraſin illam etiam donum à Chriſto collatum ſignificare poſſe. De eo potius diſpiciendum eſt, an ſeries orationis Paulinæ expoſitionem illam adſtruat. Id vero nondum perſpicio. Vir doctus ſcopum Apoſtoli in commendatione *modeſtiæ* ait eſſe poſitum, quam urgeat propoſito in exemplum Chriſto, *qui humiliatus prius atque depreſſus fuerit, quam exaltatus.* Mihi vero Paulus in genere ad concordiam mutuam atque pacem ſervandam Epheſios cohortari videtur, & ταπεινοφροσύνην v. 2. eo conſilio ſuadere, tanquam ſine qua pax mutua conſtare non poſſit. Propterea v. 3. ἑνότητα τȣ̃ πνεύματος & σύνδεσμον τῆς εἰρήνης efficaciter urget. Ad illud *pacis*, non autem ſpeciatim *modeſtiæ* ſtudium pertinent argumenta v. 4. 5. & 6. allata, ceu ex ſuperioribus patet. Illis vero novum accedit v. 7. à χαρίσμασι, ſeu donis, in quorum fructum omnes fideles pervenerint, petitum. Recte enim ita argumenteris: *Si Chriſtus omnibus dona largitus eſt, nefas eſt, animis eſſe ſejunctos, quos Chriſtus ex liberalitate ſua æquales fecit.* Valet etiam in eundem ſcopum hæc argumentatio: *Si Chriſtus pro menſura*, qua ipſi placet, h. e. pro liberrima & ſapientiſſima voluntate ſua, *unicuique diſpertitur dona, abſit à nobis, ut illam donorum diverſitatem in diſſenſionis argumentum rapiamus.* Ita rectius verba Pauli cohærent, quam ſi de *modeſtia*, quæ ad *concordiam fraternam* viam tantum munit, ſpeciatim cogitemus. At obſtare tamen videtur locus de deſcenſu & adſcenſu Chriſti ex Pſalte allatus. Sed non obſtat. Affertur enim ideo, ut manifeſtum fiat, cui *dona gratiæ* debeamus. Id vero diſerte docet Pſaltes, quando eum, qui adſcendit, *dona* illa *pro hominibus*

*nibus accepiſſe*, atque adeo illis dediſſe, aſſeverat. Horum verborum cauſa locum illum allatum eſſe gratis negat vir doctus p. 686. Eo enim Apoſtolum reſpexiſſe ex variis capitibus conſtat. Loquitur de *gratia* fidelibus data, ἐδόθη ἡ χάρις. Oſtendit datorem, nempe Chriſtum, cujus δωρεὰν commemorat. Probaturus denique, Chriſto eam deberi, ad Pſalmum LXVIII. provocat, in quo ὁ ἀναβὰς εἰς ὕψος dicatur, dona accepiſſe hominibus danda. Imo, quod plus valet, phraſin Davidicam: לקחת מתנות באדם, non tam affert ſimpliciter, quam explicat per ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Denique verſ. 11. de Chriſto iterum: καὶ αὐτὸς ἔδωκε, κ. τ. λ. Nonne hoc indicio eſt, Paulum ad illa Pſaltis verba inprimis animum convertiſſe, atque adeo Chriſtum ut largitorem & datorem ſeu pararium donorum illorum repræſentare voluiſſe? *Deſcenſus* Chriſti à Pſalte prorſus non fit mentio, quem proinde Paulus ideo tantum commemorat, ut intelligi poſſit, quis à Pſalte fuerit indicatus. Num quis igitur dicere ſuſtineat, Apoſtolum ex hoc loco non tam donationem, fidelibus à Chriſto factam, quam deſcenſum, cujus in divino hymno nulla fit mentio, & aſcenſum Chriſti, demonſtrare voluiſſe? De ſenſu verborum commatis verſ. 13. quæ vir doctus pro ſe affert, mox ad comma illud dicemus. Ratum igitur eſto, ſermonem hic eſſe de Chriſto, τῶν χαρισμάτων largitore, non autem de donatione, quæ & qualis Chriſto obtigerit. Recte *Chryſoſtomus* ad h. l. Τί ἐστι, κατὰ τὸ μέτρον τουτέστιν, οὐ πρὸς τὴν ἡμετέραν ἀξίαν. ἐπεὶ οὐδ᾽ ἂν ἔλαβεν οὐδεὶς, ἃ ἔλαβεν, ἀλλὰ πάντες ἀπὸ τῆς δωρεᾶς ἐλάβομεν. Καὶ διὰ τί ὁ μὲν πλέον, ὁ δὲ ἔλαττον; Οὐδὲν τοῦτο ποιεῖ, φησιν. ἀλλ᾽ ἀδιάφορον τὸ πρᾶγμά ἐστιν. ἕκαστος γὰρ πρὸς τὴν οἰκοδομὴν συντελεῖ. Καὶ διὰ τοῦτο δείκνυσιν ὅτι οὐκ ἀπὸ τῆς οἰκείας ἀξίας, ὁ μὲν πλέον, ὁ δὲ ἔλαττον ἔλαβεν, ἀλλὰ δι᾽ ἑτέρους, ὡς αὐτὸς ἐμέτρισεν. Hanc Pauli mentem eſſe optimus doctor probat ibidem ex 1 *Corinth.* XII. 18. Τὰ δὲ μέλη ἔθετο ἓν ἕκαστον αὐτῶν, καθὼς αὐτὸς ἠθέλησε. Cui jungenda ſunt, quæ ibidem v. 7. leguntur: Ἑκάστῳ δὲ δίδοται, ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον. Nolim præterea τό μέτρον τῆς δωρεᾶς Χριστοῦ, de *menſura*, *ſecundum quam Chriſto facta ſit donatio*, accipere, cum μέτρον nullum in *Chriſtum* cadat. Johannes Baptiſta *Joh.* III. 34. de Chriſto ait: Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ, οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. Colophonem his imponant B. *Calovii* verba in Bibliis Illuſtratis: *Dominum ergo illum unum, de quo* verſ. 5. *conſtituit auctorem donorum, qui* αὐτεξουσίως *illa diſtribuit in univerſa Eccleſia, quod argumentum eſt Deitatis Chriſti; & diſtinguuntur ita dona* CHRISTO *ſecundum humanam naturam data*, οὐ κατὰ μέτρον, ſine menſura, h. e. *immenſa, & dona, quæ nobis dantur à Chriſto*, κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, ſecundum menſuram donationis Chriſti, *quæ ipſi libet.* Non poteſt ad hæc obvertere vir doctus, per τὸ μέτρον non tam *qualitatem* aut *quantitatem* donorum, Chriſto factorum, innui, quam *rationem* ſeu *modum* & *conditionem* ejuſmodi dona conſequendi, ut Chriſto ſimiles hac ex parte reddamur. Id ſcilicet ſubindicare voluiſſe videtur, quando pag. 688. ait,

ſenſum

ſenſum verborum hunc eſſe: *ſolemus eadem ratione dona divina conſequi, qua gloriam ſuam Chriſtus adiit.* Sic autem propria & Scriptorum uſu firmata vocis *μέτρον* ſignificatio deſeritur & cum nova eaque aliena permutatur. *Μέτρον* infert *proportionem*, quam vocem vir doctus eadem pag. 688. adhibet, ſeu *menſuram*, ad quam aliquid ratione *quanti* exigitur. Si vero ejusdem expoſitionem admittas, *conditionem* potius ſignificabit, qua poſita divinorum donorum participes, ad Chriſti exemplum, reddamur. Non urgebo nunc, quod huic interpretationi phraſis Paulina obſtet: *ἐδόθη ἡ χάρις.* Ea enim omnino id vult, quod gratiæ dona, à Chriſto parta, in unumquemque credentium pro arbitrio CHRISTI jam ſint collata, quo exempli loco diverſi doctorum in Eccleſia ordines v. 11. referuntur; tantum abeſt, ut ſignificet *ordinem* & *conditionem*, qua poſita fideles illorum donorum participes ſint reddendi.

Verſ. 8. Διὸ λέγει] *Ideo*, ſeu *quo ſenſu, dicit;* ſcilicet Scriptura, quam vocem alias addit Paulus Rom. IV. 3. IX. 17. & 1 Timoth. V. 18. Omittit vero *Jacobus* IV. 6. & *Philo* frequenter v. c. pag. 30. Opp. *μετὰ δὲ ταῦτά φησιν.* Confer Cl. *Joannem Albertum* in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 120. qui addit, neſcio, quo argumento ductus, *τὸ, λέγει* hic accipi poſſe pro *jubet.* Similiter Judæorum Magiſtri in allegandis Scripturis divinioribus: לכך כתיב, vel לפיכך כתיב, *idcirco ſcriptum eſt;* Item לכך נאמר, *propterea dicitur*, vel לפיכך הוא אומר, *propterea ille dicit.* Vide *Surenhuſii* Βίβλον *καταλλαγῆς* pag. 9. Pſalmum LXVIII. 19. reſpici exploratum eſt. Itaque Paulina verba cum Davidicis recte contenderunt plurimi, ex quibus inprimis legere juverit ex noſtratibus Celeb. *Franciſcum Wokenium* in Meditationibus Privatis Tom. II. pag. 81. ſqq. & in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti p. 337. & *Urſinum* in Analectis Tom. I. pag. 49. ſqq. ex Anglis *Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Parte II. pag. 259. ſqq. & *Pearſonum* ad Symbol. Apoſtolic. pag. 404. ex Reformatis *Surenhuſium* l. c. & *Jacobum Guſſetium* contra *Chiſuck Emuna* Parte II. cap. 91. Nihil utrinque eſt diſcriminis, ſi hoc excipias, quod David Chriſtum alloquitur, Paulus autem de Chriſto eadem in perſona tertia pronunciet, ac præterea Chriſtum dediſſe hominibus dona dicat, quando Pſaltes ait: לקחת מתנות באדם, *accepiſti dona pro hominibus,* ſeu inter homines. Hinc factum eſt, ut auctor libri *Chiſſuck Emuna* Paulum corruptelæ, verbis Davidicis illatæ, poſtularet, *Whiſtonus* autem Codicem Hebræum & *τοὺς* LXX. Interpretes depravatos & ex Paulo emendandos ſtatueret, in Tentamine contextum Hebræum reſtituendi p. 104. & 316. Priori ſatis occurrit *Guſſetius*, poſteriori autem *Wokenius* ll. cc. tum vero præſtantiſſimus *Jo. Gottlob Carpzovius* in Parte III. Criticæ Sacræ Whiſtono oppoſita pag. 865. *Wokenius* p. 343. etiam in *Surenhuſium* recte animadvertit, gratis affirmantem, Pſalmum illum non literaliter de Chriſto, ſed de Deo è monte Sinai redeunte agere, atque adeo ad Chriſtum, tantum à Paulo accommodari, Paulum quoque verbum לקח per *δίδωμι* expoſuiſſe, eo quod ab eo non diſputa-

L 3 tum

tum ſit, utrum Chriſtus dona acceperit, ſed, an diſtribuerit? Sed hæc quidem miſſa nunc facimus, ubi monuerimus, *Jo. Gottlob Pfeifferum*, Theologum Lipſienſem, in Commentatione Exegetico-Theologica Lipſiæ 1723. edita, Pſalmum hunc, tanquam de Chriſto vaticinantem, ſatis adſeruiſſe, qua opera ex Reformatis etiam perfunctus eſt *Gerhardus van den Buſch* in Tractatu de inceſſu Dei in ſanctuario ex *Pſalm.* LXVIII. 23.—28. Ultrajecti 1726. 8. Interim optima Paulina verba cum Davidicis conciliandi ratio in eo poſita videtur, quod Hebræis uſu receptum ſit, verbis uti prægnantibus, h. e. duas ſignificationes eadem opera involventibus. Exempla hujusmodi præter *Glaſſium* in Grammatica Sacra Tractatu III. canone II. attulit B. *Chriſtophorus Sonntagius* in Diſſertatione de verbis Hebræorum prægnantibus Altorf. 1697. Ad horum igitur morem Hebræum לקח, & *capere*, ſeu *accipere*, & *dare* ſignificabit, ſeu *danda capere*. Ita præter *Grotium*, ex Anglis *Pockius* ad Portam Moſis p. 24. & *Hammondus* ad h. l. ex noſtratibus vero plerique omnes ſtatuunt, ex quibus legi inprimis velim *Noldium* ad Concordantias Particularum n. 721. *Hackſpanium* in Sylloge pag. 590 *Carpzovium* loc. cit. & *Pfeiferum* p. 65. *Carpzovius* ita: *Adhibuit autem Paulus verbum ἔδωκε, tum, ut explicaret finem acceptionis, communicationem donorum, quæ Chriſtus non pro ſe accepit, ſed pro aliis; tum, ut plenitudinem Scripturæ ita panderet, & quod βάθος, quæ emphaſis verbi* לקחת *eſſet in Pſalmo, edoceret.* Idem ſe probavit *Guſſetio*, l. c. pag. 446. *Vides*, inquit, *me in Pſalmo ſub* acceptione (לקחת, accepiſti) *intelligere* donationem. *Ita eſt ſane, & ſic intelligere jubet nomen iſtud* מתנות, dona, *quo proponuntur illi, qui accipiuntur:* לקחת מתנות באדם, accepiſti dona inter homines. *Accipiuntur ergo, ut dona ſint, ut donentur: quo pacto docemur in accipiendi actu notari actum dandi, ad quem tenditur, ut interdum ex antecedente ſignificatur conſequens. Id verbo huic* לקח, accipiendi, *novum non eſt. Sic enim* Geneſ. XVIII. 45. Accipiatur tantillum aquæ, & lavate pedes veſtros; — & accipiam fruſtum panis, & ſuſtentate corda veſtra; *h. e. aqua accipiatur, ut vobis detur; accipiam, ut vobis dem fruſtum panis.* Addiderim his locum illuſtrem Hoſeæ XV. 3. וקח טוב, & *cape*, h. e. capiens da nobis bonum. Idem *Guſſetius* in eandem ſententiam diſſerit in Commentariis de Lingua Hebræa pag. 442. In his nihil quidem deſideres, niſi illud, quod δόματα illa ſeu *dona* apud Davidem de hominibus Eccleſiæ datis, accipit, & ſub iis Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas &c. intelligi vult ad v. 11. provocans. Hoc autem ferri non poteſt, cum ipſe fateatur, Apoſtolum δόματα de *dotibus* intellecta velle. Neque ſane video, cur non Davidis verba eodem ſenſu capi poſſint. Non obſtat vox באדם. Sumitur enim אדם collective pro *hominum* genere. Itaque באדם idem fuerit, quod *inter homines*. Hoc ſenſu phraſis eadem occurrit 2 *Sam.* XXIII. 3. *Dominator* באדם *inter homines*, & *Jerem.* XLIX. 15. *Dedi te contemtiſſimum* באדם *inter homines*. Totius itaque dictionis hic fuerit ſenſus: *cepiſti* ſeu *ſumſiſti dona inter homines*, ſcilicet diſtribuenda.

Non

Non obeſt, quod verſ. 11. de Chriſto dicatur, *κ̀ αὐτὸς ἔδωκε τὰς μὲν Αποςόλες, κ. τ. λ.* ubi Paulus *dona* illa de hominibus, dono datis, interpretari videtur. Hoc enim momentum, prout ante monui, in exemplum affertur liberalitatis & benevolentiæ Chriſti in Eccleſiam, quando ei largitus eſt doctores, quorum opera homines in eam conditionem perducantur, in qua *χαρισμάτων* ſeu donorum ſpiritualium participes fieri poſſint. Conſtat enim, me non monente, *δόματα* verſ. 8. commemorata omnia illa dona complecti, quæ *ſanctificantia* vel *adminiſtrantia* à Theologis appellantur, h. e. ea, quibus unicuique vel ad animæ ſalutem, vel ad communem utilitatem pro ratione officii cujusque provehendam opus eſt.

Ἀναβὰς εἰς ὕψος ] De aſcenſione Chriſti in cœlum glorioſum loqui hic Apoſtolum, nemo eſt, quod ſciam, qui adhuc dubitarit. Id & phraſis ipſa & oppoſitum ejus, nempe *deſcenſus*, & *ſcopus*, de quo verſ. 10. *ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα*, evincunt. Nuper tamen diſceſſionem fecit *Hermannus Deuſingius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. Faſcic. II. pag. 30. Non negat is, Apoſtolum ipſum ita locum Pſalmi interpretari. Negat vero, eum ipſius Pſalmi ſenſum eſſe. *Verum*, inquit, *totus Pſalmi tenor, ejusque continuitas ſatis oſtendit, heic proprie non agi de adſcenſione Chriſti in cœlum, ſed de Reformatione. Neque propterea periclitatur Apoſtoli auctoritas. Nam, præterquam quod ille d. l. intellectu Prophetico, (quem paſſim in epiſtolis literali ſubeſſe reor) etiam ad tempus Reformationis collineet, (ut alibi ad illum locum demonſtravi) non eſt inſolens, Apoſtolos & Evangeliſtas allegare ad comprobationem alicujus rei prophetias, quæ proprie non vaticinantur de re illa ipſa, ſed de re per illam ſignificata, tum, ut indicent, rem illam eſſe typum ac figuram alterius rei, tum, ut oſtendant, recte de antitypo argumentum duci ad comprobationem typi: quoniam typus fundatur in antitypo, &, ſi recte putes, typus & antitypus revera unum ſunt, ſicut umbra & corpus, ita ut alterum ab altero non poſſit divelli.* Non verendum hic eſt, ne aſſeclas inveniat *Deuſingius*. Sententiam enim ſuam ſuperſtruit regulæ & canoni Exegetico, quem, nondum ſatis probatum, plerique non admiſerint. Provocat ad nexum Pſalmi, qui, quam parum pro ipſo faciat, ex Interpretibus, & nominatim *Buſchio*, fidei ejus ſocio, intelligetur, ad quos ſecure hic provocamus, ſatis habentes, quando ipſe non negat, Paulum verba Pſaltæ ad adſcenſionem Chriſti retuliſſe. Sublimes Pauli cogitationes, inſcius etiam, deprimit & elevat *Stephanus le Moyne*, quando in diſſertatione ad Jerem. XXIII. 6. pag. 151. aſcenſum & deſcenſum Chriſti hic Epheſiis ideo inculcari affirmat, quod illi inter idololatras viverent, qui magnam ſuam Dianam, tanquam cœlo delapſam, jactarint. Nolim ego unquam Paulo illud conſilium tribuere, quod animos fidelium ad cogitandas fabulas ducere voluerit, ubi de tam ſublimi myſterio, Spiritu plenus ipſe, commentatur. Id propterea monendum puto, quod video, etiam ab aliis talia ingeri ſolere, quos id facere minime omnium decebat.

*ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν*] *captivam duxit captivitatem*, i. e. *abſtracto* poſito pro *concreto*, turbam hoſtium ſpiritualium, Satanæ, peccati, mundi, mortis, qui ut ipſi erant captivi, ita alios in ſocietatem ſuam pertractos tenebant. De verbo *αἰχμαλωτεύω* lege *Joannem Conradum Dietericum* Tom I. Antiquitatum Biblicarum pag. 65. & *Eraſmum Schmidium* ad h. l. de phraſi autem integra, & ſenſu, quem involvit, *Hackſpanium* in Miſcellaneis pag. 251. & Rev. *Deylingium* in diſſertatione de Chirographi abolitione, §. 22. Ex illis intelligetur, parum tribuendum eſſe *Jacobo Guſſetio*, in Commentariis de Lingua Hebræa pag. 816. ita hæc interpretanti, ut per captivos, vel *homines intelligantur*, *quos in humano genere ſumſit Dominus*, *etiam rebelles*, *ut eos dono daret ad habitationem Dei*, vel illi etiam, *quorum cogitationes abducuntur captivæ in obſequium Jeſu Chriſti*, *& qui hoc pacto inſerviunt habitationi Dei.* Idem tamen recte averſatur Pontificios, de limbo, Patribusque fidelibus, ex eo per Chriſtum eductis, cogitantes. Contra hos lege data opera diſputantem *Cappellum* in Operibus pag. 231. ſq. Imo ex Pontificiis ipſis ex parte illis opponi poteſt *Arnaldus* in continuata defenſione verſionis Gallicæ Montenſis pag. 402. ſqq. ubi varios veterum Doctorum locos, oraculum hoc interpretantes, affert, qua opera quoque *Svicerum* Tomo II. Theſauri pag. 139. ſq. defunctum eſſe video. Compara interim, quæ ad totum hoc comma attulit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 772.

*καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις*] Vim hujus phraſeos paulo ante expreſſimus, &, quomodo phraſi Davidicæ reſpondeat, oſtendimus.

Verſ. 9. *Τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστι*] Quando vero dicitur adſcendiſſe, quid hoc infert aliud, quam quod ante deſcenderit?

*εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς*] Longior forem, ſi diverſas Interpretum de hoc Chriſti *deſcenſu* ſententias, ſuis auctoribus munitas, afferre vellem. Legat eas, cui lubuerit, apud *Robertum Parkerum* in libris IV. de deſcenſu Chriſti ad inferos, Amſtelodami 1611. 4. & *Cornelium Haſæum*, Profeſſorem quondam Bremenſem, in diſſertatione ad h. l. de deſcenſu Chriſti in infimas terræ partes, Bremæ 1702. & noſtratium diſſertationes, quas mox appellabimus. Potiores ſunt ſequentes. Alii, & quidem noſtratium plerique, de glorioſo Chriſti ad inferos deſcenſu, ante apparitionem per reſurrectionem facto, accipiunt. Huc lege *Joannis Deutſchmanni* diſſertationem de feſto adſcenſionis Davidico-Paulino, *Joannis Fechtii* de deſcenſu Chriſti ad inferos, Roſtochii 1703. *Jo. Bened. Carpzovii* Lipſiæ 1687. deinde in Diſputationibus ejus Theolog. recuſam p. 604. Huic vero jungendæ ſunt *Jo. Gottlieb Lucii* Vindiciæ Diſſertationis Carpzovianæ, *Cornelio Haſæo* oppoſitæ. Alii de utero matris Virginis interpretantur. Huc pertinent *Colomeſius* in Obſervationibus Sacris p. 36. ad Pſalm. CXXXIX. 15. provocans, & *Pearſonus* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 405. Alii de *ſepulchro*, de quo vide præter *Pearſonum*, *Keuchenium* ad Matth. XIII. 5. Alii de toto ſtatu exinanitionis

tionis Chriſti, quem ex Reformatis plerique vel integrum, vel ex parte hic amplectuntur. Vide *Bochartum* Tom. I. pag. 985. Inter hos numerandus quoque eſt *Campeg. Vitringa* in Commentario ſuper Jeſaiæ XLIV. 24. Tom. II. pag. 489. *Paulus hoc loco*, inquit, *omnino loquitur de deſcenſu Chriſti ad gloriam ſuam, ut UNIGENITI A PATRE, conſpicuam faciendam, contradiſtincte ad deſcenſum Dei, vel ipſius Dei Filii in montem Sinai, ubi ſupremo cacumini illius montis altiſſimi inſedit; cum in hoc deſcenſu Filius Dei in communi & inferiore terra apparuerit, & inter homines familiari modo verſatus fuerit: quod ipſum Grotius quoque obſervavit. Deinde, quicquid infra hanc terræ ſuperficiem eſt, Hebræis dicitur* שאול, *ᾅδης, infernus. In analogis quoque, quæ non adeo multa ſunt, hic ſignificatus prævalet. Sic ubi Poëta ſacer dicit Pſalm.* CXXXIX. 15. רקמתי בתחתיות ארץ *artificioſe textus ſum IN INFERIORIBUS TERRÆ, intelligit ipſam terram. Cœlis ſupremis contradiſtinctam.*

Nec ex noſtratibus deſunt, qui verba Pauli vel de *nativitate* Chriſti, vel *morte* ejus & *ſepultura*, vel toto exinanitionis ſtatu ita accipiunt, ut Chriſtus, ante exinanitus, poſtea ſuper omnes cœlos per adſcenſum exaltatus, qua humanam naturam, fuiſſe intelligatur. Inter eos numerandi ſunt *Albertus Grawerus* in Prælectionibus ſuis in Auguſtanam Confeſſionem Parte III. pag. 155. ſq. & *Meno Hannekenius* in Commentar. ad h. l. pag. 62. quos Rev. *Joannes Reinhardus Rus* in præfatione ad commentarium illum, Jen. 1731. 4. recuſum pag. 18. commendat. Illis ex recentioribus addi poſſunt B. *Gothofredus Olearius* in Prælectionibus MSS. *Amelius* Tomo I. der Erörterung pag. 76. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam pag. 204. *ſepulcbrum* ſpeciatim intelligens, *Johannes Reinhardus Rus* tum in *Schediaſmate Apologetico*, tum in præfationibus Tomo II. & III. Harmoniæ Evangelicæ præmiſſis, *G. L. Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 695. & nuperrime Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 774. per *κατώτερα μέρη τῆς γῆς terram* intelligens ex *Jeſ.* XLIV. 13. & *Pſalm.* CXXXIX. 15. Ex his *Amelio* ſe oppoſuit B. *Georgius Henricus Gœtze* in Obſervationibus Theologicis ad Matth. XII. 40. *Ruſio* autem doctiſſimus *Sebaſtianus Edzardus* in variis ſcriptis, vernaculo & Latino ſermone editis, ſpeciatimque in *Demonſtratione*, *hypotheſin ejus, quæ deſcenſum Chriſti ad inferos de univerſo exinanitionis ſtatu ultimisque præſertim articulis accipiendum eſſe*, contendit, *Scripturæ Sacræ, Symbolo Apoſtolico, Auguſtanæ Confeſſioni, & Formulæ Concordiæ adverſari*, An. 1727. B. *Olearii* verba loc. cit. hæc ſunt: *Non pertinent hæc ad deſcenſum Chriſti ad inferos per contextum: Dixerat, Chriſtum eſſe principium donorum omnium, idque probarat ex loco Pſalmi. Jam objici poterat, quomodo Chriſtus eſt auctor omnium donorum, qui olim exinanitus fuit, & ipſe dona accepit? Hunc ſcrupulum removet in hoc verſu. Quomodo vero id, quod ad ſtatum exaltationis pertinet, ut deſcenſus Chriſti ad inferos, opponi poteſt ſtatui exaltationis, qualis oppoſitio hic habetur? Itaque accipio de exinanitione Chriſti, qua in terram venit, & aſſum-*

*aſſumſit μορφὴν δούλου.* Nec aliter ſtatuit *Martinus Feſſelius* in Adverſariis Sacris lib. II. cap. 29. §. 7. *Commodius*, inquit, *de infima Chriſti humiliatione, & profundiſſima exinanitione exponi videtur; ſicut contra aſcenſus in altum phraſi ſtatus exaltationis ſupereminentiſſimæ intelligitur.* Quod ſi deſcenſus hic ab Apoſtolo memoratus non pro reali & glorioſo, qualem Theologi noſtrates, ſi paucos excipias, ſtatuunt, ſed metaphorico, accipi h. l. debet, illorum ſententia omnino præferenda eſt, qui totum exinanitionis ſtatum eo indicari ſibi perſuadent. Sic enim Paulus idem h. l. diceret, quod Salvator optimus ait *Joh.* III. 13. καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. Mihi quidem utriusque partis argumenta nunc excutere non vacat. Ad Theologorum ſcholas, in quibus cauſa omnis ſatis perorata eſt, hæc opera pertinet, quæ etiam ab unoquoque ex illis, quos utrinque attuli, cognoſci & definiri poteſt.

εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς] Hebræi forte dicerent: תחתיות ארץ. Vide *Jeſ.* XLIV. 23. *Ezech.* XXVI. 20. & XXXII. 18. *Pſal.* LXIII. 10. & CXXXIX. 15. Vox μέρη in paucis aliquot Codicibus, verſionibus & allegationibus Patrum deeſt. Ideo *Millio* à lectore explicandi cauſa addita videtur in Prolegomenis §. 483. à recente vero Novi Teſtamenti Græco-Anglicani penitus omiſſa. Temere id factum eſſe non dubito. Cum enim vox κατώτερα ſine addito μέρη intelligi poſſit, & vox μέρη etiam alias à Scriptoribus omitti ſoleat, hoc minus credo, à quoquam τὸ, μέρη additum fuiſſe. A Paulo ipſo æque hic repetenda eſt, ac profectam videmus ab aliis Scriptoribus Sacris. Ita *Joh.* XXI. habes δεξιὰ μέρη, *Act.* XIX. 1. ἀνωτερικὰ μέρη. Ceterum de planitie terræ, in qua Chriſtus verſatus eſt, φρέατι accipi vult *Hermannus Gerbaden* in Libro Belgico, quem *Sacra gentilibus patefacta* inſcripſit, pag. 476. Frigide omnino.

Verſ. 10. Ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν] *Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. p. 972. cum hac phraſi comparari vult alias illi ſimiles, quæ de Chriſto adhibentur, v. c. *pertranſire cœlos*, &. *altiorem fieri cœlis. Hebr.* IV. 14. & VII. 26. Duabus prioribus ait alludi ad Summum Pontificem, die Expiationis pertranſeuntem primo fines & totum atrium Iſraëlitarum, dein Sanctum, & denique fines vel terminos Sancti Sanctorum; quo conferri jubet *Braunium* in Selectis Sacris lib. III. cap. 4. §. 50. Sic inquit Chriſtum, ſummum noſtrum Pontificem, tranſiviſſe fines omnium cœlorum, & in tertio ſubſtitiſſe, quemadmodum Summus Pontifex in Sanctuario perſtiterit, nec per poſticam ſit egreſſus. Τὸ ὑπεράνω igitur vel emphaſi hic carere, vel reſpectu cœlorum adſpectabilium intelligendum eſſe. Facile cuique non inepto patet, quo hæc tendant; ut ſcilicet glorioſiſſimum Chriſti corpus, cancellis ſuis quaſi incluſum, in ſupremo cœlo hærere dicatur. Abſit vero, ut aſſertum hoc ex comparatione, cum Pontifice Summo Veteris Teſtamenti inſtituta, conſequi nobis perſuadeamus. Id quo minus fiat, locus Pauli

*Hebr.*

Digitized by Google

*Hebr.* VII. 26. efficit. Ibi enim Dominus noſter v. 27. Sacerdotibus Veteris Teſtamenti omnibus præfertur. Ergo ſuperior etiam illis exiſtimetur in eo, quod, ut illi quidem ſanctuario coercebantur, ita noſter ἀρχιερεὺς, etiam quod ad humanam ſuam naturam, ὑψηλότερος τῶν ὀυρανῶν, i. e. *cælis ſupremis ſuperior*, h. e. ubique præſens eſſe exiſtimetur. Placent B. *Hunnii* noſtratis ad h. l. verba: *Phraſis hac* longe ſupra omnes cœlos, inquit, *infert, Chriſtum ſua humanitate ſic eſſe in cælo, h. e. in vita beata, ut nihilominus alio diviniore reſpectu MAJESTATIS ſua celſitudine tranſcendat OMNES cælos, exaltatus SUPRA omne, quod nominatur, non tantum in hoc, ſed etiam in futuro ſeculo.*

ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα] Hoc ſolius Dei eſſe, Judæorum Magiſtri paſſim inculcant. Lege eorum loca apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis p. 775. Πλήρωσις illa proxime infert præſentiam Chriſti θεανθρώπου omnimodam, de qua ipſe *Matth.* XXVIII. 20. Ἰδοὺ ἐγὼ μεθ᾽ ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Hoc à noſtratibus Theologis diligenter & ex h. l. & aliunde eſt evictum. Lege, ſi placet, *Sebaſtiani Schmidii* Appendicem ad Diſputationes in Formulam Concordiæ pag. 122. 140. *Feurbornium* in Diſputationibus Marpurgenſibus Tom. V. pag. 354. *Gieſſenſes* Tom. VII. Diſputatt. Gieſſenſ. Diſput. XXIII. & XXIV. *Welleri* Anti-Maſſonum pag. 144. ſq. & *Menonem Hannekenium* in Expoſitione hujus epiſtôlæ pag. 54. ſeq. Interim negare nolim, per impletionem illam etiam reſpici ad dona illa, quæ Chriſtus, in cœlum evectus, abundantiſſime Eccleſiæ ejusque membris contulit. Confer III. 19. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ. Propterea donatio miniſtrorum verbi varii ordinis, tanquam fructus exaltationis illius commemoratur verſ. 11. & ἀνὴρ τέλειος εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ. Jam conferes, quæ *Robertus Gellus*, Anglus, de verbi hujus πληρῶσαι efficacia commentatus eſt in *Reliquiis*, Anglice editis, Tom. II. p. 261. – 266. Πληρῶσαι ait idem eſſe, quod *replere, implere vaticinia, conſummare, pacificare, ſatisfacere & conſummare.* His verbi ſignificatibus ex uſu τῶν LXX. qui verba Hebraica, hanc notionem ſecum ferentia, per πληρῶσαι exprimere ſolent, demonſtratis, oſtendit, quomodo ſingula hæc ex Chriſti exaltatione ſint ſecuta.

Verſ. 11. – 15. illuſtrat *Herm. Alexand. Roellius* in præfat. ad *Ant. Rouſe* Vitgeleezene Leerrèden Trajecti ad Rhenum 1702. edit.

Verſ. 11. Καὶ αὐτὸς ἔδωκε τοὺς μὲν Ἀποστόλους, τοὺς δὲ Προφήτας, κ. τ. λ.] Ad hoc comma conferri ex noſtratibus merentur *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico poſteriori p. 275. ſeq. *Joannes Adamus Scherzerus* in Programmatibus p. 254. ubi de Doctoribus Eccleſiæ Novi Teſtamenti ex h. l. diſſerit; *Joannes Benedictus Carpzovius* in Programmate Lipſienſi, quod recuſum exſtat in Sylloge I. Programmatum *Gabrielis Terne* p. 723. – 735. *Paulus Antonius* de Scholis Theologorum, Anonymus in Programmate Academiæ Francofurtanæ, & *Joannes Trellund* in Diſſertationibus tribus de Miniſtris Novi

Teſtamenti h. l. memoratis, Hafniæ 1712. -- 1714. in 4to. Junge his *Spenerum* in Reſponſis Theolog. German. Tom. I. pag. 107. & *Buddeum* in Diſſ. de origine & poteſtate Epiſcoporum, ac in Theologiæ Moralis Inſtitutionibus p. 831. Ex Reformatis leges *Franciſci Burmanni* Exercitationes de Miniſtris Novi Teſtamenti extraordinariis & ordinariis, quæ cum ceteris ejus Exercitationibus prodierunt Roterodami 1688. 4. *Hermannum Witſium* in Miſcellaneis Sacris Tomo I. pag. 311. & Tom. II. p. 564. *Stephan. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 23. *Salmaſium* in Apparatu ad Tractatum de Primatu Papæ pag. 17. & de Epiſcopis pag. 199. *Vitringam* lib. V. Obſervationum Sacrarum pag. 100. & in Archiſynagogo cap. 1. item de Synagoga vetere lib. III. p. 621. ſq. Ex his plerique diverſos miniſtrorum Novi Teſtamenti ordines innui exiſtimant, quos ex parte ex veteris Synagogæ Judaicæ inſtitutis repetunt. In hanc ſententiam diſſerunt ex noſtratibus *Amelius* Parte I. der Erörterung p. 253. & Vener. *C. M. Pfaffius* de Originibus Juris Eccleſiaſtici p. 60. qui ſpeciatim *τὺς ποιμένας* comparat cum □פרנסים, qui Synagogæ olim præfuerint, & *διδασκάλυς* cum □רבנים, ſeu Doctoribus Synagogarum. Quemadmodum enim *ποιμὴν* à *ποιμαίνειν*, *paſcere*, ita □פרנסים à פרנס, i. e. *paſcere* appellantur. Quinque, qui hic conſtitui videntur, ordines, tranſtillis quinque, quæ in tabernaculo Moſaico memorantur, adumbratos eſſe ſuſpicatur *Salomon van Till* de Tabernaculo Moſis p. 50. Ex Anglis huc pertinet *Lightfootus* in Horis Talmudicis, Tom. I. Opp. p. 299. Adde Appendicem ad Vitam ejus Tomo I. Opp. præmiſſam, cap. III. p. 18. ubi de diſcrimine *τῶν ποιμένων* & *διδασκάλων* diſſeritur. Comparandus quoque fuerit *Henricus Morus* p. 509. Operum Latine editorum, & *Eduardus Stillingfleetus* in *Irenico*, quod recuſum eſt Tomo II. Operum ejus, ubi lib. II. cap. 2 aſſeverat, per Ἀποςόλυς, Προφήτας, &c. non intelligi perſonas, ſed dona, his muneribus competentia, quibus *καταρτίζονται οἱ ἅγιοι ἐις ἔργον διακονίας*. Eadem eſt ſententia *Joſuæ Arndii*, noſtratis, in Miſcellaneis Sacris cap. 21. p. 56. Accipe verba ejus: *Dicit* (Apoſtolus) ***DEUM** de liſſe alios Prophetas, alios Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores. An hæc ſunt dignitatis gradus? Imo, an hic dignitas? Neutiquam. Certe officii varia dona, ſive varia vocatio eſt. Quis non videt? Apoſtoli autem erant non illi duodecim tantum, ſed & ii quoque, qui ab illis functionem eam acceperant. Hi mittebantur ad prædicandum verbum à prioribus Apoſtolis, e. g. Philipp. II. Epaphroditus dicitur ἀπόςολος ἀυτῶν, ſcilicet Philippenſium, quia miſſus erat illuc ad conſtituendam Eccleſiam per annunciationem verbi*, &c. Et paulo poſt p. 57. finem dicendi his verbis facit: *Itaque hic locus referendus ad varia vocationum dona in ædificando corpore Chriſti, ut explicat ipſe Paulus* 1 *Corinth.* XII. 29. *qui hanc illuſtrat: χαρίσματα appellat ibi Paulus. Aut an δυνάμεις & alia, quæ recenſet ibi, dignitatis gradus dixeris?* Recte hæc admonita mihi videntur. Diverſa hic doctorum Eccleſiæ officia indicantur, ut appareat eminentiſſima Chriſti majeſtas & bonitas, qua factum ſit, ut non deeſſent *dona*,

quibus

quibus ad officia illa in commune Eccleſiæ commodum præſtanda & perficienda opus ſit.

Ex *Pontificiis*, delectu habito legendis, illuſtrare hunc locum conati ſunt *Joannes Launojus* in Epiſtolis pag. 92. ſq. & 580. ſqq. editionis Cantabrigienſis, & *Dionyſius Petavius* de Hierarchia Eccleſiaſt. lib. III. cap. 14. Tomo IV. Dogmatum pag. 116.

Καὶ αὐτὸς ἔδωκε] i. e. *conſtituit*, prout *Theophylactus* exponit, ipſo Apoſtolo 1 *Corinth.* XII. 28. præeunte. Conf. *Actor.* XX. 28. & *Epheſ.* I. 23. Ita verbum נתן οἱ LXX. ſæpe per διδόναι convertunt, quod obſervatum eſt à *Suicero* Tomo I. Theſauri pag. 906. Adde *Gusſetii* Commentarios de Lingua Hebraica pag. 544.

De diverſis officiis hic commemoratis, eorumque diſcrimine, afferam Anonymi Angli cogitata ex Annotationibus ejus ad h. l. *Apoſtolos* is de diſcipulis Chriſti, donis Apoſtolicis inſtructis, accipit; *Prophetas* de iis, qui futura prædixerint, Scripturam interpretati ſint, & Eccleſias ſub Apoſtolis rigarint; *Evangeliſtas*, non tam de Scriptoribus hiſtoriæ Evangelicæ, quam comitibus Apoſtolorum & Evangelii præconibus, qui tamen Apoſtolis fuerint ſubjecti. Vide 2 *Timoth.* IV. 5. ποιμένας vero & διδασκάλους pro vocibus habet ſynonymis. Recte hæc & ſpeciatim poſtremum dici non dubito, cum Paulus ipſe ποιμένας & διδασκάλους non diſtinguat, præpoſitis, quibus in aliis utitur, vocibus τοὺς δὲ, quemadmodum & 1 *Corinth.* XII. 28. ποιμένας prorſus omittit. Singularis eſt Vener. *C. M. Pfaffii* ſententia, quando pag. 69. Originum Juris Eccleſiaſtici diſcrimen διδασκάλων & προφητῶν ita tradit: Διδάσκαλος *eſt, qui doctrinæ Chriſtianæ articulos ſic ſat bene auditoribus enarrat & explicat. Propheta eſt, qui ardorem rebus affundit, qui fortiore quodam ſpiritu animatus loquitur, qui in animos impetum ſpiritualem facit, qui in mentes intrat, & cor tangit, novaque quadam & cœleſti virtute id imbuit.* Vereor, ut hæc mentem Apoſtoli referant.

Veterum de εὐαγγελισταῖς ſententias lege apud *Suicerum* Tomo I. p. 1234. & de ποιμέσι Tomo II. pag. 791. Adde *Witſii* Miſcellanea lib. I. cap. 21. §. 53.

Verſ. 12. Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ] Ita hæc per στιγμὰς interpungunt *Eraſmus Schmidius, Stephanus Curcellæus*, & alii, atque adeo tria momenta ſeu capita conſtituunt, ad quæ obtinenda Dominus noſter doctores Eccleſiæ largitus ſit, eosque idoneis donis inſtruxerit. Momenta illa, ſeu commoda ſunt *inſtauratio*, ſeu *coagmentatio ſanctorum*, *præparatio ad opus miniſterii*, ac denique *ædificatio totius Eccleſiæ*, tanquam corporis Chriſti myſtici. Alii priora verba πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων εἰς ἔργον διακονίας arctiſſime conjungunt, & vertunt cum Vulgato: *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii*. Horum judicio Paulus diceret, ut ſancti inſtituantur ad opus miniſterii recte ali-

 quando

quando præſtandum. Hæc autem mens Pauli eſſe vix poteſt, cum non omnes ſancti aut fideles doctores Eccleſiæ tunc temporis præſtiterint, aut præſtare potuerint. Itaque neceſſe eſt, ut aliam interpretationem quæramus, quæ oſtendat, quomodo, quæ à Paulo dicuntur, ſibi probe conſtent. Ἅγιοι itaque ſunt fideles omnes, tanquam membra corporis Chriſti, quæ ſecum invicem *connecti*, in ordinem redigi & in eodem per pacem mutuam ſub Chriſto capite ope inſtitutionis ſalutaris conſervari debent. Hoc modo Paulus ad v. 3. quo ad concordiam mutuam cohortatur, reſpexiſſe exiſtimandus eſt. Ἁγίες de fidelibus omnibus recte accipi nemo dubitaverit, qui meminerit, hoc nomine Apoſtolum Chriſtianos in epiſtolis ſuis frequentiſſime compellare; quemadmodum ab altera parte non dabitur locus, in quo doctoribus Eccleſiæ, vel jam talibus, vel futuris illud tribuatur. Alter ſcopus, in quem doctores conſtituit Dominus, eſt *miniſterii opus*, ad quod nonnulli docentium opera inſtituantur ipſis in eodem negotio ſucceſſuri. Utrumque vero commodum in communem Eccleſiæ ſalutem, quæ ſcopum tertium conſtituit, cedit. Quemadmodum illa ex diſcentibus & docentibus conſtat, ita fieri non poteſt, quin Eccleſiæ ſit conſultum, ſi illi quidem vera Chriſti membra evadant, hi autem perpetuo conſerventur. Sic omnia ſibi probe conſtant. Video obverti his poſſe, quod Apoſtolus non ſcripſerit: *πρὸς καταρτισμὸν, πρὸς ἔργον διακονίας, πρὸς οἰκοδομὴν τῦ σώματος*, ſed *πρὸς καταρτισμὸν, εἰς ἔργον, εἰς οἰκοδομὴν*, adeoque ſatis ſubindicarit, duo poſteriora membra ad primum, tanquam *καταρτισμῦ* fines & fructus, pertinere. Id vero ex uſu harum particularum non conſequitur. Paulus enim etiam alias particulas *πρὸς* & *εἰς* adhibet, ubi de duobus diverſis momentis loquitur. Sic *Rom.* XV. 2. *Ἕκαστος γὰρ ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν, πρὸς οἰκοδομήν.* Conſtat etiam, me non monente, utramque particulam ad indicandum rei ſeu actionis ſcopum adhiberi. Quando Paulus Scripturæ lectionem commendat Timotheo 2 Epiſt. III. 15. addit eam ipſum poſſe *σοφίσαι εἰς σωτηρίαν*, commate autem ſequente 16. eandem ait eſſe *ὠφέλιμον πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον* &c. Quod ſi denique Paulus tria illa tanquam à ſe invicem diſtincta inculcare voluiſſet, non ſcripturus, credo, erat *πρὸς καταρτισμὸν, εἰς ἔργον, εἰς οἰκοδομὴν*, ſed potius *πρὸς καταρτισμὸν εἰς ἔργον καὶ οἰκοδομήν.* Noſtram hanc expoſitionem video probari, ut alios taceam, à recentibus Interpretibus Gallis, *Beauſobrio* & *Infantio*.

Qui priora duo momenta in unam ſententiam compingunt, illi quidem neceſſe habent, ut vel ad trajectionem confugiant, vel phraſin *ἔργον διακονίας* inſolentiore ſignificatu induant. Priori viæ inſiſtit *Grotius*. *Eſt & hic*, inquit, *trajectio. Nam genuina conſtructio fuerat, εἰς ἔργον διακονίας πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, opus illis injunctum eſt, & quidem ut ſanctis miniſtrent, eos perficiendo magis & magis & fide, & cognitione rerum earum, quæ ad Evangelium aliquo modo pertinent.* Fateor me à trajectionibus adoptandis alieniorem eſſe, nec admittendas puto, niſi ubi adeo clare apparent, ut in dubium

bium vocari non poſſint. Alioquin enim fieri facile poteſt, ut ad interpretationem alieniſſimam abducamur.

Perſpexit hanc difficultatem doctiſſimus *Jo. Georg. Schellhornius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſe V. pag. 869. Trajectione itaque valere juſſa phraſin, ἔργον διακονίας cum καταρτισμῷ conjunctam, duobus modis explicari poſſe cenſet, qui ad *conſummationem* illam *ſanctorum* quadrent. Primo enim ἔργον διακονίας, ſive miniſterii ſacri opus idem eſſe poſſe cenſet, quod *homines Chriſto vindicare*, hoc autem fieri, ſi doctores Eccleſiæ finem hunc apud illos obtineant. Hoc cenſu *Heliodorum* lib. I. cap. 1. Æthiopicorum ait dicere: οἱ πλεῖστοι βελῶν ἔργον καὶ τοξείας γεγενημένοι, *plurimi jaculorum & arcus opus facti*, i. e. jaculis arcu emiſſis, confixi ſunt. Deinde etiam ita reddi poſſe cenſet: *Ad conſummationem ſeu perfectionem ſanctorum in opus vel ædificium miniſterii, i. e. quod à verbi divini miniſtris exſtruitur.* Ita etiam *Herodianus* lib. I. hiſtor. πλεῖστα καὶ κάλλιστα ἔργα τῆς πόλεως, h. e. *plurima & pulcherrima urbis ædificia* ait *conflagraſſe*. Enimvero vocis ἔργον notionem longius petitam eſſe exiſtimo. Ἔργον enim διακονίας non poteſt h. l. aliud ſignificare, quam *opus*, i. e. *functionem, ſeu adminiſtrationem ſacri officii.* Hoc enim ſenſu τὸ ἔργον reſpectu ad miniſterium ſacrum adhibet Paulus. Vide 1 *Timoth.* III. 1. & 2. III. 17. & IV. 5. Eum itaque cur hoc loco deſeramus, nihil cauſæ video. Non igitur erat, cur *A. Blackvvallus* deſerendam putaret verſionem Anglicanam horum verborum: *For the perfecting of the Saints, for the vvork of the miniſtry, for the ed fying of the body of Chriſt;* eique præferret aliam *Marſchalli*, Angli, in concione ſuper hæc verba pag. 14. ita propoſitam: *For the fitting out holy perſons to the vvork of the miniſtry, to the edifying, of the body of Chriſt.* Vide *Blackvvallum* in Claſſicis Sacris, Anglice editis, Tomo II. pag. 173. ſq.

Quæ de voce καταρτισμὸς dici h. l. poterant, ea occupavi in Curis his ad 1 *Corinth.* I. 10. 2 *Corinth.* XIII. 9. 11. & *Galat.* VI. 1. quæ loca velim videas.

Verſ. 13. Μέχρις οὗ καταντήσωμεν οἱ πάντες] *Usque dum perveniamus omnes.* Per *omnes* hic putem indicari & *Gentiles*, & *Judæos*, qui ad Chriſti cognitionem ſalutarem erant perducendi, vel, ſi de Eccleſia, qualis jam tunc erat, accipere malis, & *docentes*, & *diſcentes*, quorum commate ſuperiori facta erat mentio. Verbum καταντᾶν B. *Oleario* in Prælectionibus MSS. indicare videtur, *reſpondere gratiæ divinæ*, ut, ſicut illa nobis offertur, ita oblatam recipiamus, & ei obviam eamus, facultatesque ei noſtras offeramus.

εἰς ἄνδρα τέλειον] *Virum perfectum à Græcis eum dici, qui ad virilem ætatem pervenit, notum eſt. Quæ appellatio hic â corporis robore & ſtatura transfertur ad animi habitum atque cognitionem, ejusque perfectionem tantam, quanta*

*ta quidem in hanc vitam cadit. E contrario infans* (νήπιος, *de quo* v. 14.) *in utramque partem dicitur, cui hæc omnia deſunt. Eadem metaphora & ἄνδρα τέλειον dicit Polybius* (*lib. IV. cap.* 8.) *&* νήπιον *Arrianus.* (Hiſtor. Indic. XXXII. 10.) Ita nervoſe & recte Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 540. Confer eundem in *Xenophonteis* pag. 257. itemque *Th. Hutchinſonum*, veſtigia ejus legentem, ad Cyropædiam Xenophontis p. 8. nec non *Herman. Reiners* in Bibliothecæ Bremenſis Claſſe IV. pag. 973. Varias vocis τέλειος in ſenſu morali acceptiones ex Scriptoribus recitat, & quomodo ad locum hunc illuſtrandum adhiberi poſſint, oſtendit *Fridericus Guilielmus Ceſſelius* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. IV. pag. 659. ſq. Interim certum eſt, ad perfectiorem Chriſti cognitionem, cujus diſerta mentio fit, hic reſpici, qua in hac vita ut creſcere poſſumus, ita incrementa etiam capere jubemur. Veteres Eccleſiæ doctores τελειότητα ejusmodi per ἀπανδρῶσθαι exprimunt. Vide *Sviceri* Theſaurum Tom. I. pag. 417. Sic *Karæi* apud *Triglandium* in Diatriba de Secta Karæorum, quam olim una cum R. *Mardochai* Notitia Karæorum recuſam dedi, pag. 176. eum *perfectum* ajunt eſſe Iſraëlitam, etiamſi non ſit de ſemine Iſraëlis, qui *decem articulis* fidem habuerit.

εἰς μέτρον ἡλικίας] *pro menſura ſtaturæ.* Phraſi hac, obſervante *Lamberto Bos* pag. 183. Exercitationum, utitur etiam *Lucianus* in Imaginibus pag. 5. τῆς ἡλικίας δὲ τὸ μέτρον, ἡλίκον ἂν γένοιτο, κατὰ τὴν ἐν Κνίδῳ ἐκείνην μάλιστα μεμετρήσθω. *Statura vero menſura, quanta eſſe debeat, menſuretur maxime ſecundum Venerem Cnidiam.* Lege de eadem *Hombergium* pag. 298. & quos ille conſuli vult, *Grævium* ad Heſiodum pag. 20. & *Stolbergium* ad Sophoclis Ajacem pag. 136. Alii ἡλικίαν per *ætatem* convertunt, eo ſcilicet ſenſu, quod *ſtatura* cum annis augeri ſoleat. Cum vero *incrementum* ſtaturæ magis, quam annorum & ætatis perſpici poſſit, Paulum ad ſtaturam inprimis animum intendiſſe exiſtimo. Utrinque tamen commodum naſci ſenſum non inficior, quod oſtendiſſe etiam video Cl. *Schellhornium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 781. Omiſeram fere monere, quod nuper doctiſſimus *Chriſtianus Gottlieb Schwartzius*, Altorfinæ Academiæ decus, his verbis lucem aliquam ex antiquitate afferre inſtituerit in diſſertatione *de ætate & ſtatura militari veterum*, Altorfii 1731. Poſtquam in ea oſtenderat, quam ætatem & ſtaturam gentes Hebræa, Græca, Romana, & aliæ militibus futuris definiverint, tandem capite III. ad locum hunc converſus ἄνδρα τέλειον de viro, ætatem militiæ faciendæ idoneam, conſecuto, μέτρον vero ἡλικίας de ſtatura ad eandem requiſita interpretatur. Compara Hamburgiſche Berichte von gelehrten Sachen, An. 1732. pag. 73. ſq. Erudite, fateor, hæc diſſeruntur. Neque tamen crediderim, Paulum ad inſtituta hæc militaria ullo modo reſpexiſſe, qui de *incremento cognitionis Chriſti ſalutaris* potiſſimum agat, & in illius exemplum ſtaturam Chriſti virilem proponat.

ἡλικίας

*ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ*] *ſtaturæ pleni Chriſti.* Ita *Beza*, ut πληρώματος idem ſit, quod πληρωθέντος, Chriſtusque dicatur in nobis adoleſcere. Ita & *Hombergius* l. c. & ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius*. B. *Lutherus* vertit: des vollkommenen Alters Chriſti, ut ſic πληρώματος idem ſit, quod πληρωθείσης. Similiter Interpretes Novi Teſtamenti Gallici, *Beauſobrius* & *Infantius*: *à la hauteur de la parfaite ſtature de Jeſus-Chriſt.* Eodem modo B. *Olearius* in Prælectionibus MSS. τὸ πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ, de *perfecta conſtitutione* Chriſti accipit, explicationis cauſa hæc addens: *Πλήρωμα enim Chriſti in perfecta hujusmodi ſtatura atque integra deprehenditur. Scilicet diverſa dona ideo data ſunt, ut miniſterium Evangelii perfectius reddatur, qua perfectione miniſterii Evangelici nos omnes deducamur ad fidem unam in qua fide adoleſcamus, ut omnes junctim in illa perfecta ſtatura conſtituant unum corpus ſive unum virum, qui habeat perfectam ſtaturam & adultam, quæ deceat corpus Chriſti.* Recte hæc obſervata exiſtimo. Quemadmodum enim Chriſto tribuitur πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *Coloſſ.* II. 9. ita h. l. ipſi vindicatur πλήρωμα τῆς ἡλικίας. Reſpectus vero ſimul habetur ad ætatem & ſtaturam Chriſti indies auctam, una cum incremento ſapientiæ, in eodem, procedente ætate, magis magisque ſe prodentis. Vide *Luc.* II. 40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι πληρούμενον σοφίας. Hoc modo Chriſtus, caput Eccleſiæ, in exemplum proponitur corpori ſuo myſtico, ſeu omnibus Eccleſiæ membris, ut, quemadmodum ipſe, qua homo, ſe oſtendit ſapientia creſcentem, prout annis & ſtatura auctus fuit, ita fideles quoque ſenſim incrementa capiant in fide & cognitione, tandemque junctim perfectum virum, Chriſto, quoad eius fieri poteſt, ſimilem ſiſtant. In eandem fere ſententiam laudatus *Schwarzius* cap. III. diſſertationis modo citatæ §. 3. ait: *τὸ πλήρωμα Χριστοῦ non ſolum Chriſtum ut exemplum proponere æſtimandæ veræ menſuræ & plenitudinis, ſed etiam commonſtrare nobis auctorem noſtræ perfectionis ſpiritualis.* Nec minus Cl. *Oederus* pag. 687. Syntagmatis: *Ita coaleſcere debet Eccleſiæ corpus ad juſtam magnitudinem, uti Chriſtus crevit & auctus eſt, ætate, ſapientia & gratia apud Deum & homines.* Qui ut verus horum verborum ſenſus eſt, ita certe non adſtruit interpretationem commatis ſeptimi, ſecundum quam τὴν δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ, *donationem*, Chriſto factam, inferre idem exiſtimat. Prout enim v. 7. & ſqq. ſermo eſt de *donis*, eccleſiæ ejusque membris à Deo conceſſis, ita hoc commate finis ultimus, in quem illa dona & ipſum quoque miniſterium ſacrum ſint conceſſa, commemoratur. Hic ſcilicet in eo eſt poſitus, ut totum Eccleſiæ corpus ad inſtar Chriſti adoleſcat & perfectius evadat. Video quidem, virum doctum l. c. comparationis hujus momentum in eo quærere, quod *lente* illud fieri debeat, prout ſcilicet Chriſtus non involavit in gloriam ſuam, ſed ſuſpenſo gradu per infinitas adflictiones & ærumnas ivit. De hoc vero comparationis *tertio* nemo, puto, cogitabit, niſi, quod ipſi placuit, antecedentem Pauli exhortationem verſ. 3. ſqq. ad *modeſtiam* Epheſiis

N incul-

inculcandam pertinere exiſtimet. Quod quantopere ab orationis Paulinæ nexu alienum ſit, ſupra mihi oſtendiſſe videor.

Verſ. 14. Ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι, κ. τ. λ.] Illuſtris hic locus eſt, cujus elegantiam *Gatakerus* in notis ad M. *Antoninum* lib. I. §. 8. pag. 13. edit. Cantabrig. in 4to. ita repræſentat : *Eo certe loci, more* (Apoſtolo) *non inſolente, ῥητορικῶς πάνυ, metaphoras, tanquam teſſellas quasdam, orationi ſuæ varias intexuit. Prima eſt à puerulis ducta, quos pomis, crepundiis, rebus leviculis quibusvis pellicias facile & traducas, quo ipſe velis. Altera à navibus, quæ ἀνερμάτιστοι,* & juſto ſine pondere labant.

Perque mare inſtabiles nimia levitate feruntur.

*ut* Naſo, *Metamorph. lib. 2.* T*ertia, poſteriorem hunc ſi admittimus ſenſum, ab aſtutia & fraudibus aleatorum, quibus ludi ignaris aut improvidis facile imponunt, prout Lyſandri dictum celebre illud docet, quod quidam tamen Philippo Macedoni, ut* Ælian. *lib. XII. cap. 7. alii Dionyſio majori, ut* Plutarch. *nom. auctor. de* Alexand. *lib. I. tribuunt,* τοὺς μὲν παῖδας κύβοις καὶ ἀστραγάλοις, τοὺς δὲ ἄνδρας ῥήμασι καὶ ὅρκοις ἐξαπατᾶν δεῖν, Plutarch. *in Apophth. & in Lyſandr. & Sympoſ. lib. IX. c. 20. &* Dio Pruſ. *Orat. 74.*

νήπιοι] Quo ſenſu hæc vox τῷ τελείῳ opponatur, ad comma antecedens dictum eſt. Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 399. *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 707. & eruditiſſimum *Joannem Alberti* in Obſervationibus Philologicis pag. 367. ubi veterum locis copioſe allatis, oſtendit, νηπίους, infantes ſæpe dici, qui tales ſint reſpectu animi minus capacis ad res intelligendas, ut eſt in infantibus : ideoque pro *maleſanis* & *ſtultis* poni; quemadmodum Paulus *Rom.* II. 29. ἄφρονας & νηπίους jungat, ſicut *Theognis* v. 1035. & 1065. qui v. 483. σώφρων & νήπιος opponat. Nec omitte Cl. *Elsnerum* pag. 213.

κλυδωνιζόμενοι) *fluctuantes*, vel *animo fluctuantes*, quod Latinos dicere oſtendit *Jo. Frider. Gronovius* Obſervatt. lib. II. cap. 8. Ex Græcis & Latinis Scriptoribus vocis vim copioſius explicant *Joannes Alberti* & *Elsnerus* loc. cit. Neuter tamen locum affert, in quo verbum hoc occurrat. Alii enim illud exprimunt per ταράττεσθαι ὡς ὑπὸ κλύδωνος, ut *Ælianus* Hiſtor. Animal. XII. 17. alii, ὥσπερ ἐν κλύδωνι κινεῖσθαι, ut *Eunapius* in Chryſanth. pag. 149. &c. Compara *Rittershuſii* Notas ad *Oppiani* Halicut. III. 501. & *Joannis Conradi Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtament. Tom. I. pag. 443.

καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας) *Marcus Antoninus* lib. I. §. 15. παράφορον dicit hominem ἑαυτοῦ οὐ κρατοῦντα, *ſibi non conſtantem*, atque adeo *transverſum abreptum* appellat, ubi alii legunt περίφορον. Accipe *Gatakeri* ad illum locum verba ex pag. 27. Annotationum : *Eſt enim* παράφορος *proprie, qui* transverſus abripitur, *eique optime opponitur, qui in ſui imperio*

*ſe*

Digitized by Google

*ſe continet.* *Ita* Herodian. *lib. VIII. de quibusdam, qui fluvium tranare volentes in aquas una cum equis ſe dederant*, παρενεχθέντες ἀπώλοντο, vi fluminis abrepti perierant. *Inde ἡ παραφορὰ à torrente flumine translatum, lib. V. §. 23. & lib. XII. §. 14.* ὁ κλύδων παραφέρει, æſtus abripere *dicitur. At* Lugd. *περίφορον exhibet, quod ſecutus* M. Caſaub. circumactum *reddidit. Atque ita περιφέρεσθαι etiam uſurpatur ab Apoſtolo de hominibus inſtabilibus, qui cum judicio certo nulli nitantur, ab aliis facile circumaguntur, metaphora ducta à navibus ἀνεμματίστοις.* Περιφερόμενοι itaque hic dicuntur homines vario doctrinæ genere, tanquam turbine quodam circumacti, & hinc inde vagantes, neſcii, ubi conſiſtant. Verbi hujus conditionem explicavit Cl. *Elsnerus* pag. 214. ex LXX. Interpretibus, qui Hebr. הוללות, *Eccleſ.* II. 12. per περιφορὰν vel ſecundum alios Codices & editiones, παραφορὰν vertunt, ſicut VII. 8. hæc habent: ὅτι ἡ συκοφαντία περιφέρει σοφόν. Appoſitus *Plutarchi* locus eſt, ab eodem *Elsnero* commode allatus, de profectu virt. pag. 77. *Sic enim iſti, communibus & conſuetis ſtudiis relictis, priusquam meliora cognoſcant, & conſequantur*, ἐν μέσῳ περιφέρονται πολλάκις ὑποτρεπόμενοι, *in medio ſæpe circumaguntur ac ſubvertuntur curſu.* Adde *Dieterici* Antiquitates Tomo II. pag. 116. & *Gatakeri* notas ad Antonin. II. 7. pag. 61. τὴν ἑτέραν περιφορὰν φυλακτέον.

ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων] κυκείᾳ hic in Codice aliquo lectum ſibi eſſe teſtatur *Jacobus Faber Stapulenſis*, contra quem lege *Eraſmum* ad h. l. & in Apologia adverſus Fabrum Tom. IX. Opp. edit. Leidenſis pag. 63. Vox κυκεία nihil eſt, & ex adfinitate literarum β & κ, quam in ſcriptis Codicibus magnam eſſe conſtat, per oſcitantiam legentis nata. Quod ad ſignificatum vocis κυβεία attinet, eum ex literis *Salmaſii*, τοῦ πάνυ, *Gatakerus* ad M. Antoninum I. §. 8. ex Patrum ſcriptis *Suicerus* Tom. II. pag. 181. ex aliis vero Scriptoribus *Joannes Conradus Dietericus* in Antiquitat. Biblic. Tom. I. pag. 456. *Amelius* Parte I. pag. 542. ſq. Cl. *Elsnerus* pag. 215. & copioſiſſime M. *Petrus Adolphus Boyſen* in Diſſertatione ſingulari de κυβείᾳ ἀνθρώπων ad h. l. Wittebergæ An. 1712 expoſuerunt. Potiores de ea ſententias complexus eſt Anonymus Anglus in Obſervationibus Latinis ad h. l. quando vel *aleatoriam fraudem*, vel *vitam incertam*, vel *magnam navem onerariam* intelligi hic poſſe obſervat. *Fraudem, verſutiam*, vel *nequitiam*, ut Vulgatus reddit, indicari plerisque recte perſuaſum eſt. Quæ cum in aleæ ludo locum olim habere conſueverit, recte ſentiunt, qui ab alea hanc vocem ad ſimiles verſutias translatam exiſtimant. Compara, ſi placet, laudati *Boyſenii* Eclogas ad dolum aleæ veteris, quas præſide Celeb. *Joanne Guilielmo Bergero* Wittebergæ eodem anno defendit, & *Alexandrum Politum* ad Euſtathium in Iliad. ′β. pag. 431. & 432. De *Cybea*, navi oneraria cum *Beza* hic cogitat *Hombergius*, contra quem lege auctorem Bibliothecæ novæ Halenſis Germanicæ Part. XXXV. pag. 377. Vitam incertam, i. e. *actiones hominum temerarias & fortuitas* indicari minus

veriſimiliter contendit *Salmaſius*. B. *Lutherus* egregie reddidit: durch Schalck-heit der Menſchen, und Täuſcherey, quando *Emſerus*, *Dietenbergius* & *Zangerus* malunt: durch Behändigkeit in Schalckheit der Menſchen. Vide contra eos *Raithii* Vindicias pag. 532. Vocem κυβεία ſuam fecerunt Judæorum doctores קוביא dicentes, eamque nunc de *alea*, nunc de *fraude* accipientes. Vide Cl. *Schœtgenium* l. c. pag. 775.

ἐν πανουργίᾳ] *in aſtutia*. Lege *Elsnerum* pag. 216. qui inter cetera obſervat ab *Herodiano* lib. II. cap. 9. per δόλον exponi: εἴ τι μετὰ πανουργίας ἢ δόλου λέγοιτο, πράττοιτο.

πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης] *Vulg.* hodie habet *circumventionem*. In Codicibus vero Latinis nonnullis & Patribus legitur *remedium*. Unde *Millius* ad h. l. ita olim etiam in *Vulgato* lectum fuiſſe, ſuſpicatur, eo ſcilicet ſenſu, quo forte iſta ætate *remedium* ſignificaſſe videatur *deceptionis* aliquod genus, quo per adhibita pharmaca ac potiones ſimplicium loculos emunxerint venefici, aliive circumforanei nebulones. Vide *Millium* in Prolegomenis §. 568. & 866. Quicquid hujus erit, id certum eſt, μεθοδείας hic indicare artes callidas, quibus quis ad circumveniendos alios utitur. Lege huc *Svicerum* Tom. II. pag. 329. Theſauri, qui ex Chryſoſtomo monet, μεθοδείαν dici à μεθόδῳ, per quam artes in compendio traduntur, quod cum non ſine ingenio fieri ſoleat, fieri, ut μεθοδεία de *calliditate* etiam adhibeatur. Adde *Amelium* loc. cit. pag. 545. Cl. *Elsnerus* mavult vertere: *ad machinationem erroris*, ut intelligantur fraudes & artes, quibus ad alios in errorem inducendos abutuntur veteratores. Sic *Svidam* ait exponere μεθοδείας, τέχνας ἢ δόλους, & *Chryſoſtomum* monere, τὸ μεθοδεῦσαι ἐστὶ τὸ ἀπατῆσαι καὶ διὰ μηχανῆς ἑλεῖν. Compara quæ dicentur infra ad VI. 11.

Verſ. 15. 16. Ἀληθεύοντες δὲ, κ. τ. λ.] Utrumque comma illuſtrat & vindicat B. *Jo. Guil Baierus* in Analyſi & Vindicatione dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. pag. 209. ſq.

Verſ. 15. Ἀληθεύοντες δὲ ἐν ἀγάπῃ] Id nonnulli ita converti voluerunt: *ſincere amantes*; perperam omnino. Senſus eſt: *veritatem & amorem ſectantes*. Vide *Johannis Buxtorfii* Catalecta pag. 49. Verbis his lucem affudit B. *Samuel Benedictus Carpzovius* in der Fruchtbringenden Geſellſchafft, Parte I. p. 442. ſq. & ex Reformatis *Jo. Alphonſus Turretinus* in Oratione ſingulari de Theologo veritatis & pacis ſtudioſo, quæ Vol. I. Operum ejus recuſa exſtat. Confer Monatliche Nachrichten von Jena, An. 1726. p. 12.

αὐξήσωμεν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα] i. e. κατὰ τὰ πάντα. Sic *Herodotus* lib. I. pag. 15. Ὁ δὲ ἕτερος τῶν ἡλίκων μακρῷ τὰ πάντα πρῶτος, obſervante *Raphelio*.

Verſ. 16. Ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον, κ. τ. λ.] In hoc commate explicando diligens eſt *Campegius Vitringa* in ſelectis locis Scripturæ

Sacræ

Digitized by Google

Sacræ Belgice una cum Commentario ejus Belgico in epiſt. ad Galatas &c. editis, pag. 179. ſqq.

*πᾶν τὸ σῶμα*] *totum corpus.* Ita penitus *Herodotus* paſſim, cujus loca leges apud *Raphelium* in Annotationibus Herodoteis p. 535.

*συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον*) *congruenter coagmentatum & compactum.* Lege *Svicerum* Tom. II. pag. 1080. ubi Patres alii *τὸν συμβιβασμὸν* ad *doctrinam*, alii ad *amorem* referunt. Cum vero Paulus *ἀλήθειαν* & *ἀγάπην* verſ. 15. urgeat, commodum fuerit, harum vocum priorem ad *doctrinam*, poſteriorem vero ad *amorem*, vel vice verſa, referre. Hæc enim duo illa ſunt inſtrumenta, quibus pax mutua & conſenſus inter Chriſtianos conſervetur. Accipe hic B. *Dieterici* verba ex Antiquitat. ejus Biblicis N. T. Tom. II. pag. 188 *Συμβιβάζω* & *συμβιβάζομαι*, inquit, *vi originis eſt*, coire facio, congredior in unum. *De animarum* conjunctione *&* conciliatione *ejus vocabuli uſus in pactis, fœderibus potiſſimum, ubi συνεβίβαζον περὶ δικαιοσύνης καὶ ἐπιεικείας. Junguntur animi hominum fœdere, indeque ſocietate inviolabili congrediuntur contra quosvis adverſarios.* Heſychius: *συμβιβάζω, εἰς φιλίαν ἄγω. Συμβιβᾶσθαι dicitur, ubi de rebus tranſigitur. Conſtruitur cum ἐπὶ & περί.* *In re mechanica eſt* coagmentare, compingere. *Fabri συμβιβάζοντι ligna, cum conjungunt apta commiſſura, καὶ ἁφῇ. Metaphorice uſurpat S. Paulus* Coloſſ. II 19. *&* Epheſ. IV.

*Διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας*) *per omnes ſuppeditatas*, vel *ſubminiſtratas commiſſuras.* Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius. Eraſmus* vero ita: *per commiſſuram ſubminiſtrationis.* Atque hoc mavult *Hombergius* pag. 299. *Hoc vult*, inquit, *Apoſtolus. Corpus illud compactum per ſubminiſtrationem & mutua officia membrorum, pro modo τῆς ἐνεργείας cujusque membri, tanquam per commiſſuram incrementum capere ad ædificationem in amore. Ipſa igitur ἐπιχορηγία illa dicitur hic commiſſura, per quam corpus & compingitur & creſcit, quod ſicut natura rerum & œconomiæ fidei conveniens eſt; ita & intelligibile ſatis putamus. Quid autem ſit* commiſſura ſuppeditata, *neſcimus. Et hæc ipſa noſtra ſententia confirmatur pluribus ad* Coloſſ. II. 19. *ubi corpus ex Chriſto dicitur διὰ τῶν ἁφῶν ἐπιχορηγούμενον creſcere.* Idem porro *τὴν ἐπιχορηγίαν* de omni officio, & miniſterio amoris, quod membrum corpori poteſt præſtare, accipit, idque ait patere ex fine hujus commatis, ubi corpus dicatur augmentum ad ædificationem facere, *ἐν ἀγάπῃ.* Confer verſ. 28 29. 32. Ceterum *ἐπιχορηγεῖν*, *χορηγεῖν* & *χορηγία* & ſacris & externis Scriptoribus frequens eſſe idem, adductis locis, confirmat. Recte hæc ab *Hombergio* puto obſervata. Neque aliud ſibi voluit B. Lutherus noſter, quando ita convertit: durch alle Gelencke, dardurch eines dem andern Handreichung thut. Quod ſane & ſenſui & indoli linguæ magis reſpondet, quam illud *Fendii*: durch alle Gelencke der Hülffleiſtung. *Petavius* ex Patrum, *Chryſoſtomi*, *Theodoreti*, *Theophylacti* & *Oecumenii*, mente, Tomo VI. Dogmatum Theologicorum,

pag. 138. ubi de Incarnatione lib. XII. cap. 17. ita locum exponit: *Quemadmodum corporis membra ſibi invicem conſerta & compacta ſunt, quo fit ut vitales, animalesque ſpiritus per univerſa etiam minima quaque membra fundantur, & incrementum ac robur ſingula capiant; ita Chriſti corpus ex membris ſuis conſtat, quæ ſpirituali quodam nexu fidei & charitatis adſtricta copulantur; ac ſecum pariter cohærent, & cum capite Chriſto. Atque ut in corpore caput nervorum habet principium, (ut ajunt* Theodoretus *&* Theophylactus) *adeoque ſenſiles vel animales ab eo fonte manant ſpiritus: qui in cetera membra eatenus diffunduntur, quod ceteris commiſſuris & compagibus, ſive juncturis cum reliquis membris & ipſo præſertim capite cohærent, & coagmentata ſunt ſingula; (non enim ſeparata vel luxata vitalem & animalem ſuccum in ſeſe trajectum capiunt) ſic in myſtico Chriſti corpore ſui ſunt nexus, & coagmentationes, per quas inter ſe ſociata, & ſecum invicem velut agglutinata membra cum capite junguntur: nec aliter transfuſo ab ipſo capite ſpiritu, ejusque vi & efficientia viveſcunt, ac vegetantur, & incrementum capiunt.* Ad argumentum ipſum, de quo hic agitur, rectius intelligendum facit B. *Chriſtophori Tobiæ Wideburgii* Diſputat. de mutua fidelium ἐπιχορηγίᾳ ad corporis Chriſti myſtici ædificationem dirigenda. Helmſt. 1717. 4.

ἑνὸς ἑκάςȣ μέρȣς] Cod. *Alex.* legit μέλȣς, & ſic etiam legiſſe videntur *Vulg. Syr.* & Patres nonnulli, qui per *membrum* vertunt. Hinc & *Burgius* in Analyſi hujus epiſtolæ eam præfert. Recte vero monuit *Millius* in Prolegomenis §. 805. lectionem hanc ex explicatione natam eſſe. Τό μέρος enim ratione nexus omnino *membrum*, tanquam *partem* corporis hic indigitat. Et magis in proclivi eſt, ex voce μέρος facere μέλος, quam τῷ μέλος, in tot codicibus obvium, τὸ μέρος ſubſtituere. Itaque non erat, cur *Samuel Battierius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VIII. pag. 953. τὸ μέλος præferret, ex eo, quod Paulus alibi fideles corporis Chriſti μέλη appellet, *Rom.* XII. 5. & 1 *Corinth.* XII. 27. Hæc enim loca occaſionem mutationi fortaſſe fecerunt, germanam autem lectionem eſſe non probant. Sufficit eundem utrinque naſci ſenſum, & lectionem μέρος, in Codicibus, qui adhuc conſulti ſunt, ſi unum *Alexandrinum* excipias, deprehendi. Nec Interpretes, *Vulgatum* & *Syrum*, aliter legiſſe indubie conſtat. Fieri enim poteſt, ut & illi non tam vocem, quam legebant, quam ſenſum, reſpexerint, quemadmodum *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, uterque μέρος in contextu Græco exhibentes, *membrum* interpretati ſunt.

τὴν αὔξησιν τȣ̃ σώματος ποιεῖται] Vocem τȣ̃ σώματος irreptitiam cenſet idem vir doctus loc. cit. Perperam vero id fieri, imo ſine illa ſenſum fere hiulcum eſſe, ſapienter monuit *Haſæus* ibidem in notis. Cum enim vox σῶμα, initio commatis hujus collocata, remotior ſit ab αὐξήσει, repetitione ejus omnino opus erat, ut perſpicuitati ſermonis rectius conſuleretur.

Verſ.

Verſ. 17. Τοῦτο οὖν λέγω] *Hoc igitur edico*, ſive *præcipio*. Hoc enim ſenſu τὸ λέγειν frequenter adhiberi Volumine I. pag. 632. & 696. oſtenſum eſt.

καὶ μαρτύρομαι ἐν Κυρίῳ] *obteſtor*, vel *obſecro per Dominum*. Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius*. Recte id factum eſſe aliquot *Polybii* locis, & *Xenophontis* quoque evicit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis ad h. l. & Xenophonteis ad 1 *Timoth*. V. 21. Ita *Polybius* pag. 1403. Συνδραμόντων δὲ τῶν ἐγχωρίων καὶ μαρτυρομένων τοὺς ἄνδρας ἐπανάγειν ἐπὶ τὴν ἀρχήν. *Cum incolæ concurriſſent, & obteſtarentur, ut hos homines ad Magiſtratum ducerent.*

καθὼς καὶ τὰ λοιπὰ ἔθνη περιπατεῖ) λοιπὰ deeſt in Codicibus aliquot, *Vulg*. verſione & Patribus nonnullis, locum hunc citantibus. Itaque ex cap. II. 3. hujus epiſtolæ hic repetitum videtur *Millio*, cujus auctoritate ita abuſus eſt recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ut vocem illam prorſus omitteret. Sic vero expungendum erat etiam τὸ καὶ, quod vix commodo ſenſu indui poteſt, niſi ad *alias etiam* gentes provocetur. Ut nonnulli vocem hanc in verſione negligerent, ideo puto factum eſſe, quod Epheſios, tanquam ad Chriſtum converſos, non amplius inter ἔθνη numerari poſſe cenſerent. At Paulus in ſocietatem gentium eos hic refert, reſpectu habito ad priſtinam eorum conditionem, tacite præterea ſubinnuens, quod olim eandem vitæ rationem, quæ in aliis gentibus adhuc conſpiciatur, probarint, quam nunc hoc magis averſari deberent, quod Chriſti nomen profiterentur. Confer *Epheſ*. II. v. 2.

ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν) *Vanum eſt aut vacuum, aut, quod finem præfinitum non ſortitur, aut mox evanidum, nec durabile*. Mens *eſt intellectus theoreticus*; Cogitatio *eſt idem practicus, verum ſimplex*; Cor *eſt practicus reflexus, ſeu conſcientia*. Ita Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis ad h. l.

Verſ. 18. Ἐσκοτισμένοι) Ita appellantur ἔθνη, reſpectu non ad vocem, quæ ἐσκοτισμένα requirebat, ſed ad ſenſum habito. Id autem cum probatiſſimis utriusque linguæ Scriptoribus tritum ſit, cave, de Solœciſmo hic cogites. Ex Latinis exempla affert Anonymus in Obſervationibus Hallenſibus Selectis Tom. VIII. pag. 153. ſq. ubi hunc Pauli locum data opera ab hac ſuſpicione liberat. Similiter *Xenophon* Memorabil. lib. II. pag. 586. αἱ πόλεις ἐπὶ τοῖς μεγίστοις ἀδικήμασι ζημίαν θάνατον πεποιήκασιν, ὡς οὐκ ἂν μείζονος κακοῦ φόβῳ τὴν ἀδικίαν παύσοντες, pro παύσουσαι. Παρεσκοτισμένον *Polybius* dicit aliquem maledicendi ſtudio *occæcatum* pag. 919.

Ceterum tenebras & ignorantiam intellectus augeri & amplificari ex malo hominis animo & pravitate Gentiles ſimili loquendi ratione docuerunt. Ita *Hierocles* ad Aurea Pythagoræ carmina p. 10. edit. Cantabrig Ὥσπερ γὰρ, inquit, ὀφθαλμῷ λημῶντι καὶ οὐ κεκαθαρμένῳ τὰ σφόδρα φωτεινὰ ἰδεῖν οὐχ οἷόν τε.

ζι. ὕτω καὶ ψυχῇ μὴ ἀρετὴν κεκλημένη τὸ τῆς ἀληθείας ἐνοπτρίσασθαι κάλλος ἀμήχανον. Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαρᾶ ἐφάπτεσθαι μὴ ὐ θεμιτὸν ᾖ. Cl. *Needhamus* in notis pag. 358. ſimilem *Plotini* locum affert ex I. Enneade lib. VI. cap. 9. qui ita finit: *ὐ γὰρ πώποτε εἶδεν ὀφθαλμὸς ἥλιον ἡλιοειδὴς μὴ γεγενημένος, ὐδὲ τὸ καλὸν ἂν ἴδῃ ψυχὴ, μὴ καλὴ γενομένη.*

Verſ. 19. *Οἵτινες ἀπηλγηκότες*] Pauci quidem Codices habent *ἀπηλπικότες*, forte, quæ *Millii* conjectura eſt, ex facili literarum majuſcularum ΓΗ & ΠΗ permutatione. Eandem lectionem expreſſiſſe etiam videntur *Vulg. Syrus*, *Arabs*, & Patres nonnulli Latini, qui *deſperantes* vertunt. Dici vero etiam poſſit, & librarios & Interpretes, ſenſum verbi *ἀπηλγηκότες* non adſequentes, de ſubſtituendo τῷ *ἀπηλπικότες* ex II. 12. ubi *ἐλπίδα μὴ ἔχοντες* Gentiles dicuntur, cogitaſſe. Receptam lectionem germanam eſſe non dubitat, *Millius* & *Pfaffius* in Diſſertatione Critica de Variant. Lectionibus Novi Teſtamenti pag. 144. quam etiam, præter plurium Codicum auctoritatem, ipſa verbi notio evincit. Ea enim ita comparata eſt, ut etiam illi, qui per *deſperantes* interpretati ſunt, *τὸ ἀπηλγηκότες* ob oculos habuiſſe credi poſſint. Ita cenſuit olim *Strigelius* in Hypomnematibus ad h. l. adducto *Polybii* lib. I. cap. 35. pag. 51. loco: *πεπτωκὸς ἄρδην πολίτευμα, καὶ τὰς ἀπηλγηκυίας ψυχὰς ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἤγαγεν* i. e. *Collapſam Rempublicam Carthaginenſium, & animos deſperatione fractos erexit, & confirmavit.* *Caſaubonus* vertit: *militum animos, qui ex deſperatione ipſum quoque doloris ſenſum amiſerunt.* Plures ejusmodi *Polybii* locos, à Suida etiam commemoratos, affert. Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 542. quemadmodum Cl. *Elsnerus* pag. 217. verbi *ἀπαλγεῖν* notionem in eandem ſententiam ex Scriptoribus ediſſeruit. Oſtendit enim, proprie quidem *ἀπαλγεῖν* idem eſſe, quod *deſinere dolere*, ſive *ad omnem doloris ſenſum obdureſcere.* Vide *Thucydid.* II. pag. 139. & *Heliodor*, V. pag. 213. Deſperantium vero eſſe omnem dolorem exuere, teſte *Heliodoro* I. pag. 29. *τὸ γὰρ ἀπελπισθὲν ἅπαξ ἐξῄρηται τῆς ψυχῆς, καὶ τὸ μηδαμόθεν ἔτι προσδοκώμενον ἀπαλγεῖν παρασκευάζει τὺς κάμνοντας.* Ex deſperatione denique, eodem monente, conſequitur omnis curæ laborisque neglectio. Unde nec mirum eſt, nonnullos in verſione verbi hanc notionem adoptaſſe. Ita *Heſychius*: *ἀπηλγηκότες, μηκέτι θέλοντες πονεῖν - - - - - ἀποκαμόντες.* *Oecumenius* item & *Theophylactus*, quorum locos attulit *Suicerus* Tomo I. Theſauri pag. 411. Ex recentioribus hos ſecutus eſt *Hammondus*. Qui vero ita animo ſunt affecti, ut ſpe omni abjecta, nullum virtuti locum relinquant, illi callum facile obducunt, & conſcientiæ vim conculcant. Hinc factum eſt, ut *Heſychius* verteret etiam *ἀναίσθητοι*, & *Theodoretus* ad h. l. *ἀναλγησίαν* commemoraret. Lege eundem *Suicerum*. Ampla itaque & efficaciſſima verbi hujus eſt ſignificatio, quam recte mihi expreſſiſſe videtur Rev. *Raphelius* loc. cit. p. 543. *Extrema*, inquit, *impietas intelligitur, in qua iſta omnia inſunt, ut hujusmodi homines, nullam ſalutis ſpem habentes, ne qui-*

Digitized by Google

*quidem amplius conentur ex malis ſuis eluctari, cum omnem miſeriæ ſuæ ſenſum perdiderint, neque ullis conſcientiæ ſtimulis pungantur, ſed quidvis licere putent, intelligentia peccatorum omni orbati, qua nulla poteſt major eſſe amentia.* Qui ad hæc animum attenderit, perſpiciet, quam feliciter B. *Lutherus* noſter per ruchloß converterit. Compara B. *Johannis Conradi Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. pag. 121. Idem, credo, voluerunt Interpretes Galli *Montenſes: qui ayant perdu tout remords & tout ſentiment*, quos minus recte ideo caſtigandos cenſuit *Richardus Simon* in Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti pag. 476. & *Malletus* quoque, ad cujus animadverſiones reſpondetur ab *Arnaldo* in *Nova defenſione* verſionis illius, gallice edita, p. 224. ſeq. Lege etiam *Simonem* loc. cit. pag. 46. & in Hiſtoria Critica Interpretum pag. 405.

ἑαυτὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ] Inſpice *Svicerum* Tomo II. p. 575.

ἐν πλεονεξίᾳ] *in avaritia.* Ita *Vulg.* & plerique alii Interpretes. Atque hæc propria vocis ſignificatio eſt, vel ſaltem Scriptoribus ſacris receptior. Eam hoc quoque loco tenendam eſſe exiſtimat *Hombergius* pag. 300. eo quidem ſenſu, ut avaritia omnem impuritatem, cui hic proxime jungitur, complecti dicatur, quemadmodum alibi omnium malorum radix appelletur. *Clericus* quoque per *avaritiam* in verſione Gallica expreſſit, recteque hoc factum eſſe in Bibliotheca Selecta Tom. XIII. pag. 175. aſſeverat contra *Lockium*. Is enim *aviditatem* genio & libidini indulgendi hic ſignificari exiſtimavit, alios præeuntes ſecutus. Sic *Theodoretus* ad h. l. πλεονεξίαν per ἀμετρίαν, *immoderationem* explicat, adplaudente *Svicero* Tomo II. pag. 751. Ita quoque Eraſmus: *in aviditate.* Ex noſtratibus vero *Eraſmus Smidius: cum aviditate.* Nec aliud credo voluiſſe *Bezam*, cum vertit: *ad certatim patratam impuritatem omnem*, quem ſequitur Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis. Rev. *Zeltnerus* in gloſſ. ad h. l. gantz unerſättlich, nec minus *Henricus Benedictus Starckius* in Notis ſelectis pag. 147. mit einer unerſättlichen Begierde, & B. *Gothofredus Olearius* in Prælectionibus MSS. Ex Pontificiis auctores verſionis Gallicæ Montenſis: *avec une ardeur inſatiable*, quod contra *Malletum* defenditur ab *Arnoldo* in nova defenſione illius verſionis pag. 226. His acceſſit *Carolus le Cene* in *Projêt d'une nouvelle Verſion Françoiſe* pag. 684. & Cl. *Elsnerus* pag. 218. qui per πλεονεξίαν generatim omnem *immoderatam* & *nimiam cupiditatem*, atque adeo h. l. ubi de *libidine* agatur ἀκαταπαύστου ἁμαρτίας 2 *Petr.* II. 14. inferri exiſtimat. *Avaritiam* quidem hic indicari perſuaſum mihi habeo. Confer infra ad V. 3.

Verſ. 20. -- 22. Ὑμεῖς δὲ ὐχ ὕτως, κ. τ. λ.] Commata hæc illuſtrat *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tomo II. pag. 267. ſqq.

Verſ. 20. Ὑμεῖς δὲ ὐχ ὕτως ἐμάθετε τὸν Χριςὸν] Sunt, qui hæc ita volunt interſtingui: ὑμεῖς δὲ ὐχ ὕτως· ἐμάθετε τὸν Χριςόν. *Vos autem non ſic; didiciſtis Chriſtum.* Ita *Beza* quamvis dubius, quem approbat *Gatakerus* in

Adverſariis Sacris pag. 158. & in Cinno pag. 26. tum *Colomeſius* pag. 261. Obſervationum Sacrarum, ex noſtratibus vero *Chriſtoph. Henricus Ritmeierus* in Apoſpaſmate Philologematum Sacrorum pag. 13. Provocant illi ad Interpretem *Syrum* & *Theophylactum.* Quod ad interpretem Syrum attinet, verti quidem verba ejus poſſunt: *vobis autem non ſic: didiciſtis Chriſtum.* Biblia tamen Polyglotta & *Troſtius* ita interpretantur: *Vos autem non ſic didiciſtis Chriſtum.* Mihi quidem in recepta interpunctione perſiſtendum videtur. Id patet ex iis, quæ proxime ſequuntur: εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε. Vide enim, quam liquida ſit, & recte fluat Pauli oratio: *Vos autem Chriſtum*, i. e. Chriſti doctrinam *non ita accepiſtis: dummodo eum recte audiviſtis*, &c. Compara hæc cum nova illa: *vos autem non ſic: didiciſtis Chriſtum: modo eum recte audiveritis.* Poſterior hæc à conſueta Pauli dictione alienior videtur, quamvis alioquin, ſi ſenſum ſpectes, nihil interſit. Ceterum omnis illa expoſitio ex *Luc.* XXII. 26. nata mihi videtur, ubi Dominus noſter ita ad ſuos: Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως· ἀλλ' ὁ μείζων ἐν ὑμῖν γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος. At ipſa hæc ſermonis ſeries oſtendit, Paulum etiam hic alia ſubjecturum verbis ſuis fuiſſe, ſiquidem ita ſcripſiſſet: ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως. Ceterum verbum μανθάνειν accuſativo perſonæ jungit etiam *Xenophon* lib. II. Rerum Græcar. pag. 353. ἵνα ἀλλήλους μάθωσιν, ὁπόσοι εἴησαν.

Verſ. 21. Εἴγε αὐτὸν ἠκούσατε] Vide ſupra ad III. 2.

καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ] Wie in JESU iſt ein rechtſchaffenes Weſen. Ita *Lutherus* rectiſſime, quem à criminationibus *Emſeri* & aliorum Interpretum Pontificiorum vindicat B. *Raithius* pag. 533. Vindiciarum hujus verſionis. Τὸ καθώς idem h. l. eſt, quod Latini per *quod* (ὅτι) exprimunt, quo ſenſu etiam Germanorum wie venire conſtat. Itaque nec neceſſe eſt, ut totam illam phraſin: καθώς ἐστιν ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ, per παρενθέσεως notam à reliquis ſejungamus, quod nonnullos perperam facere mox intelligemus. Recte eam averſatur *Hombergius* pag. 300. ſed idem minus recte phraſin: ἐν τῷ Ἰησοῦ ad verbum ἐδιδάχθητε referri vult, hoc ſenſu: *nam audiviſtis eum, & in ipſo edocti eſtis, in Jeſu, ſicut veritas eſt.* Non video, qui Paulus hic credi poſſit *Jeſu* nomen addidiſſe verbo ἐδιδάχθητε, quod ad alium, quam ad Chriſtum, qui proxime ante verſ. 20. diſerte appellatus erat, referri non poterat.

Verſ. 22.—29. continetur Sectio epiſtolica, quæ publice in Eccleſiis noſtris explicari conſuevit. Eam totam illuſtratam lege à *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 159. ſeqq. quemadmodum commatibus 22.—24. lucem accendit B. *Lütkenius* in Collegio Biblico pag. 583. ſqq.

Verſ. 22. Ἀποθέσθαι ὑμᾶς] Pro imperativo ἀπόθεσθε, *deponite*, hoc accipi, vel etiam per: *ut deponatis*, verti poſſe, arbitratur *Gellus* loc. cit. Alii τὸ ἀποθέσθαι referunt ad ἐδιδάχθητε & propterea verba, καθώς ἐστιν ἀλη-

Digitized by Google

ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ, parentheſi includunt. Ita agendum eſſe præ ceteris contendit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Sed recte obſervavit Rev. *Raphelius*, in Annotationibus Herodoteis pag. 536. commode hæc cum v. 21. ratione ſtructuræ connecti poſſe, modo ſubintelligatur ὥστε, quod alias frequenter omittitur. Senſus itaque, quem *Camerarius* etiam exprimit, hic fuerit: Edocti eſtis, quomodo ſit veritas in Chriſto, *i. e. quæ ſit veritas Chriſtiana, ſeu vera diſciplina Chriſti, nimirum*, ut deponatis, *& relinquatis prioris impiæ vitæ conſuetudinem* &c. *Raphelius* hanc loquendi rationem aliquot *Herodoti* exemplis munitam dedit, v. c. ex lib. II. pag. 179. Νόμον τε Αἰγυπτίοισι τὸν δὲ Ἄμασίς ἐστι ὁ καταστήσας. ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων, ὅθεν βιοῦται. Malim hoc, quam cum B. *Gothofr. Oleario* in Prælectionibus MSS. τὸ ἀποθέσθαι referre ad verbum λέγω, v. 17.

Phraſis ipſa à Judæis petita videtur *Seldeno* de Jure Naturæ & Gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum lib. II. cap. 5. & de Succeſſione in Bona defunctorum cap. 26. Apud eos enim Proſelyti exuere patriam, parentes, liberos, fratres &c. dicebantur. Alias etiam Cabbaliſtæ *materiam* cum *veſte* comparant, quæ *deponi* debeat, & homini peccanti קליפה, ſeu *corticem* adſcribunt, cui tandem totus involvatur. Lege *Reſchith Chochma* pag. 29. & 16. Locos habes apud *Vitringam* lib. III. Obſervationum Sacrarum cap. VIII. pag. 139. Ad curſores tamen veterum, qui omne veſtium genus deponere conſueverint, alludere Apoſtolum *Braunius* in epiſt. ad Hebræos pag. 828. exiſtimat.

κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον] Hæc *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 258. ita accipi vult, ac ſi ſcriptum eſſet: τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, τὸν κατὰ τὴν προτέραν ἀναστροφὴν, *veterem illum hominem, cui in ſuperiori vita fuiſtis addicti*. Ita *Xenophon* Hiſt. Græc. II. pag. 354. Λύσανδρον αἰτήσοντας ἐπὶ τὰς ναῦς, εὖ φερόμενον παρὰ τοῖς ξυμμάχοις κατὰ τὴν προτέραν ναυαρχίαν.

De παλαιῷ ἀνθρώπῳ Patrum cogitata lege apud *Svicerum* Tom. I. pag. 352. Ex noſtratibus inſpice *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine Dei, pag. 248. 255. & alias, qui & in toto illo tractatu paſſim commatibus 22. 23. & 24. lucem fœneratur.

Verſ. 23. 24. juſto tractatu, quem *Novum hominem* inſcripſit, perſecutus eſt *Jo. Muſæus* Jenæ 1651. 4. Confer *Jo. Tarnovium* de Imagine Dei in homine ante lapſum, in lapſu, & poſt lapſum, Roſtoch. 1627. item *Seb. Schmidium* de Imagine Dei.

Verſ. 23. Ἀνανεοῦσθαι δὲ] Codices aliquot legunt ἀνανεοῦσθε, vitio librariorum τὸ αι per ε ex pronunciatione exprimentium, recte monente ad h. l. *Millio*, qui tamen in Prolegomenis, ſibi non conſtans, τὸ ἀνανεοῦσθαι hic ex infinitivo antecedente ἀποθέσθαι ortum eſſe pronunciat. Manifeſtum credo cuique eſſe, ἀνανεοῦσθαι hic non minus neceſſarium eſſe, quam verſ. 22. τὸ ἀποθέσθαι.

σθῆναι. Utrumque enim pendet ex phraſi antecedente: ἐδιδάχθητε, καθώς ἐςι ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ. Innovationem ejusmodi mentis Judæos quoque inculcare ex *Tanchuma* fol. 32. 3. oſtendit *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 776.

Verſ. 24. Καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον κ. τ. λ.] Conſule B. *Jo. Guilielmi Baieri* Analyſin & Vindicias illuſtrium dictorum Scripturæ Sacræ Parte I. pag. 125. Καινὸν ἄνθρωπον ex Patrum ſcriptis exponit *Suicerus* Tom. I. pag. 352. qui & de verbo ἐνδύσασθαι agit pag. 1113.

ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας] Similiter ὁσιότητα καὶ δικαιοσύνην conjungit *M. Antoninus* lib. XII. §. 1. quarum alteram ad Deum, ad hominem alteram *Gatakerus* ibi in notis refert. Sic & alii ex Scriptoribus externis, quorum loca affert *Lambertus Bos* in Exercitationibus pag. 184. Confer *Luc.* I. 35.

Vocem τῆς ἀληθείας alii aliter hic explicant. Nonnulli enim eam pro tertio momento habent, quod ad novum hominem una cum *juſtitia* & *ſanctitate* requiratur. Ita ſtatuit *Dionyſius Andreas Roellius* in Diſſertatione de Imagine Dei in homine Harderovici 1717. habita pag. 59. Confer Bibliothecam Bremenſem Claſſ. I. p. 350. Per *veritatem* itaque *cognitionem veritatis* intelligit, quemadmodum δικαιοσύνην p. 69. de juſtitia fidei interpretatur. Alii δικαιοσύνην & ὁσιότητα τῆς ἀληθείας per juſtitiam & ſanctitatem *veram*, fucatæ oppoſitam, interpretantur. Ita B. *Lutherus* noſter, Beza, Eraſmus Schmidius, & plerique omnes. Inter hos ex recentioribus ſunt Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis, *Lamb. Bos* loc. cit. Et illi quidem recte provocare poſſunt ad ſuperiora Pauli verba verſ. 21. καθώς ἐςι ἀλήθεια ἐν τῷ Ἰησοῦ. Alii utramque explicationem conjungunt. Inter hos eſt *Witſius* in Oeconomia Fœderum pag. 15. Ὁσιότης τῆς ἀληθείας, inquit, *non tantum opponitur* τῇ ὑποκρίσει, *ſimulationi, aut* τῇ τυπικῇ καθαρότητι, *umbratili puritati, ſed notat ſanctum & ex amore Dei proficiſcens ſtudium veritatis.* Ὅσιος *enim, cui reſpondet Hebræum* חסיד *ſignificat in ſacris ſtudioſum in bono & ad bonum. Notat* ὁσιότης τῆς ἀληθείας *tale Deo placendi ſtudium, quale veritati de ipſo & in ipſo cognitæ & propter ipſum amatæ conſentaneum eſt. Per juſtitiam intelligit conſtans animi propoſitum ſuum cuique tribuendi.* Non aliter accipiendus videtur *Franciſcus Burmannus* in Apologia de moralitate Sabbathi cap. I. pag 41. *Sanctum veritatis ſtudium* indicare putans, *ſive ſanctitatem ſecundum veritatem, eam ſcilicet, cujus cognitio neceſſaria erat, ad tribuendum Deo & proximo, quod oportebat, ut ſanctitas veritatis ſit bona voluntas ſeu amor veritatis, & amor ejus, quod veritas docet amandum eſſe, & actio ei amori congrua.* Mihi media in his ſententia placet. Neque obverti poteſt, ſic *cognitionem veritatis*, ſeu *ſapientiam* prorſus omitti. Illa enim apud Epheſios jam præſtructa erat verſ. 20. Ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ἐμάθετε τὸν Χριςόν. Itaque commemorari hoc loco non debebat. Sic Paulus *Coloſſ.* III. 20. ἐπίγνωσιν affert, quando τοῦ νέου ἀνθρώπου meminit, omiſſa ſpeciali juſtitiæ & ſanctitatis

& ſanctitatis mentione. Ex noſtratibus huc præterea legi velim *Sebaſtianum Schmidium* de Imagine Dei pag. 240. ſq. & 260. Atque hic quidem ut ὁσιότητα τῆς ἀληθείας de *ſanctitate vera* recte accipi largitur; ita per ἀλήθειαν ad verſ. 21. reſpici vult, ut intelligatur hic ea juſtitia & ſanctitas, quæ eſt in JESU. *Conferri itaque*, ita pag. 261. pergit, *vult Apoſtolus veritatem, quæ eſt in JESU, cum juſtitia & ſanctitate, in qua novus homo olim conditus eſt; & ex veritate in JESU cognoſci quoque, quæ fuerit juſtitia & ſanctitas primæva.*

Verſ. 25. Διὸ ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος] Sic *Arrianus* Epictet. pag. 102. οὐ θέλεις οὖν ἀπόθωμαι τὴν ἄγνοιαν. *Non vis igitur, ut deponam ignorantiam?* Item pag. 235. Confer *Raphelii* Annotationes Polybianas, pag. 544.

Verſ. 26. Ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε] *Beza* & *Grotius* τὸ ὀργίζεσθε à reliquis verbis per interrogandi ſignum ſeparari voluerunt, hoc ſenſu: *iraſcimini? at ne peccate.* Idem placere ſibi teſtatur B. *Gothofredus Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Similiter Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. Werdet ihr zum Zorn beweget? At interrogandi notam non pati videtur ſubjecta particula καὶ pro ἀλλὰ poſita: ſaltem nullum mihi hujusmodi ſtructuræ exemplum adhuc occurrit. Taceo alia ratione phraſeos ſenſui rectius conſuli poſſe. Non audiendi quidem ſunt illi, qui iram nempe juſtam & legitimam hic *præcipi* volunt. Cum enim de vitiis ſermo ſit, quæ deponi debeant, de ejusmodi *ira* ſermonem hic fieri neceſſe eſt, quæ in ſe, ratione ſcilicet primorum motuum, vitii aliquid habeat, quod ita ſupprimi vel temperari debeat, ne in amplius malum excreſcat. Nec admiſerim quoque illos, qui ex contraria parte iram *prohiberi* contendunt, hoc ſenſu: *iraſcendo ne peccate*, vel, *nolite iraſci, ne peccetis.* Ita perſuaſum fuit *Joanni Marckio* in Exercitatione Textuali XLI. pag. 401. ſq.

Optime illi rem inſtituunt, qui cum *Sebaſtiano Caſtellione* ſic vertunt: *ita iraſcimini, ut ne peccetis.* Quod ipſum B. *Lutherus* idem voluit: Zürnet und ſündiget nicht; vel, ut clarius Pſalm IV. 5. ex quo loco noſter omnino petitus eſt, exprimit: Zürnet ihr, ſo ſündiget nicht. Ita ex noſtratibus *Alethæus* in gründlicher Erläuterung Parte III. pag. 434. *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis & alii. Ex Anglis *Knatchbullus* ad h. l. *Gatakerus* in Adverſariis Sacris cap. XIX. & *Colomeſius* in Obſervationibus Sacris p. 116. Senſus hic fuerit: pone, te ad iram vehementiorem concitari, quod fieri ſolet, & vitio non vacat, vide omnino, ut animum compeſcas, nec amplius pecces. Id patet ex iis, quæ ſtatim ſequuntur. Similis huic loquendi ratio exſtat, 1 *Corinth.* VII. 21. δοῦλος ἐκλήθης; μὴ ζήτει λύσιν. Adde v. 27. Qui locus, quod obiter moneo, oſtendit, quomodo Paulus hic ſcripturus fuiſſet, ſiquidem τὸ ὀργίζεσθε interrogative efferri voluiſſet, nempe ita: ὀργίζεσθε; μὴ ἁμαρτάνετε. Confer B. *Chriſtoph. Henrici Ritmeieri* Philologematum Sacrorum Apoſpaſma p. 16. ſq. & *Suicerum* Tom. II. p. 504. De formula hac adagiali

lege *Andr. Schottum* in Adagialibus Sacris pag. 130. & *Joannem Druſium* in Proverbiis Claſſic. Claſſ. II. l. 3. n. 3. Ex Pſalmo IV. 5. petitam eſſe *Beza* præceps negat. Paulus ſane ipſos LXX. Interpretes, locum Davidicum convertentes, penitus ſecutus eſt. Confer, qui utrumque locum contenderunt, *Wokenium* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 255. & Celeberrimum *Joannem Grammium* in diſputat. III. de Allegatione Verſionis τῶν LXX. in Novo Teſtamento, pag. 45. Spectant huc, quæ de differentia iræ, hinc licitæ, hinc improbandæ, ex Judæorum Doctoribus affert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 776.

ὁ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω ἐπὶ τῷ παροργισμῷ ὑμῶν] Ex Patrum ſcriptis lege de his commentantem *Suicerum* Tom. I. pag. 1323. *Colomeſius* loc. cit. Pythagoreorum morem adfert, qui, *Plutarcho*, de amore fraterno, teſte, ante ſolis occaſum in gratiam ſecum invicem redire conſueverint. Lege alia apud *Andr. Schottum* in Adagialibus Sacris pag. 130. ſq.

Verſ. 27. Μήτε δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ] Sunt qui διάβολον de *calumniatore*, quem vox generatim infert, accipiunt. Quo ſenſu Apoſtolus idem h. l. diceret, quod *Polybius* pag. 1244. obſervante Rev. *Raphelio*, ait: ὁ δ᾽ Ἄρχων ἀκολουθεῖν ἔφη δεῖν τοῖς καιροῖς, καὶ μὴ διδόναι τοῖς ἐχθροῖς ἀφορμὴν εἰς διαβολήν. *Archoni placebat, ut temporum rationem haberent, ne hoſtibus calumniandi occaſio daretur.* *Marcus Antoninus* lib. III. §. 6. hoc χώραν διδόναι, *concedere locum*, appellat. Ita *Poſidippus* apud *Athenæum* Dipnoſophiſt. lib. IX. τῷ κενῷ χώραν δίδου, *vanitati da locum.* *Libanius* Orat. XIX. pro ſaltatoribus adverſus Ariſtidem: καὶ μηδαμοῦ δοῦναι χώραν αἰτίᾳ. *Et locum criminationi nunquam dediſſe.* Lege notas *Gatakeri* ad Antonin. pag. 104. qui, ad locum noſtrum ea occaſione converſus, ita vertit: *nec locum dederitis*, anſam occaſionemque præbueritis, vel *diabolo*. i. e. Satanæ, ut *Chryſoſtomus*, & plerique Interpretes, vel etiam *calumniatori*, ut *Eraſmus*. De phraſi διδόναι τόπον confer dicta ad Rom. XII. 19. Per διάβολον malim equidem *Satanam*, quam *calumniatorem* aliquem ex hominibus intelligere. Qui enim iræ indulget, Diabolo ampliſſimam præbet occaſionem ad peſſima quæque ſeſe permovendi. Atque hoc argumenti loco Paulus eſſe voluit, ut Epheſii hoc diligentius ab ira ſibi caverent. Neque tamen negari poteſt, eadem opera fieri potuiſſe, ut alii etiam Chriſtianos, tanquam homines, vitiis deditos, in univerſum calumniandi occaſionem nanciſcerentur. Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis ad h. l. vertit: *calumniatori principi*; & de Satana accipit Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Lutheri Germanicam.

Verſ. 28. Ὁ κλέπτων] i. e. ὁ κλέψας. Participia enim præſentis temporis à Græcis ampliori ſignificatu adhiberi ſolent.

μηκέτι κλεπτέτω] Furtum facere inprimis prohibet Paulus, quod illud inter Gentes maxime frequentari noſſet, ita quidem, ut apud nonnullas lege non eſſet vetitum, ſed arbitrio cujusvis permiſſum. Inter has numerantur *Ægyptii*,

*ptii*, *Lacedæmonii*, *Phœnices*, &c. Vide *Petri Danielis Huëtii* Alnetanas Quæſtiones II. 12. 13. & *Pſannerum* in Syſtemate Theol. Gentilis cap. XI. §. 25. *Cilicas* quoque huc retulit *Diogenes Laërtius* lib. II. §. 84. ad quem lege *Ægid. Menagii* notas pag. 435. De aliis conſule *Sextum Empiricum*, III. 24. Hypotyp. & ibi Interpretes; de *Ægyptiis* autem *Joannem Clericum* ad Exod. XX. 15. & *Witſium* Ægyptiacorum II. 6. pag. 108. De incolis in Africa Congianis idem teſtantur itinerum Scriptores. Vide *Clerici* Bibliothecam univerſalem Tom. II. pag. 375. Nihilominus tamen apud alios lege cautum erat, ne quis quidquam alteri ſurriperet. *Stagiritarum* lex erat: *ὃ μὴ κατέθου, μὴ λάμβανε*, auctore *Æliano* Var. Hiſt. III. 46. qui idem de Bybliis teſtatum reliquit IV. 1. ubi legas *Perizonium*. Spectat huc quoque *Solonis* præceptum apud *Laërtium* I. §. 57. Adde *Pſannerum* l. c.

*ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν ταῖς χερσὶν*] *Millius* in Prolegom. *τὸ ἀγαθὸν* in uno Codice & à Tertulliano quoque omiſſum ex *Galat.* VI. 10. huc translatum putat, adverſante recte *Whitbio* pag. 69. Examinis. Pauci aliquot Codices voci *χερσὶν* addunt *ἰδίαις*, quod legitur etiam 1 *Corinth.* IV. 12. & 1 *Theſſal.* IV. 11. Sed alia ſunt, quæ in hunc locum novata voluit *Piercius* in Epiſtola de corruptis aliquot Novi Teſtamenti locis Latine edita. *Ἀγαθὸν* poni vult poſt *χερσὶν*, (quod facere ait Interpretes *Vulg. Syr. Copt.* & *Æth.*) atque adeo hunc verborum ordinem eſſe exiſtimat: *ἐργαζόμενος ταῖς χερσὶν, τὸ ἀγαθὸν ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τ. χ. ἑ. Operans manibus, ut habeat unde tribuat illi, quem neceſſitas premit.* In firmandam hanc interpunctionem & expoſitionem urget præterea, quod Apoſtolus alibi, 1 *Corinth.* IV. 12. & 1 *Theſſal.* IV. 11. eadem phraſi utens verbo *ἐργαζόμενοι* caſum accuſativum non jungat. *Τὸ ἀγαθὸν* vero opes ſignificare ait, quas Epheſios hic parare jubeat. Sed ſalva res eſt. Ad Interpretes dictos provocare non poteſt vir doctus, qui *τὸ ἀγαθὸν* ad antecedens *ἐργαζόμενος* retulerint. Vulg. *operando manibus, quod bonum eſt.* Ponamus autem, *τὸ ἀγαθὸν* collocatum fuiſſe poſt *χερσίν*. Id certe non effecerit, ut idem ad *ἵνα ἔχῃ* pertinere exiſtimemus. Hoc ut efficiat *Piercius*, trajectionem in ſubſidium vocat. Eam non negamus alibi occurrere, ſed ſine neceſſitate affectandam eſſe inficiamur. Verum eſt, Apoſtolum alibi phraſi huic *ἐργάζεσθαι ταῖς χερσὶ* non ſubjicere accuſativum rei. Quidni vero id alio in loco facere poſſit? Cauſa certe in promtu eſt, cur hic fecerit. In eo enim erat, ut ad virtutis ſtudium cohortaretur. Quid igitur obſtat, quo minus *τῶν ἀγαθῶν* faceret mentionem, indicaturus, induſtriam & operam externam huc quoque pertinere? Neque inſolens eſt, *τῷ ἐργάζεσθαι* jungere *τὸ ἀγαθόν*. Idem enim facit Paulus *Galat.* VI. 10. ubi de liberalitate potiſſimum in egenos exercenda agi ſermonis nexus evincit. At illud male habet *Piercium*, quod accuſativum rei cum Dativo inſtrumenti conſtructum videt. Jam vero *Jo. Henricus Majus*, ὁ μακαρίτης, in *Vindiciis adverſus recentiſſimi Critici Anglicani cenſuram* pag. 20. idoneum & noſtro ſimilli-

millimum locum, promit ex *Andocidis* Oratione I. pag. 245. Ἔπειτα δὲ καὶ ΒΙΟΝ ΕΙΡΓΑΣΑΜΗΝ ἐκ τοῦ δικαίου ΤΗΙ ΓΝΩΜΗΙ, καὶ ΤΑΙΝ ΧΕΡΟΙΝ ΤΑΙΝ ἐμαυτοῦ. Interim perinde fuerit, ſive τὸ ἀγαθὸν de *victu*, ſive de *opibus* & *facultatibus*, ad victum ſibi aliisque parandum neceſſariis, accipias. Eo enim ſenſu τὸ ἀγαθὸν, in plurium maxime numero, adhiberi ex *Luc.* XII. 18. 19. & *Galat.* VI. 6. conſtat. Ex *Xenophonte* ejusdem ſignificatus exemplum *Suidas* attulit voce: ἀγαθά.

In alia omnia abiit *Clemens Alexandrin.* Stromatum lib. I. pag. 371. edit. Oxonienſ. Ἐργάζεσθαι δέ ἐστι, inquit, τὸ προσεκπονεῖν, ζητοῦντα τὴν ἀλήθειαν. σὺν γὰρ τῇ λογικῇ εὐποιΐᾳ, ἵνα ἔχητε μεταδοῦναι τῷ χρείαν ἔχοντι καὶ τῆς κοσμικῆς περιουσίας καὶ τῆς θείας σοφίας, βούλεται καὶ ἐκδιδάσκεσθαι τὸν λόγον, καὶ εἰς τὰς τραπέζας τὸ ἀργύριον βάλλεσθαι δεδοκιμασμένον ἀκριβῶς εἰς τὸ ἐκδανείζειν. Τὸ ἐργάζεσθαι ἀγαθὸν explicat per *adlaborare in veritate indaganda, ut eam alios doceamus nimirum. Sed & ad hanc benefaciendi per doctrinam voluntatem requirit, ut altera accedat, qua elargiamur de noſtris facultatibus iis, qui indigent. Hoc ut procedat, monet etiam* ἐργάζεσθαι, *i. e. pecuniam ad menſam ponere & eam exercere, ut ex ejus uſuris bene faciendi copiam nanciſci queamus.* Ita *Clementis* mentem explicat *Salmaſius* de Trapezitico Fœnore pag. 31. Qui quamvis pag. 32. largiatur, ἐργάζεσθαι ἀργύριον Græcos alias, ut Latinos, *exercere pecuniam*, de his dicere, qui eam fœnori locant, recte tamen de ea ἐργασίᾳ Pauli verba accipienda eſſe inficiatur. Nempe antecedens κοπιάτω docet, quid ἐργαζόμενος ſibi velit. Utrinque labor & opera indicatur, in qua quis verſari debeat. Laborem vero non ſuſtinet, qui facultates ſuas fœnori locat. Utrumque verbum Apoſtolus efficaciter conjungit, ut deſidiæ, qua laborare tum temporis multi ſolebant, fortiorem obicem poneret. Magnam vero verbi ἐργάζεσθαι vim ad laborem ſtrenuum indicandum eſſe, aliquot Heſiodi exemplis probatum dedit Celeb. *Jo. Henr. à Seelen* in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VII. pag. 459. *Lowthio* ad loc. cit. Clemens alludere viſus eſt ad Domini dictum à veteribus laudatum: γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται; *Pottero* autem, ad *Matth.* XXV. 27. Ἔδει οὖν σοὶ βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις.

ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι] Eleemoſynam de facultatibus labore, non autem rapina aut oppreſſione partis, largiendam eſſe, Judæorum doctores inculcarunt. Vide *Schœtgenium* in Horis Hebraicis p. 778.

Verſ. 29. Πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω] Σαπρὸν alias Atticis dicitur, quod *vetuſtum* eſt, & vetuſtate *corruptum*, auctore *Mœride*: σαπρὸν, τὸν παλαιὸν οἶνον Ἀττικῶς. Hinc *Suidas* & *Phrynichus*, pag. 68. σαπρὸν de eo tantum dici ajunt, quod *inveteravit*, non autem de re *mala* aut *turpi*. At obſtant illis præter *Heſychium*, qui σαπρὸν explicat παλαιὸν, αἰσχρὸν, ἀκάθαρτον; *Ariſtophanes* in Pluto Act. II. Scen. II. ineptam & obſoletam ſalutationem σαπρὸν appellans, & *Lucianus* de Paraſit. pag. 242.

μὴ

μὴ σαπρὸν ἀποφθέγγηται, *an reſonet putridum*. i. e. male dicentem. Confer *Matth.* XII. 33, coll. cum. VII. 17. 18. Hæc ſumma eſt eorum, quæ eruditiſſimus *Joannes Alberti* recte affert pag. 371. eum in finem, ut efficiat, λόγον σαπρὸν hic eſſe *ſermonem putrem, malum, impurum*, qui ad uſum rectum plane ineptus ſit, translatione ab eo facta, quod ex vetuſtate rancidum eſt & putre. Adde in eandem ſententiam doctiſſimum *Elsnerum* pag. 219. Conſtat alias, σαπρὸν & σαθρὸν in veterum libris pro codicum diverſitate miſceri ſolere, cum tamen utraque vox non idem omnino inferat. Confer *Caſaubonum* ad Perſii Satyr. III. pag. 242. *Küſtero* iudice σαθρὸν proprie dicitur de veſtimentis, vaſiſ & ſimilibus, quæ vetuſtate vel uſu attrita ſunt, ut facile frangi vel lacerari poſſint, ſicut *Lucianus* in Necyomant. pag. 337. σαθρὰ ὑποδήματα vocat; σαπρὸν vero de rebus putredine corruptis; quamvis idem non diffiteatur, σαπρὸν eodem ſenſu alibi pro σαθρὸν venire, atque adeo σαθρὰ dici poſſe σαπρὰ, quamvis non vice verſa. Lege eum ad *Ariſtophanis* Plutum v. 814. pag. 14. b. *Eraſmus Schmidius* λόγον σαπρὸν, notione ampliori partim *ſermonem futilem & inutilem*, partim *ſpurcum & obſcœnum*, partim *malignum* & aliis *noxium*, &, ſive per calumniam, ſive alio modo, fructum malum producentem, inferre cenſet. *Chryſoſtomus* ait: σαπρὸν λέγομεν πᾶν, ὃ μὴ τὴν ἰδίαν χρείαν πληροῖ. Adde alia apud *Suicerum* Tomo II. pag. 931.

ἀλλ' εἴτις ἀγαθὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας] *Sed ſi quis aptus ſit ad ædificationem.* Ita *Pauſanias* Eliac. poſter. cap. XXVI. pag. 519. Ἠλεία χώρα εἰς καρποὺς καὶ τὴν βύσσον οὐχ ἥκιστα ἐκτρέφειν ἀγαθή. Vide *Elsner.* loc. cit. Pro χρείας pauci Codices habent πίστεως cum *Vulg.* & Patribus Latinis quibusdam, à *Millio*, qui fere hanc lectionem approbare videtur, & *Richardo Simone* in Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti pag. 46. appellatis. Communiorem illam recte adſtruit *Whitbius* pag. 69. *Theophylactus* vero ſatis explicat: ὅπερ οἰκοδομεῖ τὸν πλησίον, ἀναγκαῖον ὂν τῇ προκειμένῃ χρείᾳ, i. e. *quod proximum ædificat, & ad præſentem uſum facit.* Sic Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis: *Ædificationem præſentis uſus, ſeu neceſſitatis.*

ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι] Daß es holdſeelig ſey zu hören. Ita *Lutherus*, rectius omnino, quam *Fendius*: auf daß ſie Gnade gebe den Zuhörenden, qui quid ſibi velit, vix adſequaris. Priorem illam verſionem, *ut gratus ſit audientibus*, adſtruit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 259 & Polybianis p 544. ſq. ut ſic duo præcipiat Apoſtolus, & utiles eſſe oportere, & gratos audientibus. Ita *Xenophon* Hiſtor. Græc. lib. VI. pag. 462. ὅτι μὲν, ἃ μέλλω λέγειν, οὐ πρὸς χάριν ὑμῖν ῥηθήσεται, οὐκ ἀγνοῶ. *Quanquam non ignorem, minime jucunda vobis auditu fore, quæ dicam.* *Plutarchus* in Alcibiade *eloquentiam* τὴν τοῦ λόγου χάριν appellat. Confer *Coloſſ.* IV. 6 & *Luc.* IV. 22. Hominem ita loquentem οἱ LXX. γλωσσοχαριτοῦντα vocant, *Proverb.* XXVIII. 23 χάριτας ἕξει μᾶλλον τοῦ γλωσσοχαριτοῦντος. Ita *Siracid.* XXI. 18. ἐπὶ δὲ χείλους συ-



Digitized by Google

νετὺ ἐυρεθήσεἶαι χάρις, & Proverb. VII. 5. ἐὰν σε λόγοις τοῖς πρὸς χάριν ἐμβάλληται. Ab altera parte Cl. *Elsnerus* loc. cit. credit, explicari diſtinctius τὴν οἰκοδομὴν τῆς χρείας, & cum *Beza*, *Grotio* aliiſque vertit, *ut gratiam adferat*, *eos ædificet*, ut 2 *Corinth.* II. 15. Sic ex noſtratibus *Hannekenius* in Expoſitione hujus epiſtolæ pag. 64. Uterque ſenſus, fateor, commodus eſt. Malim tamen priorem. Id enim innuere videtur Paulus, ſermones noſtros vel ideo *ſuaves* eſſe debere, ut tanto libentius ab audientibus excipiantur, uſuſque adeo, qui ſemper ſpectari debeat, præſentior ſit. Ejusmodi λόγος εὐχάριςος, quem *Xenophon* Cyropæd. lib. II. pag. 36. vocat; ſic opponeretur antecedenti σαπρῷ *putri*, *fœtido*, qui non minus ac res *fœtida* nares occludi facit audientisque animum avertit. *Xenophon* loc. cit. Cyrum hoc nomine laudat, quod operam dederit, ut apud ſuos, εὐχαριςότατοί τε ἅμα λόγοι ἐμβληθήσονται καὶ παρορμῶντες εἰς ἀγαθὸν; *ſermones quidem feſtivi interjicerentur & qui ad optima quæque incitarent.*

Verſ. 30. Καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, κ. τ. λ.] Inſpiciendi hic fuerint *Jacobus Henningius* in diſputatione de pignore hereditatis Gryphisvvald. 1694. B. *Gottlieb Wernsdorfius* de contriſtatione Spiritus Sancti, Wittebergæ 1705. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 232. ſq. Vener. *Jo. Laurentius Mosheimius* Tom. II. der heiligen Reden pag. 13. ſq. collata Bibliotheca Theologica Selecta, Germanice edita, Parte XXIV. pag. 1090. ex Reformatis autem *Jacobus Altingius* Tomo IV. Operum pag. 130. & *Joannes d'Outrein* in Sinnebeelden Tomo II. pag. 101. ſqq. ex Pontificiis denique *Dionyſius Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tomo II. lib. VIII. cap. 5. de SS. Trinitate pag. 464. ſq. Reſpicit hunc locum *Hermas* in Paſtore lib. II. Mandato X. μὴ λύπει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ κατοικοῦν ἐν σοὶ, μήποτε ἐντεύξηται τῷ Θεῷ καὶ ἀποςῇ ἀπὸ σοῦ. Ad quem locum lege *Fabricium* in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti Vol. III. pag. 898.

Λυπεῖν ſermonibus jungi oſtendit *Jo. Alberti* pag. 372. *Iſocrates* ad Demonic. pag. 17. ἐν τοῖς λόγοις ἐλύπησαν, & ſimiliter *Ælianus* Var. Hiſt. V. 8. & II. 13. *Contriſtare* idem eſt, quod offendere. Ita *Herodotus* pag. 602. ἡ ἵππος, ἡ Μαρδονίου, αἰεὶ προσέκειτό τε, καὶ ἐλύπει τοὺς Ελληνας, obſervante *Raphelio* in Annotationibus Polybianis pag. 546. & Herodoteis pag. 540. Adde *Vitringæ* commentarium in Jeſaiæ LXIII. 10.

ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε] Vide Vol. II. ad 2 *Corinth.* I. 22. & hic ad I. 13. Vim & δεινότητα phraſium hujus commatis breviter repræſentat *A. Blackvvall* in præfat. ad Claſſicos Sacros, Anglice editos, pag. 12.

Verſ. 31. Πᾶσα πικρία, καὶ θυμὸς. κ. τ. λ.] De naſo Attico ad hæc diſſerit *Schulzius* in Florum Sparſione pag. 254.

εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως] Perfectam liberationem & glorificationem noſtram reſpectu animæ & corporis innui oſtendit *Suicerus* Tomo I. pag. 463.

Verſ.

Verſ. 32. εὔσπλαγχνοι] Eadem voce utitur *Petrus* 1 epiſt. III. 8. Occurrit etiam apud externos Scriptores *Sophoclem* & *Euripidem*, quorum ille εὔσπλαγχνον, hic εὐσπλαγχνίαν dicit, eo tamen ſenſu, ut animi robur & præſtantiam indicet. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Parte I. pag. 30.

χαριζόμενοι ἑαυτοῖς] Vide 2 *Corinth.* II. 10.

ὁ Θεὸς ἐν Χριστῷ] Codex unus Stephani legit ſimpliciter ὁ Θεὸς, idque rectum videtur *Millio* in Prolegomenis, reliqua ex margine in contextum translata opinanti exemplo *Coloſſ.* III. 13. Vide tu *Whitbium* pro recepta lectione pugnantem pag. 69. Ad totum hoc comma conferri meretur *Sebaſtianus Schmidius* de Imagine Dei pag. 289 ſqq.

# CAPUT V.

Verſ. 1. – 9. continetur Sectio epiſtolica, quæ cœtibus ſacris apud nos publice explicari ſolet. Eam itaque omnem illuſtrat *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 126. ſqq.

Verſ. 1. Γίνεσθε οὖν μιμηταὶ τοῦ Θεοῦ, κ.τ.λ.] Comma 1. & 2. cum capite IV. ἀμέσως conjungi vult Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis, hoc argumento uſus: *Nempe Deum convenit imitari, qua delicta condonat. Imitatur autem, qui quid agit de induſtria juxta facti alieni formam, ſive diſcipulus, ut* 1 Corinth. XI. 1. *ſive, ut hic, filius.* Nervum in hoc argumento fruſtra me quærere fateor. Proponit quidem Paulus commate proximo Deum Patrem, qui nobis peccata condonaverit in Chriſto, in exemplum, ſecundum quod & ipſi mutuam benevolentiam, miſericordiam & animum conciliationis ſtudioſum probare debeamus. Capite autem quinto non amplius in his virtutibus commendandis hæret, quæ ad tolerantiam mutuam proxime pertinent, ſed ad alias inculcandas divertit. Imo aliud præterea argumentum imitationis urget, nempe, quod in numerum filiorum Dei ſint cooptati. Itaque vel plura ſequentia capitis V. commata, ad caput V. ſunt referenda, præter duo illa priora, vel hæc etiam initium capitis V. recte conſtituere cenſenda ſunt. Tertium dari non crediderim. Taceo v. 2. Chriſtum ſpeciatim, ſicut antea Patrem, in exemplum proponi, quod in amore mutuo inſtar filiorum atque adeo fratrum imitando exprimere debeamus. Comma hoc primum *Robertus Gellius* in Reliquiis Anglice editis p. 273. -- 279. diligenter expoſuit.

ὡς τέκνα ἀγαπητά] Spectant hæc ad Patrem, cujus ante facta eſt mentio, tanquam qui Epheſios in filios recens adoptaverat, & ad Chriſtum, cujus amor in nos, reapſe in conciliatione noſtri cum Deo præſtitus, effecerit, ut adoptari potuerint. Quomodo υἱοθεσία illa ad imitationem Dei, qualis quidem in homines cadit, compellat, oſtendit *Svicerus* Tom. II. Theſauri pag. 1356.



Digitized by Google

Verſ. 2. *Καὶ περιπατεῖτε ἐν ἀγάπῃ, κ.τ.λ.*] Toti commati lucem fœnerantur ex Anglis *Stephanus Charnock* Tom. II. Operum Anglice editorum pag. 874. ſqq. & 884 -- 913. A Socinianorum ſtrophis illud vindicat Rev. *G G. Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Socinismi Altorfini pag. 831. 976. & 1140.

*παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν*] Lege *Wokenium* Tom. I. Meditationum Privatarum pag. 129.*

*προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας*] Phraſin hanc efficaciſſimam ex inſtitutis Moſaicis, ad ſacrificia ſpectantibus, exponunt inter noſtrates B. *Theodorus Daſſovius* in Diſſertatione II. de Emphaſi Sacrarum Vocum pag. 16. ſq. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 176. & 650. & Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris Parte I. pag. 186. ſq. editionis prioris, & pag. 315. ſq. editionis repetitæ, quæ hic omnino conferenda eſt, cum doctiſſimus auctor in hac cogitata ſua ex parte temperarit, ex parte etiam uberius illuſtrarit. Ex Reformatis conſuli velim *Altingium* Tom. V. Operum in Heptade IV. Diſſertat. V. §. 19. *Hermannum Witſium* Tom. I. Miſcellaneorum pag. 511. *Jo. Bapt. Ottium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. pag. 525. ſqq. *Theod. Haſæum* ibidem pag. 548. ſqq. & *Relandum* denique in Antiquitatibus Hebraicis pag. 330. In ſummam ego hic conferam B. *Daſſovii* obſervata loc. cit. *Munus* ſeu oblationem (מנחה) à *victima* (חטאה) Paulus diſtinguit, & Chriſtum cum utroque comparat, eo conſilio, ut ſignificaret, omnes Hebræorum oblationes, ſive de animalibus avibusque, ut *θυσίαι*, ſeu *victimæ*, ſive de panibus, ut *oblationes*, caperentur, Sanctiſſimum Servatorem adumbraſſe, quando holocauſta, in honorem Dei fieri ſolita, indicabant, Chriſtum paſſione & morte ſua honoraturum, ſacrificia autem, pro reatu & peccato cæſa, indicio erant, Chriſtum hoſtiam pro totius mundi peccatis futurum; ſacrificia denique ſalutaria, quæ pro beneficio vel impetrato, vel impetrando fieri ſolebant, innuebant, per eundem omnia beneficia impetrari, & per illum pro beneficiis impetratis gratias perſolvi debere. Utrinque vero, nempe per *oblationes* & *victimas* ſignificabatur, Chriſtum in ara crucis immolatum iri, tanquam qui verus ſit vitæ panis. Reliqua, quæ huc pertinent, momenta apud illos legi velim, quos citavi. Ex illis *ὀσμὴν εὐωδίας* ſpeciatim perſequitur *Ottius* l. c. de qua legere quoque juverit *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 266. Placent vero, quæ *Haſæus* ibi monet pag. 553. per ſuavem illum odorem tam ad *θυσίας*, quam ad *προσφορὰς* reſpici: *Cum enim*, inquit, *carnes crudæ flammis abſumerentur, non poterant non teterrimum exhalare odorem, qui excuſſione viſcerum & excrementorum non parum adaugebatur. Illi itaque, ut minueretur aliquantum, addenda erat non exigua portio* Thuris *quidem in fertis, at in reliquis ſacrificiis* ſalis, *quem fuiſſe ita dictum* Sodomiticum, *ſive bitumen ex lacu Aſphaltite hauſtum, valde ſit veriſimile. Omnibus enim ſacrificiis ſalem fuiſſe adjectum ex lege patet*, Levit. II. v. 13. Omnem oblationem ferti tui ſale ſalies, & non ceſſare facies ſalem fœderis

Dei

Dei tui à ferto tuo. *Quæ verba cum tantum ſpectare videantur* מנחות, *tamen ad victimas quoque referenda eſſe, ex iis, quæ adduntur, patet:* על כל קרבנך תקריב מלה in omni (קרבן) OBLATIONE tua offeres, ſalem: *Superius enim jam viſum eſt,* קרבן *eſſe nomen generale, & quoque* זבחים *includere.*

Verſ. 3. ἢ πλεονεξία] *Avaritiam* hic notari plerique Interpretes recte ſtatuunt, ſicut ſupra IV. 19. *Exceſſum in libidine* mavult *Heinſius* in Exercitationibus Sacris, qualis inprimis in adulteris detur, qui & aliena ſibi vindicent. Secuti illum ſunt *Car. le Cene* in Tentamine novæ Verſionis Gallicæ pag. 684. *Lockius* item ad h. l. noviſſime *Blackwallus* in Claſſicis Sacris, Anglice editis, Tom. II. pag. 206. ſq. Urgent illi potiſſimum, quod vox hæc alias hanc ſignificationem inferat, hic vero πορνεία & ἀκαθαρσία proxime jungatur. At *Heinſium* hoc nomine, intemperantius tamen, caſtigavit magnus *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 121. ſq. *Non video*, inquit, *cur Apoſtolus debuerit exceſſum ejus rei damnare, quæ res ipſa per ſe damnanda ſit. In quibus rebus culpatur exceſſus, ea res non ſolent eſſe per ſe vitioſæ, ſed earum omne in exceſſu vitium. Ut in uſuris, cum licitæ ſint per ſe & proinde inculpatæ, qui modum in his excedit, omnino peccat. Fornicationis vitium & culpa in ipſa eſt, non in exceſſu. Plus quidem peccat, qui excedit in ea modum, ſed, qui rem ipſam damnat, & deteſtandam eſſe docet, multo magis exceſſum in re damnare conſendus eſt. Non igitur opus, damnata ipſa re, exceſſum ejus culpare, quæ etiam ſine exceſſu prorſus reprehendenda eſt. Non video præterea, cur dici debeant πλεονέκται, qui modum in libidine excedant. Heinſius* in cauſam ſuam dixerat, quod Apoſtolus non, καὶ πλεονεξίαι, *dixerit, ne hæc duo ſepararet, ſed,* ἢ πλεονεξία. Ad hæc *Salmaſius* ita pag. 127. *Ergo particula* ἢ *idem valet, quod* ἤτοι, *vel* ἤγουν, *in his verbis:* καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία. *Hoc ſenſu idem erit* πλεονεξία, *quod* ἀκαθαρσία. *Idem quippe eſt, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus,* καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἤτοι πλεονεξία. Et omnis immunditia, i. e. πλεονεξία. *Quo ſenſu Apoſtolus miram loquendi ac novam inſtitueret rationem, vocabulum minime obſcurum per obſcuriſſimum exponens. Quid eſſet* ἀκαθαρσία, *neminem tunc latebat, omnis nempe dictorum factorumve ſpurcitia. At* πλεονεξίαν, *qui in ea ſignificatione uſurpaverit antiquorum auctorum, ſive ſacrorum, ſive profanorum, Græcorum aut Græciſtarum, ego quæro, nec reperio.* Porro *Salmaſius* pag. 129. contendit, τὸ ἢ idem hic eſſe, quod καὶ. *In ſequenti quippe verſiculo & veteres libri, atque in his vetuſtiſſimis Puteanus, ita ſcriptum exhibent:* ἢ αἰσχρότης, ἢ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία, *pro eo, quod editum eſt,* καὶ αἰσχρότης, καὶ μωρολογία, καὶ εὐτραπελία. - - - - - Paulus etiam verſ. 5. *ubi notat eodem ordine operatores fornicationis, impuritatis & avaritiæ, quæ vitia ipſe recenſuerat in hoc verſiculo 3. ita ſcripſit:* τοῦτο γάρ ἐστε γινώσκοντες, ὅτι πᾶς πόρνος ἢ ἀκάθαρτος, ἢ πλεονέκτης, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, οὐκ ἔχει κ. τ. λ. *Vide, tria diverſa vitia poni cum*

*cum particula disjunctiva ἢ, idem valente, quod* καὶ. *Nam hic dixit:* πόρνος ἢ ἀκάθαρτος, *quod ſuperiore verſiculo,* πορνεία καὶ ἀκαθαρσία: *Ergo ſimiliter intelligi debet* ἀκαθαρσία ἢ πλεονεξία *pro* καὶ πλεονεξία. *Ita quippe illa tria disjungit, ut tamen ſub eadem negativa includat. Et nihil tritius apud Græcos Scriptores hac locutione.* Tempero mihi à deſcribendis exemplis, quæ *Salmaſius* affert, & à ceteris, in eandem rem diſputatis. Vereor enim, ne & hæc nonnullis jam videantur longiuſcula, quæ tamen vel ideo hic repetenda putavi, quod & liber *Salmaſii* non adeo obvius eſt cuique, & *Heinſii* interpretatio multis recentiorum ſe probavit, inter quos etiam B. *Auguſt. Herm. Franckius* in Obſervationibus vernaculis pag. 100 & B. *Gothofr. Olearius* in Prælectionibus MSS. nomen profitetur. Pro ſua Particulæ ἢ interpretatione afferre *Salmaſius* poterat codicem *Baroccianum*, in quo, Millio obſervante, τὸ καὶ legitur, quod & in Verſione ſua *Syrus* expreſſit. Neque habent contrariæ ſententiæ patroni, cur ad antecedens ἀκαθαρσία tam confidenter provocent, tanquam quæ ad *impuram libidinem* ſignificandam relata non aliam notionem ſequenti πλεονεξία tribui permittat. Non nego, ἀκαθαρσίαν frequentiſſime à ſacris Scriptoribus ad ſpurcitiam libidinoſam indicandam adhiberi. Sed & hoc dari mihi velim, eadem alia quoque impuritatis ſordiumque ex peccatis naſcentium genera deſignari. Quid videtur de his Pauli verbis 1 *Theſſalon.* II. 3. ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης, οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὔτε ἐν δόλῳ? Num quis hic per ἀκαθαρσίαν, quam Paulus à ſe amolitur, *libidinem Veneream*, nec potius *vitioſum* quodcunque & labe plenum, innui crediderit? Si quis fecerit, videat, quomodo notio hæc cum πλάνῃ & δόλῳ, quæ hic commemorantur, conciliari poſſit. Externos quoque Scriptores, *Demoſthenem* ſpeciatim & *Lucianum* ἀκάθαρτον hominem *ſceleſtiſſimum* dicere *Stephano* obſervatum eſt, nec obſcurum eſt, quos Latini *impuriſſimos* appellare conſueverint. Num itaque erraverit, qui ſtatuerit, Paulum quidem h. l. impuras Veneris ſordes ſpeciatim notare, ſed facta hac impuritatis mentione ad *avaritiam* notandam profectum eſſe, quæ vitiorum impuriſſima eſt ſentina? Vide vero præterea *Salmaſium* loc. cit. pag. 134. ſq. diſquirentem, cur Apoſtolus πλεονεξίαν τῇ ἀκαθαρσίᾳ proxime junxerit. Scilicet utrumque vitium in una ſede morari amat, & alterum alteri in multis eſt ſimile. Adde, Apoſtolum 1 *Corinth.* V. 10. τοὺς πλεονέκτας inter πόρνους & ἅρπαγας, & verſ. 11. inter πόρνους & εἰδωλολάτρας medios collocare, ſicut cap. VI. 10. κλέπτας, πλεονέκτας, μεθύσους, λοιδόρους & ἅρπαγας conjungit. Si quis denique quæſiverit, cur Paulus *ſcortatori* & *impuritati* heic *avaritiam* junxerit, is ſciat, eodem hoc jure & modo factum eſſe, quo ſupra IV. 26. ſqq. inter ὀργίζεσθαι & παροργισμὸν, πικρίαν item, θυμὸν & ὀργὴν verſ. 31. *furtum* poſuit verſ. 28.

μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν] *ne nominetur quidem inter vos.* Ita recte *Beza* & *Eraſmus Schmidius*: ex recentioribus autem *Franckius* loc. cit. & *Zeltnerus* in gloſſa ad Lutheri verſionem Biblicam. Paulus Epheſios à vitiis ante appel-

appellatis ita alienos eſſe vult, ut inter ipſos nec nomen illorum audiatur. Ita Scriptores loqui amant de iis, quæ valde averſantur. *Dio Chryſoſtomus* pag. 360. b. *ςάσιν δὲ ὐδὲ ὀνομάζειν ἄξιον παρ' ὑμῖν.* Confer *Caſauboniana* mea p. 75. Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis appellationem illam *cum approbatione* fieri non debere, tanquam ex mente Pauli, judicat. Sed id quidem minus eſt, quam Paulus voluit, quod vel ex addita particula *μηδὲ* intelligitur. Cum approbatione enim de ejusmodi vitiis loqui parum abeſt ab ipſa eorum perpetratione, imo argumento eſt, hominem ejusmodi vel indulgere illis, vel in illa eſſe proclivem. Ut taceam, ſermones etiam ſpurcos in dehortatione ab omni *ἀκαθαρσίᾳ* contineri. *Jo. Buxtorfius* tamen in Catalectis Philologicis p. 8. eadem ratione *φράσιν* accipit. Confer ſcripta ad 1 *Corinth.* V. 1. & pro noſtra ſententia lege *Joannem Henricum Urſinum* in Analectis Sacris Vol. 1. pag. 358. & Cl. *Schellhornium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 57.

Verſ. 4. *Καὶ αἰσχρότης, καὶ μωρολογία*] Et hæc *Heinſius* loc. cit. ad obſcœnitatem libidinis refert, notatus ideo à *Salmaſio* loc. cit. pag 131. quæ apud ipſum legi velim. Deſcribam tantum, quæ ad nos propius ſpectant. *Quis non videt*, inquit pag. 132. *his tribus vocabulis, αἰσχρότητ@, μωρολογίας & εὐτραπελίας Apoſtolum præcipere, vitandam eſſe omnem obſcœnam dicacitatem, vernilitatem, ſcurrilitatem, qualem exhibent, qui Græce dicuntur γελωτοποιοὶ, μωρολόγοι & εὐτράπελοι, qui τὰ ὐκ ἀνήκοντα ſæpius loquuntur, quid dicant ſecuri, dum riſum moveant, ut ſcurræ ſolent, & aliæ ridiculæ perſonæ, omnia dicere & facere, ut rideantur. Nam αἰσχρότης Paulo idem, quod αἰσχρολογία. Et Heſychius, Critico laudatus, αἰσχρολογίαν & μωρολογίαν & εὐτραπελίαν eandem facit, quæ Apoſtolo diſtinguuntur, tanquam ſpecies ejusdem generis. Et poſſemus docere, quomodo & quatenus differant, ſi hoc agere hic propoſuiſſem.* Quam operam præſtare ſe poſſe ſcribit *Salmaſius*, ea poſt ipſum perfuncti ſunt *Franſc. Vavaſſor* de ludicra dictione Sect. III. in Operibus pag. 53. & 55. *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 179. & *Elsnerus* pag. 220. ſqq. De voce *αἰσχρότης* lege *Jo. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. p. 61.

*μωρολογία*] Hebræis vocatur נבלות פה Codice *Schabbath* fol. 31. a. quam Magiſtri de *turpiloquio* interpretantur. Obſervavit locum *Balthaſar Scheidius* in Horis ſuis Talmudicis, quarum ſpecimen habes in Bibliotheca Lubecenſi Vol. II. pag 204. B. *Lutherus* convertit Narrentheidinge, de qua voce leges B. *Stadenii* Expoſitionem difficiliorum vocum Biblicæ verſionis vernaculæ pag. 111.

*ἢ εὐτραπελία*] vocabulum hoc *μέσον* eſſe, & nunc *urbanitatem*, nunc *ſcurrilem dicacitatem* externis quoque Græciæ Scriptoribus denotare, hic autem in ſequiori ſenſu adhiberi abunde probatum eſt. Lege ex noſtratibus *J. C. Dietericum* loc. cit. Tom. I. *Eraſmum Schmidium*, Rev. *Heinricum Clauſingium* in diſſertatione de *εὐτραπελίᾳ* Paulina, Wittebergæ 1722. & noviſſime Cl.

Cl. *Schellhornium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 58. ſqq. ex ceteris vero *Elsnerum* loc. cit. ubi tamen operarum vitio, εὐτράπηλος & εὐτραπηλία per η toties ſcribitur, quoties ibi occurrit. Affert is inter ceteros *Ariſtophanis* locum in Veſpis v. 467. λόγος εὐτράπελος, quem Scholiaſtes ἀπολογίαν πιθανὴν καὶ εὖ τετραμμένην interpretatur. Ab altera parte *Iſocrates* in Areopagitico pag. 354. τοὺς εὐτραπέλους καὶ σκώπτειν δυναμένους conjungit. Utramque notionem feliciter expreſſit Anonymus Anglus, in Annotationibus Latinis, quando per *urbanitatem ſcurrilem* convertit. Germanice diceres unziemlichen, vel groben Schertz. Scholiaſtes, quem dixi, in mentem mihi revocat *Etymologicum Magnum*, quod ita habet: ἡ εὐτραπελία, μωρολογία, κουφότης, ἀπαιδευσία, παρὰ τὸ εὖ τρέπεσθαι τὸν λόγον εἰρηται. Habes hic originem vocis, ex qua fuit, qui εὐτραπελίαν *ambiguos* ſermones inferre cenſeret, h. e. tales, qui ſpeciem quidem urbanorum & honeſtorum verborum habeant, ſed in obſcœnum ſenſum facile flecti poſſint. Non crediderim, eam fuiſſe mentem vel auctoris Etymologici Magni, vel Interpretis Ariſtophanis. Neque tamen negaverim, *ancipites* ſermones, qui ad impurum & obſcœnum ſenſum ſubinnuendum à loquente adhibentur, εὐτραπελίας nomine venire poſſe.

Ex his patet, Apoſtolum omne ſermonis genus evitari velle, quod aures lædere quocunque modo poſſit, probisque & honeſtis moribus adverſetur. Nec deſunt inter externos, qui huc conſilia & præceptiones ſuas retulerint. *Ariſtoteles* lib. VII. Politicorum capite ultimo ſuadet, ut omnis verborum obſcœnitas per legislatorem ex civitate propellatur, eo quod loquendi licentiam turpiter facere conſequatur. Seneca lib. I. Controverſ. 2. *Longe recedendum eſt*, inquit, *ab omni obſcœnitate verborum & ſenſuum; quædam ſatius eſt cauſæ detrimento tacere, quam verecundiæ dicere.* Pythagoras, auctore *Diogene Laërtio* pag. 579. ἀπείχετο καταγέλωτος, καὶ πάσης ἀρεσκείας, οἷον σκωμμάτων καὶ διηγημάτων φορτικῶν. *Maimonides* in Canonibus Ethicis Can. XIII. jocum & ſales inceſtus doctores eſſe pronunciat: & *Quintilianus* VI. 3. nimium riſus ait eſſe pretium, ſi probitatis impendio conſtet. Ex doctoribus Eccleſiaſticis *Chryſoſtomus* inprimis contra hoc ſermonis vitium graviter dixit concione ſingulari, ὅτι οὐ χρὴ εὐτραπελίζειν τὸν ἀσκητὴν, quæ exſtat Tom. VI. Operum ed. Ducæi pag. 594. & *Clemens Alexandr.* Pædagog. II. 6. Πολλοὺς ἔβλαψεν ἡ εὐτραπελία, ait *Photius* epiſt. 1.

Ex recentioribus hoc argumentum perſecuti ſunt *Franciſc. Vavaſſor* libro ſingulari de ludicra dictione in limine Operum recuſo, quo plenis calathis effundit, quæ ex antiquitate afferri poſſunt; *Petrus Baelius*, quem pudoris & verecundiæ limites ſæpe inprimis in notis ad Dictionarium ſuum exceſſiſſe conſtat, Tom. III. p. 3159.--3177. item. in Dictionario ipſo Tom. II. 1414. ſq. ubi verba & ſcripta obſcœna impudicitiæ pararios & interpretes eſſe exemplis & teſtimoniis evincit. Adde, quæ idem habet, ubi de *Sanchezio*, *Virgilio* & *Vayerio* diſſerit, necnon Tom. II. Reſponſionis ad Quæſtiones hominis pro-

provincialis cap. LXXII. pag. 66. ſqq. Jungendus eſt *Baelio Jaquelotus* in Examine Theologiæ Baelianæ Part. I. cap. 7. pag. 92. ſqq.

Non mirum eſt, Paulum & hic, & alias, Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ à turpi, obſcœno & ad ineptum riſum compoſito ſermone graviter & diligenter avocare. Illi enim Gentiles mirum quantum ſtudebant. In conviviis ſpeciatim *τοῖς σπουδαίοις τὰ γελοῖα* miſcere amabant. Lege *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtophanis Ranas v. 392. Imo nec in ſacris ſibi ab illis temperabant, quin potius, indicto quaſi certamine, facetias affectabant. De *Eleuſiniis* ſacris hoc quidem teſtatum ex Scriptoribus fecit idem *Spanhemius* ad Ranas v. 396. & ad *Juliani* Cæſares pag. 327. de *Saturnalibus* autem ad v. 395. in Ranis. *Epheſios* inprimis inepto facetiarum ſtudio addictos fuiſſe auctor eſt *Plautus* in MiliteGlorioſo Act. III. Scen. I.

*Vel cavillator facetus, vel conviva commodus*
*Item ero.*
*Minime ſputator, ſcreator ſum, ibidem minime mucidus.*
*Poſt EPHESI ſum natus, non in Apulis, non ſum in Umbria.*

*τὰ ὐκ ἀνήκοντα* ] *quæ ad rem nihil pertinent*, ut *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 132. vel rectius: *quæ non conveniunt*, ut *Beza* & *Eraſmus Schmidius.* Hæc enim vocis ſignificatio eſt *Coloſſ.* III. 18. & *Philemon.* v. 8. Reſpicit Paulus ad contrarium v. 3. indicatum: *καθὼς πρέπει ἁγίοις.* *Schmidius* poſt *εὐτραπελία* interpunctionem tolli voluit, ut legatur *εὐτραπελία τὰ ὐκ ἀνήκοντα*, ut ſubintelligatur *κατά.* Quo conſilio id ſuaſerit, non intelligo. Phraſis enim hæc ad tria antecedentia vitia in univerſum pertinet, tanquam quæ ab honeſtis moribus longiſſime recedant.

*ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστία* ] Multi ſunt, qui *jucundos*, h. e. pios & religioſos ſermones, obſcœnis illis, ludicris & aures animumque lædentibus oppoſitos, ſignificari volunt. Inter hos ex veteribus eſt *Hieronymus*; ex recentioribus autem *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 133. Hic enim poſtquam contra *Heinſium* (quem ſecutus eſt *le Cene* in Tentamine novæ Verſionis Gallicæ pag. 619.) oſtenderat, *pudicos ſermones* intelligi non poſſe, pag. 134. ita pergit: *Idem quippe εὐχάριστος, quod εὔχαρις, vel χαρίεις. Inde ergo & εὐχαριστία, lepor & jucunditas in ſermone, qualis ſapientem & ſanctum decet, Apoſtolo vocatur, quæ ab oppoſitione εὐτραπελίας & μωρολογίας facile intelligitur. Urbanitas nimirum temperata, modeſta & honeſta. Nam certe hic εὐχαριστία nihil aliud eſt, quam ſermo cum gratia & venuſtate. Quam Hebræi dicerent* דבר חן *λόγον εὐχάριστον.* In eandem ſententiam conceſſerunt *Vavaſſor* loc cit. *Colomeſius* in Obſervationibus Sacris pag. 172. *Hammondus* item ad h. l. Ex altera vero parte ſe oppoſuit *Dionyſ. Petavius* in Diſſertationibus Eccleſiaſticis lib. II. cap. X. §. 4. & 5. Tomo IV. Dogmatum Theologicorum p. 202. ubi contra *Salmaſium* diſputat, & *Hieronymo* reſpondet, cui mirum viſum eſt, Apoſtolum poſt damnatam immunditiam, turpitudinem, ſtultiloquium

quium, ſcurrilitatem, non aliam virtutem, v. c. juſtitiam, veritatem, dilectionem, ſed *gratiarum actionem* urſiſſe. Reſpondet, inquam, nihil ex ore Chriſtiani, vel ſonare frequentius debere, vel decentius poſſe, quam gratiarum actionem. Hanc ubique & quavis occaſione Deo perſolvere nos oportere. Ita quippe præcipere Paulum 1 *Theſſal.* V. 18. & ad *Coloſſ.* III. 17. ſimiliter vero ſanctos Doctores, *Auguſtinum* epiſt. LXXVII. & *Gregorium Nazianzenum* Orat. XXXIII. In eandem ſententiam contra *Hammondum* diſputat *Clericus* ad h. l. & *Amelius* quoque loc. cit. pag. 184. Speciem, fateor, habet illa *Salmaſii* expoſitio. Εὐχάρις☉ ſane hominem ſuavem & affabilem infert. *Demetrium Phalereum* memini ἄνδρα εὐχάρισον, *virum lepidum oratione* dicere, & οἱ LXX. *Proverb.* XI. 16. אשת חן, γυναῖκα εὐχάρισον, h. e. uxorem *gratam* ac *jucundam* appellant. Græci alias ἐπίχαριν dicunt. Sic *Damaſcius* de Iſidoro: ὁ δὲ ἐπίχαρις ἦν εὐτραπελίας μὲν καὶ βωμολοχίας ὅτι πορρωτάτω. Ubi notari velim, ἐπίχαριν, *feſtivum*, *urbanum* illi opponi, qui εὐτραπελία, ſeu *ſcurrilitati*, a Paulo h. l. damnatæ, ſtudeat. Compara *Bulengerum* de Theatro lib. I. cap. 42. Tomo IX. Antiquitatum Romanarum p. 905. Sed hæc tamen rem non conficiunt. Primum enim nullus adhuc locus ex veteribus afferri potuit, quo conſtet, εὐχαριςίαν hoc ſenſu unquam fuiſſe adhibitam, quando ab altera parte beneficii memoriam, ſeu gratiarum actionem frequenter infert. Deinde, ſi talis afferretur, nec ſic certi eſſe poteramus, Apoſtolum illi voci hanc notionem ſubjicere voluiſſe. Frequenter ille voce εὐχαριςία uſus eſt, v. c. 1 *Corinth.* XIV. 16. 2 *Corinth.* IV. 15. IX. 11. & 12. *Philip.* IV. 6. *Coloſſ.* II. 7. & IV. 4. 1 *Theſſal.* III. 9. 1 *Timoth.* II. 1. IV. 3. & IV. 4. Sed horum locorum nullus vel minimam hujus ſignificatus, qui h. l. obtinere nonnullis videtur, umbram refert. Nec obverti poteſt, oppoſita illi ſermonis vitia αἰσχρολογίαν, εὐτραπελίαν &c. ſenſum hunc requirere. Facilis enim eſt reſponſio. Paulus *Coloſſ.* III. v. 5. in eadem, quæ hic damnat, vitia invehitur, & αἰσχρολογίαν nominatim v. 8. abominatur. Quando vero ibidem v. 12. ad oppoſitas virtutes cohortatur, inprimis ait verſ. 15. εὐχάριςοι γίνεσθε, & verſ. 17. εὐχαριςοῦντες τῷ Θεῷ. Nihil itaque prohibet, quo minus etiam h. l. in communiſſima ſignificatione acquieſcamus, & gratiarum actionem laudemque Dei commendari cenſeamus. Qui enim illa plenus eſt, is certe ſibi cavebit ab omni ejusmodi ſermone, qui proximo non minus noxius eſt, quam a Dei, cujus nomen profitetur, honore & laude alienus.

Verſ. 5. Τοῦτο γάρ ἐςε γινώσκοντες] Codices aliquot habent ἴςε, atque ita legit *Vulgatus*, vertens: *hoc enim ſcitote, intelligentes, quod* &c. Sequuntur cum Patrum Latinorum nonnulli. Nec *Millius* in Prolegom. §. 634. aſſerere dubitat, *lectores poſteriorum temporum ſuſpectam vitii ſcripturam ob* ταυτολογίαν *emendare auſos eſſe.* Si ſpeciem conjecturæ ſuæ conciliare voluiſſet *Millius*, afferendus ſaltem unus erat locus, ex quo conſtaret, ταυτολογίαν non eſſe, ſi Paulus ſcripſiſſet: τοῦτο γὰρ ἴςε γινώσκοντες. Rectius tenetur ſcriptura con-

conſtantior, ſive illa *imperative* per *ſcitote*: cum *Vulgato*, B. *Luthero*, *Eraſmo Schmidio*, & aliis, ſive *indicative*, per *ſcitis*, cum *Eraſmo*, *Beza* &c. redditur. Malim tamen prius. Totum enim hoc caput præceptiones continet, inter quas hæc eo à Paulo refertur, ut hoc diligentius Epheſii animum converterent ad recogitanda & expendenda illa, quæ jam alias contra hæc vitia dici audiverant.

ἢ πλεονέκτης] *libidinoſum* hic intelligi volunt, & velle debent, qui τὴν πλεονεξίαν de libidinis exceſſu accipiunt. His nunc jungo *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 289. Lege contra illos *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico pag. 140. & hæc ejus verba accipe: *Qui ſint iſti* πλεονέκται, *quos cum* πόρνοις *ſimul memorat Apoſtolus*, *&* *quæ illa* πλεονεξία, *quam pariter juxta* πορνείαν *collocat*, *nemo melius dicat*, *quam ipſe. Sic enim in epiſt. ad Corinth. I. cap. V. hunc* πλεονέκτην, *quem* πόρνῳ *dat comitem*, *quis ſit*, *exponit*: ὀυ πάντως τοῖς πόρνοις τῦ κόσμυ τύτυ, ἢ τοῖς πλεονέκταις, ἢ ἅρπαξιν, ἢ εἰδωλολάτραις. *Iſti* πλεονέκται, *qui ponuntur inter* πόρνυς *&* *raptores*, *nonne ſunt fraudatores*, *qui dolo circumveniunt? Ita veteres omnes eos exponunt. Ergo &* πλεονεξία, *quæ cum* πορνείᾳ *recenſetur*, *nec aliud eſt*, *quam horum* πλεονεκτῶν *proprium vitium. Hæc idololatriæ ſpecies. Et omnes omnino Patres ab hoc loco ſumſerunt*, πλεονεξίαν, *i. e. habendi cupiditatem eſſe idololatriam. Certum quippe eſt*, *reſpexiſſe Apoſtolum ad Domini noſtri dictum in Evangelio*, ὐ δύνασθε Θεῷ δυλεύειν καὶ μαμμωνᾶ? Non poteſt contra hæc objici, quod *Wallius* facit loc. cit. κοιλίαν nonnullorum θεὸν dici *Philipp.* III. 19. Nec enim quisquam cogitaverit, per κοιλίαν ibi venerem ſpeciatim, nec potius omne illud ſtudium, quod in præſentem vitam pro lubitu agendam confertur, indicari. Hoc vero poſito, non minus ibi avaritia, quam libido venerea aut vitium omne, quod ſalutarem veritatem cohibet, reprehendetur. Patet illud ex phraſi ſtatim ſubjecta: ὁι τὰ ἐπίγεια φρονῦντες.

ὅς ἐςιν εἰδωλολάτρης] Vnus *Veleſ.* & *Bœrnerian.* legit: ὅ ἐςιν εἰδωλολατρεία, *Vulg.* & Latini aliquot Patres: *quod eſt idolorum ſervitus.* Hieronymus vero: *quod eſt idolis ſerviens.* Millius: *fortaſſe rectius*, *ut* ὅ ἐςιν *idem ſit hoc loco*, *quod* τυτέςιν. Recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ideo τὸ ὃ in contextum recepit. Nihil eſt, quod a conſtantiore lectione, ὅς ἐςι, nos avocet. Apoſtolus τῷ τυτέςι ſæpius utitur, ubi expoſitionem prioris inſtituit. Itaque & hic eo uſurus erat, ſi idem voluiſſet. Veri eſt ſimilius, eum ſcripſiſſe πλεονέκτης, ὅς ἐςιν εἰδωλολάτρης, ſicut ad *Coloſſ.* III. καὶ τὴν πλεονεξίαν, ἥτις (non ὅ) ἐςὶν εἰδωλολατρεία. Quare avarus idololatra hic dicatur, ex Patribus docet *Suicerus* Tom. II. pag 750. Alias vero cauſas recitat *Urſinus* in Analectis Sacris Vol. I. pag. 358. Judæorum Doctores alia etiam vitia *idololatriæ* nomine appellare, ex *Jalkut Rubeni* fol. 88. 4. & 142. 1. *Schemoth Rabba* fol. 121. 3. docet *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 779.

Q 2 ὐκ

*οὐκ ἔχει*] præmittitur in limine commatis vox *πᾶς*, quæ ad hanc phraſin pertinet. Itaque *πᾶς οὐ* idem eſt, quod *οὐδείς*. Hoc vero nonnullis *Hebraiſmum* vel *Helleniſmum* referre viſum eſt. Sed ſuo illos judicio falli *Theognis* probet. Hic enim v. 177. & 178. ita:

> Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
> Οὔθ' ἕρξαι δύναται.

Confer *A. Blackvvall* Claſſicos ſacros Vol. II. pag. 6.

*οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ*] Mirum eſt, qui *Hermannus Gerbaden* in libro Belgico, quem inſcripſit: *t' Heiligdom den Heidenen geopent*, pag. 531. ſeqq. regnum millenarium ex his verbis adſtrui poſſe crediderit. Ait ſcilicet, hinc intelligi, duplicem hereditatem exſpectandam eſſe fidelibus, alteram in regno Chriſti, alteram in regno Dei, quando nempe Chriſtus Deo & Patri regnum tradet, 1 *Corinth.* XV. 24. Quaſi vero regnum gratiæ, quod omnino a ficto illo millenario ex ipſorum ejus patronorum ſententia diſtinctum eſt, non ſit Chriſti, qui ut *Θεάνθρωπος* illius curam eminenti modo agat; quaſi etiam Paulus loc. cit. de millenario illo glorioſo cogitarit. Ceterum verba ultima *τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ* duplici modo accipi poſſunt. Vel enim id ſibi volunt, quod Latine dixeris *Chriſti, hoc eſt, Dei*, ut ſic *τὸ καὶ* ſit *ἐξηγητικὸν* prioris. Hoc nonnullis ex eo placet, quod articulus *τοῦ* voci *Χριστοῦ* tantum præficiatur. Vel Chriſti nomen a nomine *Θεοῦ*, diſtinguitur, in quantum regnum cæleſte & glorioſum illis aliquando adſignabitur, qui in regno gratiæ fideles ſe ſubditos præſtiterint. B. *Gerhardus* ita: *Chriſti regnum à Dei regno diſtinguitur, ac per regnum Chriſti intelligitur modus regiminis, quo Chriſtus Eccleſiam, in his terris militantem, per verbum & Sacramenta colligit, gubernat, & adverſus hoſtes defendit; per regnum autem Dei intelligitur modus regiminis, quo Eccleſiam in cælis triumphantem, devictis & proſtratis omnibus hoſtibus, in æternum reget.* Ita *Rom.* VIII. 17. credentes futuri aliquando dicuntur *hæredes Dei, & cohæredes Chriſti.*

Verſ. 6. *Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω κενοῖς λόγοις*] *Κενοὶ λόγοι* hic ſunt *inanes* & *vani*, qui præſtare non poſſunt ea, quæ promittunt, vel pollicentur, ſi v. c. quis dixerit, peccata ejusmodi levia eſſe, & cum ſpe futuræ ſalutis conſiſtere poſſe. Τοὺς LXX. hac voce ad *mendacia* exprimenda uti obſervavit *Keuchenius* ad *Matth.* XII. 26. Cl. *Joannes Alberti* cum *κούφῳ ἔπει*, *levi & inani verbo* comparat, quæ Antiphili phraſis eſt Antholog. III. cap. 6. epigr. 42. Apoſtolus alias *κενοφωνίας* vocat 1 *Timoth.* VI. 20. confer *Suicerum* Tom. II. pag. 87. & pag. 274. Bene *Chryſoſtomus* ad h. l. *κενοί εἰσιν οὗτοι λόγοι, οἱ πρὸς καιρὸν χάριν ἔχοντες, καὶ οὐδαμῶς ἐπὶ τῶν ἔργων δεικνύμενοι· ἀπάτη γάρ τὸ πρᾶγμά ἐστιν.*

ἐπὶ

Digitized by Google

ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας] Eadem loquendi ratione in oraculo quodam apud *Herodotum* lib. VIII. pag. 555. ὕβριος υἱὸς, *contumeliæ filius*, i. e. injuriæ auctor vocatur. Lege Rev. *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 539. Indicantur vero homines præfracti & contumaciæ ita dediti, ut ſibi quoque ſimiles facere alios conentur. Lege Patrum cogitata apud *Suicerum* Tom. II. pag. 1357.

Verſ. 8. Ἦτε γάρ ποτε σκότος, νῦν δὲ φῶς ἐν Κυρίῳ.] Conſuli hic velim B. *Sebaſtiani Schmidii* diſſertat. de filiis lucis, Argentorati 1675. habitam & in Appendice ad ejus Repetitionem Articulorum Formulæ Concordiæ recuſam. *Buddei* Inſtitutiones Theolog. Dogmaticæ pag. 1213. *Amelii* Erörterung Parte II. pag. 188. qui voces σκότος & φῶς ex antiquitatis monimentis evolvit, Anonymi Obſervationes Miſcellaneas vernacule editas pag. 242. & *Cornelii Adami* Obſervationes pag. 302.

ὡς τέκνα φωτὸς περιπατεῖτε] Phraſin τέκνα φωτὸς explicant *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte I. pag. 188. & *Petrus Zornius* Tomo I. Opuſculorum Sacrorum pag. 313. & Tomo I. Bibliothecæ Antiquario-Exegeticæ pag. 975. Quæ ex ſacris literis huc ſpectant, paucis complexus eſt B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. pag. 149. Vocantur ita *credentes*, inquit, *quia* (1) *ex Deo qui eſt lux ſupercœleſtis & æterna*, 1 *Joh. I.* 5. *ſpiritualiter nati ſunt.* (2) *quia Chriſtus, qui eſt vera lux, Joh. I.* 9. *per fidem in ipſorum cordibus habitat, Epheſ. III.* 17. (3) *quia Spiritus Sanctus lucem ſalutaris* θεογνωσίας *in ipſis accendit, ut à connatis tenebris ignorantiæ, errorum & peccatorum liberentur, ac ſint lux in Domino, Epheſ. V.* 8. (4) *quia regi ſe patiuntur verbo Dei, quod eſt lux ſpiritualis, Matth. V.* 14. 15. 16. *Rom. II.* 19. (5) *quia honeſti ambulant, ut in luce, Epheſ. V.* 8. 1 *Joh. I.* 7. *deponunt opera tenebrarum, & induunt arma lucis, Rom. XIII.* 12. (6) *quia fruentur aliquando luce cœleſti in vita æterna, erunt æquales ſanctis Angelis, qui ſunt Angeli lucis,* 2 *Corinth. XI.* 14. *habebunt lumen vitæ, Joh. VIII.* 12. *& partem ſortis ſanctorum in lumine, Coloſſ. I.* 12.

De voce weiland, per quam B. *Lutherus* τὸ ποτὲ convertit, lege B. *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum Verſionis Biblicæ.

Verſ. 9. Ὁ γὰρ καρπὸς τοῦ Πνεύματος] Codices aliquot MSS. habent φωτὸς, atque hanc lectionem exprimunt *Vulg.* & aliæ quædam verſiones veteres, nec minus Patres quidam Latini. *Grotius* eam præfert, ideo, quod cum præcedentibus melius cohæreat. *Millius* autem alteram illam Πνεύματος, tanquam clariorem & explicatiorem à ſtudioſo quodam aut librariis ex *Galat.* V. 22. ſubſtitutam opinatur. His conjecturis nixus recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani τὸ φωτὸς in contextum recepit, quemadmodum jam ante *Thomas Gale* idem approbavit in notis ad *Jamblichum* de Myſteriis Ægyptiorum p. 211. b. Ad illa enim *Jamblichi* verba: ὁ θεῖος τῆς ἐλπίδος καρποὺς ita: *Valentinianorum voces*, Ἐλπὶς, Καρπὸς & Καρπιστὴς, *ex*

*Theologia Chaldaica*, *quæ & ἐμπυρίȣς καρπȣ̀ς deprædicat. Et ſane D. Paulus V. ad Epheſ. v. 9. novit καρπȣ̀ς φωτὸς ſi optimorum codicum lectionem retineamus.* Ab altera parte communiorem lectionem, quam Theophylactus & Græca Scholia non modo teneant, ſed fuſius etiam explicent, recte tuetur *Whitby* pag. 69. & B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtratis. *Et cur id*, inquit, (nempe Πνεύματος) *reprobemus? An novum eſt, ab una metaphora ad aliam tranſire Scripturam? Fructus Spiritus nominari receptum eſt. At fructus lucis nuſpiam leguntur.* Crediderim ego, convenientiam τȣ̃ φωτὸς cum v. 8. occaſionem feciſſe, ut de voce illa cum altera Πνεύματος permutanda quidam cogitarent. Et ſcribere omnino Apoſtolus ita potuiſſet, quemadmodum verſ. 11. τὰ ἔργα τὰ ἄκαρπα τȣ̃ σκότȣς commemorat.

ἐν πάσῃ ἀγαθωσύνῃ, ϗ δικαιοσύνῃ, ϗ ἀληθείᾳ] Lege *Suicerum* Tom. II. pag. 911.

Verſ. 10. Δοκιμάζοντες] Vide, quæ de hoc verbo tum alias, tum ad *Rom.* II. 18. attulimus.

Verſ. 11. Καὶ μὴ συγκοινωνεῖτε τοῖς ἔργοις τοῖς ἀκάρποις τȣ̃ σκότȣς] Conferri velim *Stephani Clerici* Quæſt. II. in Diatribis, *Davidis Clerici* Quæſtionibus Sacris ſubjectis, & *Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag 628. Ἔργα ἄκαρπα ſunt *mala opera*, quæ alias ἀχρεῖα dicuntur. *Plutarchus* de audiendis Poëtis pag. 15. ϗ τὸ γλυκὺ τȣ̃ λόγȣ—ȣ̓κ ἄκαρπόν ἐστιν, ȣ̓δὲ κενόν. *Et ſuavis oratio, neque fructus expers eſt, neque vana*: obſervante *Joanne Alberti* pag. 373. Vide etiam *Guſſetium* in Commentariis Linguæ Hebraicæ rad. בוז, V. 2. pag. 374. De verbo συγκοινωνεῖν *Suicerus* Tom. II. pag. 124.

Verſ. 12. Τὰ γὰρ κρυφῆ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν, αἰσχρόν ἐστι ϗ λέγειν] Ita *Iſocrates* ad Demonicum pag. 6. ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλὸν, quem locum cum ſimilibus aliis affert Cl. *Elsnerus* pag. 223. Quæ κρυφῆ γίνεσθαι ait Apoſtolus, ea *M. Antoninus* III. 16. dicit ποιεῖσθαι, ἐπειδὰν κλείσωσι τὰς θύρας, quemadmodum *Epictetus* diſſertatt. lib. I. cap. 14. monet: ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, ϗ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστε, ȣ̓ γάρ ἐστε. Commode hic monet idem *Elsnerus*, Paganorum *myſteria* reſpici, ubi in tenebris nefanda quævis patiebantur, quæ ob religionem in vulgus efferre nefas dicebant. Sic *Pauſanias* in Corinthiacis cap. 37. pag. 200. de Bacchi ſacris: τὰ δὲ ἐς αὐτὴν Διονύσῳ δρώμενα, ἐν νυκτὶ κατὰ ἔτος ἕκαστον ȣ̓χ ὅσιον ἐς ἅπαντας ἦν μοι γράψαι. *Quæ circa illum* (Amphierai fontem) *quotannis Baccho nocturna ſacra fiunt, ea mihi nefas ſcribendo in vulgus efferre.*

Verſ. 13. Τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τȣ̃ φωτὸς φανερȣ̃ται] Obſcurum eſt, quomodo hæc verba ſint interpungenda. Fieri enim poteſt, ut verba: τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα, inſtar *ſubjecti*, per στιγμὴν à ſequentibus, ὑπὸ τȣ̃ φωτὸς φανερȣ̃ται, tanquam prædicato, diſtinguantur, hoc ſenſu: *omnia vero*

*ro*

Digitized by Google

*ro illa* (quæ dixi) *reprehenſione digna*, ſeu reprehendenda, *à luce*, ſeu homine luce inſtructo, *manifeſtantur.* Alles dieſes ſtraffbahre wird vom Licht offenbahret. Hanc interpunctionem poſt *Robertum Stephanum* habet *Millius*, item *Bæclerus* in editione Novi Teſtamenti Argentoratenſi, *Eraſmus Schmidius*, ut ceteros taceam. Eandem ſequuntur ex noſtratibus nonnulli, nominatim B. *Starckius* in Notis Selectis pag. 147. ex Reformatis autem eo inclinat *Hombergius* p. 301. Parergorum. Ratio expoſitionis in eo poſita eſt, quod τὸ φανεροῦσθαι luci magis conveniat, quam τὸ ἐλέγχεσθαι. Addi etiam poteſt, quod hoc modo Paulus reſpiciat ad antecedens: *μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε, imo vero potius reprehendite.* Jam hoc commate indicat, ſi vitia ejusmodi caſtigentur & reprehendantur, tum fieri, ut per lucem manifeſta fiant.

Alii vocem ἐλεγχόμενα cum ſequentibus ὑπὸ τοῦ φωτὸς conjungunt. Ita plerique agunt, quod & magis probat *Hombergius* loc. cit. hoc ſenſu: *Sed illa omnia à luce arguuntur, & manifeſta fiunt*, & quidem, quod addit, *ut per ὕστερον πρότερον, dicta videantur, pro*, manifeſta fiunt, & arguuntur. Sententiam ipſam probo, ſine admiſſa figura illa Grammatica. Verte cum *Eraſmo Schmidio: Sed omnia illa dum arguuntur per lucem manifeſta fiunt.* Reprehenſio enim illa ſolide & graviter etiam ad convictionem facta, inſtrumentum eſt, quo efficitur, ut labes horum vitiorum in oculos aliorum incurrat. Eodem video tendere *Elsnerum* pag. 224. Ceterum ἐλέγχεσθαι idem eſſe, quod *protrahi in lucem*, atque adeo *manifeſtari* ex *Heliodoro* VIII. pag. 397. oſtendit idem *Elsnerus* loc. cit. Is enim ait: *δεινὸς δὲ ὁ τῆς δίκης ὀφθαλμὸς, ἐλέγχων καὶ τὰ ἀμήνυτα κρύφια καὶ ἀθέμιτα φωτίζων. Sed acer eſt juſtitiæ oculus, arguens, & obſcura, occulta & nefanda in lucem protrahens.* Confer ſcripta ad *Joh.* III. 20 Quod hic Apoſtolus vocat ἐλέγχεσθαι & φανεροῦσθαι, illi Polybius opponit ἐπισκοτεῖσθαι pag. 1382. *ὥστε μὴ οἷον ἐλέγχεσθαι τὰς φύσεις διὰ τούτων, τὸ δ᾽ ἐναντίον ἐπισκοτεῖσθαι μᾶλλον.* Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 547.

*πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον, φῶς ἐστι*] Vox φανερούμενον ab aliis paſſivo, activo ab aliis ſenſu ſumitur. Poſteriores ita vertunt: *omne enim, quod manifeſtat* (res,) *lux eſt.* Denn alles, was offenbahr machet, iſt das Licht. Ita *Beza*, *Grotius*, *Gatakerus* ad Antoninum III. 7. *Eraſmus Schmidius*, *Starckius* loc. cit. & alii. Priores, inter quos eſt B. *Lutherus*, ita: Denn alles, was offenbahr wird, iſt Licht. B. *Calovius* non improbat *Grotii* interpretationem, ſed addit tamen: *Quod ſi dura videatur trajectio, cum* B. Luthero, *ſecundum interpretationem Vinarienſium hæc intelligantur:* Denn alles, was offenbahr, (öffentlich geſtrafft wird) das iſt Licht, (das wird durch das Licht des Göttlichen Worts geoffenbahret.) Priori interpretationi id inprimis obſtare videtur, quod vix veri ſit ſimile, Apoſtolum, verbum φανεροῦσθαι in eodem commate nunc paſſivo, nunc activo ſenſu, ex forma media, adhibere voluiſſe, quod hic fieri hujus ſententiæ patroni profitentur. Nec ſufficit, quod Paulus ſupra I. 23.

parti-

participium πεπληρωμένε activo ſenſu accipiat. Itaque non dubito amplecti Cl. *Elsneri* interpretationem pag. 225. *Senſus*, inquit, *eſt: hominum ſcelera in tenebris patrata, à fidelibus, qui lux ſunt, improbata, non modo protrahi in lucem, verum etiam homines, illis ſceleribus inquinatos, rubore ſuffundi increpitos convictosque, & ipſos quoque φῶς fieri hac ratione, emendatis vitiis, tenebrisque in novæ vitæ lucem converſis. Comparari hanc in rem velim Joh.* III. 20. ſeq. Hac ex parte tendit Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem B. *Lutheri* Biblicam pag. 204. ita hoc comma παραφράζων. Alles aber, (was nicht heimlich, verſ. 12. ſondern) mit (völliger) Uberzeugung (anderer, die man ſucht alſo zu beſſern) geſchiehet, das wird vor hellem Licht offenbahr gethan: Denn alles, was öffentlich geſchiehet, (und geſchehen darf,) iſt Licht. (das iſt: ſcheuet das Licht nicht, wie hingegen bey denen, die ein böß Gewiſſen haben, zu geſchehen pfleget.) Ab omnibus abit Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 710. Ejus enim judicio verſ. 12. & 13. monet Epheſios, caveant ſibi à peſſimis hominibus & eorum facinoribus, quæ recenſere nunc quidem nolit. Illa enim non ſemper in obſcuro manſura, ſed aliquando à lumine manifeſtatum iri, quod omnia manifeſtet. Lumen vero hoc de *extremo judicio* accipit, *ubi penetrantiſſima luce, qua judex ſupremus circumfulgebit, omnes impiorum turpitudines, olim vel maxime clam habitæ, univerſi orbis comitiis nudæ & retectæ ſiſtentur.* Quid de hac interpretatione ſentiendum ſit, ad ſequens comma dicetur.

Verſ. 14. Διὸ λέγει Ἔγειραι ὁ καθεύδων, κ. τ. λ.] Quæritur, quem hic Paulum loquentem introducat? Alii τὸ λέγει referunt ad antecedens πνεῦμα v. 9. cum *Knatchbullo*: vel ad vocem Κύριος verſ. 10. quæ ſententia eſt *Theophili Alethæi* in der Erläuterung Tom. II. pag. 277. contra quem diſputat *Oederus* loc. cit. pag. 701. Quidam referunt ad τὸ φῶς, ut lux per proſopopœiam tanquam ad ſurgendum excitans repræſentetur. Ita *Gothofredus Olearius* in Prælectionibus MSS. ad h. l. Sed hæc tamen plerisque longius petita videntur. Alii itidem ad φῶς, h. e. *hominem luce perfuſum* pertinere ajunt, tanquam qui formula hac præſcripta, ſceleratos homines ἐλέγχειν, & ad lucem revocare debeat. Hoc placuit *Grotio* & *Elſnero* loc. cit. Nonnulli volunt, Paulum, cum hæc ſcriberet, à Spiritu Sancto hæc ſpeciatim verba accepiſſe. Ita *Haymo* ad h. l. Sed id quidem fraudi foret reliquis à Paulo hic traditis, quæ non minus, atque illud conſignaſſe cenſendus eſt, φερόμενος ὑπὸ Πνεύματος ἁγίου. Plures ſunt, qui vel ad *Scripturam* in univerſum, vel aliquem ejus locum, conſueta Pauli formula, lectores hic ablegari contendunt. In priorum claſſe video eſſe *Heinſium* in Exercitat. lib. I. cap. 14. Poſterioribus vero ſe jungunt permulti, quibus ad Jeſaiam reſpectum habuiſſe Paulus videtur. Ex his vero alii *Jeſaiæ* LX. 1. 2. tantum innui volunt. Lege ex noſtratibus *Glaſſium* in Philologia Sacra pag. 591. *Waltherum* in Harmonia Biblica, pag. 1183. *Calovium* in Bibliis illuſtratis. *Hackſpanium* in Sylloge Diſſertationum pag. 575. & *Alethæum* l. c.

pag.

pag. 280. Ex Reformatis autem *Junium* Parallel. II. 57. pag. 339. *Crocium* ad h. l. *Guſſetium* in Commentar. de Lingua Hebræa pag. 22. & 120. & noviſſime *Guilielmum Surenhuſium* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 586. ſqq.. Alii autem ad *Jeſaiæ* XXVI. 19. ſe recipiunt; quod inprimis facit *Martianæus* in Tentamine novæ Verſionis pag. 365. Alii utrumque locum volunt conjungi. Hoc placere video *Clerico*, & *Beauſobrio* in notis ad verſiones Novi Teſtamenti Gallicas.

Cum vero oraculo illi Jeſaiæ & Paulino noſtro parum convenire videretur, alii aliam ingreſſi ſunt viam. Quidam ex libro aliquo Apocrypho petita hæc verba cenſent, ſive ille *Eliæ*, ſive *Jeremiæ* Prophetæ, ſive alterius fuerit. Veterum hanc in rem locos promit Celeb. *Fabricius* noſter in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag. 1074. & 1105. & in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti Vol. I. pag. 524. Ex recentioribus illorum veſtigiis inſiſtere video *Druſium* & *Scaligerum* in Scaligeranis p. 136. *Eſt*, inquit, *ex Jeſaia deſumtum à quodam, qui poſuit in libro ſuo Apocrypho, unde citavit multos, ut illud*: dare melius, quam accipere. Præter hos non memini, cuiquam id probabile viſum eſſe. Nec ſine cauſa, cum rectiora ſint in promtu, quemadmodum apocryphus ejusmodi liber, ſi quis talis exſtiterit, Chriſti certe nomen non retulit.

Nonnulli igitur Paulum alluſiſſe hic putant ad buccinæ ſonum, qui ſub initium novi anni publice edi ſolebat. Auctorem afferunt *Maimonidem* ex Opere *Jad chaſaka* lib. I. Tract. V. de Pœnitentia, cap. III. §. 6. Ibi enim teſtatur, conſuetum, ſub novum annum, buccinæ ſonum ſubinnuiſſe, ut, qui eum audirent, cogitare deberent, ac ſi exciperent præconis vocem: *ſurgite, qui dormitis*, & vos ſomnolenti excitamini ex ſopore, inquirite in opera veſtra, & revertimini per pœnitentiam ad Creatorem. Accipe ipſa *Maimonidæ* verba, prout à *Roberto Claveringio* in tractatus illius verſione pag. 56. Latine ſunt expreſſa: *Etſi tubæ clangor*, inquit, *in principio anni ſimpliciter in Scriptura præceptus ſit, tamen aliquid ulterius innuitur. Quaſi diceretur: Expergiſcimini dormientes à ſommo veſtro. Evigilate vos, qui ſopore eſtis obruti, opera veſtra perſcrutamini. Pænitentiam agite, & Creatorem veſtrum recordamini. Ecce obliviſcimini veritatis inter mundi vanitates verſantes, & aberrantes totam vitam conſumitis in vanitate, & rebus nihili, quæ non omnino proſunt, & nihil proſperum afferunt. Animos veſtros intuemini, vias actionesque veſtras conſiderate, & unusquisque veſtrum mores ſuos malos, & cogitationes iniquas derelinquat.* Ex his Maimonidæ verbis *Radulphus Skinnerus* in epiſtola, verſioni hujus tractatus Anglicanæ præmiſſa, & *Jacobo Vſſerio* inſcripta, cumque Vita hujus inter reliquas epiſtolas à *Richardo Parr* pag. 349. recuſa, conficit, ſub anni novi ſolemnia buccinæ ſono hæc verba jungi à præcone conſueviſſe. *That it was the cuſtom of the Jews to blow the trumper on every Newyears day, and the Cryer to cry*: avvake thou, that ſlaepeſt. Hæc

ſunt *Skinneri* verba. Nihil vero hujusmodi docere *Maimonidem*, ſed id tantum ſignificare, quid ſubindicatum illo buccinæ ſono cenſeat, quidque audientes cogitare ad illum debeant, ex ipſis ejus verbis intelligitur. Itaque nec ad illa verba Paulus alluſiſſe cenſendus eſt, qui diſerte ſcribat: *διὸ λέγει*. Proinde miror, vel *Skinnerum*, vel alios, ceu *Hottingerus* ad Goodvvini Moſen & Aaronem pag. 601. tradit, in hæc cogitata incidere potuiſſe. Nihilominus tamen obſervatio illa probare ſe ex noſtratibus potuit *Amelio* Parte II. pag. 349. id præterea de ſuo addenti, quod, quemadmodum Apoſtolus Epheſiis, olim Judæis, hunc ritum, inter ſuos olim receptum, in memoriam revocarit, ita ceteris, olim Gentilibus, idem proponi, eo quod & pagani novi anni natales buccinis auſpicari, & audientes ad cultum deorum excitare conſueverint.

Propius forte ad rem accedit doctiſſimus *Heumannus*, Poeciles Tomo II. lib. II. pag. 390. Is videre ſibi videtur *tres verſus cantici, in Eccleſiis tunc pie decantari ſoliti.*

Ἔγειραι ὁ καθεύδων
Καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν
Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός.

Tria habet, quibus ſententiam ſuam ſuperſtruat. Primum, quod Paulus verſ. 19. Pſalmos & hymnos, & odas ſpirituales nominatim commendat: deinde, quod poetici modi ſatis fideles ſunt indices hymni ſacri; denique, quod ceteræ omnes de hoc loco ſententiæ à veri ſpecie ſunt remotæ. His poſitis, verba: *διὸ λέγει*, idem pag. 391. eſſe vult, quod: *διὸ λέγεται*, vel *διὸ γέγραπται*, ut *Rom.* XV. 9. & 10. Non diſquiram ego nunc, quam recte verba metri legibus reſpondeant; nec monebo, facile fieri potuiſſe, ut metri formam referant, ad quam nunquam ſint exacta. Conſtat enim, varia exſtare verſuum fortuitorum exempla, quæ ex ſacris quoque codicibus viri docti attulerunt. Conſtat etiam, aliis facile & obvium fuiſſe, ut ex Pſalmis aliiſque locis Hebræis metra aut rhythmos exſculperent, tanquam ab ipſis Scriptoribus profectos. Hoc, credo, probandum inprimis erat, Pauli ætate hymnos receptos fuiſſe, ab illis diſtinctos, qui ſacro Codice continentur. Nec ſatis tuto creditur, hymni partem hic adferri, quod Apoſtolus paulo poſt ad uſum hymnorum cohortatur. Taceo denique, *φράσιν* hanc, *διὸ λέγει*, alias à Paulo adhibitam, lectorem ſemper ad aliquem Scripturæ locum revocare. Patet hoc ex XV. 9. & 10. ad Romanos, ad quem vir doctus ipſe provocat. Jam vero nemo non mihi largiatur, de vi & notione phraſeos alicujus rectius ex uſu ejuſdem Scriptoris, quam aliorum, judicium formari.

Noviſſime omnium Cl. *Georgius Ludovicus Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum p. 697. ſqq. confutatis potioribus aliorum Interpretum ſententiis, novam in medium attulit, p. 711. *Mea*, inquit, *opinione ſubjectum verbi λέγει Chriſtus eſt, in fine verſus commemoratus, qui ut auctor & effector*

*effector reſurrectionis non equidem ullibi in Scriptura Veteris Teſtamenti, ſed in noviſſimo die ita compellabit unumquemque in terra aut alibi reconditorum* : Evigila, qui dormis, & ſurge de mortuis. *Cum vero Chriſtianis apprime notum fuerit, hisce aut ſimilibus verbis Chriſtum olim mortuos ſuſcitaturum eſſe, inde deducit Apoſtolus :* venturum *etiam Chriſtum* cum illo, *de quo dixerat antea*, lumine, *ſive* fore, ut illuceſcat Chriſtus. Poſtrema itaque verba vir doctus non ad formulam Chriſti mortuos excitantem ſpectare putat, ſed ipſius Apoſtoli eſſe cenſet: qui dicat: *adeoque*, ſive, *& illuceſcet tibi Chriſtus.*

Aliquod hujus ſententiæ veſtigium in commentario *Hieronymi* ad h. l. invenio. Is enim narrat, *ſe audiviſſe quendam in Eccleſia diſputantem, & illa verba* : Surge, Adam, qui dormis, & orietur tibi Chriſtus; *explicantem de Adamo, in loco Calvariæ ſepulto, ubi crucifixus eſt Dominus, qui Calvariæ idcirco appellatus eſt, quod ibi antiqui hominis eſſet conditum caput. Illo enim tempore, dicebat is, quo crucifixus Dominus ſuper ejus pendebat ſepulcrum, hæc prophetia completa eſt : Surge, Adam, qui dormis, & ἐπιψαύσει, id eſt, continget te Chriſtus, non, ut legimus ἐπιφαύσει, orietur, quia ſcilicet tactu ſanguinis ipſius & corporis dependentis vivificetur atque conſurgat.* Vides hic, implementum horum verborum factum à Chriſto ſtatui in excitatione corporis Adami, quod Cl. *Oederus* ſub excitationem mortuorum univerſalem ait eſſe exſpectandum. Ex recentioribus Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis ad h. l. pag. 742. hæc itidem ad Chriſtum refert, qui ita in perpetuo Evangelii tenore loquatur. Addit vero etiam : *Forſan* & *hæc Chriſtus olim dixerat, ut illud* Actor. XX. 35.

Jam videamus, quid de re ipſa ſit ſentiendum. Expoſitio hæc ex eo pendet, quod vir doctus, ceu ſuperius eſt admonitum, comma 13. ad *extremum judicium* refert, quo omnia opera tenebrarum in luce aliquando ſint collocanda. Hoc, ut in ſe verum eſt, ita non conſentaneum eſt, Apoſtolum h. l. id ſpectaſſe. Is enim commate 11. Epheſios excitat non ſolum, ut à conſortio peccatorum ejusmodi ſibi caveant, ſed etiam, ut in ea animadvertant, μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε, in ea ſcilicet, quæ palam prodant, quamvis alia ſint, quæ clam perpetrata adeo turpia ſint, ut vel à nuda eorum commemoratione ſit abſtinendum. verſ. 3. Jam proximum erat, ut oſtenderet, Epheſios credentes ita nunc comparatos eſſe, ut vitia ejusmodi efficaciter & graviter in lucem protrahere, & ſordidos emendare poſſint. Itaque in memoriam illis revocat lucem, qua ita inſtructi ſint, ut φῶς ἐν Κυρίῳ & τέκνα φωτὸς appellari poſſint. Confer *Coloſſ.* I. 12. & 1 *Theſſal.* V. 5. Hæc puto ad nexum & ſcopum orationis propius accedere quam ea, quæ de luce judicis ſupremi, omnia in extremo judicio manifeſtatura, afferuntur. Quæ ad interpretationem ſuam ex 1 *Corinth.* III. 13. ἐν πυρὶ ἀποκαλύπτεται, quæ verba *de judice cum igne lumine apparituro* accipit, adſtruendam affert, ea tantiſper dimittimus, donec in majore luce, quam in commentario ſuo ad illum locum ſperare jubet, collocentur.

tur. Nam ſi vel maxime id effecerit, cauſa noſtra, quæ in nexu ſermonis Paulini præſidium invenit, nondum fuerit conclamata. Quando enim fundamento ſuum non conſtat robur, eam, quæ illi ſuperſtructa eſt, interpretationem labi neceſſe eſt. In hac vero primum non capio, quomodo verbum λέγει ad Chriſtum referre velit, eo quod nomen ejus à Paulo verſ. 14. clare exprimatur. Quotiescunque alibi Paulus hac loquendi forma utitur, utitur vero paſſim, toties vel ad aliquem Scripturæ locum provocat, vel ad aliquid reſpicit, quod proxime anteceſſit. Deinde non video, cur Paulus hic ſcripturus fuiſſet λέγει, de verbis aliquando pronunciandis. Neque puto factura ſatis legentibus, quæ pag. 712. affert, nempe ideo hoc fieri, quod hæc vox filii hominis, quam audituri ſint mortui, ſatis piis omnibus eſſet cognita, tum vero quod ſacri Scriptores de judicio ſupremo tanquam de re proxime inſtanti loqui conſueverint. Neutrum, credo, efficere poterat, ut Paulus hac temporis forma uteretur, ſi de re futura ipſi ſermo fuiſſet. Id vero inprimis dubium & ſolicitum me habet, quod vir doctus extrema verba: καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς, à reliquis Domini verbis ſeparet, & Paulo tribuat. Sane magis in promtu eſt, verba illa omnia uni loquenti tribuere. Continent enim ut mandatum, ita promiſſionem. Utrumque autem in Scripturis & formulis potiſſimum cohortatoriis conjungi conſtat. Ponamus, verba à Chriſto aliquando pronuncianda ante illa: καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς, finem habuiſſe, promiſſionem ſuam Paulus æque ab illis ſeparaturus erat, quam ſequentia: Βλέπετε οὖν κ. τ. λ. Imo tertia perſona uſurus fuiſſet: καὶ ἐπιφαύσει αὐτῷ ὁ Χριστός. Quod enim vir doctus ait pag. 712. ſecundam perſonam adhibitam fuiſſe, quia Chriſti judicis loquentis verba eandem referant, ac præterea ſecunda perſona ad ἐνέργειαν ſermonis habilior videatur; id vereor, ut rem conficiat. Denique non intelligo, quo ſenſu Apoſtolus dicere ad mortuum aliquando excitandum potuerit: καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. Referetne illam ἐπίφαυσιν, vel ἐπιφάνειαν ad nudam Chriſti apparitionem? Ita recedet à notione phraſeos hujus ſacris Scriptoribus alias recepta, per quam ad gratioſam refertur. An vero potius gratioſam illam intelliget? Illa ſane non cadet in omnes mortuos, ex ſomno excitatos, certe non in eos, quos hic reprehenderat Apoſtolus, & quorum ſordes aliquando à Chriſto, iſta loquente, detectum iri vir doctus contendit.

Jam, dum ipſe recogito, quænam ex diverſis his ſententiis tutiſſime adoptari poſſit, non inficior, illos mihi aliquando placuiſſe qui τὸ, διὸ λέγει ad φῶς proxime ante commemoratum, h. e. hominem divina luce perfuſum, referunt, qui hac formula ad alios emendandos uti ſoleat & debeat. Unum vero eſt, cur hic pedem figere non poſſim. Video Paulum alias hac excitandi formula utentem ſemper ad locum aliquem Scripturæ ſe recipere. Ita v. c. IV. 8. διὸ λέγει, ubi Pſalmi locum promit. Adde quæ paulo ante ſcripſi pag. 128. Nolim itaque à vi & notione phraſeos etiam h. l. recedere, ſed cum illis potius facere, qui ad Jeſaiæ LX. 1. oculos convertiſſe Apoſtolum exiſtimant. Fateor.

non

non tam verba hic referri, quam ſenſum exprimi. Sed hoc ſufficit, cum & Paulum & alios Scriptores ſacros ita egiſſe conſtet. Lege inprimis, quæ *Surenhuſius* l. c. commentatus eſt.

Phraſi Paulinæ ὁ καθεύδων ſimilis eſt in *Sohar* Levit. fol. 33. col. 130. ubi *homines* dicuntur *ſepulti ſomno jacere in peccatis ſuis.* Vide *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 780.

De loci ipſius ſenſu conſuli velim, quos laudavi, cum nunc quidem prolixiori non eſſe liceat. Præterea inſpici ſuaſerim eos, qui noſtra memoria de *illuminatione* commentati ſunt, nominatim *V. E. Læſcherum*, *Neumannum*, & *Wernsdorſium* in Diſputationibus ſingularibus, tum vero *Davidem Hollazium* Part. III. Exam. Theolog. pag. 232. ſq. qui Myſticorum *tres vias* in h. l. non aperiri recte oſtendit. Unum tantum, quod ad lectionem contextus Græci pertinet, ſubjiciam. Codices nonnulli habent ἐπιψαύσεις τοῦ Χριστοῦ. Illos vero deſerendos eſſe recte judicat *Millius* ad loc. & in Prolegom, §. 481. contra quem *Whitbius* pag. 35. oſtendit, interpolatam hanc legendi rationem non tam antiquam eſſe, quam is quidem ſibi perſuaſit.

Verſ. 15.--21. Quæ his commatibus continetur, ſectio epiſtolica, eam à *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. pag. 164. ſq. illuſtratam legés.

Verſ. 15. Βλέπετε οὖν, πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε] Pertinent huc, quod ad rem ipſam, B. *Joannis Franciſci Buddei* Theſes Practicæ περὶ τῆς ἀκριβείας in vita Chriſtiana, quæ in Syntagmate. I. Diſſertatt. ejus Theolog. & in Parte I. Miſcellaneorum Sacrorum pag. 402. recuſæ ſunt, & Rev. *Chriſtiani Mundenii* Diſſertatio exegetico-practica de ἀκριβείᾳ Chriſtianorum practica Helmſtad. 1728. tum vero M. *Chriſtophori Wolle* Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana in vitæ morumque ἀκριβείᾳ diverſa, Altonaviæ 1730. 8vo edita, cujus Pars poſterior pag. 115. ſqq. Commentationem Theologico-Practicam de vita morumque ἀκριβείᾳ Chriſtianorum complectitur. Idem pag. 118. ſq. λέξεις commatis hujus ſpeciatim perſequitur, ſicut pag. 123. de voce ἀκριβῶς diſſerit. Apoſtolus hic ad præcepta Græcorum de gravitate, in inceſſu ſervanda, qui, docente Caſaubono ad *Athenæi* I. 18. inter non levia Græcanicæ Inſtitutionis inſignia numeratus ſit, alludere videtur *Cornelio Adami* in Obſervationibus Theologico-Philologicis pag. 382. Ego reſpexiſſe potius crediderim ad ſimiles phraſes in Vet. Teſtam. receptas, ut taceam, non tam *gravitatem*, quam *curam*, & *circumſpectionem* ſingularem in omni vitæ genere urgeri.

μὴ ὡς ἄσοφοι ἀλλ' ὡς σοφοὶ] Similiter verſ. 17. μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες. Simili Antitheſi utitur *Herodotus* lib. II. pag. 122. οὐκ ἀδαὴς, ἀλλ' ἔμπειρος, cujuſmodi plures ex eodem affert Rev. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 539. De ἀσόφοις exponit *Wollius* loc. cit. pag. 136. ſq.

Verſ. 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν] *redimentes occaſionem*, ſcil. bene recteque agendi. *Syrus* ex Verſione Latina in Polyglottis, *qui redimant calamitatem ſuam.* Sic & *Coloſſ.* IV. 5. in iisdem Polygl. *& vendite calamitatem veſtram.* Jam quidem vox Syriaca, ibi exſtans, denotat calamitatem, tribulationem, bellum, &c, ut videre eſt in Caſtelli Lexico voce כרם, in duobus tamen his Novi Teſtamenti locis Syriacum illud ad vocem Græcam καιρὸς conformatum, atque adeo tempus denotare videtur, ſicut קרמא apud Rabbinos tempus ſtatutum & ſolennitatem denotans, à Græco καιρὸς eſt deducendum. Vide *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum voce כרם, & *Caſtellum* loc. cit. in Chaldaico. Conſentit *Gutbirius* in Lexico Syriaco pag. 99. Hæc B. *Albertus Ehlers* manu ſua ad exemplum Novi Teſtamenti, quod nunc eſt apud Rev. *Kirchhoſium*, Præpoſitum Itzehoënſem meritiſſimum, notaverat, quæ vel ideo hic adducenda putavi, ne quis hinc lectionis quandam varietatem exſculpere inſtituat. Quod ἐξαγοράζεσθαι vocat Paulus, id κερδαίνειν eſt *M. Antonino* IV. 26. κερδαντέον τὸ παρὸν, ubi ſimilia his externorum effata de cura temporis habenda affert *Gatakerus*, qualia apud eundem leges ad II. 6. & VI. 2. *Andreas Schottus* in Adagialibus Sacris pag. 131. metaphoram agnoſcit, à mercatoribus ſumtam, qui curioſe merces conſiderant, tempusque expendunt. *Gregorius Nazianz.* in Sententiis ita: *Vita noſtra eſt quaſi mercatus, cujus dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi, quæ velis. Joſephus Jachiades* in Paraphraſi Danielis cap. II. 8. phraſin: *quod tempus vos emitis* ſic exponit: *liquido novi, vos hanc opportunitatem captare.* Vide ibi notas *Lempereurii* & *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad h. l. De argumento, quod hic agitur, lege *Jo. Henrici Urſini* Analecta Vol. I. pag. 60. & M. *Gottlob. Frider. Gude* diſſertationem de Sapientibus tempori inſervientibus, à Paulo Chriſtianis ad imitandum propoſitis, An. 1728.

ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσιν] Dies mali vocantur ob ea, quæ ſecum vel incommoda, vel impedimenta afferunt: quibus à rebus recte præclareque agendis homines avocantur, vel avocari ſaltem poſſunt. Lege Patrum locos apud *Suicerum* Tom. I. pag. 1330. Hoc malim, quam cum *Martino de Roa* in Locis Singularibus Scripturæ Sacræ, Parte II. pag. 632. accipere de diebus *labilibus*, *fluxis*, *caducis*, vel etiam *paucis*, quoniam occaſio ſemel à manibus emiſſa non reditura volet. Profani homines abuti hoc oraculo Paulino ſolent, occaſione ex B. *Lutheri* verſione non tam data, quam captata & arrepta. Contra eos lege *Speneri* Vindicias locorum aliquot Scripturæ Sacræ ab abuſu profano, pag. 341.

Verſ. 17. Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες] Vide ad verſ. 15. & inſpice Vener. *Val. Erneſt. Laſcheri* Decimas Evangelicas Parte V. pag. 389.

Verſ.

Verſ. 18. *Καὶ μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ*] *Porro ne inebriemini vino. Lex Minois : μὴ συμπίνειν ἀλλήλοις εἰς μέθην. Nec οἶνος hic vetatur, ſed παροινία. Fruſtra enim eſt Mneſithei apud Athenæum περὶ κωθωνισμοῦ epiſtola, docens, quomodo citra offenſam animi & corporis inebriari poſſis.* Ita *Alexander Morus* ad h. l. pag. 164. qui & ſignificatum verbi *μεθύειν* & *μεθύσκεσθαι* diligenter exponit. Stoici Sapientem *οἰνοῦσθαι* quidem, ſed non *μεθύσκεσθαι* dicebant, auctore *Diogene Laërtio* VII. 118. ubi lege *Ægidium Menagium.* Solon Regem, in ebrietate deprehenſum, morte affici voluit, teſte eodem lib. I. §. 57. Dandamis apud Palladium de Bragmanibus pag. 50. de ſuis profitetur : *μᾶλλον γὰρ ἑλοίμεθα θάνατον, ἢ καταχυρωθῆναι μέθῃ. Plato πίνειν εἰς μέθην οὐδαμοῦ πρέπον ἔλεγε*, indice *Laërtio* III. 39. ubi conſule *Menagium*, nec omitte *Gellii* Noct. Attic. XV. 2. & *Senecam* de Tranquillitate animi cap. 15. Fœminis ſpeciatim vini uſus fuit prohibitus. Docet id *Plinius* Hiſtor. Natur. XIV. 13. & *Lactantius* I. 22. *Ælianus* Var. Hiſtor. II. 41. *ἄνομον μὲν γυνὴ φιλοπότις, καὶ πολυπότις ἔτι μᾶλλον.* Idem II. 38. variarum Gentium leges memorat, quæ fœminas vino interdicant. Ab altera parte Perſæus apud Athenæum XVII. 9. ait : *καὶ ὁ καλὸς κἀγαθὸς ἀνὴρ μεθυσθείη ἄν.* Nec deſunt inter externos & Gentium & Virorum Fœminarumque bibacium exempla. Talia recitat *Ælianus* loc. cit. & XII. 26. Priori loco etiam certaminum potoriorum meminit.

*ἐν ᾧ ἐστιν ἀσωτία*] Τὸ, *ἐν ᾧ* nonnulli ad proximum *οἴνῳ* ſimpliciter referunt, minus convenienter, cum à phraſi *μεθύσκεσθαι οἴνῳ* potius pendeat. Ita accepit B. *Lutherus* noſter, & alii Interpretes, nominatim *Alexander Morus* loc. cit. *Ἀσωτίαν Megalander* noſter convertit : unordig Weſen, ubi *Emſerus*, *Dietenbergerus* & *Zangerus* malunt : Unkeuſchheit. At illi quidem vim vocis, latius omnino patentis, minime omnium adſequuntur. *Ἄσωτον* Gloſſæ Græco-Latinæ, indice *Suicero* Tom. I. pag. 562. dicunt *ganearium, laſcivum, luxurioſum, prodigum, profuſum, ſumtuoſum helluonem. Perditum* interpretatur *Clemens Alexand.* Pædagog. II. I. quaſi *ἄσωστον*, ex verbo *σώζω.* Adde, quæ ſcripta ſunt ad *Luc.* XV. 13. Hanc vitiorum colluviem indicaturus per unordig Weſen, h. e. vivendi genus rectis moribus adverſum, interpretatus eſt, pro quo vide, quæ attulit B. *Raithius* in Vindiciis verſionis vernaculæ pag. 533. Interim ad veneream libidinem reſpectum ſimul haberi non inficior. *Varro* ideo vinum *veneris ſuſcitabulum* dixit, cum aliis, quos in eandem ſententiam affert *Caſpar Barthius* ad Claudianum de Bello Gildonis pag. 400. eadem opera loco huic lucem fœneratus. Compara *Picinelli* Lumina reflexa pag. 708. Ita Judæi in *Bammidbar Rabba* Sect. X. fol. 206. 3. *Ubicunque eſt vinum, ibi eſt immunditia.* (i. e. ſcortatio & adulterium.) Hunc & ſimiles locos alios affert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 780. Ad *ἀσωτίαν* illam pertinet quoque rationis detrimentum. *Sextus Pythagoreus* Sentent. 261. præcipit : *Ebrietatem, quaſi inſaniam fuge.* Pythagoras ipſe *τὴν μέθην*,

νοῦν

*νοὸς βλάβην* dixit, auctore *Diogene Laërtio*, ad quem leges *Menagium* pag. 352. b. *Clemens Alexandr.* Pædagog. II. 2. *ὁ πολὺς ἄκρατος ὀλίγ᾽ ἀναγκάζει φρονεῖν.* Similia veterum dicta congeſſit *Stobæus* in Sententiis l. 2. tit. 18. & *Gatakerus* Adverſar. cap. XV. Jam vides, quomodo hoc Pauli præceptum quadret ad illud, quod verſ. 17. dicit: *μὴ γίνεσθε ἄφρονες.* Ad Bacchica inprimis ſacra Paulum reſpexiſſe, vix mihi perſuaſerim cum *Whitbio* ad h. l. Nimis enim inter gentes hoc vitii genus etiam alias increbuerat, quamvis ad Bacchi ſolemnia fere neceſſe eſſe putaretur. Hinc ipſe *Plato*, ebrietati alioquin infeſtus, eam his feſtis licitam pronunciavit, teſte *Laërtio* III. 39. Bibacitatem in cultu deaſtrorum receptam tangi, illique effuſionem Spiritus Sancti in ſolennibus Pentecoſtalibus factam opponi exiſtimat *Alethæus* Tomo I. pag. 239. ſqq.

*ἀλλὰ πληροῦσθε ἐν Πνεύματι*] Τὸ πληροῦσθε reſpondet antecedenti *μεθύσκεσθε.* Utrumque enim verbum *plenitudinem* infert, nunc vitioſam, nunc laude dignam. Ideo pro Synonymis habet *Heſychius*: *μεθύει, πεπλήρωται,* & *μεθύσκομαι, πληροῦμαι.* Sic & Latini *ebrium* dicunt, qui quacunque re plenus eſt, nec aliter Hebræi. Exempla lege apud *Morum* loc. cit. pag. 165.

Verſ. 19. *Λαλοῦντες ἑαυτοῖς ψαλμοῖς, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς.*] Inſpiciendi ſunt *Eraſmus* Tom. V. Operum pag. 1101. ex Reformatis *Salomon van Till* de Poetica & Muſica veterum Hebræorum pag. 93. & 165. & *Hoornbeeck* in Miſcellaneis lib. I. pag. 256. ex noſtratibus Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris III. 44. pag. 336. ſqq. *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 23. ſq. Vener. *V. E. Læſcherus* in Edlen Andachts-Früchten, pag. 374. ſq. & *Joannes Zacharias Hilligerus* in ſingulari Diſſertatione de Pſalmorum, Hymnorum & Odarum diſcrimine Wittebergæ 1720. 4. edita, & in Theſauro Novo Diſputationum Vol. II. pag. 935. -- 945. recuſa. Longior forem, ſi variorum de diſcrimine canticorum illorum ſententias enarrare aggrederer. Itaque malim eas legi apud *Hilligerum* Sectione II. Diſſertationis modo allegatæ. Suffecerit obſervatis ejus ſequentia addidiſſe. *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 970. diviſionem hanc repetit a Judæis, qui תהלים, i. e. *Pſalmos*, מזמורים, i. e. *Hymnos*, & שירים, i. e. *ᾠδὰς*, commemorant. Non inepte id monetur, neque tamen hinc de ipſa canticorum diverſitate judicare licet, cum hæc nomina in ſacris promiſcue adhibeantur. B. *Jacobus Thomaſius* in Præfationibus junctim editis pag. 525. Pſalmos ad Ethicam, Hymnos ad Theologiam, Odas, tanquam providentiam Dei, in conditis rebus conſpicuam, celebrantes, ad Phyſicam pertinuiſſe exiſtimat. Sed hoc pauciſſimis perſuaſum iri crediderim. B. *Gothofr. Oleario ψαλμοὶ* cantica in genere, *ὕμνοι*, cantica laudem Dei complectentia; *ᾠδαὶ* cantica, certis modis decantata, ſeu modulos cantus deſignare videntur. Anonymo Anglo, ſed dubio, & ancipiti in Annotationibus Latinis, *Pſalmi* ſunt omniformes cantiones,

tiones, *Hymni* tantum laudatoriæ, *Odæ* autem artificioſi Pſalmi vel Hymni, ſed rotunda brevitate mirabiles. *Hilligerus* ipſe pag. 29. ſeq. *Pſalmos* de carminibus Davidicis, in Pſalmorum libro exſtantibus, *Hymnos* de reliquis cantionibus utroque Fœdere comprehenſis, v. c. Moſis, Deboræ, Salomonis, Eſræ, Danielis, Habacuci, Zachariæ, Mariæ, CHRISTI & Apoſtolorum; *Odas* denique, de carminibus non θεοπνεύστοις, ſed *Eccleſiaſticis*, h. e. à viris pietate & morum vitæque ſanctimonia conſpicuis, elaboratis interpretatur. Proxime huc accedit *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis pag. 165. Mihi quidem optime illi agere videntur, qui cauſam hanc per defectum monumentorum antiquitatis Eccleſiaſticæ in hoc quidem capite confici vix poſſe arbitrantur, atque adeo Apoſtolum diverſa nomina canticorum ideo adhibuiſſe cenſent, ut omnia, quæ tunc in publico vel privato Dei cultu, recepta erant, comprehenderet. Ceterum de hymnis veterum Chriſtianorum præter *Stephanum le Moyne* p. 970 ſq. & 1096. ſeqq. ad Varia Sacra, & *Deylingium* loc. cit. leges, ſi placet, eos, quos excitavit Celeberrimus *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria pag. 368. edit. prioris. Admonitiones quasdam de libris cantionalibus ex occaſione hujus commatis ſuppeditatas habes in der fortgeſetzten Sammlung von Theologiſchen Sachen, Anno 1727. p. 989.

*ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες ἐν τῇ καρδίᾳ*] *Τῇ καρδίᾳ ψάλλει, ὁ μὴ μόνον τὴν γλῶτταν κινῶν, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν εἰς τὴν τῶν λεγομένων κατανόησιν διεγείρων.* *Corde canit, qui non ſolum linguam movet, ſed etiam mentem excitat ad eorum, quæ dicuntur, intelligentiam.* Ita recte *Theodoretus* ad h. l. p. 314. cui expoſitioni ſimiles aliorum leges apud *Suicerum* Tomo II. p. 1369.

Verſ. 20. *Εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων*] Exempla ex Judæorum ſcriptis affert Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 781.

*τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ*] *Τὸ, καὶ πατρὶ* unus omittit *Æthiops*, cum codices omnes & verſiones quoque voces illas vel eodem vel inverſo ordine exhibeant: & vel ſic poſtremas illas ex margine in contextum invectas opinatur *Millius.*

Verſ. 21. *Ὑποτασσόμενοι ἀλλήλοις*] *Wokenius* loc. cit. ita accipit, ut alter alterius ordinem recipere jubeatur, modo talis ſit, qui in timore Dei ſuſcipi poſſit. Hanc enim formalem verbi in forma *paſſiva* notionem eſſe ex 1 *Corinth.* XVI. 16. XIV. 32. & *Rom.* VIII. 7. exiſtimat. Confer ejusdem Protrepticon ad Pietatem Criticam §. 14.

*ἐν φόβῳ Θεοῦ*] Codices multi & verſiones quoque pro Θεοῦ legunt Χριστοῦ. Poſterius *Millius* in Prolegom. §. 635. germanum eſſe cenſet, & cum altero illo ideo permutatum, quod φόβος Θεοῦ crebrius in ſacris occurrat. In ipſum contextum recepit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Paulum Θεοῦ ſcripſiſſe non dubito. Sicut enim v. 20. gratiarum actionem Deo Patri in nomine Chriſti præſtandam præceperat, ita nunc mutuam ſubjectionem in timore Divini Numinis probari vult.

Verſ. 22. Αἱ γυναῖκες, τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε, ὡς τῷ Κυρίῳ.] B. *Gothofredus Olearius* in Prælectionibus MSS. nove vertit: *Uxores ſubjectæ eſtote viris, tanquam parti ſexus potiori.* Itaque de voce κύριον, tanquam in ſenſu neutro poſita, cogitavit. Græce alias κύριον de ſuperiore poteſtate dici conſtat. Sicut vero hic vocis uſus nullo exemplo ex ſacris nititur; ita etiam ob alias cauſas h. l. admitti non poteſt. Simile aliquid veriſimile viſum eſt *Thomæ*, qui de marito, tanquam *Domino*, accipi vult. Ita vero Paulus ſcripturus erat ὡς τοῖς κυρίοις, quemadmodum vox ἀνδράσι plurium numerum refert. Rectius Κύριος accipitur de Chriſto. Ille, ut alias frequenter, ita hic v. 20. hoc nomine appellatur. Eundem vero hic intelligendum eſſe patet ex v. 23. ubi cauſam ſubjectionis fœminarum, hoc commate ſubindicatam, diſſerit, ad *Chriſtum* provocans, qui caput ſit Eccleſiæ, quemadmodum maritus caput fœminæ præſtet. Ex quo conſequitur v. 24. quod uxor non minus marito obnoxia eſſe debeat, quam Eccleſia *Chriſto*, ut capiti, ſe ſubjiciat. Idem argumentum alias urgetur a Paulo, v. c. 1 *Corinth.* XI. 3. & *Coloſſ.* III. 18. Obſequium adverſus maritos uxoribus pagani Scriptores inculcant. Lege talia apud *Picinellum* pag. 708. & illos, qui de Gynæcocratia ſunt commentati, v. c. *Jacobum Thomaſium* in ſingulari Diſſertatione & in Præfationibus num. LVI. pag. 326. & *Tobiam Eckhardum* in Programmate Abbatiſſæ Quedlinburgenſi dedicato An 1704. 4.

Verſ. 23. Ὅτι ὁ ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικὸς κ. τ. λ.] Vide ſcripta ad 1 *Corinth.* XI. 3. & adde *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. VI. lib. XII. cap. 17. §. 1. ſeqq. De Chriſto Eccleſiæ capite lege huc *Joannis Launoji* Epiſtolas pag. 92. ſq. edit. Cantabr. ubi contra Pontificem, tanquam caput Eccleſiæ, diſputatur.

καὶ αὐτός ἐστι σωτὴρ τοῦ σώματος] Audi B. *Olearium* in Prælectionibus MSS. ita commentantem: *Hoc referri poteſt vel ad Chriſtum, vel ad virum, hoc ſenſu: & ipſe vir eſt ſalvator* τοῦ σώματος, *i. e.* σωματικὸς, *vel ſalvator corporis ſui, quod ſit uxor, cum qua coaluit in carnem unam. Poſterius malim, ut dicatur vir, qui neceſſariis proſpiciat in rebus ad hanc vitam pertinentibus, & fœminam tanquam σκεῦος infirmius tueatur. Ratio eſt: quia ſic officium viri plenius exponitur, & conſtructio ſic poſtulare videtur,* καὶ αὐτός. *Hæ enim voces innuunt, redire Apoſtolum ad prius ſubjectum.* Pendent hæc ex parte ex eo, quod ὁ μακαρίτης phraſin, ὡς τῷ Κυρίῳ, itidem ad maritum refert. At elogium, σωτὴρ, dignius & præſtantius eſt, quam ut in maritum reſpectu ſui ipſius vel etiam uxoris cadere poſſit. Idem in ſacris Scriptoribus proprium eſt Chriſto. Idem h. l. proxime ad Chriſtum quadrat. Sermo eſt de Eccleſia, cujus ſit caput, atque adeo ſalvator, i. e. redemtor, tutor & vindex. Nonne idem eſt, quod 1 *Timoth.* IV. 10. legimus: ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν? Structura, καὶ αὐτὸς, non innuit, quod ad ſuperiora, h. e. ad ἄνδρα, ſi recte intelligo, redeat Apoſtolus. Vox enim αὐτὸς

rectius exiſtimatur, ad Chriſtum proxime commemoratum pertinere, & cum efficacia quadam referri. De viri denique ſeu mariti officio hic non cogitabat Apoſtolus, ſed de officio uxoris cujusque in maritum. Quod maritum decet, ſequens comma exponit, ea itidem ratione, qua hic uſus eſt Apoſtolus. Maritos enim, ad amorem uxorum excitatos, itidem revocat ad Chriſtum, tanquam qui Eccleſiam amarit.

Verſ. 24. *Ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἐκκλησία*] *Itaque, ſicut Eccleſia.* Hunc ſignificatum, 2 *Corinth.* VIII. 7. etiam obvium, particula *ἀλλὰ* vindicavimus Vol. I. pag. 1125. & II. pag. 631.

Verſ. 25. *Οἱ ἄνδρες ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ἑαυτῶν*] Putidam *Vanini* ad h. l. calumniam propulſatam lege à *Parkero* in commentatione de Deo & ejus exiſtentia pag. 82. ſqq. Qualis ille in uxores amor eſſe debeat, quæve ejus interdum ſint vitia, quæve virtutes, exemplis nonullis oſtendit *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. pag. 429.

Verſ. 26. *Ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ κ. τ. λ.*] Vide huc D. *Erneſti Friderici Meiß* orthodoxam explicationem, Schleuſingæ 1700. 4. *Theophilum Aletheum* Tomo II. der Erläuterung pag. 660. *Amelium* Parte II. pag. 850. ſeq. *Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 648. & *Simonem Epiſcopium* Tomo II. Operum Parte I. pag. 35. b. quem cave audias, quando ante vocem *καθαρίσας* intelligi vult *ὡς*, quod & ante ipſum fecerat *Grotius*.

*καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος ἐν ῥήματι*] Nonnulli purificationem hanc per verbum Evangelii, fide receptum, factam, verbisque his ad baptiſmum tantum alludi exiſtimant, quæ *Grotii* eſt ſententia. Nec aliud ſibi vult *Hombergius* pag. 301. quando vertit: *lavacro aquæ in verbo*, i. e. verbalis ſeu ſpiritualis. Similiter recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani interpretatur: *having purified her by the ablution of his word.* Sequitur etiam has partes *Lambertus Bos* in Exercitationibus pag. 186. per *τὸ λουτρὸν τοῦ ὕδατος*, Sanguinem & Spiritum Jeſu Chriſti, per *ῥῆμα* autem verbum fidei ſeu Evangelium intelligens. Contra Anglum illum lege *Leonhardum Twells* in Examine Critico, Tom. I. pag. 147. contra *Grotium* vero, *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & contra Anabaptiſtas, *Cloppenburgium* Tomo II. Operum pag. 183. *Hombergius* eam præpoſitionis *ἐν* notionem h. l. eſſe ex cap. IV. 19. *ἐν πλεονεξίᾳ* patere exiſtimat, idque *ἐξηγητικὸν* prioris eſſe opinatur. Sed vide, quæ ad illum locum diximus. Significatur heic omnino baptiſmus, verbo junctus, tanquam inſtrumentum purificationis. Loca Patrum lege apud *Suicerum* Tom. I. p 639. & II. p. 278. Ad *lotiones* rituales Judaicas alludi cenſet *Dougtæus* in Analectis ſacris Part. II. pag. 127. atque ea occaſione ex Gentilium ritibus luſtralibus, quibus ſacris initiare alios ſolebant, colligit, diabolum hac etiam in parte divina inſtituta imitari conatum. Propius nonnihil ad rem facit, quod *Lambertus Bos* loc. cit. affert. *Quoniam hic*, inquit, *de Eccleſia loquitur, tanquam de electa ac pura ſponſa Chriſti Domini, non dubito, quin in vocibus τῷ λουτρῷ τοῦ*

ὕδα͵ϛ alludat ad λυτρὸν νυμφικὸν *lavacrum nuptiale. Solebat enim ſponſa nuptiarum die ablui lavacro, νυμφικῷ dicto, ut pura & munda accederet ad ſponſum, & qui, vel quæ adferebat hoc lavacrum, λυτροφόρος appellabatur.* Vide *Pollucem* & *Harpocrationem*, item *Euripidem* in Phœniſſ. v. 346. Veſtigiis ejus inſiſtit *Amelius* & *Alethæus* ll. cc. & noviſſime *Elsnerus*, qui ritum illum aliquot ex antiquitate exemplis confirmat, & inter cetera ex *Buxtorfii* Synagoga Judaica cap. 626. obſervat, etiam apud Judæos *Sponſam pridie nuptiarum aqua frigida lavari, totamque in aquam immergi.*

Verſ. 27. Ἵνα παραςήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον] Pauci aliquot Codices legunt αὐτός. *Millius* in Prolegomenis utrumque pro injectitio habet. *Lockius* mavult αὐτὸς, quod recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Alterutrum a Paulo profectum eſſe vox ἑαυτῷ evincit. Sacri enim Scriptores pronomen relativum ſeu demonſtrativum reciproco jungere amant. Sic *Actor. VII.* 21. de filia Pharaonis reſpectu Moſis: καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν. *Rom.* I. 24. τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς II. 14. οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. VIII. 23. καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς ςενάζομεν. *2 Corinth.* I. 9. ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν. V. 18. καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ. Quidni igitur vel αὐτὴν vel αὐτὸς à Paulo ſcriptum fuiſſe credamus? Prætulerim vero αὐτὴν cum auctoritate plurium Codicum, tum ideo, quod Paulus his commatibus oculos in Eccleſiam, ut Chriſti ſponſam, retulerit. Sic verſ. 25. ὑπὲρ αὐτῆς, verſ. 26. ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ. Nec offendi quiſquam eo debet, quod verſ. hic 27. poſt ἔνδοξον legit τὴν ἐκκλησίαν. Nam vox hæc ab antecedente per interpunctionem ſeparanda eſt, atque ita accipienda, ut Paulus τὴν ἐκκλησίαν antea verſ. 25. commemoratam hic efficaciter repetere exiſtimetur, eam a collata munditie amplius deſcripturus. Verbum παραςῆσαι idem eſſe, quod *adjungere* ſibi & *ſociare*, tanquam ſponſam, recte monet *Lambertus Bos* pag. 187. cum verbum hoc alias vel de Socero, filiam ſuam ſponſo exhibente, vel de ſponſo ipſo, virginem deſponſatam domum ducente, uſurpetur. Locus appoſitus eſt, quem *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ex *Schir haſchirim rabba* fol. 7. 4. ad Cantic. I. 7. *Nigra ſum, ſed decora*; affert. Ibi enim de Synagoga accipitur, quæ nigra ſit in hoc ſeculo, (h. e. in Vetere Teſtamento) ſed decora futura in ſeculo futuro. (h. e. in Novo Teſtamento.)

μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα] σπῖλον proprie maculam in veſte, ῥυτίδα autem rugam in corpore, & facie præcipue, ex ſenio ortam, inferre *Boſius* tradit pag. 187. *Heſychius* σπῖλος, ῥύπος, ἱματίου. *Diodorus Siculus* lib. IV. p. 176. τὸ δὲ πρόσωπον καὶ τὸ σῶμα ῥυτίδων πλῆρες. Enimvero diſcrimen hoc non perpetuo à Scriptoribus obſervari *Dioſcoridis* locus evincit. Hic enim oleo amygdalino id tribuit, quod tollat καὶ σπίλους ἐκ προσώπου, καὶ ῥυτίδας μέλιτι μεμιγμένον. i. e. interprete *Plinio* XXIII. 24. *Purgat, mollit corpora, cutem erugat,*

*gat, nitorem commendat, varos cum melle tollit è facie.* Compara *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. II. pag. 178. & pag. 162. Deſcriptionem hanc Eccleſiæ cum *Cantic.* IV. 7. comparat *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 397.

ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία καὶ ἄμωμος] Ad triumphantem Eccleſiam hæc pertinere contendit B. *Georgius Nitſchius* in Praxi mortificationis carnis pag. 91. Nec negari poteſt, in vita glorioſa hanc Eccleſiæ, & credentis cujusque gloriam inprimis conſpicuam fore. Interim eadem etiam in regno gratiæ in credentium quemque cadit, reſpectu juſtitiæ Chriſti per fidem apprehenſæ, quæ per ἁγιασμὸν & καθαρισμὸν præcipue innuitur. In Chriſto enim γινόμεθα δικαιοσύνη Θεοῦ. Recte itaque *Chryſoſtomus* ad h. l. verba hæc de præſente Eccleſiæ conditione accepit. Compara *Petavii* Dogmata Theologica Tom. I. ubi de Prædeſtinatione lib. X. cap. XVI. §. 8 p. 431.

Verſ. 28. Οὕτως ὀφείλουσιν οἱ ἄνδρες ἀγαπᾷν τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας, ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα] Similiter quidam Judæorum Magiſter *Sanhedrin* fol. 76. 1. *Qui diligit uxorem ſuam, ut corpus ſuum, &, qui honorat eam pulcris ornamentis plus quam corpus ſuum, & qui curat, ut filii ſui & filiæ ſuæ ambulent in via recta, & qui permovet eos easque ad matrimonium, dum adhuc ſunt prope florem ætatis, de eo Scriptura dicit, Jobi* V. 24. Et ſcies, quod pax tentorio ſuo &c. Conf. Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 782.

Verſ. 29. καθὼς καὶ ὁ Κύριος τὴν ἐκκλησίαν] Sunt Codices nonnulli, qui pro Κύριος legant Χριστὸς, quod propterea recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Quod ad rem nihil refert. Prætulerim tamen Κύριος. Paulus in hoc capite utroque titulo promiſcue utitur de Domino noſtro. Jam vero aliquoties in commatibus antecedentibus Χριστὸν appellavit: itaque veriſimile eſt, Κυρίου nomen hic iterum fuiſſe adhibitum. Ad argumentum hujus commatis leges B. *Henrici Mülleri* Quæſt. Selectas Theolog. Semicentur. I. pag. 221. ſq.

Verſ. 30. Ὅτι μέλη ἐσμὲν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ] Poſtrema verba; ἐκ τῆς σαρκὸς &c. deſiderantur in Cod. *Alexandr.* & *Colbert.* verſionibus item *Æthiopica* & *Coptica*. Ex margine itaque, in qua deſcripta olim fuerint, in contextum relata credit *Grotius*. *Millius*, parum ſibi conſtans, ad locum ipſum *de ſinceritate verborum* non dubitat, in Prolegomenis autem §. 729. *Grotii* ſententiam amplectitur, notatus ideo à *Whitbio* pag. 93. Pro γνησίοις hæc habenda eſſe ex eo intelligitur, quod nervum contineat argumentationis Paulinæ. Chriſtum dixerat fovere Eccleſiam à ſe amatam. Id probat ex eo, quod fideles ſint membra corporis ipſius ſcilicet *myſtici*, ſeu ſpiritualis. Hoc autem illuſtrat exemplo Adami & Evæ, de qua ipſe Adamus *Geneſ.* II. 23. hac phraſi utitur. Ad eam φράσιν ſe recipit Paulus, quod de conjugibus ipſi ſermo eſt, ceu etiam ex verſ. 31. apparet.

Accommodat vero ad Chriſtum & fideles, & conjugium naturale typum conſtituit unionis myſticæ, quæ inter Chriſtum & fideles intercedit: verſ. 31. Tandem vero verſ. 33. ad inſtitutum præcipuum reverſurus amorem maritis in uxores iterum inculcat, tanquam quem ad exemplum Chriſti adverſus Eccleſiam probare & ipſi in uxores, arctiſſimo vinculo, quale inter Chriſtum & fideles deprehenditur, ſibi junctas, debeant. Recte itaque *J. E. Grabius* ad *Irenæum*, lib. V. cap. 2. hæc verba, prout hodie leguntur, plene & diſerte afferentem, obſervat, germana ea eſſe, & in *Cod. Alexandr.* ac verſione Æthiopica ideo omiſſa, quod vox αὐτȣ̃ in hoc commate ter exſtat, quæ repetitio legentem facile adducit, ut integrum orationis membrum incurioſe omittat. Ex his eadem opera intelligitur, quam parum tribuendum ſit novæ *Frid. Chriſtoph. Neubour* interpretationi, quam *Bibliotheca Bremenſis* Claſſ. I. pag. 259. ſuppeditat. Vertit ita: *Sumus membra ejusdem corporis, ex carne ejusdem*, ſcilicet corporis, *& ex oſſibus ejusdem. Sic enim*, ita pergit, *aptius convenirent cum antecedentibus*: Nemo unquam carnem ſuam odio habuit; *nec non cum ſubſequentibus*: Propterea deſeret vir parentes ſuos, & adhærebit conjugi. *Maxime autem cum effato primi mariti Adami, qui de tori ſui ſocia prædicabat*: Hæc caro de carne mea, atque os ab oſſibus meis, *Geneſ.* II. 23. *quem locum ante oculos habuiſſe Apoſtolum, cum hæc ad Epheſios ſcriberet, ſole meridiano clarius apparet.* Si hæc admittamus, nunquam oſtenderit vir doctus, quomodo de Chriſto & Eccleſia ſermo hic ſit Paulo, quod tamen Apoſtolus diſerte profitetur verſ. 32. Si porro *idem corpus* hic ſignificaretur, ſcribendum erat τȣ̃ σώματ☉ τȣ̃ αὐτȣ̃, non αὐτȣ̃. Neque enim ſufficit dicere: τȣ̃ σώματ☉ *nihil aliud eſt, quam* σώματ☉ τȣ̃ αὐτȣ̃, *pro quo contracte dicitur* ταυτȣ̃. Taceo, Græcos ταυτὸ quidem & ταυτὸν dicere, articulo præpoſitivo τὸ per aphæreſin τȣ̃ ὁ præmiſſo, nunquam autem ταυτȣ̃ pro τȣ̃ αὐτȣ̃, diphthongo ſimiliter abſorpta. Nusquam etiam invenio Scriptores Sacros ταυτὸ adhibere, ſed τὸ αὐτὸ, multo minus ταυτȣ̃, ſed τȣ̃ αὐτȣ̃. Ex multis habe hæc: *Rom.* II. 1. τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις, IX. 21. ἐκ τȣ̃ αὐτȣ̃ φυράματ☉. XII. 16. τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλȣς. XV. 5. τὸ αὐτὸ φρονεῖν. &c. Ratum igitur eſto, idem h. l. dicere Paulum, quod ait 1 *Corinth.* VI. 15. Οὐκ οἴδατε, ὅτι τὰ σώματα ὑμῶν μέλη Χριςȣ̃ ἐςιν. Quomodo nexus reliquorum commatum, quem *Neubourius* hic alioquin deſiderare videtur, probe conſtet, ex ſuperioribus eluceſcit. Quæ de unione Chriſti & credentium myſtica hic dici poterant, ea ex Theologorum ſcholis peti velim. Inprimis huc faciunt *Sebaſt. Schmidius* in diſputatione de conjugio myſtico, Argentorati 1675. & *Joachimus Juſtus Breithaupt* de myſterio unionis fidelium cum Deo & Chriſto. Ceterum ad Euchariſtiam hæc verba Pauli refert *Irenæus* loc. cit. & *Chryſoſtomus* ad h. l. Vide *Grotii* notas loc. cit.

Verſ. 31. Ἀντὶ τȣ́τȣ] affertur hic locus Geneſ. II. 24. ibi οἱ LXX. Ἕνεκεν τȣ́τȣ καταλείψει, in Hebr. לפיכך יעזב. Itaque nolim cum Cl. *Burgio* in Ana-

Analyſi hujus epiſtolæ §. 22. interpretari per, *inſtar illius*, quod ſcilicet dictum eſt: καταλείψει ἄνθρωπος &c. Quamvis enim hic ſignificatus τῷ ἀντὶ forte exemplis vindicari poſſit, loca tamen a viro docto allata id non præſtant, neque ideo h. l. admitti poteſt, quod Apoſtolus totum hoc comma, ſi primam vocem ἕνεκα excipias, eadem prorſus ratione recitat, qua apud τοὺς LXX. legitur, &, ſi alteram illam expoſitionem ſequamur, voces, ἀντὶ τούτου non Dei apud Moſen, ſed Apoſtoli eſſe, exiſtimandum ſit. Neque vero mirum eſt, Paulum pro ἕνεκα ſcripſiſſe ἀντί. Nam hujus eadem eſt, quæ τοῦ ἕνεκα, ſignificatio. Vide *Luc.* I. 20. ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας, item XIX 44. & *Actor.* XII. 13.

προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα] Simili phraſi *Clemens Alexandr.* Stromatum lib. IV. pag. . de uxore ait: ἥτις ἀνδρὶ συντέτηκε. *Marcus Antoninus* V. 1. hoc ipſum dicit συγκατατήκεσθαι, ad quem locum *Gatakerus* pag. 185. edit. Cantabrig. oſtendit, τὸ, προστεθηκέναι συντετηκέναι idem eſſe, quod Latini dicunt: *ſtudio alicui ita eſſe addictum, non tantum ut ab eo avelli quis nequeat, ſed, ut in eo etiam enixius & obſtinatius perſequendo conſumat, & quaſi tabefaciat ſeſe.*

καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν] Quomodo hic cum *Geneſ.* II. 24. ubi τὸ שניהם, quod Samaritanus Codex habet, in Hebræo deeſt, oſtendit contra *Whiſtonum* de corruptela fontium conquerentem, *Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 14. ſqq. Confer nos ad *Matth.* XIX. 5. Patrum expoſitiones habes apud *Suicerum* Tom. II. pag. 935. ſq.

Verſ. 32. Τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστὶν] Vide *Sebaſtiani Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius pag. 275. ſq. Vox μυστήριον rem occultam & arcanam, altiorisque indaginis denotat. Hæc vocis notio eſt in Sacris & Eccleſiaſticis Scriptoribus. Lege *Suicerum* Tom. II. pag. 381. Ideo recte B. *Lutherus* convertit per Geheimniß, ringentibus *Emſero* & *Zangero*, qui *Sacramentum* hic inferunt, & conjugium ita appellari diſputant. Compeſcuit eos B. *Raithius* in Vindiciis Verſionis Germanicæ pag. 535. Ad conjugium vero minime omnium, ſed ad nexum inter *Chriſtum* & Eccleſiam hoc pertinere, ut ſequentia Pauli verba extra dubium collocant; ita B. *Joannes Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 144. ſeqq. evicit. In inſtitutione conjugii conjunctionem Meſſiæ cum Eccleſia ex mente ipſorum Judæorum adumbratam fuiſſe, præter *Voiſinium* oſtendit *Allixius* in Judicio veteris Eccleſiæ Judaicæ de Meſſia. Compara *Amelium* Parte II. pag. 28. Phraſi ipſa Judæi & inprimis Cabbaliſtæ frequentiſſime utuntur, quando rem magni momenti nunc: רזא יקירא, nunc: סוד גדול appellant. Vide Cl. *Schoettgenii* Horas Hebraicas pag. 783.

ἐγὼ δὲ λέγω] Sic *Polybius* pag. 851. rem, de qua agitur, diſertius indicaturus ait: λέγω δὲ βασιλείας, *regnum dico.* Vide Rev. *Raphelii* Annotationes Polybianas ad h. l. & ad 1 *Corinth.* I. 12.

εἰς Χριςὸν ] *de Chriſto.* Ita *Herodotus* lib. I. pag. 40. οὐδέν τι μᾶλλον ἐς ἑαυτὸν λέγων, ἢ ἐς ἅπαν τὸ ἀνθρώπινον καὶ μάλιςα τοὺς παρὰ σφίσι αὐτοῖσι δοκέοντας ὀλβίους εἶναι. Similes veterum locos attulit *Gatakerus* ad *Marcum Antoninum* pag. 1. Confer nos Vol. I. harum Curarum pag. 1036. & Vol. II. p. 677. Quod ad rem ſpectat, R. *Menachem Recanatenſis* in Jalkut Rubeni fol. 171. 4. ita: *Jam docui te, quod myſterium conjunctionis viri cum muliere indigitet myſterium gloriæ Iſraëlis cum Synagoga roboris ſui.* Vide *Schœtgenium* l. c. p. 784. qui alia loca his ſimilia recitat.

Verſ. 33. οἱ καθ᾽ ἕνα ] οἱ καθ᾽ ἕνα, ſcilicet πάντες, ut 1 *Corinth.* XIV. v. 31. Confer *Schœtgenium* ad Lambertum Bos de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 154.

ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα ] Τὸ ἵνα vim imperandi habet, ut 1 *Timoth.* I. 3. Similiter *Xenophon* Cyropæd. I. 10. ὅπως μὴ ἀπολῇ μαςιγούμενος, *quapropter ne flagris cæſus pereas.* Vide *Raphelii* Annotationes Xenophonteas pag. 260. qui præterea monet, addi quidem cum *Beza* & aliis poſſe, *videto*, ſed, eo tamen omiſſo, vehementiorem eſſe orationem, & majorem declarare auctoritatem & ſeveritatem dicentis. Sequitur cum *Th. Hutchinſon* in notis ad Xenophontis Cyropædiam p. 32.

# CAPUT VI.

VErſ. 1. Τὰ τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσιν ] τέκνον utrumque ſexum complectitur. Sic *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, lib. I. pag. 91. θήλεα τέκνα vocat *filias*; & lib. VII. pag. 521. ὡς μηνις οἱ ἐούσης ταύτης τέκνου. Adde *Fulleri* Miſcellanea Sacr. lib. I. cap. 20. Ita γονεὺς proprie quidem Parentem, ceu gignentem, infert, ſicut matres τεκοῦσαι vel τεκοῦσαι appellantur. Et nihilominus vox γονεὺς ad *Parentes*, quod nomen matribus ratione originis proprium eſt, deſignandos adhibetur.

ἐν Κυρίῳ ] Deſunt in uno alterove tantum Codice: & vel ſic pro ſcholio habentur à *Millio* in Prolegomenis. Conjecturam hanc in herba ſupprimere poterat, quod in antecedentibus præceptis ſemper nunc *Domini*, nunc *Chriſti*, nunc *Dei* fit mentio, ad quem audientes vel legentes, tanquam ad legiſlatorem, vel etiam exemplum imitandum, revocantur. Τὸ ἐν Κυρίῳ idem eſt, quod κατὰ τὸν τοῦ Θεοῦ νόμον, ut *Theodoretus* exponit, h. e. *quia* & *in quantum*, ſeu *qua* Deus præcepit. Hinc *Oecumenius* exponit per κατὰ Κύριον, ἐν οἷς μὴ βλάπτεται εὐσέβεια.

τοῦτο γάρ ἐςι δίκαιον ] *Hoc enim æquum, juſtum, rectum eſt.* Vide Patres apud *Suicerum* Tom. I. pag. 909. Similibus huic præceptis externorum ſcripta plena ſunt, quæ hic cumulare nihil attinet, ab *Huetio* in Quæſtionibus Alne-

Alnetanis, & *Pſannero* in Syſtemate Theologiæ Gentilis, recitata. Pythagoreum illud in limine Aureorum Carminum inſtar omnium eſt. Obſervari interim meretur illud *Phalaridis* epiſt. 90. Πέφυκε γὰρ θυγάτηρ μᾶλλον ἀρσένων παίδων περὶ πλεῖςυ ποιεῖσθαι τὺς γονέας. *Filia enim præ maſculis rationem Parentum habere ſolet.* Parentes tamen æque ac liberos utriusque ſexus mutuis officiis ſæpe deeſſe exemplis demonſtravit *Petrus Baelius* in Reſponſione ad Provincialem Tom. II. cap. 104. Quæ Judæi à liberis in Parentes requirant, & quæ præmia exſpectare jubeant, ex ſcriptis eorum oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 785. ſq.

Verſ. 2. ἥτις ἐςὶν ἐντολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ] Obverti ſolet, primum etiam præceptum promiſſione quadam generali eſſe munitum, atque adeo obſcurum eſſe, quomodo quarto præcepto hoc tribuat Apoſtolus. Diverſas ſententias excuſſit *Joannes Marckius* in Exercitatione Exegetica XL. p. 656. ſqq. Plerique Apoſtolum loqui exiſtimant de præceptis tabulæ poſterioris, in qua primum ad obſervandos Parentes cum addita promiſſione ſpectet. Propius ad rem accedunt, qui eo ſenſu ita dici arbitrantur, quod præceptum hoc & ſpeciale obedientiæ genus urgeat, & ſpeciale beneficium ſperare jubeat. Lege in hanc ſententiam *Joannem Gerhardum Voſſium* Tom. VI. Operum p. 451. a. Similia his *Aben Eſra* in expoſitione præcepti de non aſſumendo nomen Dei in vanum, verba ſunt. *In ſumma*, inquit, *non invenimus in decem verbis, quod in eis afferatur aliqua remuneratio, niſi de honorandis Parentibus.* Comparat hunc Pauli & ſimiles Evangeliſtarum locos cum *Exod.* XX. 12. *Franciſcus Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 111.

Verſ. 4. Καὶ οἱ πατέρες μὴ παροργίζετε τὰ τέκνα ὑμῶν] *Hombergius* p. 300. verti vult: *Ne per iram male habeatis liberos*, vel: *ne iracundia quid ſtatuatis in eos.* Provocat hoc conſilio ad oppoſitam παιδείαν & νυθεσίαν, quando παιδεία non ſolum ad animum, ſed & ad corpus ſpectet, ἐκτρέφειν autem non ſolum nutritionem, ſed omne educationis genus complectatur. Recte vero Cl. *Elsnerus* pag. 227. conſuetam verbi ſignificationem, quæ ad irritationem refertur, tenet, eamque probat ex *Rom.* X. 19. & τοῖς LXX. tum vero hoc *Demoſthenis* loco contra Ariſtogitonem pag. 505. ὅλαν ὑμᾶς ἤδη παρωργισθέντας τι πρός τινας καὶ μᾶλλον τῦ δέοντος παροξυνθέντας. Interim non negaverim, Apoſtolum eadem opera omnia illa ab educatione liberorum amoliri, quibus moroſiores & difficiliores ſe in liberos præſtant Parentes, ſive in animum, ſive in corpus liberorum ſe exſerant. De re ipſa legi poſſunt, qui vel ſuperiore, vel noſtra memoria de ratione liberos recte educandi præceperunt. Horum tanta hodie eſt ſeges, ut argumentum præbeat, & lolium & ſteriles avenas in hoc agro dominari. Liberos apud gentes & præcipue Romanos durius olim habitos eſſe Vol. II. p. 742. monui. Ab Hebræis aliter actum fuiſſe oſtendit B. *Theodorus Daſſovius* in Diſputatione de Infante Hebræo liberaliter educato, Witembergæ 1698. unde etiam conſtabit, religionis

& pietatis ſemina in liberorum animos diligenter ſparſa fuiſſe. Æmulationem acerbiorem inter liberos cavendam eſſe ex h. l. nonnulli conficiunt. Huc pertinet locus Talmudicus ex *Schabbath* f. 10. 2. & 11. 1. Habes eum in Bibliothec. Lubecenſ. Vol. II. pag. 214.

ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Κυρίου) παιδείαν, *diſciplinam*, i. e. morum gubernationem, quæ fiat per adſuefactionem, quotidiana exercitia, tempeſtivas caſtigationes & exempla, proprie ſignificare *Victorinus Strigelius* in Hypomnematibus ad h. l. obſervat, & ex παιδείᾳ Cyri apud Xenophontem apparere exiſtimat. Cognitionis divinæ rationem præcipue habendam eſſe Judæorum Magiſtri paſſim inculcant, ad *Deuter*. XI. 19. VI. 7. provocantes. Facit huc locus longior in *Kidduſchin* f. 29. 2. quem leges in Bibliotheca Lubecenſi l. c. pag. 207. ſqq.

Verſ. 5. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα] Opponuntur hic Domini ſecundum carnem Domino cœleſti, qui in limine commatis 4. commemoratur.

μετὰ φόβου καὶ τρόμου] Timorem hic ſervis ex Chriſtianis non tantum adverſus Dominos, ſed Deum quoque inculcari patet ex phraſi ſequente ὡς τῷ Χριστῷ. De φόβῳ ipſo lege *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 393. Jungitur τρόμος τῷ φόβῳ fortaſſe ideo, ut durior ſervorum conditio, cui ut omne ſervorum genus, ita præcipue Chriſtiani ea ætate obnoxii erant, innuatur. De illa commentati ſunt, qui de ſervis expoſuerunt, nominatim *Auſonius Popma* & *Laurentius Pignorius*, quibus utinam annumerare aliquando liceret *Friderici Lindenbrogii* de ſervis collectanea, quæ in Bibliothecæ noſtratis publicæ forulis manu exaratæ evolvi poſſunt. Servos inter pleraſque gentes male admodum & duriter habitos eſſe oſtendit *Jo. Clericus* ad Exod. XXI. 20. Nonnulla momenta, quæ huc pertinent, leges in notis *Gatakeri* ad Marc. Antonin. IXI. §. 31. & *Jacobi Tollii* ad Longinum περὶ ὕψους, Sect. XLIII. num. 10.

ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας ὑμῶν] Ἁπλότης, *integritas*, opponitur h. l. verſutiæ, fraudi & dolis, i. e. κακουργίᾳ, *fraudulentiæ* ſecundum *Theophylactum*, quod malim præ κακοηθείᾳ, ſeu *malignitate*, quam *Theodoretus* affert. Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 436. Servos olim nequam & malis artibus deditos fuiſſe Cl. *Wilhelmus Erneſtus Trillerus* in notis ad h. l. MSS. ex *Plauti*, *Terentii*, *Menandri* & *Philemonis* ſuperſtitibus fabulis recte colligit; his autem jungi vult *Senecam* de Conſtantia Sapient. cap. XI. & epiſt. XLVII. item *Athenæi* Dipnoſophiſtica.

ὡς τῷ Χριστῷ] Similiter Judæos eam in Dominos reverentiam requirere, quæ Deo debeatur, oſtendit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 787.

Verſ.

Verſ. 6. Μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν] hoc eſt, ne diligentiam in opere, præſentibus & intuentibus Dominis tantum, adhibeant, abſentibus vero iiſdem negligant vel fraudulenter curent. Vide *Suicerum* Tomo II. pag. 534.

ὡς ἀνθρωπάρεσκοι] de placendi ſtudio lege *Andreæ Schotti* Adagialia ſacra ad *Galat.* I. 10. pag. 125.

ἐκ ψυχῆς] id eſt, *ἐκ πάσης τῆς δυνάμεως καὶ προθυμίας*, interprete *Theophylacto.*

Verſ. 7. Μετ' εὐνοίας δουλεύοντες] Sic *benevolentiam* in ἐπιτρόπῳ, ſeu villico, quod ſervi olim genus fuit, requirit *Xenophon* ad Socratis & Iſchomachi mentem, in Oeconomico pag. 673. *Οὐκοῦν εὔνοιαν πρῶτον, ἔφην ἐγὼ, δεήσει αὐτὸν ἔχειν σοὶ καὶ τοῖς σοῖς, εἰ μέλλοι ἀρκέσειν ἀντὶ τοῦ παρών. ἄνευ γὰρ εὐνοίας τί ὄφελος καὶ ὁποιασινοσοῦν ἐπιτρόπου ἐπιστήμης γίγνεται; οὐδὲν, μὰ Δί', ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος, ἀλλά τοι τὸ εὐνοεῖν ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς ἐγὼ πρῶτον πειρῶμαι παιδεύειν. Primum igitur, inquam ego, neceſſe eſt, benevolo ſit ergate ac tuos animo, ſiquidem ejus præſentia tuo loco ſufficere debeat. Nam ſine benevolentia quisnam ſcientiæ procuratoriæ fuerit uſus cuicuimodi tandem illa ſit? Nullus profecto, inquit Iſchomachus. Verum ego primum ſic conor eos inſtituere, ut erga me meosque benevolo ſint animo.* Hunc & alios ei ſimiles locos lege apud *Raphelium* in Annotationibus Xenophonteis pag. 261. ſq. Servis εὔνοιαν in Dominos à Scriptoribus tribui, oſtendit quoque *Elsnerus* pag. 228. ex *Luciano* in Bis accuſato pag. 322. *Ariſtophane* in Pluto v. 25. & *Artemidoro* lib. III. cap. 54. *Lucianus* ita: *ἀνδράποδον, ὃ μόνον εἶχεν εὔνουν καὶ πιστὸν, mancipium, quod ſolum habebat benevolum ac fidele.*

Τῷ Κυρίῳ] Non pauci Codices præmittunt ὡς, quod præter *Vulgat. Lutherus* & aliæ verſiones exprimunt. In contextum ideo receptum eſt à *Beza*, *Eraſmo Schmidio*, & recente editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quod alii ſaltem ad marginem collocarunt. Exſtat etiam in parallelo huic loco *Coloſſ.* III. 23. Quod ad ſenſum nihil admodum intereſt.

Verſ. 8. Εἰδότες, ὅτι] B. *Lutherus: atque ſcitote*, hoc ſenſu: illud cogitate, atque hac cogitatione animos veſtros excitate. Sic *Caſaubonus* apud *Polybium* interpretatur pag. 947. *παρακαλέσας ἄνδρας ἀγαθοὺς γενέσθαι, καὶ μηδὲν εἰκῆ πράττειν, σαφῶς εἰδότας, ὅτι καθ' ὅσον ἐμποδίζει, κ.τ.λ. Obteſtatus, ut viros fortes ſe præberent, neve temere quicquam facerent: meminiſſent etiam atque etiam, in nocturnis aggreſſionibus, quantum oculis impedimenti & obſtaculi ad res gerendas nox afferat.* Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas.

Verſ. 9. ἀνιέντες τὴν ἀπειλὴν] Ita *Epictetus* cap. LIV. *ἀνιέναι τὴν αἰδῶ, remittere, diminuere obſervantiam*, dixit, monente Cl. *Jo. Alberti* pag. 373. Quod ad rem ſpectat huc *Macrobii* locus Saturnal I. cap. 11. *Noſtri majores*

*omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, ſervos familiares appellarunt. Colant ergo te potius ſervi tui, quam timeant.*

εἰδότες ὅτι] Vide ad verſ. 8.

ὅτι καὶ ὑμῶν αὐτῶν ὁ Κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς] Priora illa codices aliquot, verſiones & Patres exhibent, nunc: αὐτῶν καὶ ὑμῶν, nunc ὑμῶν καὶ αὐτῶν, inſerto καὶ. Atque hanc lectionem amplectitur *Conr. Rittershuſius* in Lectionibus ſacris pag. 179. Quod ad ſenſum parum refert.

παρ' αὐτῷ] In aliquot Codicibus legas παρὰ τῷ Θεῷ. Cum vero nomen Κύριος proxime anteceſſerit, ſatius eſt, in relativo hic acquieſcere. Compara *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam Verſionum pag. 48. De ἀπροσωποληψία Dei locum huic ſimilem ex *Schemoth Rabba* affert *Schoetgenius* in Horis Hebraicis pag. 788.

Verſ. 10.–17. ſectionem epiſtolicam, quæ pro concione exponi apud nos conſuevit, complectuntur. Eam illuſtravit *Franciſcus Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 167. & *Joannes d'Outrein* in Bibelſche Keurſtoffen pag. 201.–226. Conferri præterea merentur diſſertationes quædam noſtratium ſingulares, v. c. *Joannis Andreæ Schmidii* de armatura ſpirituali, Helmſtadii 1701. *Joan. Dornfeldii* de ſpirituali armamentario adverſus truculentas Satanæ invaſiones, Lipſiæ 1708. *Joannis Adami Oſiandri* de pugna ſpirituali adverſus regnum tenebrarum hujus ſæculi, Tubingæ. *Joannis Friderici Durrii* Diſſertationes quatuor de veterum armis bellicis omnibus & ſingulis, quorum Paulus hic meminit, Altorf. 1686.–1688. 4to. & *Joannis Henrici Lederlini* de πανοπλίᾳ τοῦ Θεοῦ, Argentorati 1707. 4to. Ex Reformatis inſpice *J. A. Heideggerum* in Diſſertationibus Selectis Tom. IV. Diſſertat. III. & *Jo. van der Waeyen* Panopliam Chriſtianam, Franequeræ 1681. Nec minus huc faciunt Scriptores de re veterum militari *Hieronymus Mercurialis*, *Petrus Faber*, *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris, & *Joannes Arrowſmith* in Tacticis Sacris, pag. 69. ſqq. aliique à præſtantiſſimo *Fabricio* noſtro in Bibliographia Antiquaria laudati.

Verſ. 10. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, ἐνδυναμοῦσθε, κ. τ. λ.] Commentantur ad hæc verba *Robertus Gellus* Tom. II. Reliquiarum Anglice editarum, pag. 280.–289. & *Joannes Henricus à Seelen* in Diſſertatione epiſtolica de Fortitudine in Domino, Lubecæ 1728. primum edita, & in Meditationibus Exegeticis, Lubecæ 1730. cum acceſſionibus p. 683. ſq. recuſa.

ἀδελφοί μου] in uno alterove Codice deſunt, nec habet Æthiops. Ideo ex Lectionariis Græcorum nata putat *Millius* in Prolegomenis, præceps. Vide *Whitbii* Examen pag. 69.

Verſ. 11. Ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ] Inſpice *Rob. Gelli* Reliquias l. c. pag. 290.–293. *Jo. Stephani Menochii* Trattenimenti eruditi Parte II. p. 495. ſqq. & *Stephani Clerici* Quæſtiones Sacras num. II.

Πανο-

Πανοπλία Θεοῦ eſt *univerſa armatura Dei*, die gantze völlige Rüſtung, ut *Zeltnerus* in Gloſſa habet. Patres Latini nunc ſimpliciter per *arma Dei*, nunc per *arma Dei tota*, nunc per *univerſitatem armorum* verterunt. Lege *Pearſoni* notas ad Ignatii epiſtolas pag. 32. Efficaciter *Iſidorus* Peluſiota lib. I. epiſtol. 25. ἀλλ' ὁπλοφόρος ὅλος γίνεται. Vocem hanc Græci adhibent non de *levis*, ſed *gravis armaturæ* militibus, ſeu ὁπλίταις, qui ad ingens prælium ſe accingunt. Illam ἀναλαβεῖν jubentur Chriſtiani eadem phraſi, qua uſus eſt *Herodianus* II. 23. ἀναλαβόντες οὖν τὰς πανοπλίας - - - - - - ὡς, εἰ δέοι, πολεμήσαντες. *Induentes igitur gravem armaturam milites - - - - - - ut ſi res poſceret, dimicarent.* Vide *Lamberti Bos* Exercitationes pag. 192. *Joannem Clericum* ad h. l. & Rev. *Raphelium* in Annotationibus Polybianis pag. 549. *Heſychius* παντευχίαν exponit. Conf. *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 86. Πανοπλία Θεοῦ vocatur, vel, per Hebraiſmum, (quo tamen non admodum opus eſt) per quem Dei eſſe dicuntur, quæ in ſuo genere excellunt; vel, quia eadem arma amplectitur, quæ ſibi Dominus ad militiam in carne obeundam præparavit; vel ex eo denique, quod equidem malim, quia e donis Spiritus Sancti ſalutaribus, veritate nimirum, juſtitia, fide, & reliquis tota conflectur; quæ quidem omnia *ſuperne ſunt, & deſcendunt à Patre luminum*, Jac. I. 17. Vide *Jo. Arrowſmith* Tactica Sacra pag. 69.

πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου] Metaphoram hanc à luctatoribus deſumtam totam eſſe, tum ex voce πάλη, verſ. 12. tum ex ceteris hujus commatis oſtendit *Lamb. Bos* loc. cit. Ita Diabolum ait appellari a διαβάλλειν, quod non ſolum *calumniari*, ſed etiam *decipere* & *fallere* denotat, & de luctatoribus adhiberi quoque ſolet, qui adverſarios ſuos circumveniunt, ſupplantant & vincunt, v. c. apud *Ariſtophanem*; quemadmodum μεθοδεῖαι quoque *inſidias*, vel *artes callidas* inferant, & τὸ στῆναι a luctatoribus ſit deſumtum, tanquam qui ſtantes luctari conſueverint. Approbat hæc *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica pag. 891. ſq. & *Jo. Alberti* pag. 374. Obſervatt. additis aliquot locis, qui τὸ διαβάλλειν, idem, quod ἐξαπατᾷν interdum eſſe evincunt.

πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι] A *Luctatoribus* vocem eſſe deſumtam oſtendit etiam *Gatakerus* ad Antonini VII. 61. ubi is τὴν βιωτικὴν τῇ παλαιστικῇ ὁμοιοτέραν, h. e. *vivendi artem luctatoriæ magis*, quam *ſaltatoriæ* ſimilem eſſe docet. Τὸ, στῆναι opponitur alias τῷ, φεύγειν ab *Xenophonte* Hiſtor. Græc. lib. V. pag. 439. & de Cyri Expedit. lib. I. pag. 212. Vide *Raphelium*.

πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου] Has μεθοδείας de inſidiis, technis, & deceptionibus recte æque ac *Boſius* accepit *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 171. *Inde*, inquit, *μεθοδεύειν paſſim apud Patres, præcipue apud* Chryſoſtomum, *pro*, decipere, fraudare, fallere. *Perperam*, ita pergit, *Sacer* Criti-

*Cri:i us* (Heinſius) *ad illum locum notat, μεθοδεύειν idem eſſe, quod vagari & circumire, ſed intentum. Fallitur ipſe, nec intentus ei rei fuit, cum hæc ſcriberet. Μέθοδος Græcis eſt ars & τέχνη. Inde & in malam partem acceptum eſt, ut illud ipſum vocabulum τέχνη, & apud Latinos recentiores* ingenium. Heſychius *μεθοδείας, τέχνας. Et μεθοδίτας, τεχνίτας.* Hæc ille. Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 329. & quæ hic ad IV. 14. ſcripta ſunt. B. *Lutherus* noſter egregie: liſtige Anläufe. Similiter *Gellus* loc. cit. per *μεθοδείας* & *ſubtilitatem* & *robur* inſultus innui cenſet.

Verſ. 12. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη, κ. τ. λ.] Juvare hujus loci intelligentiam poſſunt ex noſtratibus *Auguſtus Hermannus Franckius* in Obſervationibus vernaculis pag. 175. ſeq. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 95. *Starckius* in Notis Selectis pag. 148. *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 226. ſqq. & Anonymus Auctor Obſervationum Miſcellanearum vernacularum Tom. I. pag. 787. Ex Anglis *Robertus Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 294. -- 300. Ex Reformatis *Jacobus Nyloë* in Schriftuurlycke Licht pag. 30. *Guilielmus Saldenus* in Otiis pag. 551. *Hermannus Gerbaden* in Sacris Gentilibus patefactis in epiſtola ad Epheſios pag. 628. ſq. & *Elsnerus* pag. 229. ſeq.

Ὅτι οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη] Πάλην explicant *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 85. & *Baſchius* in Diſputat. de Interpretat. Novi Teſtamenti ex Patribus Apoſtolicis pag. 13. Pervulgatum alioquin eſt Scriptores externos æque ac Eccleſiaſticos vitam hominis cum bello, pugna, certamine comparare. Ita *M. Antoninus* II. 17. ὁ δὲ βίος πόλεμος, ubi vide omnino *Gatakeri* notas pag. 77. *Epictetus* III. 24. Diſſertatt. στρατεία τὸ χρῆμα: στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη. *Chryſoſtomus* in Acta Orat. 15. Ἀγών ἐστιν ὁ παρὼν χρόνος πόλεμός ἐστι καὶ μάχη. Ad phraſin proxime accedit hæc *Herodoti* lib. I. pag. 17. οὐ πρὸς ἄνδρας ἡμῖν γίνεται ἡ μάχη.

πρὸς αἷμα καὶ σάρκα] *Caro* & *ſanguis* homines denotat, ut *Matth.* XVI. 17. ubi vide quæ ſcripſi, 1 *Corinth.* XV. 50. & *Hebr.* II. 14. Alii perditam & corruptam naturam, vel ſaltem reliquias ejus ex labe originali intelligunt. Eam vero ab Apoſtolo non puto intelligi. Illa enim etiam in renatis pugnat contra ſpiritum, *Galat.* V. 16. & renati per ſpiritum pugnant contra illam, ita ut vincant. *Galat.* V. 24. De phraſi ipſa lege *Sophoclem* ad Ajacem pag. 103. Tentationes Diabolicas innui ut ex verſ. 11. non negat *Shatgenius* in Horis Hebraicis pag. 788. ita contendit, illis eas quoque comprehendi, quæ Satanæ inſtinctu, partim ab impiis Judæis, partim à malis Chriſtianis excitarentur.

πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, κ. τ. λ.] Indicantur hic mali dæmones ſecundum copiam & diverſos ſuos ordines. Confer ſupra ad II. 2. & ad *Rom.*

*Rom.* VIII. 38. Horum princeps Diaboli nomine erat indicatus, qui περιπατεῖ, ὡς λέων ὠρυόμενος, 1 *Petr.* V. 8. Illi, ut & adminiſtris ejus pugnantes reſiſtunt verſ. 11. & verſ. 13. ad quod excitantur à *Petro* loc. cit. v. 9. ᾧ ἀντίϛητε ϛερεοὶ τῇ πίϛει, & à *Jacobo* IV. 7. Itaque homines cujuscunque generis & conditionis eorumque conatus, qui αἷμα & σὰρξ ob impotentiam ſuam appellantur, opponuntur variis ordinibus & variis verſutiisque inſultibus malorum dæmonum. Deſerendi ergo ſunt, qui homines majoris dignitatis, auctoritatis & poteſtatis per ἀρχὰς &c. per σάρκα vero homines vulgares & qualescunque intelligi volunt. Inter hos video eſſe *Joannem Braunium* in Selectis Sacris pag. 110. Is enim per ἀρχὰς & ἐξουσίας poteſtates & principes populi Judaici, Chriſtianorum hoſtes præcipuos, per κοσμοκράτορας autem Principes gentiles; ſicut per αἷμα & σάρκα non homines, ſed cupiditates carnales, per πνευματικὰ τῆς πονηρίας autem Angelos deſignari exiſtimat. Similiter, ſed diſtinctius *Salomon van Till* ad h. l. ἀρχὰς de *Aſiarchis* & *Prytanibus* Græcorum, ἐξουσίας de membris Senatus Judaici, κοσμοκράτορας autem de Gentilibus generatim, præſertim tamen de Poteſtate Romana, ſuper tenebris quaſi fundata, interpretatur. Hujus veſtigiis inſiſtit *Jo. d'Outrein* in Bibelſche Keurſtoffen p. 212. Ad Romanos hæc nomina referri vult *Hermann. Gerbaden* libro modo citato p. 628. ſq. Illi *caro* & *ſanguis* ſunt homines levioris ſortis, & viribus carentes, *principatus* autem Præſides Provinciarum Romanarum, *potentiæ*, Proconſules, quorum mentio fit in cauſa aurifabrorum Epheſiorum contra Paulum, *Actor.* XIX. 38. aliique magiſtratus inferiores, *imperantes* denique, ſeu κοσμοκράτορες, Imperatores & Duces bellici. Ex noſtratibus *Braunium* fere ſequitur *Amelius* Parte I. pag. 95. quando ἀρχὰς & ἐξουσίας de membris Synedrii Judaici, κοσμοκράτορας de Doctoribus Eccleſiæ Judaicæ & πνευματικὰ τῆς πονηρίας de *Diabolis* explicat. Sed iſta quidem omnia aliena ſunt à mente & dictione Pauli, qui omnino malorum geniorum inſidias & inſultus hic reſpexit, quod ex nexu ſermonis patet. Imo Apoſtolus ipſe, quid per ἀρχὰς ἐξουσίας & κοσμοκράτορας intelligi velit, ſatis explicat, quando ſubjungit πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας. His enim indicatur, quibus inſtrumentis utantur illæ ἀρχαί, &c. nempe illis, quæ non in oculos incurrant, ſed pravis conſiliis mente perſpiciendis contineantur. Idem patet ex armatura ab Apoſtolo commendata. Sicut enim illa ſpiritualis eſt, quæ externæ hominum poteſtati nihil derogat, niſi in quantum divini Numinis auxilio ſe permittit; ita neceſſe eſt, ut credamus, ejusmodi hoſtes heic innui, qui inſtar ſpirituum armis non humanis utantur, quemadmodum nec humanis armis propulſari aut vinci poſſunt. Hoc ſenſu Pauli verba Patres quoque accepiſſe ex *Chryſoſtomi* quodam loco, mox afferendo, patebit. B. *Hanneckenius* in Expoſitione hujus epiſtolæ pag. 89. *ſpiritus nequiſſimos in aëre* intelligit.

πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου) Vocem τοῦ αἰῶνος Codices pauci omittunt, ſicut & in verſionibus nonnullis & Patrum allegationibus

mibus deſiderantur. Sufficere hoc viſum eſt *Millio* in Prolegomenis §. 748. ut illam ex interpretamento natam cenſeret. Σκότος, inquit, *explicarat quispiam ad oram libri per* αἰῶνος, *quod ſcriba mox aliquis intruſit in textum.* Longius proceſſit, levi hac conjectura nixus, recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quando ex contextu prorſus expunxit. Mihi quidem veri fit ſimilius, τὸ αἰῶνος à nonnullis eſſe poſtliminio omiſſum, quam ab aliis in contextum illatum. Prius ex eo natum eſt, ſi quid video, quod ſuperfluum videretur, tanquam in voce κοσμοκράτορας jam latens. Qua in re falli ſe perſpicere poterant, ſi recogitaſſent, Paulum Epheſ. II. 2. αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου dixiſſe. Quod ad poſterius attinet, probabile non fit, quenquam vocem τοῦ σκότους per αἰῶνα explicare voluiſſe, niſi dicere velimus, hoc modo aliquid in ſe perſpicuum per obſcurius exponi debuiſſe. Vocis σκότος notio obſcura nemini eſſe poteſt, qua Paulus alias etiam in hoc argumento utatur. Ita v. c. *Coloſſ.* I. 13. legis: ὃς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους. Itaque valeat hæc *Millii* conjectura, & Anonymi Angli audacia temeraria..

Gentiles quoque Dæmonas Archontas κοσμοκρατόρων nomine appellaſſe aliunde conſtat. Ægyptiis ita vocabantur οἱ τὰ ὑπὸ σελήνην στοιχεῖα διοικοῦντες, teſte *Jamblicho* de Myſteriis Ægypt. Sect. II. cap. 3. ad quem locum lege *Galei* notas. Adde Cl. *Elsnerum* pag. 229. ad Teſtamentum Salomonis (vid. *Gaulminum* ad Pſellum de Operat. Dæmon. pag. 113.) provocantem, ubi ſeptem Dæmones ad Salomonem ajunt: ἡμεῖς ἐσμεν τὰ λεγόμενα στοιχεῖα, οἱ κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τούτου. Judæos ipſam vocem κοσμοκράτωρ ad indicandum malum dæmonem ſuam feciſſe patet ex *Vajikra Rabba* Sect. 18. fol. 161. 3 & *Schir haſſchirim* fol. 32. 3. & aliis locis, à *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 790. allatis.

B. *Nicolaus Hieronymus Gundlingius* Tomo I. Obſervationum ſuarum Selectarum pag. 77. has τοῦ σκότους κοσμοκράτορας in luce collocare inſtituit. Poſtquam enim oſtenderat, Orientales & inprimis Chaldæos, Deum in luce, φάει, αὐγαῖς & φέγγει poſitum; dæmonas autem tanquam ex illa luce in mundos materiales, aërem, terram, aquam, aut brevius infra lunam, ſeu ad tenebras & fundum naturæ ablegatos, repræſentaſſe, tandem pag. 86. ſententiam ſuam hac paraphraſi expromit: *Non eſt nobis decertandum tantum cum carne & ſanguine, h. e. cum hominibus:* בשר ודם *dicuntur hi, uti comparantur Deo & angelis, (vid. Grotium ad h. l.) ſed cum principatibus & poteſtatibus, cum illis, qui ſunt* κοσμοκράτορες, *principes mundi, principes tenebrarum ſub luna, principes* τοῦ σκότους τούτου, *in quam caliginem iſti fuere relegati, excidentes* ὑπερκοσμίῳ τῷ φωτὶ, *oppoſiti nunc filiis lucis, de quibus agit 2 Corinth. XI. 12. cum dæmonibus malis* (πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας.) *qui ſunt ſub cœlo in aëre, terra, aqua, in illis mundis materialibus & corporeis, ut loquuntur Chaldæi.* Ex his patet, *Gundlingium* his verbis domicilium & ſedem

ſedem malis Geniis propriam videri indicari Qua quidem in re conſentientes ſibi habet ex Patribus multos, quos *Petavius* affert in Dogmatibus Theologicis Tomo III. ubi de Angelis, lib. III. cap. 4. § 2. ſeqq. pag. 98. Confer nos ſupra ad II. 2. Accipe jam *Chryſoſtomi* locum, paulo ante promiſſum. Ἀρχάς τινάς φησι, καὶ ἐξουσίας καὶ κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου. ποίου σκότους; ἆρα τῆς νυκτὸς; οὐδαμῶς, ἀλλὰ τῆς πονηρίας. Ημεν γάρ, φησι, σκότος ποτὲ, οὕτω τὴν πονηρίαν λέγων τὸν ἐν τῷ παρόντι βίῳ. Οὐ γὰρ ἕξει περαιτέρω χώραν, οὐκ ἐν οὐρανῷ, οὐκ ἐν τῷ μετὰ ταῦτα αἰῶνι. Κοσμοκράτορας δὲ αὐτοὺς φησιν, οὐχ ὡς τοῦ κόσμου κρατοῦντας ἀλλ᾽ ὡς τῶν πονηρῶν ἔργων ὄντας αἰτίους. Οἶδε γὰρ κόσμον καλεῖν ἡ γραφὴ τὰς πονηρὰς πράξεις, ὡς ὅταν λέγῃ ὁ Χριςός. Ὑμεῖς οὐκ ἐςὲ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, ὥσπερ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου. Ἆρα οὖν οὐκ ἦσαν ἐκ τοῦ κόσμου, οὐχὶ σάρκα περιέκειντο; οὐ τῶν ἐν κόσμῳ ἦσαν. Vides, optimum doctorem τὸ σκότος accipere de malis operibus & hominibus, qui illis ſtudent, atque adeo talibus, in quos, quod paulo poſt addit, mali genii poteſtatem ſuam potiſſimum exſerant. Si quid ego video, Apoſtolus per *κόσμον* & *αἰῶνα locum* innuit, in quo mali dæmones operentur, & per σκότος mala illa, ad quæ excitare homines conentur. Affinis omnino noſtro locus eſt, qui ſupra II. 2. legitur: *κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος, τοῦ πνεύματος τοῦ νῦν ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας.* Quomodo mali illi genii in tenebris potiſſimum operoſos ſe præſtent, ex mente Judæorum, B. *Wagenſeilius* in notis ad *Sota* pag. 476. ex R. *Gedalia* in *Schalſcheleth bakkabbala* oſtendit. Rabbinos & Doctores Judæorum, quos Paulus ita abuſive, ex mente tamen & more gentis vocet, indicari exiſtimat *Schœtgenius* l. c. p. 790. Sicut enim in *Schabbath* fol. 67. 1. dicunt: *omnes Iſraëlitas eſſe filios Regum;* ita in *Gittin* fol. 62. 1. R. Ganifa introducitur duos Rabbinos alios ita ſalutans: *Pax vobis Reges.* Mihi quidem ad malos genios referenda hæc phraſis videtur. Confer ſupra ad cap. I. 21.

*πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας*] Dupliciter hæc accipi poſſunt, ut nempe vel *πνεύματα πονηρὰ*, *ſpiritus mali*, vel *πνευματικαὶ πονηρίαι*, *pravitates ſpirituales* intelligantur. Prius placuit ex veteribus *Chryſoſtomo* ad h. l. Ἀρχὰς, inquit, *καὶ ἐξουσίας φησὶ, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἐπουρανίων εἰσὶ θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι.* Ita quoque B. *Lutherus* noſter, ut alios taceam. Poſteriorem expoſitionem præfert *Theophylactus:* vide *Suicerum* Tomo II. p. 783. Eam vero etiam recentiorum plerique amplectuntur. Lege ex noſtratibus *Sebaſtianum Schmidium* ad h. l. *Franckium* loc. cit. p. 176. *Starckium* in Notis Selectis p. 148. & Rev. *Zeltnerum* in Gloſſa vernacula ad h. l. per geiſtliche Bosheit, vertentem Cl. *Elsnerus* p. 230. phraſin explicat ex aliis Græcorum & Latinorum locutionibus, quando illi quidem dicunt: *οἱ μάταιοι, οἱ χρηςοὶ τῶν ἀνθρώπων, τὸ τετυφωμένον τοῦ παιδὸς* pro *παῖς τετυφωμένος*; hi autem *amara curarum, aſperrima rerum* &c. qualia *Vechnerus* in Hellenolexia lib. I. p. 126. attulit. His poſitis *Elsnerus πνευματικὰς πονηρίας*

 non

non de *perverſis doctrinis, opinionibus & ſectis*, quæ *Heinſii* eſt ſententia, ſed de *ſpiritibus improbis* accipit, qui ita πονηρίαι nunc, ut antea ἐξουσίαι appellentur. Mihi quidem illi placent, qui πνευματικὰς πονηρίας innui cenſent, h. e. artes illas & fraudes callidas, quibus ἀρχαὶ & ἐξουσίαι ante commemoratæ, etiam in renatos utantur. Hæ ſunt illæ artes, quas Apoſtolus verſ. 12. μεθοδείας τοῦ διαβόλου, tanquam illarum Principis, dixit: hæc illa πεπυρωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ verſ. 16. ubi per πονηρὸν ſe refert ad πονηρίας illas πνευματικάς.

ἐν τοῖς ἐπουρανίοις] *in ſupracæleſtibus*. Cum vel τόποις vel χρήμασι ſubintelligi poſſit, patet, vel de *locis* vel de *rebus* hic ſermonem eſſe. Locos quidam intelligunt eos, qui aëre, tanquam cœli loco inferiore, comprehendantur. Ita ex veteribus *Hieronymus* & *Auguſtinus*; ex recentioribus *Beza*, *Eraſmus Schmidius*, *Hyperius*, *Crocius*, *Grotius* &c. Hos locos ſpectaſſe quoque videtur B. *Lutherus*, quando vertit: unter dem Himmel. Ubi videri poterat legiſſe: ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις. Neque tamen legit ita, ſed τὸ ἐν potius pro ὑπὸ accepit, τὰ ἐπουράνια vero pro locis ad cœlum aliqua ex parte pertinentibus. Ita *Altingius* quoque in Heptade IV. Diſſertat. 6. §. 46. Tom. V. Operum pag. 112. interpretatur per: *ſubcæleſtibus*, provocans ad vim præpoſitionis Hebr. על, cui reſpondeat ἐπὶ, *juxta*, ſecundum quam tum partem cœli ſuperiorem, ſeu convexam, tum inferiorem, ſeu concavam Geneſ. I. 23. denotet. Non negaverim, interpretationem illam locum habere poſſe. Cum vero *locus* malorum dæmonum per κόσμον & σκότος jam ſit indicatus, ceu ex ſuperioribus patet, non intelligo, quomodo Paulus illum iterum indicaſſe credi poſſit. Abſit vero per omnem modum, ut vocem ἐπουρανίοις in ὑπερουρανίοις convertamus, una ſcilicet literula mutata, quæ librariorum incuria Codices MSS. plures perreptare potuerit. Hoc ſuadere video *Gundlingium* loc. cit. p. 87. Non ſuffragatur codex ullus, nec verſio ulla. Vox ὑπερουράνιος à Scriptoribus Novi Teſtamenti nusquam adhibetur, quibus altera illa ἐπουράνιος frequens eſt, quemadmodum in hac ipſa epiſtola quinquies occurrit.

His præſtructis phraſin ἐν τοῖς ἐπουρανίοις de *rebus cæleſtibus* optime accipi poſſe exiſtimo. Quamvis enim hæc notio non ſit perpetua, quod nonnullos adfirmare video, aliquot tamen in locis omnino obtinet. Ita B. *Lutherus*: ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, ſupra I. 3. vertit in himmliſchen Gütern, & II. 6. in himmliſchen Weſen. Confer *Hebr.* IX. 23. Tantum vero abeſt, ut h. l. ab iſto ſignificatu abire neceſſe ſit, ut potius alterum illum multis modis vincat. *Objectum* ſcilicet *hic indicatur, in quo occupantur,* τὰς πονηρίας *ſuas exercendo, res nempe divinæ & ſupracæleſtes, quo ſenſu* καθ' ὑπέρβατον *ſuas hanc vocem Interpretes Græci ad ſuperiora retulerunt:* ἡ πάλη ἡμῖν ἐστιν ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, οὐ πρὸς αἷμα. *Sed ea transpoſitione non eſt opus, ſi cum Camerario aliisque ſtatuatur,* ἐναλλαγὴ τῆς προθέσεως, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *pro* διὰ τὰ ἐπουράνια, *ſcilicet* πράγματα, *nos de rebus cæleſtibus dimicamus.* Habes verba B. *Calovii* in Bibliis

bliis Illuſtratis ad h. l. Ita vero etiam *Chryſoſtomus* : τὸ γὰρ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἀντὶ τοῦ, ὑπὲρ τῶν ἐπουρανίων ἐστιν, οὐχ ἵνα αὐτοί τινος τύχωσι νικήσαντες, ἀλλ' ἵνα ἡμᾶς ἀποστερήσωσι, - - - τὸ ἐν, ὑπέρ ἐστι, καὶ τὸ ἐν διά ἐστιν. Per *bona* vero illa, ſeu *res cœleſtes*, de quibus nempe tenendis dimicandum eſt, intelligi fas eſt remiſſionem peccatorum, juſtificationem, υἱοθεσίαν &c. Hoc ſenſu φράσιν Pauli accipiunt ex noſtratibus *Dorſcheus* in Theologia Zachariana Parte I. pag. 151. *Glaſſius* in Exegeſi Evangeliorum Parte IV. pag. 956. *Franckius*, *Starckius* & *Zeltnerus* ll. cc. Similiter Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis ad h. l. & *Martinus de Roa* in Singularibus Scripturæ Tom. I. lib. 6. cap. 18. itemque *Witſius* Tom. I. Miſcell. Sacr. pag. 154. & 155. Ita vides, quam clare & efficaciter luctam à fidelibus ſuſcipiendam deſcribat. Rem ait eſſe non cum hominibus, ſed cum ſpiritibus malis, agi vero non de bonis externis & fluxis, ſed cœleſtibus, ſed ſpiritualibus, ſed æternis. Eadem eſt *Burgii* ſententia in Analyſi hujus epiſtolæ §. 25. qui tamen per inſigne ὑπέρβατον voces ἐν τ. ἐπουρανίοις ad verbum ἐστὶ refert hoc ſenſu: *Non enim nobis lucta eſt circa res has cœleſtes.*

Verſ. 13. Διὰ τοῦτο ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν] Vide ad verſ. 12. & *Elsnerum* pag. 231. Similes huic Judæorum phraſes habes apud *Schætgenium* in Horis Hebraicis pag. 792.

ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ] Vide Patres apud *Svicerum* Tom. I. pag. 1330. & *Schætgenium* l. c. pag. 792.

καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι] *Alexandr.* unus legit κατειργασμένοι, quod à *Vulgato* quoque per *perfecti* expreſſum videtur *Lucæ Brugenſi.* Atque ita legere maluiſſe credo recentem editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quando verbum στῆναι, tanquam ſuperfluum parentheſi includit. Temere omnino, cum particula καὶ ſatis indicet, adeſſe debere verbum στῆναι, quod priori antecedenti jungatur. Sine hoc enim ſi foret, τῷ, καὶ opus non eſſet. Proba quoque lectio eſt κατεργασάμενοι. Nam & hæc vox militaris eſt, *conficiendi*, ſeu *profligandi* & *ſternendi* ſignificatu pollens. Probavit id *Camerarius* ad h. l. ex *Xenophont.* Cyropædia lib. IV. p. 89. & *Thucydid.* lib. IV. Interim nihil neceſſe eſt, ut in hac *militem ſternendi* notione acquieſcamus, quod cum *Jo. d' Outrein* facere video *Almeloveenium* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. p. 240. Latius enim patere apparet ex voce πάντα illi juncta. *Conficere omnia* non ſolum *hoſtes proſternere* infert, ſed ad totam belli gerendi rationem ſpectat, quæ prudentiam, fortitudinem, laborum tolerantiam, aliaque plura requirit. Audis hic recte differentem *Raphelium* in Annotationibus Xenophonteis p. 264. Probat vero idem variis *Xenophontis* locis, v. c. ex Hiſtoria Græca lib. II. p. 356. ᾗ δὲ ἡμέρᾳ ταῦτα κατειργάσατο, *qua vero die hæc geſſerat*, ſeu perfecerat. Similes illis alios *Herodoti* apud eundem leges in Annotationibus Herodoteis p. 541. ſqq. *Lutherus* itaque feliciter expreſſit: daß ihr alles wohl ausrichten möget, inepte ideo notatus ab *Emſero*, *Zangero* & *Dietenber-*

*tenbergero*, qui malunt: daß ihr in allen Dingen beſtehet, als die vollkommene. Provocant illi quidem ad Vulgatum, *perfecti*, interpretantem. At *Cyprianus*, *Hieronymus*, *Ambroſius* imo & *Cornelius à Lapide* vertunt: *poſtquam omnia perfeceritis.* Quid, quod *Eraſmus* in *Vulgato* legi vult: *& omnibus perfectis ſtare?* Lege plura pro *Luthero* in *Balthaſaris Raithii* Vindiciis Verſionis Biblicæ pag. 536. Nec crediderim, aliud ſibi voluiſſe *Vulgatum*, quam quod *perficere* omnia debeant, & ea parte *perfectos* ſe præſtare milites. Itaque nec puto legiſſe *κατειργασμένοι*, quamvis & ipſa hæc vox activo ſenſu à Scriptoribus adhibeatur. Sic *Xenophon* pag. 372. *Ουτω δὲ προχωρούντων, Παυσανίας ὁ βασιλεὺς, φθονήσας Λυσάνδρῳ, εἰ κατειργασμένος ταῦτα ἅμα μὲν ἐνδοκιμήσοι, κ. τ. λ.* *Quum hic rerum ſucceſſus eſſet, rex Pauſanias, qui Lyſandro invideret, quod partim re bene geſta gloriam conſecuturus eſſet*, &c. Confer ad hoc comma *Mart. de Roa* in Singularibus Scripturæ lib. 6. pag. 202. & *Lydium* in Agoniſticis Sacris pag. 15. 18. & 36. ſqq.

Verſ. 14. *Στῆτε οὖν* ] *Τὸ οὖν*, in aliquot Codicibus deſideratum, omittit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, non recogitans, particula illa ad nexum orationis Paulinæ ideo opus eſſe, quod, cum Apoſtolus, antea generatim ad luctam ſeu pugnam ingrediendam & fortiter ſuſtinendam cohortatus, *πανοπλίαν* Dei commendarit ex difficultate ipſius negotii, jam neceſſe habuerit *conſectarii* loco eandem fortitudinem ſpiritualem denuo inculcare, commemoratis armis *ſpecialibus*, quæ requirantur. Diluta foret Pauli oratio, abſque *τῷ οὖν* ſi eſſet.

*περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν, κ. τ. λ.* ] *Claud. Sarravius* in Epiſtolis p. 166. ignorare ſe profeſſus, quomodo arma illa ſingula ad pugnæ illius ſpiritualis momenta accommodari poſſint, rem doceri vult à *Salmaſio*. Thracum milites pleriſque, quæ hic appellantur, armis munitos, à *Plutarcho* in Vitis Parallelis Tomo II. edit. Londinenſis nuperæ in Æmilio Paulo pag. 168. deſcribi video: *πρῶτοι δὲ οἱ Θρᾷκες ἐχώρουν ὧν μάλιστά φασιν ἐκπλαγῆναι τὴν ὄψιν ἄνδρες ὑψηλοὶ τὰ σώματα, λευκῷ καὶ περιλάμποντι θυρεῷ, καὶ περικνημίδων ὁπλισμῷ, μέλανας ὑπενδεδυμένοι χιτῶνας, ὀρθὰς δὲ ῥομφαίας βαρυσιδήρους ἀπὸ τῶν δεξιῶν ὤμον ἐπισείοντες.* *Homerus* Iliad. γ. Menelaum & Paridem eadem ratione armatum deſcribit adeo, ut Paulus eum imitari viſus ſit *Dieterico* in Antiquitat. Biblicis Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 389.

*περιζωσάμενοι τὴν ὀσφὺν* ] *circumcincti lumbos veſtros*, ſeu *lumbis circumcinctis.* Ad ſervos, vel viatores, vel milites, vel denique Athletas forte alludi exiſtimat *Steph. le Moyne* ad Var. Sacr. pag. 315. Athletas inprimis nudos certaſſe ait, quod fieri nolit Apoſtolus. At Agoniſtas cingulo cinctos etiam fuiſſe veterum locis probat *Petrus Faber* in Agoniſticis lib. II. c. 2. *Bayfius* de re veſtiaria cap. 20. vertit *ſuccinctos ſubligaculo*, vel *ſuccinctos* ſimpliciter; ſine baltheo addito, cum lumbis nihil commune ſit cum baltheo.

Græci

Græci alias τὸ ζώννυσθαι, ſeu *accingi* pro *armari* dicunt. Ita *Homerus*: Iliad 11.

Ἀτρείδης δ' ἐβόησεν, ἰδὲ ζώννυσθαι ἄνωγεν
Ἀργείους.

& *Theocritus* Idyll. 16.

Ἐν δ' αὐτοῖς Ἱέρων προτέροις ἴσ☉ ἡρώεσσι
Ζώννυται.

*Euſtathius* ad *Homeri* locum τὸ ζώννυσθαι reddit ὁπλίζεσθαι. *Pauſanias* in Bœoticis ita: τὸ δὲ ἐνδῦναι τὰ ὅπλα ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ ζώσασθαι, καθοπλίζεσθαι. Ex adverſo ἀποζώννυσθαι dicebant milites, qui zona privabantur, ſeu exauctorabantur auctore *Herodoto* lib. II. Confer *Doughtæi* Analecta Novi Teſtamenti pag. 129. & *Lydium* de re militari lib. III. c. 6. p. 77. ſq.

καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα] θώρακας Cyrus apud *Xenophontem* per appoſitionem vocat ἐρύματα τῶν σωμάτων, *munimenta corporum*, Cyropæd. lib. IV. pag. 80. B. *Lutherus* vertit Krebs, pro quo *Emſerus* &c. malunt Panger. Vide tu *Raithium* in Vindiciis p. 537. Ad integrum comma inſpice *Arrowſmithum* in Tacticis Sacris lib. II. p. 89. ſqq. Cur Apoſtolus *thoracem* cum *juſtitia* potius quam *veritate* comparet, oſtendit *Jo. d' Outrein* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. p. 241. in notis. Veritatis ſcilicet mentio jam ante facta eſt, & *juſtitia* Chriſti præcipue nobis per fidem imputata thoraci, cor & pectus adverſus quævis tela & ictus munienti, egregie reſpondet.

Verſ. 15. Καὶ ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας] De *calceis* ſeu ocreis militaribus lege huc *Picinellum* pag. 709. & alios mox citandos.

ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου] Promtitudinem prædicandi Evangelii æque hic innui, ad exemplum ὑποδέσεως, ſeu calceationis Iſraëlitarum, ex Ægypto abiturientium, exiſtimat *Joannes Henricus Reizius* in notis ad Goodvvini Moſen & Aaronem pag. 223. Lege alios idem ſentientes apud *Bynæum* de Calceis Hebræorum lib. I. cap. 5. pag. 64. ſq. Ipſe vero cum *Beza* aliam ingreditur viam, & phraſin hanc ita verti vult: *calceati pedes fundamento, ſive baſi Evangelii pacis*, i. e. firma & ſolida cognitione Evangelii, quæ quaſi inſtar *caligarum* ſit, quas Paulus hic, alioquin ad panopliam neceſſarias, omiſerit. Ad ſenſum hunc firmandum utitur τοῖς LXX. qui verbum Hebr. כון per ἑτοιμάζειν paſſim converterint. Jam vero τὸ כון non ſolum *præparare*, ſed etiam *firmare* ſignificat, ſicut מכון, quod iidem reddunt ἑτοιμασίαν, *baſin* & *fundamentum* indicat, ut *Eſr.* II. 68. & III. 3. Eadem eſt ſententia *Alexandri Mori* pag. 167. & *Colomeſii* pag. 160. Ex noſtratibus vero B. *Gothofredi Olearii* in Prælectionibus MSS. & *Amelii* Parte I. der Erörterung pag. 925. & in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 210. Vix dubito in has partes concedere, cum Apoſtolus h. l. arma ſpiritualia enumeret, quæ omnibus & ſingulis credentibus neceſſaria ſint, & non tam ad aliorum, quam propria commoda provehenda faciant. Jam vero non ſingulorum erat, nec eſſe poterat

 prædi-

prædicatio Evangelii proprie ſic dicta. Vide plura de allegorica hac locutione apud *Lydium* in Agoniſtic. pag. 43. & *Lomeierum* in ſuis ad illum acceſſionibus, *Joannem d' Outrein* in commentario ad Parabolam de filio prodigo & in Obſervationibus Miſcellaneis pag. 187. & *Arrovvſmith* in Tacticis Sacris pag. 141. ſq.

Verſ. 16. ἐπὶ πᾶσιν] Alias gignendi caſus πάντων heic adhiberi ſolet. Neque tamen dativi exempla deſunt. Sic *Thucydides* VII. pag. 467. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἄλλοις καὶ τοὺς ἀντιστρατήγους κομίσαι Λακεδαιμονίοις, & *Æſchines* in Cteſia pag. 68. καὶ ἐπὶ τούτοις ὅρκον ὤμοσαν ἰσχυρόν. Confer *A. Blackvvall* in Sacris Claſſicis Tom. II. pag. 176.

ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως] Sic *Plutarchus* μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν pag. 217. obſervante Cl. *Elsnero* pag. 231. qui τὸ ἀναλαμβάνειν de aliis etiam armis bellicis adhiberi oſtendit, eademque opera caſtigat *Thomam Magiſtrum* & *Phrynichum*, quorum judicio idonei auctores θυρεὸν in ſignificatu ἀσπίδος non adhibuerunt. In contrariam ſententiam videri jubet *Polybium* lib. VI. cap. 21. & *Dionyſium Halicarnaſſeum* lib. II. Antiquit. pag. 106. Aliorum loca ſimilia affert Cl. *Alberti* pag. 374. & ſimul monet, diſcrimen tamen fuiſſe inter θυρεὸν & ἀσπίδα, ita ut θυρεὸς *ſcutum* oblongum, ἀσπὶς autem, ſeu *clypeus* formam orbicularem ſeu rotundam referret, quam in rem compara *Elsnerum*, aliqua ex parte diſſentientem. Comparari is de diſtinctione clypei & ſcuti vult *Turnebi* Adverſaria lib. II. cap. 27. & *Pitiſcum* in Lexico. His addidero *Ezechielem Spanhemium* ad Juliani Orationem pag. 241.

τὰ βέλη τὰ πεπυρωμένα] Latine dicuntur *malleoli* ſeu *falaricæ* & frequenter à veteribus commemorantur. *Polybii* & *Herodoti* locos habes apud *Raphelium*, aliorum vero apud *Elsnerum* pag. 232. quando nunc βέλη πυρφόρα, nunc πυρφόρα τοξεύματα, nunc πυρφόρους οἰστοὺς afferunt. Imo βέλη πεπυρωμένα ſunt apud *Apollodorum* Bibliothec. lib. II. pag. 111. Πυρφόρων σαγιττῶν meminit *Leo* Imperator in Tacticis cap. XV. §. 27.

Hæc vero tela ita comparata erant, ut incendium excitare poſſent in urbibus muris aut machinis, quibus immittebantur. Lege de illis *Iſaac. Caſaubonum* ad Æneæ Tactica pag. 103. ubi inter cetera hæc habes: *Latini malleolos dixerunt compoſitionem certam rerum aptarum ignem concipere: nam ut Cicero etiam docet pro Milone, & alibi, ad incendia malleoli componebantur. Fiebant variis modis: aliquando ſine arte ſtuppas, ſpartumve, aut ſimilem materiam in liquefactam picem ſulphurve intingebant, & colligatum faſcem jaciebant. Nonius: malleoli ſunt manipuli ſpartei, pice contecti, qui incenſi aut in muros, aut in teſtudines jaciuntur. Sed & alii fuerunt malleoli, ad quorum confectionem plus adhibebatur artis: concinnabantur enim ad inſtar ſagittæ, ut ait Vegetius. Ammianus ita deſcribit in digreſſione de machinis Poliorceticis lib. XXIII. Malleoli teli genus: figurantur hac ſpecie: ſagitta eſt cannea inter ſpiculum & arundinem multifido ferro coagmentata, quæ in muliebris coli formam, quo nentur lintea*

*lintea ſtamina, concavatur, ventre ſubtiliter & plurifariam patens, atque in alveo ipſo ignem cum aliquo ſuſcipit alimento, & ſic emiſſa lentius arcu invalido (jactu enim rapidiore exſtinguitur) ſi hæſerit usquam, tenacicer cremat &c.* Alia de his ex veterum monimentis tradunt *Lydius* in Agoniſticis pag. 45. & de re militari pag. 119. & 315. *Arrowſmith* in Tacticis Sacris pag. 168. Lexicon Fabro-Cellarianum voce *Phalarica* & *Falarica*, item *Pitiſci* Lexicon Antiquitatum Romanar. *Lipſius* in Poliorceticis lib. V. Dialog. II. *Ezech. Spanhemius* ad Julii Orationes p. 193. *Lamb. Bos* in Animadverſ. ad Scriptores Latinos cap. IV. p. 19. *Jo. Georg. Michaelis* in Bibliothec. Bremenſi Claſſ. VIII. p. 763. ſqq. & noviſſime *Chriſtian. Ludovic. Schlichterus* in Decimis Sacris p. 110. ſqq. Atque hic quidem à *fulminibus* phraſin hanc repetitam credit, quæ cum ſagittis in Scriptura Sacra & ab externis quoque Scriptoribus comparari ſoleant. Confer *Lampii* Exercitat. ad Pſ. XLV. Exercit. V. §. 28.

Sunt qui hic de telis *venenatis* cogitarunt. Inter hos eſt *Hammondus* & Anonymus Anglus in Annotationibus Latinis ad h. l. qui *tela veneno tincta* vertit, *tanquam quod ignis inſtar corpora adurat.* Sed longius hoc petitum eſſe alii recte agnoverunt, quibus de telis veterum vere ignitis, & igni excitando aptis, conſtitit. Interim & hoc ſagittarum genus veteribus receptum fuiſſe, oſtenderunt *Lælius Biſciola* in Horis Subſecivis Tom. II. lib. 13. cap. 7. *Hugo Grotius* de Jure Belli & Pacis lib. III. cap. 4. *Lydius* de re militari lib. III. cap. 9. pag. 118. & *van Till* in Supplementis ad illum ſuis p. 44. ſqq. *Fabrettus* ad Columnam Trajani pag. 13. & *Jo. Georg. Michaelis* l. c. pag. 765. ſq. qui contendit, Apoſtolum h. l. nec ad *venenata* tela, quæ improprie *πεπυρωμένα* vocarentur, nec ad *glandes, à funditoribus mitti ſolitas, quæ ipſo motu ardeſcebant,* quæ *Grotii* ſententia eſt, reſpexiſſe.

Quæ ut rectiſſime traduntur, ita vereor, ut multos inventurus ſit vir doctus, quibus reliqua ejus cogitata arrideant. Exiſtimat enim p. 778. Apoſtolum credentes ſcuto fidei non adverſus quaſcunque tentationes peſſimi illius genii armatos eſſe velle, quæ in imaginationem, imo animum ipſum altius demittantur; ſed ad ſpecialiorem quandam luctam, qua Eccleſia Epheſina tunc temporis agitabatur, vel, quæ ipſam haud ita multo poſt manebat, reſpexiſſe. Hanc vero luctam collocat in certamine adverſus Philoſophorum & ſpeciatim *Apollonii Tyanei*, qui magicis artibus inter Epheſios aliquo tempore poſt clarus exſtiterit, fraudes ſuſcipiendo. Sapienter hoc ipſum monuiſſe ait *Salom. van Till* in Opere Analyt. Tom. II. p. 595. ſq. quando ait: *Quidni Paulus in ſpiritu prævidiſſe putandus eſt τέχνας* Apollonii Tyanæi *Philoſophi, atque ſtupendis artibus Magicis celeberrimi, qui dudum egit inter Epheſios* &c. Confer tu eundem *Tillium* in Iſagoge in Epiſtolam ad Epheſios commentario ejusdem præmiſſa, p. 183. ſq. Mihi quidem non fit veriſimile, Paulum hujus hominis, tum temporis nondum in aliqua celebritate verſantis, conatus ſpeciatim ut cavendos propoſuiſſe, quando de variis malorum dæmonum artibus diſſerit, inprimis, cum perſuaſum mihi habeam, pleraque eorum, quæ *Philoſtratus* & alii

de

de eo poſtea tradiderunt, commentis in fraudem Chriſtianæ religionis venditatis, contineri.

σβέσαι] Quæritur hic, quomodo ſcuta ignem exſtinguere dici poſſint? Cl. *Elsnerus* pag. 232. hanc reddit rationem: quod *ſcuta fierent ex coriis bubulis, quorum in incendiis per πυρφόρα excitatis olim inſignis erat hodieque eſt uſus; facile enim*, ita pergit, *præſertim ſi aqua aut aceto macerata eſſent, flammas exortas reſtinguebant.* Vide *Æneæ* Poliorcetica cap. 33. & 34. & adde *Raphelii* Annotat. Polybian. pag. 550. Sed, quod pace illorum dixerim, propior ratio exſtinctionis illius reddi poſſe videtur ex diverſa *ſcutorum* quod ad materiam, ex qua fieri ſolebant, conditione. *Perſarum* v. c. ſcuta erant *viminea*. Teſtis eſt *Ammianus* lib. XXIV. cap. 10. *obtecti ſcutis, vimine firmiſſimo textis, & crudorum tergorum denſitate veſtitis:* confer ibidem cap. VI. Talia etiam erant *Parthorum*, quod oſtendit *Valeſius* ad Ammianum l. c. imo & *Germanorum*, de quibus *Tacitus* Annalium lib. II. cap. 14. *ne ſcuta quidem ferro nervove firmata, ſed viminum textus, ſed tenues & fucatas colore tabulas.* Longe vero alia erat ratio clypeorum, quibus Græci & Romani utebantur. Illi enim vel *ærei* erant, vel, ſi ex corio bubulo confecti, *ære* tamen obducti. Ideo χαλκήλατοι aut χαλκόνωτοι aut χαλκόδετοι ſeu *ærati* ab *Æſchylo* Sept. Theb. v. 166. & *Euripide* Troad. v. 1136. imo & πάγχαλκοι ab *Æſchylo* l. c. v. 545. appellantur. Firmata hæc autorum teſtimoniis leges è *Lipſio* lib. III. Dial. II. ab *Ezech. Spanhemio* in egregiis notis, quibus hæc inprimis debeo, ad *Juliani* Orationes p. 193. & *Lydio* de re militari lib. III. cap. V. p. 69. ſq. Atque ad hæc Græcorum Romanorumve ſcuta Paulus procul dubio animum intendit. Hæc enim ut *ærea* vel *ære* ſaltem obducta, imo interdum etiam *aurea* (vide *Lydium* l. c. p. 69. & *Fortunat. Scacchum* III. 22. Myrothecii) erant, ita vehementiſſimam ignis vim ad incendium vel conflagrationem non admittebant, telis vel contractis, vel retuſis, atque adeo, ſi effectum fruſtratum ſpectes, exſtinctis. Vides, quam egregie fides cum ſcuto ejusmodi comparetur. Ea enim eſt, quam ratione firmitatis & ſoliditatis cum auro comparat *Petrus* 1 ep. I. 7. ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου εὑρεθῇ. Qui hæc expenderit, non facile quæſiverit alia, ad quæ Apoſtolus reſpexiſſe videri poſſet. Ita B. *Theod. Daſſovius* in diſſert. ad tit. *Celim.* §. 10. & diſſ. II. de Emphaſi Vocum Sacrarum p. 19. ex Hebræorum ſcutis, oleo inunctis, ut ſagitta, quæ illa feriret, & glabritiem penetrare non poſſet, phraſin hanc petitam arbitratur. Longius adhuc à ſcopo abit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra poſt *Grotium* מגן דוד ſive *ſcutum Davidis* huc advocans, quo ſuperſtitioſi Judæi flammarum rabiem compeſcere ſe poſſe opinantur. Longiſſime remotus eſt *Samuel Bochartus*, quando Apoſtolum alluſiſſe putat ad ardentes ſerpentum morſus, quorum venenum ſive ἰὸν σβέσαι dicantur, qui illis mederi conſueverint. Vide eum Parte II. Hierozoici lib. III. c. 6. p. 386. edit. Leidenſis. Non magis hoc veri ſit ſimile, quam quod idem tradit, Paulum ad prooemium carminis de Lapidibus,

quod

quod Orpheo tribui ſolet, palam alluſiſſe. Confer præſtantiſſimi *Fabricii* noſtri Bibliothec. Græc. lib. I. cap. 18. pag. 115. Non putem etiam audiendum eſſe *Chryſoſtomum* aut alios Patres, qui βέλη πεπυρωμένα de ἐπιθυμίαις πονηραῖς ſpeciatim interpretantur, tanquam ignitis ſeu ferventibus. *Theodoretus* rectius Apoſtolum hoc nomine uſum eſſe obſervat, ut διεγείρη τοὺς στρατιώτας, καὶ κελεύη ἀσφαλῶς περιφράττεσθαι. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 679. qui Tom. II. pag. 807. ex iisdem Patribus oſtendit, cur Diabolus hic nomine πονηροῦ κατ᾽ ἐξοχὴν vocetur.

Verſ. 17. Καὶ τὴν περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου δέξασθε] Per *galeam ſalutis* intelligi ſpem ſalutis æternæ obtinendæ patet ex 1 *Theſſalonic.* V. 8. Hanc πληροφορίαν fuſe ediſſerit *Arrowſmith* in Tacticis Sacris lib. II. cap. 9. pag. 178. ſeq. *Sicut enim*, inquit, *galea tegitur caput, atque ita protegitur, ut ab ictibus alias mortiferis minime lædatur; ita ſalutis certitudo militis Chriſtiani animum ab utriusque mali inſultu pernicioſo illæſum præſtat, & incolumem. Malum pœnæ ſi infligatur, facit iſta galea, ne ſuccumbat, imo facit interdum, ut lætetur. —— Sin ad malum culpæ tentatio ſuboriatur, ab eo ſibi cavebit optime, qui de ſua ſalute certiſſimus eſt.* De galeis veterum, totam faciem oculis tenus tegentibus, lege *Heliodorum* lib. IX. pag. 431. & *Arrianum* inter *Tacticos* pag. 77. quorum loca affert *Ezechiel Spanhemius* ad Juliani Orationes pag. 250. ſq. & *Caſpar Barthius* Adverſariorum lib. XXII. cap. 14. *Criſtis* ſive *tutulis* conſpicuæ eſſe ſolebant, ideoque *criſtatæ* appellabantur: imo gloſſarium vetus, quod *Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 113. affert, *Chriſtam* per περικεφαλαίαν vertit. Lege de illis criſtis *Athanaſium Kircherum* in Oedip. Ægypt. Tom. II. p. 26. *Cornua* etiam in terrorem referebant. Inſpice *Ezechielem Spanhemium* de Vſu & præſtantia Numiſmatum pag. 367. editionis ſecundæ in 4to. Cur *galeam* ultimo fere loco aſſerat Apoſtolus, oſtendit *Almelovenius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 242.

καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος] Vide huc *Arrowſmithum* l. c. cap. X. pag. 206. ſqq. Patrum de ea cogitata leges apud *Suicerum* Tom. II. pag. 322. Conjunxit omnia, quæ de ratione ipſius φράσεως dici poſſunt, *Theophylactus* pag. 570. Ητοι, inquit, τὸ πνεῦμα αὐτό φησι μάχαιραν πνεύματος περιφραστικῶς ἢ τὴν πνευματικὴν πολιτείαν δι᾽ ἧς ἡ κεφαλὴ τοῦ δράκοντος τέμνεται, ἢ ἁπλῶς μάχαιραν πνεύματος, τὴν ἐν πνεύματι σοφίαν. Μάχαιραν gladium longiorem ſeu graviorem, quali Galli olim ad militiam uſi ſint, indicare oſtendit *Spanhemius ad Callimachi* hymnum in Delum verſ. 172. quem & leges ad *Juliani* Orationes pag. 241. Adde Vol. I. harum Curarum pag. 384. item *Picinellum* pag. 709.

Verſ. 18. *Διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι, κ. τ. λ.*] Et hæc illuſtrat *Arrowſmith* l. c. lib. III. cap. 1. pag. 222. ſqq.

*ἐν Πνεύματι*] Ad Spiritum Sanctum & ipſum hominis animum hoc referri poteſt. Ita egiſſe video *Arrowſmithum* pag. 240. ſeq. *Si ad ſpiritum noſtrum*, inquit, *referatur, indicat, orandum eſſe:* 1) animitus, 2) ardenter & 3) ſcienter. *Sin ad Spiritum Sanctum (uti ſaltem ex parte ſi non ex ſolido referri debent) indicant, quam neceſſarium ſit Spiritus Sancti auxilium efficax ad formandas orationes Summo Numini placituras, & quam apte apud Prophetam Zachariam* Spiritus gratiæ & ſupplicationis *indigitetur.* Confer *Rom.* VIII. 26. *Hombergius* pag. 302. ad animum hominis tantum ſpectare vult, quando vertit: *intra vos, apud vos.* Pro ſua ſententia afferre poterat, quod V. 19. legitur: *ἐν καρδίᾳ.*

*καὶ εἰς αὐτὸ τοῦτο ἀγρυπνοῦντες*] Τὸ, *τοῦτο* omittunt pauci aliquot Codices & Patres, exemplo Vulgati verba hæc citantes. Itaque *Millius* in Prolegomenis à lectore aliquo repetit, & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani parentheſi includit, tanquam omittendum. Temere hoc factum eſſe dubitari non poteſt. Frequens Paulo eſt. φράσις *αὐτὸ τοῦτο.* Vide *Rom.* IX. 17. XIII. 6. *2 Corinth.* V. 5. VII. 11. *Galat.* II. 10. *Epheſ.* VI. 22. *Coloſſ.* IV. 8. Eadem vero pro ea, qua precum ſtudium commendat, ſingulari efficacia uſum eſſe patet.

Verſ. 19, *Ἵνα μοι δοθείη*] Codices aliquot legunt *δοθῇ*, quod in contextum recepit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ignorans forte, utramque verbi formam Græcis in ejusmodi loquendi ratione receptam eſſe. Sic paulo poſt v. 22. *ἵνα γνῶτε.*

*λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου ἐν παῤῥησίᾳ*] *ad apertionem oris mei cum libertate.* Hebræi & Græci Novi Teſtamenti Scriptores ſæpe dicunt *ἀνοίγειν στόμα.* Vide v. c. Pſalm. LXXVIII. 2. & *Jobi* XXXII. 20. Ita *Matthæus* V. 2. ubi lege, quæ ſcripſi, eo conſilio, ut pateret, nec externis Scriptoribus hanc φράσιν inſuetam eſſe. Hoc loco *ἄνοιξις τοῦ στόματος* occurrit, quam Judæorum Magiſtri, פתחון פה, dicunt in *Bereſchith Rabba*, Sect. I. & alias. Confer *Ludovicum Cappellum* in Spicilegio notarum ad h. l. pag. 112. & in Operibus Poſthumis pag. 13.

*γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ Εὐαγγελίου*] *ut notum faciam myſterium Evangelii. Hombergius* pag. 302. φράσιν hanc totam, ſublato commate proxime antecedente, conjungi vult cum verbis proxime antecedentibus: *ἵνα μοι δοθείη λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματός μου γνωρίσαι* &c. ut ſic *λόγος ἐν ἀνοίξει* &c. idem ſit, quod *ἐν παῤῥησίᾳ γνωρίσαι.* Rationem ſententiæ hanc affert, quod Paulus amet *ταυτολογίας*, quam in rem conferri vult *Coloſſ.* IV. 3. Accipie-

cipiemus oblata. Nam ipſe hic locus ταυτολογίαν illam amolietur. Apoſtolus ab Epheſiis petit, ut ſibi expetant à Deo facultatem cum parrheſia loquendi, & finem addit, in quem hæc facultas tendere debeat. Jam vero aliud eſt *donum* illud, aliud *finis*, cui obtinendo adhiberi id oporteat. Eadem ratione *Coloſſenſes* vult pro ſe precari: ἵνα ὁ Θεὸς ἀνοίξῃ ἡμῖν θύραν τοῦ λόγου, λαλῆσαι τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ. Ἵνα φανερώσω αὐτὸ, ὡς δεῖ με λαλῆσαι. Atque ex his verbis: ἵνα ἀνοίξῃ ἡμῖν θύραν τοῦ λόγου, intelligitur, quid h. l. Paulus ſibi velit, quando ait: ἵνα μοι δοθείη λόγος ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος, h. e. ut occaſio ſibi detur ſermonem expedite & libere faciendi. Carcere enim detentus tunc forte verebatur, ne ſibi illa facultas, qua adhuc gaviſus erat, myſteria cœleſtia aliis, ad ſe adventantibus, pandendi, adimeretur. Taceo, παῤῥησίᾳ, quam ſibi expeti vult Paulus, inprimis opus fuiſſe Paulo, cui religionis cauſa, ut captivo, cum animi præſentia erat dicenda. *Starckius* pag. 149. Notarum Selectarum in eo cum *Hombergio* facit, quod στιγμὴν poſt, ἐν παῤῥησίᾳ, tolli cupit.

τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου] Myſterium hoc *Lockius* ad h. l. de illa Evangelii doctrina accipit, quæ Gentilium vocationem ſpectat. Sed precario hæc ita dici, recte monet Anonymus Auctor libelli Anglicani, ſub titulo: *Remarcks on ſome Books*, Lond. 1709. 8vo editi, pag. 169.

Verſ. 20. Ὑπὲρ οὗ πρεσβεύω ἐν ἁλύσει] *Knatchbullo* judice verbum πρεσβεύω idem eſt, quod *ſeneſco*. Provocat is ad epiſtolam Philemoni inſcriptam verſ. 9. ubi Paulus πρεσβύτην ſe appellat, i. e. *ſenem*. At ipſe ille locus non probat, ad quod probandum affertur. Ait enim: πρεσβύτης, νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Senex, nunc vero etiam vinctus Jeſu Chriſti.* Ibi ſenium ſuum diſtinguit à vinculis, quibus detineatur. Neque ſeneſcere dici poterat Paulus in vinculis, cum illis non ita diu eſſet captus. Taceo, πρεσβύτην forte h. l. inferre *ductorem*, quo ſenſu occurrit *Num.* X. 31. quæ ſententia eſt Cl. *Oederi* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 661. Ita πρεσβῦτις matronam infert non tantum, aut præcipue, reſpectu provectæ ætatis, ſed inprimis auctoritatis, qua in alias pollebant. Vide *Suicerum* Tom. II. Theſauri pag. 829. Obſtat præterea nexus ſermonis Paulini. Expeti ſibi ab Epheſiis cupiebat & facultatem & παῤῥησίαν prædicandi Evangelii. Jam rei rationem addit eam, quod illius cauſa πρεσβεύῃ ἐν ἁλύσει, h. e. *legatione fungatur etiam vinctus.* Nonne hoc ad rem accommodatius eſt, quam ſi de *ſenio* hic cogitemus? Apoſtolus vero etiam alias verbo illo in eodem ſignificatu utitur 2 *Corinth.* V. 10. Nec inſueta phraſis eſt externis Scriptoribus v. c. *Æliano* Var. Hiſtor. XIV. 39. πρεσβεύειν ὑπὲρ εἰρήνης, & lib. I. cap. 21. ὑπὲρ τῆς πατρίδος. quæ loca Cl. *Elsnerus* affert pag. 233. Lege contra *Knatchbullum* diſputantem *Jac. Nyloë* in Schriftuurlyck Licht pag. 32. ſeq. Ex his manifeſtum quoque fit, *Hombergium* præter rem ita hæc vertiſſe pag. 303. *præcipuus ſum,*

*primus ſum, cenſeor in vinculis.* Patres quoque *legati* notionem hic tenuiſſe conſtabit ex *Suicero* Tom. II. pag. 251. Ceterum de his Apoſtoli catenis dictum eſt in Prolegomenis ad inſcriptionem epiſtolæ.

Verſ. 21. Ἵνα δὲ εἰδῆτε καὶ ὑμεῖς τὰ κατ' ἐμὲ ] *Ut vero etiam vos ſciatis res meas.* Hæc enim notio eſt φράσεως τὰ κατ' ἐμέ. Ita *Herodot.* lib. VII. pag. 491. Ἀρχεῖοι δὲ λέγουσι τὰ καθ' ἑαυτοὺς γενέσθαι ὧδε, & *Polybius* pag. 998. οἱ δὲ περὶ τὸν Ἀγαθοκλέα βλέποντες ἤδη τὰ καθ' αὑτοὺς, *Agathocles, quo res ſuæ loco ſtarent, intelligens.* Vide *Raphelium* & *Elsnerum* aliorum locos ſimiles producentem, pag. 234.

τί πράσσω ] Verti hoc poteſt, cum *Beza* & *Eraſmo Schmidio : quid agam.* Confer *Rom.* VII. 19. & *Actor.* V. 35. Atque ſic acceperunt B. *Lutherus*, Interpretes *Belgæ* & alii. Similiter Græci dicunt τὰ δέοντα πράττειν, εὖ πράττειν. Latius tamen hæc phraſis alias patet, atque idem vult, quod Latini dicunt, *qua ſorte utar.* Oſtenderunt id poſt *Budæum* in Commentariis Græco-Latinis pag. 163. *Perizonius* ad Æliani Var. Hiſtor. II. 35. ad noſtrum locum *Elsnerus* pag. 234. & *Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. p. 975. Ita *Epictetus* ad Arrianum lib. I. cap. 19. τί πράσσει Φηλικίων, ὁ ἀγαθός; *quæ eſt optimi Felicionis conditio?* Priorem interpretationem equidem malim, ut ſic Paulus per τὰ κατ' ἐμὲ, *rerum ſuarum conditionem*, per, τί πράσσω autem, quæ ipſe in carcere *agat*, à Tychico diſertius exponenda innuat. Germani dicunt: wie gehts ihm, was macht er?

πάντα ὑμῖν γνωρίσει ] πάντα deeſt in Codicibus duobus & verſione *Syriaca.* Ideo *Millio* repetitum videtur ex Coloſſ. IV. 7. τὰ κατ' ἐμὲ πάντα γνωρίσει; imo recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ulterius progreſſus ex contextu expungendum cenſuit. Quaſi vero Paulus non utrinque eadem phraſi uti potuerit, nec potius epiſtola ad *Coloſſenſes* cum hac ad *Epheſios*, quod ad argumentum & dictionem egregie conſpiret! Imo Paulus ita h. l. ſcripſiſſe omnino cenſendus eſt, quod in hac epiſtola verbum γνωρίζω cum accuſativo rei ſemper & tribus vicibus conjungit. Vide I. 9. III. 3. VI. 19.

Τυχικὸς ] de hoc lege Interpretes ad *Actor.* XX. 4.

Verſ. 24. ἐν ἀφθαρσίᾳ ] Hoc alii referunt ad χάριν cum *Beza*, qui ideo vertit *ad immortalitatem.* Sed hoc vix præpoſitio ipſa ἐν, quæ pro εἰς poſita exiſtimari debeat, multo minus trajectio non neceſſaria admiſerit. Alii proxime jungi volunt vocibus Ἰησοῦν Χριστὸν, ita quidem, ut hic *in incorruptibilitate*, h. e. in ſtatu glorioſiſſimo & immortali, quamvis ante morti pro hominibus traditus, eſſe dicatur. Hoc vult *Hermannus Reiners* in Bibliotheca Bre-

Bremenſi Claſſ. III. pag. 972. Jam quidem Paulus alias corporibus, gloria indutis, ἀφθαρσίαν, h. e. *immortalitatem* tribuit 1 *Corinth.* XV. 42. &c. Sed ſicut eo loco argumentum ipſum, de quo agitur, hanc notionem voci vindicat; ita nihil eſt, quod heic loci eam amplecti jubeat, quando de amore Chriſti agitur. Aliæ enim omnino cauſæ ſunt, quas Sacri Scriptores ad illum in animis excitandum afferre ſolent, quam glorioſus Chriſti θεανθρώπου ſtatus. Itaque rectius agunt, qui τὸ ἐν ἀφθαρσίᾳ ad τῶν ἀγαπώντων proxime ſpectare cenſent. Illi autem vertunt, vel *conſtanter*, ut *Grotius*, vel *perpetuo*, ut *Eraſmus Schmidius*, præeunte B. *Luthero* noſtro, unverrückt, vel *ſincere*, ut *Deſiderius Eraſmus*. Perinde fuerit, utrum eligas. Malim tamen prius. Idem eſt, ac ſi Paulus ſcripſerit ἀφθάρτως, quomodo interpretatus eſt Scholiaſtes Græcus. Vide, quæ pro hac ſententia dixerunt *Schmidius* & *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, & compara *Tit.* II. 7. *Lockius* integritatem & puritatem doctrinæ hic innui cenſet, quæ ab omni miſtione Evangelii & Legis ſarta tectaque ſervari debeat. Non inconvenienter quidem, ſed ad hunc locum minus accommodate, quando de amore in Chriſtum præcipitur. Superiore commate verſ. 23. de illa doctrinæ puritate rectius cogitatur, ubi Paulus Epheſiis *pacem* & *amorem* DEI in ipſos adprecatur, μετὰ πίστεως, *cum fide*, tanquam per quam pax illa & amor DEI in nos derivatur.

πρὸς Ἐφεσίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης ] Vide in Prolegomenis.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

QUæ aditum ad hanc epiſtolam munire in univerſum poſſunt, ea præ ceteris occupavit *Salomon van Till* in Iſagoge ad hanc epiſtolam, quam commentario in eandem ſuo, una cum illo in 1 ad Corinthios, Epheſios & Coloſſenſes Amſtelodami 1726. 4. Latine edito, præmiſit. In ea enim præter Topographicam civitatis deſcriptionem ſtatum gentium earumque idololatriam inter Philippenſes, ſtatum Judæorum inter eosdem, ſtatum Chriſtianiſmi, circumſtantias item, occaſionem, ſcopum & argumentum epiſtolæ ſcriptæ, denique vero Analyſin ejusdem exhibet. Spicilegium itaque poſt meſſem facere nobis ſuffecerit.

De urbe Philippenſium, quæ *Actor.* XVI. 12. colonia Romanorum vocatur, commentatur *Stephanus le Moyne* Tom. II. variorum Sacrorum, & colonia-

loniarum ſpeciatim prærogativas edifferit. Vide quæ Volum. I. ad illum locum ſcripſi.

Plures epiſtolas à Paulo accepiſſe Philippenſes, ſunt, qui ex S. Polycarpi ad eosdem epiſtola, collegerint. Ita enim ille §. 3. pag. 56. edit. Oxon. per Th. Smithum curatæ: *ἃς καὶ ἀπὼν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολὰς εἰς ὅς ἐὰν ἐγκύπτητε, δυνηθήσεσθε, οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν.* At cave, credas, hoc inde confici poſſe. *Smitho* in notis ad h.l. pag. 110. innuere Polycarpus videtur quasdam alias Pauli epiſtolas, ſive ad Theſſalonicenſes, utpote utrosque Macedoniæ accolas, nec valde procul à ſe invicem diſſitos, ſive ad Corinthios miſſas, iisdem vel ex conſilio Apoſtoli, vel ex concordiæ & fraternæ charitatis nexu pro more communicatas, adeoque ad ipſos Philippenſes quodammodo ſpectantes. Idem video *Salmeronem* ante ſuſpicatum. Rectius vero, quod etiam idem *Smithus* admittit, dixeris, *ἐπιστολὰς* conſueta Græciæ Latiique Scriptoribus numeri permutatione, unam illam Pauli epiſtolam, communi antiquitatis conſenſione receptam indicare. Locos ejusmodi veterum attulit eruditiſſimus *Joannes Albertus Fabricius* noſter in Codice Apocrypho Veteris Teſtamenti pag. 914. ſeq. & in Bibliotheca Græca Vol. IV. pag. 156. Atque idem ſibi voluiſſe Polycarpum ipſe non obſcure innuit, quando §. 11. ejusdem epiſtolæ pag. 60. ad Philippenſes ita ſcribit: *Ego autem nihil tale ſenſi in vobis, vel audivi, in quibus laborarit B. Paulus, qui eſtis in principio epiſtolæ ejus.* Vides, hic *epiſtolam* appellari, quam antea *epiſtolas* dixerat. Longiſſime a veri ſpecie recedit, illud *Monachii* ſive *le Moyne*, in allegatis modo ad Varia Sacra annotationibus pag. 332. & 343. ſuſpicantis, epiſtolam hanc in duas olim partes diviſam, atque adeo pro duabus epiſtolis habitam fuiſſe. Sicut enim hujus diviſionis veſtigium in antiquitate non exſtat; ita non magis admitti poteſt, quam in ceteris Pauli epiſtolis, noſtra hac etiam longioribus, unquam uſu veniſſe conſtat.

Solam hanc epiſtolam Rectoribus Eccleſiæ inſcribi ſtatuit *Henr. Dodwellus* pag. 203. ſq. de Jure Laicorum.

Non eſt dubium, Eccleſiam Philippenſium ex iis conſtitiſſe, qui hinc Gentiles, hinc Judæi olim fuerant. Ad poſteriores tamen Paulum inprimis repexiſſe probabile fit ex cap. III. 2. ubi circumciſionem *κατατομὴν* appellat, & verſ. 3. caſtigat *de carne* h. e. de circumciſione gloriantes. Confer verſ. 18. & cap. II. 3. & adde Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis ita commentantem pag. 794.

De *tempore* & *loco* ſcriptionis inprimis inter eruditos diſputatum eſt, qui, quamvis *Romæ* ſcriptam uno quaſi ore affirment, in tempore tamen definiendo diſſentiunt. Lege hanc in rem *Davidem Blondellum* de Epiſcopis p. 2. *Guil. Cavium* in Vita Pauli ſect. VII. num. 4. *Dodwellum* loc. cit. *Claud. Fraſſenium* in Diſquiſitionibus Biblicis pag. 707. & *Millium* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 68. 69. Operæ pretium puto, *Salomon. van Till* cogitata ex com-

commentario ejus pag. 255. hic deſcribere : *Locus*, inquit, *unde miſſus fuit,* (Epaphroditus epiſtolæ tabularius, v. II. 26. ſq. & IV. 19.) *ſatis ſuperque innuitur, Romam fuiſſe: quippe epiſtola in vinculis conſcripta, ut patet ex cap. I. 7. 13. 14. ubi vinculorum Apoſtoli fit mentio, oſtenditque, ipſum in cuſtodia fuiſſe militum Prætorianorum v. 13. Res ipſa conficitur ex ſalutationibus. Inter ſalutantes enim numerantur* οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας *cap. IV. 22. Nec non Clemens, qui Romanus fuit, cap. IV. v. 3. Tempus, quo præſens epiſtola conſcripta fuit, facile colligitur: ex vinculis ſcilicet conſcriptam fuiſſe, cum Paulus Romæ captivus detineretur. Nec id factum in captivitate ſecunda, ſed prima quod inde conficimus. Quia primo ſpem facit de miniſterio ſuo continuando, cap. I. 19–26. II. 24. Quod non obtinuit, niſi in prima captivitate, cum Apoſtolus à ſecunda captivitate martyr factus fuerit. Deinde, quia Timotheum habuit penes ſe ſocium operis, quem in ſecunda captivitate à Paulo longe abfuiſſe, in Prolegomenis in epiſtolam ad Epheſios oſtendimus. Cumque biennium captivitatis primæ, quod notavit Actor. XXVIII. 30. pertinuerit ad annos Æræ vulgaris LVI. LVII. ut in* Actis Apoſtolicis ad Annales revocatis *demonſtratum, veriſimile eſt, hanc epiſtolam anno Æræ vulgaris LVI. captivitatis Paulinæ primo conſignatam fuiſſe, cum ex tenore cap. I. ſatis pateat, nuper illum in prætorio Neronis fuiſſe cognitum.* Hæc *Tillius.*

Eadem ratione rem video inſtituiſſe *W. Wallium* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum Anglice editis pag. 275. cujus verba Latine converſa exhibebo. *Philippenſes*, inquit, *ad Paulum, carcere Romæ detentum, miſerant Epaphroditum, qui conditionem rerum ejus perſpiceret, miſerationemque vinculorum ſuam teſtaretur & pecunia quoque neceſſitatibus ejus conſuleret. Epaphroditus Romæ morbo fere fatali correptus ad valetudinem priſtinam ita redierat, ut Philippos reverti poſſet. Per eum itaque has literas, gratulationis, amoris & ſolatii plenas, mittebat. De vinculis ſuis ſolicitos eſſe nolebat, quippe quæ in Evangelicæ doctrinæ incrementum ceſſerint, ita ut Romæ complures, ex ipſa etiam Cæſaris aula, ad Chriſtum eſſent perducti, ſibique adeo ſpes recuperandæ libertatis ſuperſit, qua obtenta eos iterum præſentes ſit viſurus. Re interim incerta Epaphroditum remittit, qui præſentem rerum ſuarum ſtatum exponeret, præterea, ſe, quæ impoſterum ſibi ſint eventura per Timotheum (qui tunc temporis Romæ, nec tamen captivus, fuiſſe videtur) ſignificaturum, eumque in ipſorum commodum miſſurum eſſe.* Hactenus *Wallius*, quæ intelligens Lector cum ipſa hujus epiſtolæ ſerie conſpirare facile viderit. Suſpicatur præterea hanc ad *Philippenſes* epiſtolam primam fuiſſe, quam Paulus ex carcere Romano, ex quo illæ etiam ad *Epheſios*, *Coloſſenſes*, & *Philemonem* profectæ ſint, exararit.

Ex veteribus epiſtolam hanc Roma ſcriptam eſſe diſerte tradit *Euthalius* in Editione epiſtolarum Pauli, qualis in collectaneis veterum Monumentorum Za-

Zacagnianis p. 547. & 642. exſtat. Poſteriore loco hæc leges: *Ταύτην ἐπιστέλλει ἀπὸ Ῥώμης, ἑωρακὼς αὐτοὺς ἅμα καὶ διδάξας.* Et ibidem: *Ἔπειτα διηγεῖται ὡς ἀπελογήσατο ἐν Ῥώμῃ, καὶ ὅτι τινὲς βαρεῖς αὐτῷ γεγόνασιν ἐν τοῖς δεσμοῖς, φθόνον αὐτῷ κινοῦντες.*

At hæc ſententia de *loco* & *tempore* ſcriptionis adeo ſe non probavit Cl. *Ocdero*, ut eam potius ſingulari Programmate, quo Natalem duodeviceſimum Dominæ *Friderica Ludovica* celebrandum indixit, Onoldi 1731. edito, omni ope convellere ſit conatus. Primum argumentum ex eo repetit, quod epiſtola hæc non diu poſt primam Philippenſium ad Evangelicam doctrinam converſionem ſcripta cenſeri debeat; tantum abeſt, ut ad carcerem Romanum, pluribus annis ab illis agnitæ ſalutaris Doctrinæ initiis remotum, referri poſſit. Initia vero iſta hanc epiſtolam proxime conſecutam eſſe ex eo probat, quod Apoſtolus *Philippis* auctore Luca Act. XVI. 8. - 12. *non diu manſerit, neque ita multo poſt, cum ab his nuper converſis beneficia aliqua per* Epaphroditum *accepiſſet cap.* II. 30. *hanc epiſtolam ſcripſerit.* Principia hæc, non ita pridem facta, narrari putat cap. I. 5. 6. quæ ita interpretatur: *Gratias ago Deo meo ſuper veſtra communicatione ad juvandum Evangelium;* quemadmodum *τὸ καλὸν ἔργον* ejusque *ἀρχὴν* ſive initium, de quo verſ. 6. itidem de ipſorum *beneficentia* accipit. De collatis vero liberaliter ſymbolis hæc explicanda eſſe, ex eo colligit, quod Paulus *Galat.* II. 10. teſtatur, *ſe ubi Evangelium ſparſit, ibi SINE MORA quod ex voce ἐσπούδασα colligitur, ſtipem in uſum pauperum in Judæa colligere cœpiſſe;* quodque *vix quidquam magis ſit probabile, quam novos Chriſtianos* Philippis *beneficentiæ in pauperes atque Apoſtolum ipſum monumenta mature edere voluiſſe.* In præſidium denique advocat IV. 14. -- 16. ubi Apoſtolus profitetur, Philippenſes *initio prædicati Evangelii ſibi aliquid crediliſſe, quo poſſet in ſe pauperibusque aliis juvandis uti*, idque Theſſalonicam, ſemel atque iterum, ſubmiſiſſe. Cumque Theſſalonicam paulo poſt exceſſum ex urbe Philippenſium, tranſita Amphipoli & Apollonia, venerit Act. XVII. 1. indeque poſt trium ſabbatorum moram tumultu concitato diſceſſerit, Act. XVII. 10. ita denique vir doctus argumentatur: *Ad eam ergo levandam calamitatem miſerunt ſuppetias Philippenſes, ſed, cum hæc omnia initium τοῦ καλοῦ ἔργου fuerint tempore ſcriptæ epiſtolæ, oportet, inter illa* Theſſalonicam *miſſa ſemel atque iterum munuſcula, & hoc, de quo nunc gratias agit, per* Epaphroditum *ipſi redditum, non nimis magnum intervallum eſſe.* Id vero omne ad Romanum carcerem non quadrare ait, inprimis cum, quod ſecundo loco urget, ex illo Apoſtolus nunquam evaſerit. Quæ enim veteres aliqui de liberato ibi ſemel ex vinculis Apoſtolo, & in eadem deinceps retracto, tradiderint, ea omnia præconceptæ huic opinioni deberi, quod quædam ejus epiſtolæ, nempe hæc ad *Philippenſes*, & illæ ad *Epheſios, Coloſſenſes* & *Philemonem* Romæ ſint exaratæ. Tertio loco obſervat, Paulum, cum hanc epiſtolam ſcriberet, ſpem certam Philippenſes aliquando videndi habuiſſe I. 25. ſecumque habuiſſe *Timotheum*

*theum* I. 1. & II. 19. quem Pauli in cuſtodia Romana ſocium fuiſſe parum ſit veriſimile. Denique veri putat ſimilius, Epaphroditum, cum ex gravi morbo vix convaluiſſet, ex *Achaja*, *Macedoniæ* proxima, miſſum eſſe, quam idem ex Italia longiſſimo itinere, quod fere mari fieri ſoleat, factum credere.

Sententiæ hujus nervus, ſi quid video, in eo poſitus eſt, quod *κοινωνίαν εἰς τὸ εὐαγγέλιον* non de *acceſſu* ad *Chriſtianam fidem*, ſed de *collatione ſtipis ad promovendam Evangelii prædicationem*, interpretatur *Oederus*. In quo quidem conſentientes ſibi habet ex veteribus *Chryſoſtomum* & *Theophylactum*, ex recentioribus vero *Salmeronem* & *Cornel. à Lapide*, quibus nuper acceſſit *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 276. Non placuit eidem ullum expoſitionis ſuæ argumentum afferre, quale *Wallius* ſibi infra cap. IV. 15. invenire viſus eſt. Enimvero de primo acceſſu Philippenſium ad fidem Chriſtianam Paulum loqui nequaquam dubito. Ea hic intelligitur *κοινωνία*, per quam *συγκοινωνοὶ* vocari poterant *τῆς χάριτος*, quam Paulus ſibi datam prædicat ad defendendam & confirmandam Evangelii veritatem. Illa *κοινωνία*, cujus facti erant participes *ἐν ἀρχῇ τοῦ εὐαγγελίου*, in initio Evangelii, ab Apoſtolo ſcilicet prædicati, & ab ipſis recepti. Hanc *communionem* Apoſtolus alias vocat *κοινωνίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν* in limine epiſtolæ prioris ad Corinthios I. 9. item *κοινωνίαν τοῦ μυστηρίου Epheſ.* III. 9. & *κοινωνίαν τῆς πίστεως Philem.* v. 6. Alibi etiam *ὁμολογίαν εἰς τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ*, cujus fructus ſit *κοινωνία εἰς πάντας*. Hanc gratiæ Evangelicæ communionem reſpicere Apoſtolum ex eo etiam patet, quod non credibile ſit, eum primo loco commemorare voluiſſe beneficentiam & liberalitatem Philippenſium in ſe, tanquam ejuſmodi quicquam, de quo perpetuo cogitet, gratiasque DEO in omnibus precibus ſuis agendas cenſeat. Aliter ſane Apoſtolus agere conſuevit in limine epiſtolarum ſuarum, quas aliis credentium cœtibus inſcripſit. Quodnam erat *εὐχαριστίας* Paulinæ ad DEUM pro Romanis præcipuum momentum? Nonne agnitio Chriſti per fidem & in ea perſeverantia? *Πρῶτον μὲν*, inquit, *εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὑπὲρ πάντων ὑμῶν ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ Rom.* I. 8. Non aliud ad Corinthios ſcribendi fecit initium 1. ep. I. 4. *Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἐπὶ τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ τῇ δοθείσῃ ὑμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ὅτι ἐν παντὶ ἐπλουτίσθητε ἐν αὐτῷ, ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει.* Confer *Epheſ.* I. 3. & alias. Credine poteſt Paulus, cum primum ad *Philippenſes* ſcriberet, aliter agere voluiſſe? Nonne etiam, ſi *beneficentiam* eorum in ſe potiſſimum probatam, primum *εὐχαριστίας* ſuæ caput conſtituiſſet, occaſionem præbuiſſet ſuſpicandi, ſe in prædicando Evangelio ſua inprimis quærere? Immo vero capite II. v. 25. quaſi obiter meminit ſtipis in ſe collatæ, quando Epaphroditum, qui eam ad ſe detulerat, *λειτουργὸν τῆς χρείας μου* appellat. Et ſub finem tandem cap. IV. 10. ubi diſerte liberalitatis eorum mentionem facit, gaudium quidem, ex ea perceptum, prædicat, & eorum conſilium laudat v. 14. ſapienter vero v. 17. cavet, ne exiſtiment, ſe ſua cauſa ita lætari, quippe qui *dona non requirat*, ſed eo potius omnia referri

Y velit,

velit, ut ipſe a DEO, cui hoc ſtudium non poſſit non probari v. 18. ampliſſimum fructum reportent. Tantum igitur abeſt, ut Apoſtolus ſub initium epiſtolæ ſuæ de *ſtipis collatione*, à Philippenſibus facta, cogitarit, ut eam potius in calcem ejus non ſine temperamento rejecerit. Si verba Pauli v. 10. ſqq. curatius inſpiciantur, patebit, eum ſuam gratiarum actionem adverſus Philippenſes epiſtolæ huic, doctrinarum, admonitionum, & conſolationis pleniſſimæ inſtar appendicis annexuiſſe. Interim non nego, *κοινωνίαν* & *κοινωνεῖν* eo, qui hic quæritur, ſenſu ab Apoſtolo alias adhiberi, v. c. Rom. XV. 26. XIII. 13. & Phil. IV. 15. Quemadmodum vero in his locis *περικείμενα* hanc notionem legenti ultro ingerunt; ita eam præſens locus tanquam alienam per alia *περικείμενα* averſatur.

Ex his judicari præterea poteſt, quam nove & infeliciter vir doctus *τὸ ἔργον ἀγαθὸν* quod DEUS in illis dicitur *ἐναρξάμενος*, de *beneficentia* itidem interpretetur, addito etiam hoc quaſi canone, quod *καλὸν* (*ἀγαθὸν* ſcribere voluit) *ἔργον beneficentiam fere ſignificet.* Equidem vix memini in ſacris literis *καλὸν ἔργον* ſimpliciter & ſpeciatim *de beneficentia* adhiberi niſi *Matthæi* XXVI. 10. & Marc XIV. 6. ubi Chriſtus de fœmina, quæ ſe non ſine ſumtibus impenſis unxerat, ait: *καλὸν ἔργον εἰς ἐμὲ εἰργάσατο.* In ceteris Novi Fœderis locis *ἔργον*, *ἔργα*, *ἔργον ἀγαθὸν* nunc de magno illo credendi in Chriſtum opere, nunc de operibus Evangelio dignis accipiuntur. Fidem *ἔργον Θεοῦ* appellat Servator Optimus Joh. VI. 29. *Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε, εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος.* Paulus Rom. II. 7. *ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ* i. e. *perſeverantiam in bono opere* commendans illud omnino opus intelligit, quod per fidem incipitur, & bene agendo continuatur. Et quid eſt *ἔργον τοῦ Κυρίου*, in quo Paulus Corinthios *περισσεύοντας* eſſe vult 1. ep. XV. 58? quid *ἔργον τοῦ Κυρίου*, quod Timotheus *ἐργάζεται* XVI. 10. Quodnam *ἔργον τοῦ Χριστοῦ*, in quo fuit Epaphroditus, Philip. II. 30. imo *ἔργον* cujus fructum quærit, ipſe Paulus I. 22.? Quando Apoſtolus pro Theſſalonicenſibus DEO gratias agit 1. cap. I. v. 3. facere id ſe ait *μνημονεύοντα τοῦ ἔργου τῆς πίστεως, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης*, ibique diſerte magnum illud *fidei opus*, tanquam a DEO ortum, ab *opera amoris* diſtinguit. Ex his judicium ferat quisque, an non convenientius ſit & dictioni & conſuetudini Paulinæ, *τὸ ἔργον ἀγαθὸν* de magno illo opere converſionis ad Chriſtum fidemque Evangelicam, quam de eorundem in Paulum beneficentia interpretari? *Ἔργον* illud *ἀγαθὸν* appellare poterat Apoſtolus, quod DEI Optimi Maximi proprium eſt, quod DEUS ſolus *incipere* poterat, & *inceperat.* Major huic interpretationi lux acceſſerit, ſi comparemus votum Paulinum, quod ad DEUM pro Theſſalonicenſibus perfert 2. ep. I. 11. *Εἰς ὃ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς κλήσεως ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ πληρώσῃ πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει.* Vides hic Paulum precari, ut DEUS eos, quos vocaverat, atque adeo initium fecerat converſionis ad ſalutem, ita conſervare velit, ut in iis beneplacitum benignitatis ſuæ, in ipſos jam demonſtratæ, *opusque fidei* cœptum virtute

ſua

ſua compleatur & perficiatur. Reſpondent ne hæc egregie ſpei Paulinæ quam fovere ſe profitetur, fore, ut qui bonum opus in illis inceperit, idem continuet & perficiat uſque in diem JESU Chriſti? Nonne ultima hæc phraſis argumento eſt, de longe majori opere hic ſermonem eſſe, quam quod beneficentia in Apoſtolum continuanda abſolvatur? Imo nonne Apoſtolus mentem ſuam ſatis explicat, v. 9. ſubjungens: *Καὶ τȣ̃το προσεύχομαι, ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἔτι μᾶλλον ϗ μᾶλλον περισσεύῃ ἐν ἐπιγνώσει ϗ πάσῃ αἰσθήσει*? Si forte ἔργον ideo de liberalitate accipiendum videatur, quod ἀγαθὸν vocetur, phraſin hanc latius patere fatebitur, qui Paulum audiverit precantem, 2. *Theſſ.* II. 17. ut DEUS ſoletur animos eorum & fulciat *ἐν παντὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ ἀγαθῷ in omni doctrina & opere bono.* Adde 2. *Tim.* II. 21. & III. 17. Abſit ut hic de *beneficentia* in alios tantum cogitemus, cum *περικείμενα* evincant, ſermonem eſſe de omnibus illis bonis, quæ ex doctrina ſalutari in homine, ſpeciatimque DEI miniſtro, effici, & ab ipſo præſtari poſſint. Hæc dum recogito, vix veri ſpeciem in viri docti expoſitione agnoſco, & parum abeſt, quin reliqua penitus omittam, cum, fundamento deſtructo, cetera, quæ ipſi ſuperſtruuntur, labi neceſſe ſit. Sequemur tamen amplius præeuntem. *De ſtipe collata* verba facere Apoſtolum, ex eo colligit, quod ipſe, ubicunque Evangelium prædicaverit, ibi *ſine mora* ſtipem quoque in uſum pauperum in Judæa colligere conſueverit ſecundum *Gal.* II. 10. idque adeo & apud Philippenſes feciſſe credi debeat. Ego vero negaverim, Apoſtolum hic loqui de eleemoſynis ejusmodi, quæ in communem uſum pauperum ſint collectæ vel collatæ. Quæ a Philippenſibus ad Apoſtolum mittebantur, ipſius neceſſitatibus & rationibus tantum erant deſtinata. Propterea cap. II. 25. Epaphroditum Philippenſium ad ſe legatum & *λειτȣργὸν τῆς χρείας ἑαυτȣ̃*, *ſubminiſtrum indigentiæ ſuæ*, appellat, ſicut v. 30. officium, ab *Epaphrodito* ſibi ipſorum nomine præſtitum, *τὴν πρός με λειτȣργίαν* vocat. Denique cap. IV. 16. ea, quæ ſibi Theſſalonicam repetita vice miſſa erant, *ad ſublevandam ſuam inopiam* pertinuiſſe tradit, *εἰς τὴν χρείαν μοι ἐπέμψατε.* Taceo, non eſſe veri ſimile, quod Philippenſes, ſub initium converſionis ſuæ ad Chriſtum, tam multi numero aut pecunioſi fuerint, ut ſymbolas in uſum plurium ſuppeditare potuerint. Alioquin enim ipſi Apoſtolo præſenti eas repræſentaturi fuiſſe videntur, quos abſenti, & Theſſalonicæ jam verſanti, id feciſſe ipſe teſtatur. Pauca vero hæc tunc temporis fuiſſe ex eo apparet, quia id repetita vice fecerunt, ipſi ſcilicet indigi, & ad hanc beneficentiam ideo procul dubio excitati, quod intelligerent, per hoſtium rabiem Paulo Theſſalonicæ minus feliciter rem ceſſiſſe, ſed noctu etiam aliorſum ſe recipere debere. Hæ erant illæ ipſius Pauli moleſtiæ, hæc indigentia, cui ex parte ſublevandæ dona ſua deſtinabant. Itaque de illo Apoſtoli atque eo Philippenſium quoque ſtudio, pauperibus in Judæa conſulendi hic ſermo non eſt, tantum abeſt, ut ex loco *Gal.* II. 10. conficere poſſimus, Paulum tale quid apud Philippenſes vel quæſiviſſe, vel ab illis obtentum prædicaſſe. Pergit vir doctus ex illis, quæ putat *καλȣ̃ ἔργȣ* h. e. *beneficentiæ* initiis, conficere,



inter

inter illa munuſcula Theſſalonicam miſſa & præſens, de quo nunc gratias agit, non nimis magnum intervallum interceſſiſſe, quia tempore epiſtolæ hujus ſcriptæ facta eſſe dicantur. Hæc quomodo cohæreant, non intelligo. Ponamus, Apoſtolum hic loqui de initiis liberalitatis Philippenſium in ſe, nonne multis poſt annis revocare illis in memoriam poterat beneficia ſibi olim præſtita, hoc magis, quod eam ipſi novis munuſculis miſſis apud ſe renovarant? Imo vero longius intervallum inter prima illa & recens hoc, munuſcula, interceſſiſſe non obſcure patet ex cap. IV. 10. ubi ſe eximie lætatum ait, quod *tandem aliquando reviruerint in ſua pro ſe cura.* Videre mihi quidem videor Philippenſes, tanquam ex longo quodam ſopore, qui Pauli memoriam in animis ipſorum exſtinxiſſe videri poterat, jam tandem ſuſcitatos. Interim moram hanc, quamvis longiorem, excuſat ipſe Apoſtolus; ſtatim ſubjungens, nequaquam ipſis *voluntatem* ſed *facultatem* defuiſſe (ἠκαιρεῖσθε δὲ,) ſive id de inopia ipſorum, ſive de mittendi ad ſe opportunitate accipere velis. Itaque nondum video, quomodo tempus ſcriptionis epiſtolæ hujus in cuſtodiam Pauli Romanam, & quidem priorem, cadere non poſſit. Imo vero illa durante & munus hoc per Epaphroditum miſſum & epiſtolam hanc ſcriptam eſſe, ita colligere mihi poſſe videor. Acceperant Philippenſes nuncium de Paulo Romæ captivo, ſed ita, ut ἐν ἰδίῳ μισθώματι atque adeo ſuis ſumtibus vivere ipſi liceret. Vide *Act.* XXVIII. 16. & 30. Itaque conſultum putabant in ſocietatem ſumtuum venire, & illis levandis ſymbolas ſuas per Epaphroditum ſubmittere. Quæ de duplice carcere Romano, tanquam ab antiquis Scriptoribus perperam tradito, & in dubium vocando hic inſpergit vir doctus, ea cum ipſe alias edifferenda ſibi ſumat, hoc loco & nos omittere tantiſper poſſumus. Interim ante, quam hoc ad liquidum perducatur, non poteſt pro ſua ſententia urgere, quod Paulus, hæc ſcribens, ſpem foverit, fore, ut Philippenſes aliquando videat I. 25. Habere enim eam potuit, ſi de carcere priore ſit ſermo. Timotheum etiam ſibi præſentem, quamvis non συναιχμάλωτον habere potuit, quem cap. II. 19. miſſurum ſe profitetur, quamvis *Lucas* illius Act. XXVIII. 30. cuſtodiam Pauli Romanam enarrans, non meminerit. Lucas enim brevis eſt in hoc argumento, &, recitata Pauli ad Judæos oratione, omnia, quæ eo tempore Paulo acciderant, breviſſime complectitur, per *biennium* cuſtodiam ejus duraſſe ſignificans. Nonne longe plura commemoranda ab ipſo fuiſſent, ſi in his hærere ipſi libuiſſet? Et, quæ ratio eſt, cur Timothei inprimis, tanquam præſentis, mentionem injicere debuiſſe cenſeamus, aut, præſentem fuiſſe, ex Lucæ ſilentio perſuadere nobis velimus. E contra, ut obiter hoc moneam, ipſe ille narrationis S. Lucæ de Pauli captivitate Romana finis argumento mihi eſt, ut inter illam & ſubſecutum ejus martyrium plures annos interceſſiſſe credam, cum probabile ſit, divinum Scriptorem vitæ Apoſtolicæ finem, ſi cum illa proxime conjunctus fuiſſet, vel tribus verbis fuiſſe commemoraturum.

Ultimo

Ultimo loco urget *Oederus*, parum eſſe probabile, quod Epaphroditus, non ita pridem ſibi ex morbo reſtitutus, ex Italia itinere longiſſimo & maritimo ad Philippenſes miſſus ſit. Crediderim equidem, & *Paulum* & *Epaphroditum* ſperare imo confidere potuiſſe, fore, ut Summum Numen, quod Epaphroditum ex præſentiſſimæ mortis faucibus eripuerat, ſalvum quoque in hoc itinere præſtaret, hominem inquam, qui ideo miſſus erat, ut Paulo, opus Domini graviter urgenti, ſuppetias ferret, & Philippenſibus, de Paulo admodum ſolicitis, res ejus reverſus fuſius exponeret.

Hactenus vir doctus attulit, quæ ipſius judicio efficere poſſint, ut epiſtolam hanc Romæ ſcriptam eſſe inficiemur. Hinc rationes eas tollere annititur, quæ totam Interpretum cohortem impuliſſe videntur, ut Romæ ſcriptam eſſe ſecure crederent. Denique vero contendit, eam in *Achaja*, cum Paulus *Corinthi* verſaretur, ex Actor. XVIII. 12. eſſe exaratam. Longior omnino forem, ſi hæc omnia nunc quidem ſub examen revocare vellem, quod rectius in calce hujus epiſtolæ ad ſubſcriptionem ejus inſtituere mihi poſſe videor. Hactenus ſuffecerit oſtendiſſe, illa, quæ ad ornandam ſuam ſententiam hactenus attulit, talia non eſſe, quæ & antiquitati, & communi Interpretum conſenſioni opponi ſecure poſſint. Vir doctus, initium dicendi facturus, πρόσωπον τηλαυγὲς ſuſpendit his verbis: *Non eſſe continuo, conſpirante licet eruditiſſimorum hominum ſenatu, in rebus paulo abſtruſioribus, ſine examine credendum, novo hodie exemplo de ætate epiſtolarum B. Pauli ad* Philippenſes *&* Corinthios, *juvenes noſtros, & quicunque hanc chartam lecturi ſunt, doce-bo.* Quam feliciter ipſi res ceſſerit, eruditorum arbitrio relinquo. Interim monitos velim lectores, ut ab altera parte non cœco quidem impetu in omnia olim tradita ferantur, ab altera vero non temere nimis in ea abripi ſe patiantur, quæ, non ſine antiquitatis vilipendio, exigua vel nulla veri ſpecie in ſcenam videant produci.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος καὶ Τιμόθεος, δοῦλοι Ἰησοῦ Χριστοῦ, πᾶσι τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν] De poſtremis verbis lege obſervata ad I. 1. epiſtolæ ad *Epheſios.*

ἐν Φιλίπποις] Vide Rev. *Bernhardi Raupachii* Decadem II. Obſervatt. ſacrarum ex Patribus Apoſtolicis, Obſervat. V.

σὺν ἐπισκόποις] Unus alterve codex librariorum vitio legunt συνεπισκόποις, nec non *Hilarius*, de quo ita *Whitby* in Examine pag. 69. *ſed quanquam præpoſitio* σὺν *adjungatur* ἐπισκόποις, *ſecundum veterem ſcribendi conſuetudinem, conſtat tamen, Græcos omnes cum contextu concordare. Non enim notarunt, quod Paulus apud* Philippenſes *mentionem fecerit* Coëpiſcoporum,

rum, *nec quærunt, quamobrem id fecerit, ſed cum Hieronymo dicunt, eos, qui hic dicti ſunt* Epiſcopi, Presbyteros *fuiſſe. Denique nec id dicit* Hilarius, *ſed hoc tantum*, cum Epiſcopis & Diaconis, *h. e. cum Paulo & Timotheo, qui Epiſcopi erant, mirum, quam frigide & inepte.* Quinam hic ἐπίσκοποι dicantur, intelligi poteſt ex iis, quæ ad *Actor.* XX. 17. & 28. admonita ſunt. Confer *Seldenum* de Synedriis pag. 734. & *Vitringam* in Archiſynagogo pag. 74. De ratione nominis hujus & dignitatis non ita pridem *Richardus Bentley*, vir doctiſſimus, commentatus eſt in limine Partis II. obſervationum ſuper diſſertationem de libertate cogitandi, anglice editarum. Inter cetera docet, ἐπίσκοποι, vocem ante Chriſtianiſmum naſcentem diu receptam, & ad denotandos *inſpectores* civiles, militares & forenſes adhibitam, inſpectores Eccleſiaſticos ſupremos indicaſſe, quemadmodum διάκονοι miniſtros inferioris ordinis ſignificarint. Addit idem, Apoſtolorum ætate *Presbyteros* & *Seniores* appellatos fuiſſe ἐπισκόπους; hoc vero nomen poſt Apoſtolorum ætatem eorum ſucceſſoribus, quales erant *Timotheus* & *Titus*, impoſitum ac deinde ad dignitatem Eccleſiaſticam ſuperiorem indicandam adhibitum fuiſſe, ac proinde omnium optime, quoties in Novo Fœdere occurrat, per *Inſpectores* reddi poſſe. Confer Bibliothecam Anglicanam *de la Roche* Tom. I. Parte II. pag. 438. *Salmaſius* in Apparatu ad librum de Primatu pag. 42. ita: *Plures Epiſcopos à Paulo fuiſſe ordinatos ex his verbis liquet. Eosdem quoque Presbyterorum nomen habuiſſe etiam liquide patet. Non enim Presbyteros omiſiſſet, ſi ulli in Eccleſia illa tum fuiſſent præter Epiſcopos. Sed cum ſolos Epiſcopos nominet cum diaconis, inde pro certo licet colligere, Epiſcopos illos, qui plures eſſent, in una civitate, etiam Presbyteros fuiſſe.*

*καὶ διακόνοις* ] *Jac. Rhenferdium* in diſſertat. de Decem Otioſis pag. 164. ſqq. diaconos hos pro collectoribus & diſtributoribus eleemoſynarum vel œconomis גבאי הםחוי habere. Nec negari per *Act.* VI. 1. ſeqq. poteſt, notionem hanc interdum in Novo Fœdere obtinere. Sed ea nec perpetua eſt, nec ad hunc Pauli locum accommodari poteſt, quam in rem poſt *Vitringam* de Synagoga vetere lib. V. Part. II. c. 5. pag. 920. ſq. & *Caſp. Zieglerum* de diaconis & diaconiſſis cap. III. §. 26. legi ſuaſerim Vener. *C. M. Pfaffium* in Originibus Juris Eccleſiaſtici pag. 48. ſq.

Verſ. 2.-11. Sectionem epiſtolicam, in publicis cœtibus explicari ſolitam, exhibent, quam illuſtratam videbis à *Barth. Stepnero* in Explicatione primæ partis hujus capitis, Lipſ. 1650. & à *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 172. ſqq.

Verſ. 3. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου ἐπὶ πάσῃ τῇ μνείᾳ ὑμῶν ] *Beza* vertit: *cum omni memoria veſtri. Eraſm. Schmidius* rectius: *in omni memoria veſtri*, præeunte B. *Luthero*, qui feliciter interpretatus eſt: ſo offt ich euer gedencke, *quotieſcunque veſtrum recordor.* Τὸ ἐπὶ enim ſæpius idem eſt, quod ἐν, apud ſacros & externos ſcriptores. Vide *Matth.* XVIII. 5. *Rom.* IV. 18. &

V.

V. 2. & confer *Eraſm. Schmidii* annotationes ad Rom. V. 12. item obſervata noſtra Vol. II. pag. 84. A mente Pauli omnino abit *Hombergius* pag. 304. quando vertit *ſuper omni memoriâ veſtri*, eamque memoriam non de illa Apoſtoli reſpectu Philippenſium, ſed de horum adverſus Paulum interpretatur, quam teſtatam fecerint miſſis in ſubſidium ſymbolis. Vide infra cap. IV. 15. & 18. Non dicam, ipſam φράσεως ſtructuram id difficulter admittere. Credine vero poteſt, Apoſtolum gratias DEO præcipue egiſſe de eo, quod Philippenſes ſe liberales in ipſum præſtiterint? Alias gratiarum actionis cauſas afferre ſolet Paulus in limine omnium fere epiſtolarum, nempe cognitionem, fidem & amorem in DEUM, atque horum momentorum incrementum, quemadmodum & h. l. v. 5. commemorat argumentum εὐχαριστίας, ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ εἰς τὸ εὐαγγέλιον, *de communione ipſorum in Evangelium.* Itaque neceſſe eſt, ut memoriam Philippenſium perpetuam Apoſtolo tribuamus, quæ effecerit, ut præter gratiarum actionem preces pro ipſorum incremento ad DEUM deferret. Idem hic ait Apoſtolus, quod ad Philemonem ſcribit v. 4. Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου, πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου, ἀκούων σου τὴν ἀγάπην, κ. τ. λ. Compara *Rom.* I. 9. *Epheſ.* I. 16. 1. *Theſſal.* I. 2. & 2. *Tim.* I. 3. Nec fraudi huic interpretationi eſſe poteſt, quod Paulus in calce epiſtolæ gaviſum ſe de liberalitate in ſe præſtita profiteatur. Argumento id potius eſt, eundem in limine epiſtolæ de illa non cogitaſſe.

Verſ. 4. Πάντοτε ἐν πάσῃ τῇ δεήσει μου ὑπὲρ πάντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς τὴν δέησιν ποιούμενος] Verba hæc parentheſeos nota a reliquis diſtingui communiter ſolent, & recte quidem. Intercedit tamen *Hombergius* l. c. qui priora commatis verba usque ad πάντων ὑμῶν ad comma tertium, poſtrema vero inde à vocibus μετὰ χαρᾶς ad comma quartum referri cupit. At fieri hoc non poteſt, quia hoc modo argumentum gratiarum actionis Paulinæ, quod erat κοινωνία εἰς τὸ εὐαγγέλιον, (non autem, quod ante oſtenſum eſt, ſymbolæ illæ, quibus Philippenſes memoriam Apoſtoli ſuam teſtatos feciſſe vir doctus exiſtimat,) præter rem ab ipſa gratiarum actione diſtingueretur.

Verſ. 5. ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ ὑμῶν εἰς τὸ εὐαγγέλιον] *Super communione veſtri in Evangelio*, ſeu, ut clarius exprimit *Eraſm. Schmidius*, *in Evangelii* fruitione. Scilicet τὸ ἐν ſæpe pro εἰς apud Sacros & profanos Scriptores poni in Volumine I. harum Curarum, cujus indicem inſpici velim, paſſim admonui. *Wokenius* tamen l. c. pag. 173. reprobata illa præpoſitionum permutatione, per τὸ εἰς *non tantum ſtatum, ſed etiam jura ad ſequentia incrementa fidei denotari exiſtimat*, nec minus id *quod Philippenſes una cum Paulo uberius connitantur magis magisque in bono Evangelico progredi.* De illis, qui collationem ſtipis in pauperes hic intelligi volunt, ſatis dixi in *Prolegomenis.*

ἀπὸ πρώτης ἡμέρας ἄχρι τοῦ νῦν] Jungi hæc *Hombergius* vult cum verbis ἐπὶ τῇ κοινωνίᾳ, ut ſit, à quo πρώτην ἡμέραν commode incipiat. Mihi quidem Paulus id indicare voluiſſe videtur, quod ipſe DEO gratias egerit pro Philippen-

lippenſibus inde ab eo tempore, quo illi primum in ſocietatem credentium pervenerint, aut perveniſſe ipſos viderit.

Verſ. 6. Πεποιθὼς αὐτὸ τοῦτο] *Perſuaſum habens hoc ipſum.* Ita *Herodotus* lib. IV. pag. 296. verbum πείθεσθαι conſtruit cum accuſativo: ἐπείθοντο καὶ ταῦτα οἱ νεανίσκοι, *huic quoque rei obtemperabant adoleſcentes.* Lege Rev. *Raphelium* p. 543. Annotatt. ex Herodoto.

ἔργον ἀγαθὸν,] Eſt qui opus hoc bonum de liberalitate & *beneficentia* Philippenſium in Paulum interpretetur. De eo dixi in Prolegomenis.

ἄχρις ἡμέρας Ἰησοῦ Χριστοῦ] Sunt, qui hæc de adventu Chriſti poſtremo ad judicium univerſale intelligi volunt, quaſi Apoſtolus dubius fuerit, utrum ille brevi immineat, an remotior ſit. Rectius vero ſentiunt, qui diem emortualem innui credunt. Qualem enim tunc Chriſtus hominem invenerit, talem olim judicabit.

Verſ. 7. Καθώς ἐστι δίκαιόν ἐμοὶ τοῦτο φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν] *Sicut juſtum eſt mihi hoc ſentire de omnibus vobis.* Ita *Eraſmus Schmidius*, nec aliter *Beza.* Putem equidem Paulum hic ſignificare *curam*, quam in precibus ſuis & gratiarum actione pro ſalute & incremento eorum ſpirituali agat. Hic φράσεως ſenſus omnino eſt infra IV. 10. Ἐχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ μεγάλως, ὅτι ἤδη ποτὲ ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμοῦ φρονεῖν, ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε, i. e. interprete *Schmidio: Gaviſus ſum autem in Domino magnopere, quod jam tandem reviruiſtis in veſtra pro me cura: qua in re etiam ſoliciti eratis.* Verbum φρονεῖν ſingulare ſtudium vel *in rem*, vel in *perſonam* aliquam ex uſu veterum ſcriptorum inferre, oſtendi Vol. I. harum Curarum pag. 261. & 482. item Vol. II. pag. 140. Hanc curam agere fas erat Paulo per *amorem* illum inſignem, quo ſe in ipſos ferri ſtatim teſtatur, qui amor ut ſolicitum ipſum de Philipppenſibus eſſe jubebat, ita non æque efficere poterat, ut crederet, & ſentiret, fore, ut Philippenſes in bono conſervarentur. Hæc ad mentem Pauli propius accedere exiſtimem, quam quo Cl. *Wokenius* l. c. pag. 173. affert. Ejus enim judicio τό, ὑπὲρ ὑμῶν, idem eſt, quod *veſtrum loco. Vult, ni fallor*, inquit, *quod ſi Philippenſes ita forte non ſentirent, ut deberent, de gratia DEI conſervante, ipſe tamen Paulus eorum loco ita ſentiat, auſpice amore, per quem eos in animo cordeque habeat.* Non equidem crediderim, Paulum dubium de eo eſſe potuiſſe, an Philippenſes ſpem conſervationis in bono ſpirituali in benevolentia & potentia DEI collocatam habeant: quemadmodum fides Pauli, tanquam aliena, juvare Philippenſes non potuiſſet, niſi in quantum precibus ſuis apud DEUM effeciſſet, ut & ipſi ad illam fidem perducerentur. Τὸ δίκαιον idem heic eſſe, quod *æquum, juſtum, rectum*, per ſe patet. Vide tamen Patrum loca apud *Svicerum.*

διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς) *propterea quod habeam vos in corde.* Ita interpretes omnes, ſi excipias Cl. *Oederum*, qui in Syntagmate pag. 743. de affectu potius Philippenſium in Apoſtolum accipi vult, hoc ſenſu: *Prout jure*

*jure meritoque de vobis ſentio* eo quod me in corde habetis. *Nimirum*, addit, *quia Philippenſes Paulum tantopere amabant, fas erat, ut ipſe viciſſim præclara omnia de iis ſperaret. Contra amor, quo Paulus illos complectebatur, non potuit cauſa eſſe, cur δίκαιον ſit, bene de iis ſperare.* Non video ſane, cur non, ſi cetera reſpondeant, ex amore Pauli in Philippenſes proficiſci potuerit, ut bene de illis ſentiret. Paulus de amore adverſus alium ait, ὐ λογίζεται τὸ κακὸν 1. *Cor.* XIII. 5. & : πάντα πιςεύει, πάντα ἐλπίζει, verſ. 7. Hic amor in alium magis incitat ad bene de alio ſentiendum, vel ſperandum, quam alterius amor in eum, quem bene de nobis ſentire aliquis cupit. Ille enim amor commodum proprium ſpectare poteſt, alter autem aliis cauſis adduci poteſt, & interdum debet, ut eum, à quo amatur, odio proſequatur, tantum abeſt, ut præclare de eo ſentiat. Ceterum ſi noſtram interpretationem phraſeos, φρονεῖν ὑπὲρ πάντων ὑμῶν, admittas, hæc viri docti expoſitio omni fundamento videbitur deſtituta. Taceo, cauſam, cur Paulus Philippenſes amore proſequatur & in animo quaſi reconditos habeat, ſtatim addi, quando dicitur: συγκοινωνούς μυ τῆς χάριτ☉ πάντας ὑμᾶς ὄντας h. e. ut *Eraſmus Schmidius* rectiſſime convertit: *ut, qui omnes mecum conſortes eſtis gratiæ.* Paulus ſcilicet etiam ideo amantiſſimus erat Philippenſium, quod eos iisdem a DEO beneficiis cumulatos videret, quibus ſe affectum eſſe gratus intelligebat. Hoc autem inter φιλαδελφίας argumenta præcipue numerari conſtat ex *Epheſ.* IV. 4. ſqq.

Verſ. 8. Μάρτυς γάρ μυ ] Nonnulli Codices habent μοὶ, ſenſu eodem. Neque tamen hic quicquam mutandum. Uterque enim caſus obvius eſt. Ita *Rom.* I. 9. μάρτυς γάρ μυ ἐςιν ὁ Θεός. At *Act.* XXII. 15. ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ. Totum comma illuſtrat *Alethæus* Tomo. VI. pag. 67. ſqq.

ὡς ἐπιποθῶ πάντας ὑμᾶς ἐν σπλάγχνοις Ιησῦ Χριςῦ ] *quod deſiderio in vos ferar in viſceribus JESU Chriſti.* Lutherus egregie: wie mich nach euch allen verlanget von Hertzens-Grund in Chriſto JEſu. *Dietenbergerus* ſimiliter: wie mich nach euch allen von Hertzen und in hertzlicher Liebe JEſu Chriſti verlanget. *Emſerus* mavult: wie mich darnach verlanget, daß ihr alle eingeleibet werdet den Gliedern JEſu Chriſti. Rectius ex ipſis Pontificiis priorem interpretationem tenet *Cornel. à Lapide*, eamque *Syri* & *Chryſoſtomi* auctoritate tuetur. *Emſeri* illa ſe ex noſtratibus probavit *Theoph. Alethæo* l. c. pag. 78. ſqq. quo judice Paulus innuit, velle ſe & optare, ut in ſinu ſint Chriſti & in filiorum ejus numero perpetuo cenſeantur. Putat itaque, τὰ σπλάγχνα h. l. denotare homines amore proſequendos eoque digniſſimos, quo ſenſu Paulus Philemonem v. 12. σπλάγχνα ſua appellet. Ita Latini quoque *viſcera* de liberis dicunt, quod *Barthius* oſtendit ad Statii Silvas pag. 501. & ad lib. VII. Thebaid. pag. 630. *Artemidoro* lib. V. auctore, τὰ σπλάγχνα τὸν παῖδα σημαίνυσι. Conf. *Sviceri* Theſaurum Tom. II. pag. 998. Enimvero hoc loco ſignificatus

 ille

ille tueri ſe non poteſt. Eo enim poſito ſubintelligendum erat vel verbum *εἶναι*, quod *Vatablus* etiam expreſſit, *quomodo cupiam omnes vos*, ( eſſe ) *in viſceribus Chriſti*; vel *μένειν*, quod mavult *Alethæus* pag. 96. Ab ellipſi autem abſtinendum puto, ubi verbis, ſibi relictis, ſenſus conſtat. Talem vero h. l. non deſiderabis etiam ſine ellipſi. Paulus enim teſtatur deſiderium ſuum Philippenſes iterum videndi, ſeque tum conſpectu eorum recreandi, tum incrementum eorum ſpirituale provehendi. Hanc ſpem firmiter animo ſuo infixam profitetur v. 25. ſq. & cap. II. 24. In eam itaque ferebatur vehementiſſimo affectu, quem alias frequenter etiam adverſus alios teſtatum facit, v. c. *Rom.* I. 11. *ἐπιποθῶ γὰρ ἰδεῖν ὑμᾶς*, & 2. *Tim.* I. 4. *ἐπιποθῶν σε ἰδεῖν.* Hic ſenſus altero illo potior eſt. Paulus v. 7. amorem in Philippenſes ſuum ſignificaverat. Jam partim ipſum DEUM hujus affectus ſui teſtem appellat, partim effectum illius amoris, nempe deſiderium ipſos videndi, commemorat. Neque hic *τὸ ἐπιποθεῖν* de *impenſo* Pauli *amore*, ſed potius de *vehementi deſiderio*, ex amore illo nato, acceperim. Ita Latini *deſideratiſſimos* appellant, quos amore proſequuntur. *Τὰ σπλάγχνα Χριστοῦ* itaque ſunt, præeunte *Theodoreto* *πνευματικὴ φιλοστοργία* ſeu talis amor, qui ad exemplum & in virtute Chriſti ipſos amantis, & ab aliis eos amari jubentis, ſe efficaciter exſerat. Quæ vir doctus pro ellipſi verbi *μένειν* dicit, ea oſtendunt quidem, Apoſtolum illud adhibere potuiſſe, ſi voluiſſet, ſed idem intelligi debere, nequaquam evincunt. Præcipuum, quod urget, exſtat pag. 94. & eo continetur, quod formula precandi Paulina v. 9. ſqq. cum antecedentibus non cohæret, niſi hoc verbum ſubintelligatur, atque adeo perſeverantia & conſtantia in conditione *υἱοθεσίας* indicari exiſtimetur. Aliter ut ſentiam, his inprimis adducor. Apoſtolus enim non tam perſeverantiam, quam *incrementum* potius in illis, quæ ad *bonum opus inceptum*, h. e. ad Chriſtianiſmum eorum, pertinebant, ipſis expetebat. Hoc credere jubet tum vox *ἐναρξάμενος*, tum verbum *ἐπιτελέσαι*, quod *conſummationem* totius negotii, non vero *continuationem* tantum infert. Propterea *περισσείαν* illis adprecatur v. 9. in *amore* Chriſti, & *cognitione* ſpirituali. Hæc autem duo præcipua capita Chriſtianiſmi eſſe nemo ignorat, quemadmodum nec obſcurum ex ſacris literis eſt, in his momentis incrementum indies capere debere eos, qui à Chriſto nomen ferunt.

Verſ. 9. *Καὶ τοῦτο προσεύχομαι* ] *Et hoc precor*, vel *propterea precor*. Utrumque locum habere poteſt. Priori modo Paulus *Rom.* VIII. 26. *τὸ γὰρ τί προσευξώμεθα, καθὸ δεῖ, οὐκ οἴδαμεν.* Poſterius mavult *Alethaus* l. c. pag. 95. non ſine exemplis utriusque linguæ Scriptorum, qui *τοῦτο*, vel *ταῦτα*, ſubintellecto *διὰ*, adhibent. Vide *Lamb. Bos.* de Ellipſi Gr. L. p. 304.

*ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν* ] Recte amor hic accipitur de eo, quem Philippenſes magis magisque in DEUM probare debebant, quamvis alii abſtractum pro concreto poſitum arbitrentur. Ex hac interim phraſi nata videtur illa compellandi

landi formula, qua præcones Evangelii noſtrates ad audientes utuntur; Eure Liebe. Vide poſt B. *Deutſchmannum*, ita ſentientem, auctorem Obſervationum Miſcellanearum Tom. I. pag. 547.

*ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον* ] Sic *Herodotus μᾶλλον ἔτι*, v. c. lib. VIII. p. 558. & 574. *μᾶλλον ἔτι*, & *Cicero* Orat. de Conſul. Prov. *adhuc magis.* Vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 544.

*περισσεύῃ ἐν ἐπιγνώσει καὶ πάσῃ αἰσθήσει.* ] Compara *Jo. Michaelis Langii* diſputat. de incrementis ſpiritualibus, Altorfii 1702. *Cognitio* & *ſenſus* hic conjunguntur, ubi poſterius experientiam infert, quam in rebus, ſenſui obviis, ſenſuum beneficio nobis comparamus. Vide huc *Erasm. Schmidium.* Neque aliud, credo, voluit Cl. *Elsnerus*, quando *cognitionem practicam, quæ in animo ſentiatur acris & viva*, indicatam putat p. 235. Ita, eodem monente, οἱ LXX. *Exod.* XXVIII. 3. *οὓς ἐνέπλησα σοφίας καὶ αἰσθήσεως* & *Plutarchus* de Genio Socratis *φωνῆς αἴσθησιν τινα καὶ νόησιν* jungit; quemadmodum *Cicero* lib. I. de Oratore cap. 3. affert aliquid, *quod longiſſime ſit ab imperitorum* intelligentia ſenſuque *disjunctum*. De re ipſa, experientia nempe ſpirituali, Theologorum ſcholas adiri velim, ſpeciatimque conſuli B. *Gottlieb Wernsdorfii* diſſertat. de Guſtu ſpirituali, Wittenbergæ habitam, ut aliam D. *Joach. Langii* de experientia ſpirituali Halæ 1710. editam omittam.

Verſ. 10. *Εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τὰ διαφέροντα* ] *Ut dignoſcatis quæ præſtant*, interprete *Erasmo Schmidio.* Rectius puto verti: *ut dignoſcere poſſitis, quæ diſcrepant*, ſcilicet à lege DEI, vel à veritate. Ita Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. Confer, quæ ſcripſi ad *Rom.* II. 18. Scilicet ad judicium ejusmodi de rebus credendis vel agendis recte ferendum facit cognitio, cum experientia conjuncta, cujus incrementum Philippenſibus adprecatur Apoſtolus v. 9.

*ἵνα ἦτε εἰλικρινεῖς* ] *ut ſitis ſinceri*, B. *Lutherus*: daß ihr ſeyd lauter. Hæc *puritas* vel ad *intellectum* in recte judicando, vel ad *voluntatem*, in recte caſteque agendo, vel ad utrumque referri poteſt. Hoc poſtremo ſenſu vocem accepit *Baſilius* in reg. brevib. Interrog. CCLXIV. & ejus exemplo *Suicerus*, Tom. I. pag. 1029., Apoſtolum exigere exiſtimans, ut *ſint incorrupti & puri in retinenda ſana Evangelii doctrina & minime fucati in tota vita. Theodoretus* interim & *Theophylactus* ad veram fidei doctrinam ſervandam referunt. Placet mihi Cl. *Elsnerus* pag. 237. *Quoniam autem*, inquiens, *hæc ſinceritas ad mentem transfertur atque εἰς τὸ δοκιμάζειν, ut Petrus quoque τὴν εἰλικρινῆ διάνοιαν dixit 2. epiſt. III.* 1. *eam* mentis puritatem *lucemque ſignificabit, qua perſpicere facile omnia & ſine offenſione pergere queant.* Hoc modo τὸ εἰλικρινὲς commode ad ſanum purumque mentis judicium de rebus tum credendis tum agendis, τὸ ἀπρόσκοπον vero ad offenſionem in utroque momento cavendam referetur. Externos etiam Scriptores τὸ εἰλικρινὲς & τὴν εἰλικρίνειαν ad

*mentem* transferre laudatus *Elsnerus* ex *Jamblicho* de vita Pythagoræ cap. 16. pag. 55. & cap. 15. pag. 53. tum *Juliano* in fragmento pag. 296. & *Marino* in vita Procli cap. 21. pag. 51. evincit. *Jamblichus* in loco priore *abſtinentiam animalium*, inquit, *& ciborum commendavit Pythagoras ταῖς τῦ λογισμῦ εἰλικρινείαις ἐμποδιζόντων, qui rationis puritati officerent.* Ceterum de εἰλικρινείᾳ erudite nuper diſſeruit *Rev. Heinric. Chriſtoph. Zeibichius*, Theologus Wittebergenſis, in Programmate inaugurali de Theologo ad ſplendorem Solis judicato, quod cum *πρώτῳ* ejus *λόγῳ Witteberg.* 1732. 4. recuſum eſt.

Verſ. 11. *Πεπληρωμένοι καρπῶν δικαιοσύνης* ] Lege B. *Jo. Fechtii* diſſertat. de fructibus juſtitiæ per JESUM Chriſtum in laudem & gloriam DEI factis Roſt. 1700. & 1707.

Verſ. 12. *ὅτι τὰ κατ' ἐμὲ* ] *rerum mearum conditio.* Vide *Epheſ.* VI. 21. *μᾶλλον εἰς προκοπὴν τῦ εὐαγγελίυ ἐλήλυθεν* ] Phraſis prorſus eadem *Marc.* V. 26. exſtat. Eadem vero ex parte utitur *Arrianus* Expedit. Alex. IV. 19. 9. & 10. *καὶ ταύτην ἰδόντα Ἀλέξανδρον ἐς ἔρωτα ἐλθεῖν αὐτῆς.* Nec minus alii, quos laudat *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 551. Aliis verbis idem exprimit M. *Antoninus* V. 20. *καὶ πρὸ ἔργυ γίνεται τὸ τῦ ἔργυ ἐπιτικόν*, *ita fit, ut quod opus meum hoc inhibet, ad opus conducat.* Vide ibi *Gatakerum.* De verbo *προκόπτειν* & voce *προκοπὴ* lege, quæ ſupra ſcripta ſunt ad *Luc.* II. 52. *Rom.* XIII. 12. & *Gal.* I. 14. *Προκοπὴν* eſſe *ἀδόκιμον* tradunt *Phrynichus*, *Thomas Magiſter* pag. 153. & *Suidas*, quos tamen in vocibus civitate Græca expellendis ſæpe falli conſtat. Voce *προκοπῆς* de *profectu* uſi ſunt *Plutarchus* & *Diogenes Laertius* in Bione. *Προκόπτειν* eſt *progredi*, cujus ſignificationis rationem *Jo. Conrad. Keslerus* in Obſervationibus in epiſt. ad Philippenſes, Tomo II. Theſauri Novi Diſputationum pag. 946. in eo poſitam putat, quod proprie notet, *ante ſe cædere.* Hinc obſervat, quod, ſi Imperator cum exercitu in ſylva quadam impeditus ſit, ut commode inde evadat, ſylvam ante ſe cædere debeat, & quantum ille progreſſus fuerit cædendo, tantum promoviſſe intelligendus ſit. Addit denique, ſimile quid Paulo uſu veniſſe, quando per ipſum vera cauſa, cur Chriſtiani à Judæis & Gentilibus vexentur, in Prætorio Romano patefacta, atque ita ſylva præjudiciorum & impedimentorum ſucciſa ſit. Longius hæc mihi quidem petita videntur. Non nego, verbum ſimplex *κόπτειν* ſæpe idem eſſe, quod *cædere, ſecare.* Fruſtra vero adhuc locum quæſivi, in quo *τὸ προκόπτειν ante ſe cædere* Auctoribus inferat. Jam conſtat, a ſignificatione verbi ſimplicis ad illam compoſiti argumentum minus tuto peti, niſi Scriptorum uſus acceſſerit. Porro τὸ, *κόπτειν* Græcis eſt *tundere, pulſare*, v. c. fores. Nonne præſtat, hinc *profectus* notionem in verbo *προκόπτειν* & voce *προκοπὴ* petere, ſiquidem ad ſignificatum verbi ſimplicis reſpectus omnino haberi debeat?

Verſ.

Verſ. 13. Ωστε τοὺς δεσμούς μου φανεροὺς γενέσθαι ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ ] Poſtrema verba B. *Lutherus* reddidit im gantzen Richthauſe. Ibi *Emſerus, Dietenbergerus* & *Zangerus*, Pontificii, ſubſtituunt in allen Richthäuſern, deſerti & a dictione ipſa, & à *Cornelio Lapidenſi*, ceu pluribus oſtendit B. *Raithius* in Vindiciis verſionis Germanicæ pag. 539. Quid per *Prætorium* intelligatur, inter *Jac. Perizonium* & *Ulricum Huberum* ſuperiori Sæculo acerbius, quam par erat, diſputatum eſſe conſtat. *Perizonius* diſſertationem Academicam *de origine, ſignificatione & uſu vocum Prætoris & Prætorii, veroque ſenſu hujus loci ad Philippenſes* ediderat *Franequeræ* 1687. Ei ſe oppoſuit *Huberus* Parte II. Prælectionum Juris Romani & hodierni in expoſitione tituli XI. reſponſionem *Perizonii* in alia diſſertatione an 1688. nactus. Eam vero convellere inſtituit *Huberus* libro ſingulari, *Diſſertationibus ejus ſeptem* Juridico Theologicis an. 1688. ſubjuncto. Hunc denique excepit Perizonii *cum* Hubero *diſquiſitio* de Prætorio cum alibi tum maxime in urbe Roma, ejusque Prætorii præfecto ac vero ſenſu verborum Pauli h. l. Franequeræ 1690. 8. Ea continentur ſingula utriusque diſputantis ſcripta huc pertinentia cum novo & curato ſententiæ Huberianæ examine. Summa illius capita expoſita leges in Actis Erudit. Lipſienſ. an. 1691. pag. 237. ſqq. *Huberi* judicio Prætorium eſt *urbanum juri dicundo auditorium & pars palatii Cæſarum; ex Perizonii* vero ſententia, *prætoriarum cohortium corpus, ſeu caſtrum, ubi Romæ prætoriani tendebant, unde ſubmittebantur cohortes, quæ per vices ad palatium Cæſareum ſtationem agerent. Perizonius* pag. 901. ſententiæ ſuæ veritatem his præcipue ſuperſtruit, quod *Huberus* nec uſum nec analogiam ſignificationis Prætorii pro parte palatii judiciali, in qua auditorium fuerit, toto iſto libro probaverit; nec ullum attulerit locum, in quo vocabulum iſtud tali ſenſu fuerit adhibitum; neque publicum ac ſtatum juris dicundi auditorium in palatio Cæſarum primi ſæculi exſtiterit. Summam denique ſententiæ ſuæ ita complectitur, quod Paulus militi prætoriano, tanquam membro prætoriarum cohortium, qui ipſi alligatus erat, reliquisque, qui crebro accedebant, vinculorum rationem innocentiamque ſuam expoſuerit, atque adeo evangelium prædicarit, quo ipſo factum ſit, ut vincula ſua toti cohorti prætoriæ eorumque ratio innoteſceret. *Perizonii* interpretationem amplexus eſt *Salom. van Till* in commentario Latine ad h. l. & ſecundum eam ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ belgice vertit: *onder de gantſche lyfwagt*? tum vero *Jo. Clericus* & *Beauſobrius* ac *Infantius* in verſionibus Novi Teſtamenti Gallicis notisque ad illas ſuis. *Huberianam* quæ & *Grotii* eſt ab altera parte adoptavit *Herm. Witſius* in Meletematibus Leidenſibus pag. 211. Accipe verba ejus. *Profecto*, inquit, *cauſam non video, cur ea (Grotii) explicatio, ſpreta omnium fere tam antiquiorum quam recentiorum interpretum auctoritate, rejiciatur. Nam Cæſarem appellaverat Paulus: ad Cæſarem miſſus erat: &, ſi ſubſcriptioni poſterioris ad Timotheum aliqua fides eſt*, παρέστη Καίσαρι Νέρωνι, *ab ipſo Cæſare auditus, præſentibus, uti credibile, Burrho, præfecto, prætorii, & Seneca, qui officii ratione ab illa audientia vix poterat*

 *abeſſe,*

*abeſſe, & quidni eo loco, ubi Cæſar jus dicere ſolet? Ibi cauſam ſuam ſolus, ſine advocato & patrono, egit, & ſolita ſibi animi præſentia ac παῤῥησίᾳ, Chriſti etiam Spiritu verba dictante, locutus, ſui admiratione totum auditorium implevit. Sic ut cauſa DEI in meliorem partem innoteſceret, cum in ipſo prætorio apud Cæſarem, ejus Præfectum, Aſſeſſores judicii, comitesque & reliquos ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, ex domo Cæſaris, tum apud alios omnes, qui affluxerant auditores, totamque adeo urbem.* Atque in has partes libentiſſime concedere me non diffiteor, qui non intelligam, quomodo phraſis Paulina ſibi alioquin ſatis conſtet, aut qui fieri potuerit, ut cauſa Pauli non ſolum toti Prætorio, ſed & *reliquis omnibus*, Romæ ſcilicet verſantibus, cognita in commodum Evangelicæ doctrinæ eſſe potuerit, ex illis tantum ſermonibus, qui inter Paulum, & militem prætorianum, aliosque illi ſimiles, & ad Paulum adventantes, interceſſerint. Confer, quæ de *Prætorio* hoc commentatus eſt *Pet. Zornius* Tom. II. Opuſcul. Sacrorum p. 699. ſqq.

Verſ. 14. *περισσοτέρως τολμᾷν*] deſto dürſtiger worden ſind, B. *Luthero* interprete, cujus vocis Germanicæ vim & originem repræſentat B. *Diderieus à Staden* in Expoſitione vocum difficiliorum verſionis Biblicæ vernaculæ ſuo loco.

*τὸν λόγον*] Codices aliquot addunt *τοῦ Θεοῦ*. At frequenter Paulus *τὸν λόγον* ſimpliciter de *verbo divino* ſeu Evangelico adhibet. Vide *Epheſ.* VI. 19, ubi *ὁ λόγος* in calce ejusdem commatis explicatur per *τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου*. Conf. *Gal.* VI. 6. 1. *Tim.* V. 17. & 2. *Tim.* IV. 2.

Verſ. 15. *Τινὲς μὲν καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν ——— κηρύσσουσιν*] Phraſi fere eadem in re ſimili utitur *Philemon* in Fragmentis pag. 346. obſervante Cl. *Alberti*:

> Πολλά με διδάσκεις ἀφθόνως διὰ φθόνον.
> *Multa me copioſe doces per invidiam.*

*εἴτε προφάσει εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται*] Ita in *Sota* f. 47. 1. homo ſemper jubetur *legi & bonis operibus operam dare, etiamſi id non faciat ex amore in legem, quia, quamvis primo bonam intentionem non habeat, ad eam tamen pervenire poſſit.* Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 795.

Verſ. 16. *οἰόμενοι θλῖψιν ἐπιφέρειν*] *Polybius* ſimiliter ait ὄνειδος & κινδύνους ἐπιφέρειν pag. 322. annotante *Raphelio* in Polybianis pag. 551. Cl. *Oederus* hæc refert ad Judæos ipſos, qui malo conſilio ad excitandas turbas Chriſtum prædicare aggreſſi ſint. De eo dicemus infra ad epiſtolæ hujus ſubſcriptionem.

Verſ. 17. *ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι*] Vide, quæ infra ad ſubſcriptionem hujus epiſtolæ dicentur.

Verſ.

Verſ. 18. Τί γὰρ; πλὴν ] Nonnulli codices τῷ πλὴν præmittunt ὅτι, non male, judice *Grotio*. At etiam ſine illo ὅτι ſenſus particulæ πλὴν obvius eſt. Idem enim h. l. eſt, quod, *tamen*: vel *ſic*, cujus ſignificatus exempla ex *Stephano* petes. Nec memini me, in hac vocis notione τὸ ὅτι præmiſſum invenire.

εἴτε προφάσει ] *in ſpeciem*, ut *Beza* & *Eraſmus Schmidius* vertunt: vel etiam *prætextu*. Hoc ſenſu πρόφασιν τῇ ἀληθείᾳ vel τῷ ἀληθεῖ *Polybium* & *Arrianum* paſſim opponere locis non inficiandis evicit Rev. *Raphelius* in Annot. Polybianis pag. 354. *Polybius* pag. 1356. ita: *Critolaus populum in concionem vocare προφάσει μὲν χρώμενος, in ſpeciem quidem, ut, quæ acta cum Lacedamoniis eſſent, exponeret: τῇ δὲ ἀληθείᾳ κατηγορίαν ποιούμενος Ῥωμαίων, re autem vera, ut Romanos accuſaret.* *Arrianus* de Expedit. Alex. M. l. 25. 6. πρόφασιν μὲν παρὰ Ἀτιζύην τὸν Φρυγίας σατράπην, τῇ δὲ ἀληθείᾳ τῷ Ἀλεξάνδρῳ τούτῳ συνεσόμενον. Scilicet falſi & ſubdoli Evangelii præcones, ſtudium Evangelii provehendi *prætexebant*, *re* autem *vera* Paulo ægre facere per invidiam ſtudebant. Deſerendi itaque ſunt, qui πρόφασιν h. l. cum *Vulgato* de *occaſione* accipiunt. Contra eos lege *Raphelium* l. c. qui in Semicenturia Annotationum Philologic. in N. T. cum Annotationibus Herodoteis recuſa, p. 702. πρόφασιν alias *occaſionem* denotare ex *Euſebio* oſtenderat.

εἴτε ἀληθείᾳ ] ſive *ſincere*, & bona mente. Vide, quæ modo diximus.

Χριστὸς καταγγέλλεται ] Ex hoc loco Theologi noſtrates puriorum partium recte confecerunt, eos etiam, qui cum voluntate minus emendata ad doctrinam Evangelii prædicandum accedunt, eo munere veritati convenienter & cum fructu, ſi cetera recte ſe habeant, defungi poſſe. Huc pertinent omnes illæ commentationes, quæ hoc inprimis ſæculo de *Theologia irregenitorum* lucem adſpexerunt, alibi commemoratæ. Sed vel ſic D. *Joachimo Langio*, Theologo Halenſi, im Apoſtoliſchen Licht und Recht ad h. l. placuit, priſtinam ſuam ſententiam aculeatius & acerbius, quam par erat, tueri, & eadem opera in verſionem Beati Lutheri, tanquam *incaute* expreſſam, invehi, culpamque omnem in τὸν μακαρίτην referre. Verſio B. *Lutheri* ita habet: Was iſt ihm dann? Daß nur Chriſtus verkündiget werde allerley Weiſe, es geſchehe zufalls oder rechter Weiſe, ſo freue ich mich doch darinnen, und will mich auch freuen. In his verbis duo reprehendit. Primum quidem, quod Lutherus ea *voti* vel *conceſſionis* inſtar exprimit, quæ ab Apoſtolo ſimpliciter tanquam tum temporis a nonnullis ita geſta referat, hoc ſenſu: Chriſtus wird auf allerley Weiſe, es geſchehe mit Vorwand oder mit der Wahrheit verkündiget. Alterum eſt, quod Lutherus voces: ἐν τούτῳ, ad Evangelii præconium, quocunque modo inſtitutum, tanquam gaudii Paulini materiam, retulerit, cum tamen Paulus ſe de Chriſto ipſo gaudere teſtatur. Quod ad prius attinet, largiamur, verba Pauli priora ita vertenda eſſe: *tamen Chriſtus omni modo, ſive ſub prætextu,*

*ſive*

Digitized by Google

*ſive vere prædicatur*, & vel hic *Lutherus* nihil aliud expreſſit, niſi quod, more ſuo, perſpicuitati magis cuperet conſultum, qua quidem in re Interpretes tantum non omnes ſibi habet conſentientes. Ita *Vulgatus*: *Quid enim? dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, ſed etiam gaudebo.* Similiter *Eraſmus Schmidius*: *Quid enim? quin potius quovis modo, ſive in ſpeciem, ſive ſincere Chriſtus annuncietur, tamen in hoc gaudeo, imo etiam porro gaudebo.* Nunquam autem effecerit Vir doctus, ut Paulum hic exiſtimemus, nude & ſimpliciter ea retuliſſe, quæ tum à nonnullis in præconio Evangelii prave & ſubdole agebantur. Sic enim idem repeteret, quod ante jam dixerat inſtar narrantis v. 15. *Τινὲς μὲν γὰρ καὶ διὰ φθόνον καὶ ἔριν, τινὲς δὲ καὶ δι' εὐδοκίαν τὸν Χριστὸν κηρύσσουσιν. Οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας τὸν Χριστὸν καταγγέλλουσιν, κ. τ. λ.* Cui igitur fini eadem hic repeteret, niſi ut judicium ſuum de diverſa illa Chriſtum prædicandi ratione exponeret, h. e. adſereret, bonum omnino eſſe Chriſtum prædicari, quacunque demum prædicantium mente id fiat. Audiamus *Chryſoſtomum* in h. l. *Οὐ σφόδρα αὐτῶν κατηγόρησεν, ἀλλ' εἶπε τὸ γινόμενον. Τί γάρ, φησιν, ἐμοὶ διαφέρει, ἄντε οὕτως, ἄντε ἐκείνως; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται. Οὐκ εἶπε, καταγγελλέσθω, νομοθετῶν ἀλλὰ πρῶτον μὲν τὸ συμβαῖνον ἀπήγγειλε. δεύτερον δὲ, εἰ καὶ νομοθετῶν ἔλεγεν, οὐδὲ οὕτω τὰς αἱρέσεις εἰσῆγεν --- πῶς; ὅτι ἐκεῖνοι ὑγιῶς μὲν ἐκήρυττον, ὁ σκοπὸς δὲ, καὶ ἡ διάνοια μεθ' ἧς ἐποίουν οὕτω, διέφθαρτο, οὐ τὸ κήρυγμα ἐνήλλακτο. Non graviter in eos animadvertit, ſed refert factum. Quid enim*, inquit, *mea refert, ſive hoc ſive alio modo agatur: vel ſic omni modo, ſive ſub prætextu, ſive ſincere Chriſtus annunciatur. Non ait: annuncietur, quaſi jubens; ſed primum quidem rem refert; deinde vero, ſi etiam, lege quaſi lata, ita diceret, ne ſic quidem hæreſes introduceret. - - - Quomodo? quod illi quidem recte ſeu pure prædicabant, ſcopus vero & intentio, cum qua ita agebant, corrupta erant, præconio interim non mutato.* Ex his *Chryſoſtomi* verbis manifeſtum eſt, Doctorem optimum ante B. Lutheri verſionem Pauli mentem eadem ratione accepiſſe, & ante noſtrates Theologos doctrinam illam tenuiſſe, ſecundum quam irregenito facultas tribuitur Evangelium *ὑγιῶς ſane* & *recte*, prædicandi. Accedamus ad alterum reprehenſionis intempeſtivæ caput. Phraſin, *καὶ ἐν τούτῳ χαίρω*, *etiam* vel *tamen in hoc gaudeo*, non vult referri ad præconium de Chriſto quocunque modo factum, ſed ad *Chriſtum*, eo ſenſu, quod Paulus gaudium ſuum *de* & *in* Chriſto perpetuum fore profiteatur. Quomodo hæc cum antecedentibus conſpirent, non intelligo. Apoſtolus v. 16. conqueſtus erat de peſſimo ſubdolorum quorundam in præconio Evangelii conſilio, quod eo pertinebat, ut ſibi ægre facerent, & calamitates ſuas augerent. Jam v. 18. quærit: *τί γάρ? quid tum? quid refert?* h. e. num forte ſcopum ſuum illi obtinebunt? num adfligent animum? Imo vero, inquit: vel ſic Chriſtus ab iis annunciatur. Itaque & gaudeo in toto negotio, & inpoſterum gaudebo. Hæc puto nexui ſermonis recte reſpondere. De *præconio* enim *Evangelii* non

non autem de *Chriſto* in ſe ſpectato ſermo fuerat: itaque non ad *Chriſtum*, ſed ad *κήρυγμα* ſeu præconium *τὸ τῦτο* eſt referendum, ita quidem, ut Paulus ſimul reſpicere exiſtimetur ad illam calamitatem, quam ex prava nonnullorum præconum intentione in ſe derivari ſentiebat. Et nonne ampla gaudii materies Paulo hinc ſubnaſcebatur? Erant, qui *ſincere* & *propenſa voluntate* (*δι' εὐδοκίαν*) v. 15. *ex amore* (in Chriſtum & proximum) v. 17. Evangelium prædicarent: nonne de hoc gauderet Apoſtolus? Erant vero, qui idem præſtarent *per invidiam & contentionem*, atque adeo *non ſincere* v. 16. non eo animo, quo decebat. Sed illi etiam inviti cognitionem Chriſti ad plures perferebant, tanquam tales, qui nec ſcirent, quo animo illi eſſent. Nonne & de hoc gaudere poterat Apoſtolus, qui in amplificanda Chriſti gloria totus eſſet, ac præterea probe ſciret, omnes illas calamitates, quæ ſibi intentabantur, vel irritas fore, vel in commodum ſuum & Evangelii ceſſuras? Audiamus iterum *Chryſoſtomum* l. c. *τί ἐςιν, ἀλλὰ κ) χαρήσομαι; κἂν ἐπιπλεῖον γένηται, φησιν, Εμοὶ γὰρ συμπράττυσι κ) ἄκοντες, κ) τῶν αὐτοῖς πεποιημένων ἐκεῖνοι μὲν κόλασιν, ἐγὼ δὲ, ὁ μηδὲν συμβαλλόμεν☉, μισθὸν λήψομαι. Quid ſibi vult, quod ait*: ſed etiam gaudebo? *ſcilicet, etiamſi res ita proceſſerit. Nam illi etiam inviti cooperantur, &, quando ipſi pœnas factorum luent, ego, qui nihil huc contulerim, mercedem feram.* Jam ingenuum & cordatum quemque lectorem arbitrum feram, quam recte vir doctus gaudium Paulinum non ad totum illud Evangelii prædicati negotium, ſed ad Chriſtum retulerit. Et videtur quidem hac in parte ſibi ipſi diffiſus, quando eodem loco tradit, *τὸ ἐν τύτῳ* adhuc *aptius de conditione & ſtatu rerum illius ætatis intelligi poſſe, ita ut Paulus teſtetur, ſe vel ſic etiam in calamitatibus propterea conſtitutum in Chriſto gaviſurum eſſe.* In quam ſententiam urget, quod Paulus v. 19 ait *τῦτο* h. e. calamitates inde ſibi obortas, in ſalutem ſibi ceſſuras. Accipimus quod ille dat. Lætatur Paulus de calamitatibus ſibi ex ſubdolo præconum Evangelii animo obortis. Cur non igitur etiam lætetur de præconio ipſo, in ſe ſpectato, in quantum illud ſibi inpoſterum, reſpectu conciliatarum ſed exantlandarum calamitatum, lucro fore, Chriſti autem cognitionem in præſens amplificare intelligebat? Hoc ſenſu Paulus probat præconium Evangelii, ſubdole & prava etiam mente factum, non item illo, ac ſi in univerſum ſibi placeret hypocriſis illa & perverſitas, qua hominum vitio erat infectum. Hanc ſuſpicionem & calumniam à Pauli verbis amolitus eſt B. *Wolfgangus Franzius* in aureo tractatu de interpretatione Scripturarum Sacrarum Oraculo CXIII. pag. 668. ſqq. *Nequaquam igitur*, inquit, *Apoſtolus probat ſimulationem & hypocriſin & neutralitatem in religione. Sed tantum hoc vult, ſe gaudere, quod tunc temporis quidam, etiam mali, tamen majeſtatem Chriſti prædicent, in odium aliorum, qui eam nimis craſſe perſequebantur. Hunc enim finem inde ſibi pollicetur* 1. *quod Evangelium de Chriſto ad plures magnates manabit* 2. *quod & auditores & doctores iſti anſam inde capient, plenius inquirendi in doctrinam Pauli, an iſta, an vero reliquorum verbo toti divino magis ſit congrua.*

*grua.* Ita ſcripſit B. *Franzius* diu ante controverſiam illam, noſtra inprimis ætate agitatam, ut proinde illis, qui hodie eadem ratione de ſenſu loci Paulini ſentiunt, injuria fiat, quando τῇ ὑποθέσει δουλεύειν dicuntur Videat potius Rev. *Langius*, annon etiam hac in parte & *præjudicatæ opinioni* & *propriæ meditationi*, qua ſe in commentationibus ſuis tantum uti frequenter inculcat, nimis indulgeat, dum non ſolum innoxiam B. Lutheri verſionem intemperantius caſtigat, ſed & eam interpretationem phraſeos ἐν τούτῳ invehit, de qua nec veterum nec recentiorum quisquam vel per ſomnium cogitavit. Quod ſi cui à B. Lutheri verſione divertere placeat, aliam rationem inire poterit, expoſitioni Langianæ prorſus adverſam. Illa ſubnata mihi eſt ex contextu Græco, qualis ab *Eraſmo Schmidio* prodiit. Τί γάρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ Χριστὸς καταγγέλλεται, καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι. *Quid enim? Quin potius quovis modo, ſive in ſpeciem ſive ſincere Chriſtus annuncietur, tamen in hoc gaudeo, imo etiam* porro *gaudebo.* Vides *Schmidium* τὸ, παντὶ τρόπῳ, referre ad gaudium Apoſtoli, quod quovis modo Paulus in hac cauſa ſentiat, ſive in ſpeciem, ſive ſincere Chriſtus prædicetur. Pro hac verſione ornanda plura dici poterant, ſiquidem operæ pretium mihi videretur. Minime vero omnium conſultum puto, B. Lutheri verſionem vel deſerere, vel, quod plus valet, vellicare, ubi vel ferri poteſt, vel ceteris anteferri meretur. Neque tamen id puto tacendum, quod *Cyprianus* & *Auguſtinus*, ea, quam dixi, ratione verba hæc acceperint. *Auguſtinus* enim lib. IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. VII. ita: *Nam revera, quod quidam Cypriani diſputationibus opponebant, quod Apoſtolus ait:* Veruntamen omnino, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuncietur; *recte* Cyprianus *refellit, oſtendens ad cauſam hæreticorum non pertinere, quoniam de his dicebat Apoſtolus, qui cum malevola invidia ſua quærentes interius verſabantur. Chriſtum quidem annunciabant, ſicut ſe habet veritas, qua Chriſto credimus; ſed non eo animo, quo & bonis Evangeliſtis illius columbæ filiis annunciabatur.* Si hanc verborum verſionem admittimus, altera illa Langiana prorſus conciderit. Secundum eam enim gaudium Pauli ad præconium Evangelicum omni modo referretur, ſive id *ſubdolo*, ſive *ſincero* animo inſtitueretur. Id denique hic addere fas ſit, quod *Langius* vocem ἀληθείᾳ vertat nach der Wahrheit, eo procul dubio ſenſu, quod præcones illi ſubdoli Evangelium Chriſti *veritati* in Scripturis traditæ, vel ab Apoſtolis acceptæ, non convenienter docuerint. At enim vero de illa doctrinæ veritate prorſus hic ſermonem non eſſe, vel ex oppoſita προφάσει *ſpecie*, *prætextu*, apparet. Eo enim prava ſua conſilia homines vafri tegebant, quamvis alioquin ore ea traderent, quæ ad gloriam Chriſti amplificandam ſpectabant. Hinc v. 16. dicuntur Chriſtum οὐχ ἁγνῶς καταγγέλλειν, *non ſincere prædicare*, ſed ἐξ ἐριθείας, *ex contentione*, quod non *doctrinæ*, ſed *animi* eſt vitium. Itaque verti illa potius debent: es geſchehe mit Vorwand, oder in Aufrichtigkeit. Atque id ſibi voluit *Lutherus*: es geſchehe rechter Weiſe.

ἀλλὰ

*ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι*] B. *Lutherus* ita: und will mich auch freuen. Et hoc diſplicet Rev. *Langio*, qui mavult: ja ich will mich freuen. Non nego, *τὸ ἀλλὰ* notione intenſiva h. l. pollere, ut infra cap. III. 8. & alias. At nego, quod *Langio* videtur, B. *Lutherum τὸ ἀλλὰ* prorſus omiſiſſe. Expreſſit ſane *τὸ ἀλλὰ* per auch, quemadmodum *τὸ καὶ* per und, adeoque nihil hic egit aliud, quam ut particulam utramque eo poneret loco, ad quem ex indole linguæ vernaculæ pertinent. Habet præterea illud auch vim intendendi. Ita Germani: er hat mich geſchimpfet, auch (i. e. ja) geſchlagen. Lutherus itaque idem dixit, quod dici cenſoris judicio debebat.

Verſ. 19. *καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος Ἰησοῦ Χριστοῦ*] de voce *ἐπιχορηγία* v. ſupra *Epheſ.* IV. 16. Adde *Jo. Conr. Kesleri* Obſervationes in epiſt. ad Philippenſes pag. 946. Theſauri novi Diſputatt. Vol. II.

Verſ. 20. *Κατά τὴν ἀποκαραδοκίαν*] Vid. ad *Rom.* V. 5.

Verſ. 21. *Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς*] Τὸ *ζῆν* ***vivere*** pro vita poſuit ***Menander***: *πολλῶν δὲ μεστόν ἐστι τὸ ζῆν φροντίδων.* Et alibi:

- - - *τοῖς δὲ γὰρ μόνοις ἐκεῖ*
*Ζῆν ἐστι· τοῖς δ᾽ ἄλλοισι πάντ᾽ ἐκεῖ κακά.*

Notavit hæc *Alex. Morus* in Notis pag. 169.

*καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος*] ***Lucianus***: *οὐδενὶ τὸ θανεῖν κέρδος*, quaſi contra Paulum ſcripſiſſet, obſervante *Moro* l. c. At Socrates in Apologia, *θαυμάσιον κέρδος θάνατον* appellat, & paulo poſt addit: *εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατός ἐστι, κέρδος ἔγωγε λέγω.* Hæc & alia recitant *Morus*, *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 193, & B. *Chriſtoph. Henr. Ritmeierus* in diſputat. de Nomenclaturis mortis emphaticis pag. 20. ſeqq. Sunt, qui totum hoc comma ita vertunt: ***Mihi enim eſt Chriſtus & in vita & in morte lucrum.*** Ita *Beza*, nec aliter ex noſtratibus ***Eraſmus Schmidius.*** Atque illi quidem orationem cenſent eſſe ellipticam, ita ſupplendam: *Ἐμοὶ γὰρ καὶ κατὰ τὸ ζῆν, Χριστὸς, καὶ κατὰ τὸ θανεῖν ἐστι κέρδος.* ***Schmidius***, fateor, in notis exempla ex Græcis Scriptoribus adduxit, quæ ellipſin *τοῦ κατὰ* in Infinitivis receptam eſſe oſtendunt. Sed nullum eorum noſtro loco eſt ſimile, in quo non tantum ad ſenſum illum exſculpendum ſupplemento præpoſitionis dictæ opus eſt, ſed trajectionem quoque nominis Chriſti, quod *τῷ κέρδει* jungendum ſic erat, ſtatui neceſſe eſt. Nihilominus tamen interpretationem illam probarunt ex Anglis *Arraus*, &, (qui eum, tanquam ſolum interpretem, qui Apoſtoli mentem ſit adſecutus, laudat) *Gatakerus* in notis ad M. Antoninum IX. 42. pag. 350. tum *Knatchbullus*, ex noſtratibus autem *Ritmeierus* l. c. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis pag. 149. *Raphelius*, in Notis Xenophonteis pag. 265. B. ***Paulus Chriſtian. Hilſcherus*** in epiſtola germanica, Budiſſæ 1715. 8. ſub titulo: Gedancken von dem Gewinn an Chriſto edita, & noviſſime Rev. ***Zeltnerus*** in notis ad verſionem

B. Lutheri Germanicam: ex Reformatis denique præter *Bezam*, *Calvinum*, *Muſculum*, *Suicerum* Tom. II. pag. 92. *Herman. Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 977. Aliis tamen, tanquam durior & impedita, merito diſplicuit, ex quibus *Piſcator* trajectionem illam duram eſſe, & à ſtili Paulini ſimplicitate alienam recte judicat. Hoc enim ſi voluiſſet Paulus, ita potius erat ſcripturus: Ἐμοὶ γὰρ Χριστὸς καὶ τὸ ζῆν, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Præterea vero ſententia hæc non cohæret, ut ratio cum præcedente, quod tamen conjunctio γὰρ requirit. Aliud enim eſt gloria Chriſti, aliud ſalus Pauli, quæ lucri nomine appellatur. Confer in eandem ſententiam ex Reformatis *Dan. Heinſium* contra *Bezam* diſputantem, & ex noſtratibus B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Itaque rectius in priore ſententia Chriſtus ita accipitur, ut dicatur *vita* eſſe Pauli; ſicut in poſteriore *mors* vocatur *lucrum*. Prius id ſibi vult, quod Paulus tum vivere ſe vere exiſtimet, ubi gloriam Chriſti amplificare poſſit. Huc enim omnia ſua tendere profeſſus eſt *Gal.* II. 20. Ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. Hic negat Paulus *ſe vivere*, ſcilicet ſibi, in ſuum commodum & pro ſuo arbitrio, ſed potius Deo, ἵνα Θεῷ ζήσω, ibid. verſ. 19. quia ſcilicet Chriſtus in ſe vivat, cujus virtute & beneficiis excitatur ad gratum animum provida muneris ſui cura demonſtrandum. Confer 2 *Cor.* V. 15. In poſteriori membro mortem in lucro ſibi ponit Paulus, non eo quidem ſenſu, quod etiam morte ſua animas Chriſto ſit lucraturus, quem *Jo. Clericus* in verſione Gallica expreſſit; ſed quod per mortem eo citius in beatum Chriſti conſpectum ſit perventurus. In illum enim deſiderio ferebatur Paulus, v. 23. Atque hunc utriusque membri ſenſum eſſe ex veteribus, ut alios apud *Suicerum* Tom. II. pag. 92. taceam, cenſuit *Chryſoſtomus* in h. l. quem etiam auctor epiſtolæ ad Laodicenſes, quæ Pauli nomen mentitur, ad exemplum hujus loci expreſſit. Ille enim ita v. 8. Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν χαρά. Vide *Fabricii* Codicem Apocryphum N. T. pag. 876. qui in notis hanc ſententiam probat, & ex eo quoque adſtruit, quod τὸ, ἀποθανεῖν κέρδος, proverbii vice olim fuiſſe videatur. Id ſcilicet frequens hujus phraſeos uſus, ſupra commonſtratus, credere jubet. Rem dicit, quamvis non iisdem verbis, *Apollonius* ep. LV. Μηδὲ, ἐπεὶ θάνατός τι λέγεται, κρεῖττον αὐτοῦ τὸ ζῆν ὑπολάμβανε, χεῖρον ὂν τῷ παντὶ τοῖς νῦν ἔχουσι.

Verſ. 22. Ει δὲ τὸ ζῆν ἐν σαρκὶ] In carne vivere, idem eſt, quod in corpore, animæ juncto, vivere. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 936. Paulus eandem ſententiam phraſibus aliis exprimit v. 24. & 25. per ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ, & μένειν, vel συμπαραμένειν, de quibus *Keslerus* legatur loco ad v. 23. citando.

τοῦτό μοι καρπὸς ἔργου] καρπὸς Græcis æque, ac *fructus* Latinis *emolumentum* ſignificat, quia ſcilicet *emolumentum*, ſeu *commodum* ex re quapiam, ceu fructus ex arbore vel ſtirpe, naſcitur. Eodem ſenſu M. *Antoninus* IV. 23.

πᾶν

Digitized by Google

*ϖῶν μοι καρπός.* Idem VI. 30. *καρπὸν τῆς ἐπιγείυ ζωῆς fructum vitæ terreſtris* appellat. Sunt, qui hanc phraſin cum Latinorum illa, qua *operæ pretium* dicunt, comparant. Ita *Grotius* & *Gatakerus* ad Antoninum pag. 146. ex noſtratibus autem *Dannhauerus*, & *Olearius* de Stilo N. T. pag. 375. Cum vero Græcum illud Latino non penitus reſpondeat, quia Latini non dicunt, *mihi operæ eſt pretium*, Latiniſmum hoc loco non recte ſtatui ſapienter monuerunt Cl. *Schwarzius* ad *Olearium* l. c. *J. Erhardus Kappius* in diſputat. de Novi Fœderis Græci Latiniſmis merito & falſo ſuſpectis pag. 25. & M. *Georgius* in diſputat. de Latiniſmis Novi Teſtamento affictis, pag. 16. Videtur præterea Paulus aliud innuere, quam quod Latinis *operæ pretium* vocatur. Vox *ἔργον* munus ejus Apoſtolicum infert. Hoc ſenſu *καλὸν ἔργον* occurrit 1 *Tim.* III. 1. & 2 *Tim.* III. 17. item IV. 5. Similiter *Homero ἔργα* vocantur *τὰ βέλτιςα τῶν ἔργων*, *præclara quæque opera*, & *τὰ σπυδαῖα* veteribus ſimiliter *ἔργα* audiunt. Vide eruditiſſimi *Alexandri Politi* notas in *Euſtathium* ad Iliad. *β.* pag. 480. Jam vero vitæ prorogatio ſpem faciebat Apoſtolo majoris *emolumenti* per adminiſtrationem muneris ſui in alios derivandi. Hoc voluit B. *Lutherus*, quando vertit: Dienet mehr Frucht zu ſchaffen.

*καὶ τί αἱρήσομαι, ὐ γνωρίζω*] *utrum eligam, neſcio.* Poſtremum verbum alii ad *τὸ, καὶ τί αἱρήσομαι* tantum, alii vero ſimul ad antecedens *τὸ ζῆν ἐι σαρκὶ*, referunt. Hi ita vertunt cum *Beza* & *Eraſmo Schmidio*: *An vero vivere in carne mihi operæ pretium ſit, & quid eligam, ignoro?* Interpretationem hanc probabilem facit particula *καὶ*, quæ indicio eſſe poteſt, de duobus membris hic ſermonem eſſe, quæ Paulus non ſatis habeat perſpecta, nempe, num vita ſua longior profutura ſit Evangelii præconio, & utrum vitam an mortem potius optare debeat. Malim tamen ignorationem illam ad optionem vitæ vel mortis tantum referre, cum v. 24. Paulus diſerte dicat, vitam ſuam *magis neceſſariam eſſe propter* Philippenſes, h. e. in eorum commodum. Τὸ *ἐι* itaque hic idem erit, quod *ſi*, *τὸ καὶ* vero idem quod, *ideo.* *Jo. Andreas Kesler* in Obſervationibus in epiſtolam ad Philippenſes pag. 946. ſeq. Theſauri Novi Diſputatt. Theologico-Philogicarum *τὸ γνωρίζειν* tranſitive per *notum facere* interpretari mavult, hoc ſenſu: *an vero quod ad vitam in corpore attinet, id mihi fructus fuerit laboris, & operæ pretium, item, utrum vivere an mori eligam, id quidem non indico, ne ſubito vos mærore opprimam; in hoc jam non diſputabo, quia & ipſe incertus adhuc ſum, & animi pendeo.* Non nego, tranſitivam illam ſignificationem in Novo Fœdere æque ac profanis Scriptoribus frequentiſſimam eſſe. Utrumque *Stephanus* ſatis probatum dedit. Neque tamen exiſtimem, hoc loco eam alteri, qua *notitiam rei* infert, præferendam eſſe, quam & *Stephanus* l. c. Pauli verbis relictam cupit. Non dubito, Paulum hic animum ſuum de optione facienda dubium profiteri, quod ipſe vir doctus largitur. Propterea enim v. 23. rationes probandi affert. Deinde v. 24. diſerte affirmat, & *notificat* Philippenſibus vitam ſuam longiorem



Digitized by Google

ipſis utiliorem fore. Denique τὸ ὐ γνωρίζω oppoſitum hic eſt τῷ, καὶ τῦτο πεποιθὼς οἶδα v. 25.

Verſ. 23. Τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι] Duo ſunt codices, qui τὸ εἰς omittunt. Unde factum eſt, ut *Zachariæ Piercio* in epiſtolis duabus de editione V. T. à Bentlejo ſuſcepta, & de variis N. T. locis pag. 26. *totam ſententiam ſic refingere liberet* : τὴν ἐπιθυμίαν ἔχων τῦ ἀναλῦσαι, cauſato, articulum τὸ in τῦ *facile mutari*, & in *antiquiſſimis codd. ac marmoribus* o *pro* OY *ſæpius occurrere*. De poſteriore hoc momento alibi diximus, quod, ſi maxime admittatur, conjecturam hanc non juverit. Paulus ex linguæ Græcæ rationibus ſcribere utrumque potuit, nempe εἰς τὸ ἀναλῦσαι, & τῦ ἀναλῦσαι. Utramque enim dictionem veteres adhibuiſſe, *Billius* in Locutionibus Græcis pag. 156. ſqq. & *Jo. Bentzius* in Theſauro pure loquendi & ſcribendi pag. 173. tum vero *Jo. Henr. Majus*, ὁ μακαρίτης, loco mox citando oſtenderunt. Sic *Parthenius* in Eroticis cap. 16. ἐπιθυμίαν ἔχειν τῦ ποιεῖσθαί τι, & ἄγεσθαι εἰς ἐπιθυμίαν cap. 29. pag. 349. dixit. Apoſtolum vero ſcripſiſſe εἰς τὸ, non vero τῦ ἀναλῦσαι, ut conſtantior codicum lectio probat, ita eadem loquendi ratio, Paulo frequenter recepta, credere jubet. Sic *Rom.* I. 10. ait εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς & v. 20. εἰς τὸ εἶναι αὐτὺς ἀναπολογήτυς &c. Nec aliter *Jacobus* I. 18. βυληθεὶς· εἰς τὸ εἶναι, Hæc itemque alia affert laudatus *Majus* in Vindiciis Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici, Piercio oppoſitis, pag. 21. ſq. Itaque nulla *refictione* opus eſt. Abſit, ut de verbo ἀναλῦσαι multa hic promamus, de quo valet illud : *cui non dictus Hylas*? Vide tu, ſi placet, *Gatakerum* in diſſertat. de Stilo N. T. c. 7. & ad Marc. Antonin. IV. 48. & VI. 5. ex *Gatakero* autem *Suicerum* Tom. I. p. 284. *Pſochenium* de Stilo N. T. §. 35. *Perizonium* ad Ælian. pag. 355. *Herman. Reiners* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. pag. 982. *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 195. *Jac. Elsnerum* pag. 238. ex noſtratibus autem *Jo. Conr. Dietericum* Antiquitat. Biblic. Vol. I. pag 98. *Jo. Michael. Dilherrum* in Diſputatt. Tom. I. pag. 312. *Georg. Guilielm. Kirchmayerum* in Parallelifmo Novi Teſtamenti & Polybii pag. 47. data vero opera B. *Chriſtophorum Henricum Ritmeierum* in ſingulari diſſertatione de Analyſi Apoſtolo deſiderata Helmſtad. 1702. & in alia de Nomenclaturis mortis emphaticis §. 5. *Lamb. Bos* l. c. translationem factam putat ab iis, *qui e convivio redeunt*. Cum autem τὸ ἀναλῦσαι Græcis frequenter idem ſit, quod *migrare*, *abire*, *redire*, huc potius reſpectum habitum fuiſſe recte ſibi perſuadet *Elsnerus*, quem vide. Addam ego unum *Arriani* l. 9. Epictet. locum : ὅταν ὁ Θεὸς ἀπολύσῃ ὑμᾶς τῆς ὑπηρεσίας ταύτης, ἀναλύεται πρὸς αὐτόν. Cl. *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 796. τὸ ἀναλῦσαι reſpondere videtur Hebraico פטר *liberum eſſe*, vel *fieri*, quo Judæos de morte uti variis locis ibidem oſtendit. Ceterum de deſiderio hoc Paulino lege *Amelium* Parte I. der Erörterung p. 52. & Parte II. p. 130. *Alethæum* in der Erläuterung Tom. IV. pag. 383. & Vener. *V. E. Læſcherum* in Decimis Evangelicis Tom. IV. pag. 310.

*καὶ σὺν Χριςῷ εἶναι*] Quam vere & ſecure hoc ſperare Paulus poterat, tam falſo *Libanius* Julianum fatis functum dixit *συνεῖναι θεοῖς*. Vide ejus Orationem Parentalem in *Fabricii* Biblioth. Græca Vol. VII. pag. 373.

*πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον*] Vide *Gatakerum* de Stilo N. T. cap. 25. *Herodotum* *τὸ μᾶλλον* comparativo ſæpe jungere, ut *μᾶλλον ἄμεινον*, *μᾶλλον ὀλβιώτερος*, &c cum *Porto* obſervavit *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 544, Adde *Thom. Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam lib. V. pag. 388.

Verſ. 24. *Τὸ δὲ ἐπιμένειν ἐν τῇ σαρκὶ*] Vid. ad v. 22.

Verſ. 25. *Εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν καὶ χαρὰν τῆς πίςεως*] *Beauſobrius*, & *Infantius*, Interpretes induſtrii, voces has nonnihil trajectas ita convertunt: *pour votre avancement dans la foy, & pour votre joie*; i. e. *ad veſtrum in fide profectum. & ad gaudium veſtrum.* Trajectionum equidem non ſum amantior, nec eas temere admitto, ubi ſenſui alia ratione conſuli poteſt. Fateor interim, exempla ejus in Sacris exſtare, atque huc quoque pertinere comma 5. ep. ad Philemonem, quod ab Interpretibus affertur. Ibi tamen *objectum* fidei & amoris diſerte expreſſum certos nos facit, ad quod alterutrum eorum pertineat. Hic vero nulla cauſa eſt, cur *τὴν προκοπὴ* ad vocem *πίςεως* referamus, & *incrementum in fide* innui arbitremur. Si hoc ſibi voluiſſet Paulus, ſcripturus erat, *εἰς τὴν ὑμῶν προκοπὴν ἐν πίςει.* Hac enim ſtructura utitur 1 *Tim.* IV. 15. *ἵνα σοῦ ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσι*, *ut profectus tuus manifeſtus ſit in omnibus.* (ſcilicet rebus vel momentis neceſſariis.) Non enim de *perſonis*, ſed de *rebus*, ad vitam & *miniſterium* Timothei pertinentibus, ſermonem hic eſſe cum *Chryſoſtomo* perſuaſum mihi habeo. Hic enim ita *παραφράζει*: *μὴ ἐν τῷ βίῳ μόνῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ λόγῳ τῷ διδασκαλικῷ.* Si altera illa interpretatio locum habere deberet, ſtatuendum erat, a voce *προκοπὴ* duplicem pendere genitivum, quod a Græcæ linguæ rationibus eſt alienum. Neque Paulus *προκοπὴν* tantum in *fide*, ſed ceteris quoque momentis, & ſpeciatim virtutibus ex fide manantibus, & incrementum ſubinde capientibus, quæſiviſſe exſtimandus eſt. Itaque ratum ſit, *προκοπὴν ὑμῶν* dici de ſpirituali Philippenſium incremento generatim; *χαρὰν* vero *πίςεως* illud appellari *gaudium*, cujus origo potior erat *fides* & doctrina Evangelica. Eam ut à Paulo acceperant Philippenſes; ita fieri non poterat, quin iidem de Paulo præſente hoc magis gauderent. Simili ſenſu *ἡ εὐχὴ τῆς πίςεως* dicitur *Jacobo* V. 15. Recte *Grotius*: *quo majori cum gaudio ſit conjuncta fides veſtra.*

Verſ. 27. *Μόνον ἀξίως τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ Χριςοῦ πολιτεύεσθε*,] Quæ ab hoc commate usque ad v. 17. capitis ſequentis leguntur, ea *παρενθετικῶς* accipienda eſſe exiſtimat M. *Chriſtoph. Wolle* in Commentat. de Parentheſi Sacra pag. 68. Hujus vero ſententiæ rationem non admodum perſpicio. Senſum vocis *μόνον*, quæ exhortationem orditur, recte expreſſit B. *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 345. *Quicquid*, inquit, *ſane de me fiat, ſive*

*in*

*in vivis manſero, & ad vos pervenero, ſive in hisce meis vinculis naturæ debitum exſolvero, ſcitote, me à vobis poſtulare amplius, nec majori poſſe perfundi gaudio, quam, ſi audiam vos pie & ſanſte vivere.* De verbo πολιτεύομαι ſatis dixi ad *Actor.* XXIII. 1.

*ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι, μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες* ] B. *Lutherus* verbo στήκετε duo illa ἐν ἑνὶ πνεύματι, & μιᾷ ψυχῇ junxit perſpicuitatis cauſa, cum tamen poſteriores duæ voces in Græco contextu ad participium συναθλοῦντες pertineant, &, absque hoc ſi foret, τὸ καὶ inſtar vinculi voci μιᾷ præmittendum fuiſſet. Atque ita quidem olim legit *Chryſoſtomus* : ὅτι στήκετε ἐν ἑνὶ πνεύματι καὶ μιᾷ ψυχῇ nec non *Theophylactus.* Ita quoque interpretatus eſt *Aethiops* & non ita pridem *Martianæus* in Tentamine novæ verſionis Gallicæ pag. 368. nec minus *Eraſmus Schmidius* : *quod ſtetis in uno ſpiritu, uno animo.* Præſtat tamen in recepta hodie interpunctione acquieſcere, & τὸ συναθλοῦντες de ejusmodi certamine accipere, quod Philippenſes, fide armati, pari animi robore & junctis inter ſe viribus ingrediantur.

Verſ. 28. Καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ] Lege huc *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 710.

*ἥτις αὐτοῖς μέν ἐστιν ἔνδειξις ἀπωλείας* ] Scribendum hic videri poterat, ὅ τι, *quod ipſum.* Sed conſtat, Pronomen relativum non ſemper genus ſuum ad antecedens, ſed id, quod conſequitur, formare. Itaque ἥτις refertur hic ad τὴν ἔνδειξιν. Vide, quæſo, Vol. I. harum Curarum pag. 54. Paulus hic reſpicit ad vexationes Chriſtianorum, ab Evangelii hoſtibus illatas. Illæ enim per τὸ μὴ πτύρεσθαι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων ſubindicantur & præſtruuntur. Hæc autem vexatio *indicium* erat *perniciei* a parte hoſtium, *ſalutis* autem, à parte perpetientium Chriſtianorum. Hi enim & fidem & obſequium ſuum in Deum patientia probabant, illi autem animum a Deo alienum & æterno exitio dignum conſiliis & molitionibus ſuis oſtendebant. Nolim itaque ſimpliciter ad antecedens μηδενὶ referre cum *Vorſtio* in Philologia Sacra Parte I. pag. 237. Nec neceſſe putem, ut cum Cl. *Jo. Conrado Schwarzio* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 9. verborum interpunctione mutata comma 29. incipiamus à verbis: Καὶ τοῦτο ἀπὸ Θεοῦ (ſcilicet ἐστὶν) ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη. Per τοῦτο reſpicitur hic potiſſimum partim ad ἔνδειξιν i. e. ἀπόδειξιν ſalutis, qua dignos ſe *ſalute* promiſſa eſſe Chriſtiani probent, partim ad σωτηρίαν a Deo aliquando impertiendam. Ἔνδειξις illa vi divina, eos in fide & patientia corroborante, fiebat, *ſalus* autem ex veracitate Numinis promittentis pendebat. Hanc Pauli mentem fuiſſe, patet ex commate ſequente, ubi divinum beneficium reputari vult, quod & credere in Chriſtum, & dura perpeti ejus cauſa poſſint. Nolim itaque cum *Beauſobrio* & *Infantio* τὸ ἀπὸ Θεοῦ vertere : *& cela de la part de Dieu*, hoc quidem, quem iidem in notis afferunt, ſenſu ; *quod & patiantur juſtitiæ cauſa & Deo ad calamitates & patientiam vocanti obtemperent.*

*rent.* Τὸ ἀπὸ Θεοῦ non minus hic infert *cauſam* & *originem* beatæ ejusmodi conditionis Chriſtianorum, quam alibi, ubi Apoſtolus in limine epiſtolarum ſuarum εἰρήνην & χάριν ἀπὸ Θεοῦ adprecatur, aut ubi ait: οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ, *Rom.* XIII. 1. aut ubi denique Coloſſenſibus cap. III. 24. ſcribit: εἰδότες, ὅτι ἀπὸ Κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν τῆς κληρονομίας.

Verſ. 29. Ὅτι ὑμῖν ἐχαρίσθη τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ] *Nam vobis ex gratia datum eſt in Chriſti negotio.* Ita recte hæc convertuntur ab *Eraſmo Schmidio*, quem tamen articulum τὸ pleonaſmi loco minus recte habuiſſe crediderim. Quod enim ait, articulum illum ad utrumque verbum ſequens repeti, id efficit potius, ut illud τὸ ante ὑπὲρ Χριστοῦ data opera poſitum exiſtimemus. Ellipſin hic uſu venire putarim, ut ſubintelligatur vel ποιεῖν, vel σπουδάζειν, vel ſimile quid. Paulus id ſibi vult, collata eſſe Philippenſibus omnia, quæ ad Chriſti cauſam ejusque gloriam amplificandam pertineant. Ex his omnibus duo præcipua momenta, quibus reliqua continentur, recitat, nempe fidem in Chriſtum, & patientiam in calamitate. Ad phraſin Pauli illuſtrandam facere mihi videtur ſequens *Philoſtrati* locus in vitis Sophiſtarum lib. I. cap. 7. pag. 487. Τὸν δὲ Εὐβοία, καὶ τὸν τοῦ ψιττακοῦ ἔπαινον, καὶ ὁπόσα οὐχ ὑπὲρ μεγάλων ἐσπούδασται τῷ Δίωνι, μὴ μικρὰ ἡγώμεθα, ἀλλὰ σοφιστικά. σοφιστοῦ γὰρ τὸ καὶ ὑπὲρ τοιούτων σπουδάζειν. *Nec* Euboicum *ſermonem & Pſittaci encomium, ceteraque, quæ de minus ſeriis rebus á Dione ſunt conſcripta, parvi pendenda, ſed plane Sophiſtæ ingenio digna: Sophiſtæ enim eſt in hujusmodi quoque rebus operam ponere.* Vides hic præpoſitionem ὑπὲρ cum gignendi caſu eodem ſenſu poſitam & articulum τὸ verbo σπουδάζειν præmiſſum eſſe, quemadmodum hic Paulus ait: τὸ εἰς αὐτὸν πιστεύειν, καὶ τὸ ὑπὲρ αὐτοῦ πάσχειν.

# CAPUT II.

Verſ. 1. Εἴ τις οὖν παράκλησις ἐν Χριστῷ] Παράκλησιν alii per *conſolationem*, per *exhortationem* alii vertunt. Prius placuit *Chryſoſtomo*, & Scholiaſtis Græcis, ex recentioribus autem poſt *Bezam* Reformatis Doctoribus tantum non omnibus, atque inter hos recentibus N. T. Interpretibus Gallicis, *Beauſobrio* & *Infantio*, qui ita παραφράζουσι· *ſi l'on doit attendre quelque conſolation de ceux, qui ſont avec nous en J. C.* h. e. *ſi quid ſolatii exſpectare fas eſt ab iis, qui nobiscum ſunt in C. J.* Ab altera parte *exhortationis* ſignificatus ſe probavit ex Reformatis *Piſcatori*, & noviſſime *Lamb. Bos* in Obſervationibus Miſcellaneis pag. 137. ſq. talem *exhortationem* hic ſtatuenti, quæ petitionis inſtar fiat; ex noſtratibus autem *Luthero*, *Eraſmo Schmidio*, *Hunnio*, *Calovio*, *Amelio Parte I.* der Erörterung pag. 475. ſq. & aliis. Poſterius hoc præferendum alteri puto. Παραμυθίου i. e. ſolatii ſeu *alloquii ſpiritualis* ſtatim mentio fit, nec veri eſt ſimile, Apoſtolum, quando argumenta efficaciter

ter cumulat, eadem voce fuiſſe uſurum. Nec infrequens eſt hæc vocis notio in ſcriptis Apoſtolorum Ita *Rom.* XII. 8. verbum παρακαλεῖν & vox παράκλησις adhibetur: εἴτε ὁ παρακαλῶν, ἐν τῇ παρακλήσει. Et vox παράκλησις 1 *Theſſal.* II. 3. & 1 *Tim.* IV. 13. Porro Apoſtolus hic Philippenſes exhortari inſtituit, in genere quidem ad gaudium ſuum amplificandum, ſpeciatim vero ad *concordem ſententiam*, *mutuum amorem* &c. Senſus igitur eſt: *ſi qua exhortatio, in Chriſto*, i. e. in nomine ejus facta, aliquid apud vos valet. Ejusmodi obteſtandi formula alias utitur Paulus 1 *Cor.* I. 10. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τȣ̃ ὀνόματος τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, ἵνα τὸ αυτὸ λέγητε πάντες, καὶ μὴ ᾖ ἐν ὑμῖν σχίσματα. Ubi vides, adhortationem Pauli æque ac hoc loco primum omnium in ὁμόνοιαν ferri. Τὸ, ἐν Χριςῷ itaque idem eſt, quod διὰ τȣ̃ Χριςȣ̃, quod legitur *Rom.* XV. 30. Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, διὰ τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃. Abſit itaque, ut τὸ, ἐν Χριςῷ cum Rev. *Beauſobrio* de iis, qui in Chriſto, h. e. Chriſtiani ſint, interpretemur. Ad particulam εἰ obſervandum, eam h. l. non dubiam facere rem, ſed potius, ut certiſſimam, præſtruere, & vehementer affirmare, hoc ſenſu: ſi quid valere poteſt apud vos exhortatio, ex Chriſti mandato facta, quam multum poſſe ſcio, &c. Rectiſſime hæc *Grotius* monuit.

εἴτι παραμύθιον ἀγάπης] Plerique omnes *amorem* de charitate mutua, qua Philippenſes in Apoſtolum & ſe invicem ferantur, accipiunt. Rectius vero crediderim de amore Dei in ipſos accipi, cujus ſenſus efficere poſſit, ut ea præſtent fideles, quæ mandato Chriſti, & Pauli miniſtri ejus, exhortationi reſpondeant. Ita ut ſtatuam, his argumentis adducor. *Amoris* in alios mentio fit in calce hujus commatis: εἴ τινα σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί. Atque hæc ſibi deberi à Corinthiis tacite ſubinnuit Paulus, in carcere tunc exiſtenti, & recreatione etiam hoc nomine digno. Conſtat præterea vocem ἀγάπην ſimpliciter poſitam paſſim de eo, qui à Deo in credentes proficiſcitur & ſentitur, accipi. Denique video, S. Paulum ad *Rom.* XV. 20. per *nomen Chriſti* & amorem Dei Patris, per Spiritum S. in hominum animos effuſum, exhortationi ſuæ pondus addere, quando ait: Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς διὰ τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, καὶ διὰ τῆς ἀγάπης τȣ̃ Πνεύματος. Comparari hæc velim cum *Rom.* V. 5. Ἡ δὲ ἐλπὶς ȣ̓ καταισχύνει, ὅτι ἡ ἀγάπη τȣ̃ Θεȣ̃ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, διὰ Πνεύματος ἁγίȣ τȣ̃ δοθέντος ἡμῖν. Denique *amori* huic proxime h. l. jungitur κοινωνία τȣ̃ Πνεύματος Hanc autem poſteriorem cum amore Dei in nos, efficaciter ſcilicet percepto, conjungit Paulus 2 *Cor.* XIII. 13. Ἡ χάρις τȣ̃ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃, καὶ ἡ ἀγάπη τȣ̃ Θεȣ̃, καὶ ἡ κοινωνία τȣ̃ ἁγίȣ Πνεύματος μετὰ πάντων ὑμῶν. Confer B. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis. Si recte rem æſtimaveris, perſpexeris, in hac Pauli exhortatione reſpectum haberi ad beneficia divini Numinis, Chriſti ſcilicet, Dei Patris & Spiritus Sancti, in Philippenſes collata, quorum memoria excitari debeant ad ea libenter præſtanda. quæ præſtita Paulum, ad quædam momenta excitantem, gaudio perfundere poſſent. Illa vero

Digitized by Google

vero itidem ſunt tria, nempe *τὸ αὐτὸ φρονεῖν, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχειν* & *συμψύχες εἶναι.*

*ἔιτινα σπλάγχνα κὴ οἰκ]ιρμοὶ* ] i. e. *ἔντινα σπλάγχνα οἰκτιρμῶν*, qua phraſi Paulus utitur *Coloſſ.* III. 12. tenerrimum, quem à Philippenſibus jure quodam ſuo exſpectabat, affectum indicante. Vides hic, Apoſtolum tribus, quibus per Dei gratiam fruebantur Philippenſes, jungere quartum, nempe *miſerationem interiorem*, quam ſibi, tanquam Dei ad ipſos legato, & beneficiorum ejus Interpreti, nunc quidem calamitatibus preſſo, & hoc magis recreando, omnino debeant.

Verſ. 2 - 4. Πληρώσατέ μυ τὴν χαρὰν, κ. τ. λ. ] Efficaciſſimam Apoſtoli dictionem ſummatim illuſtratam vide à *Campeg Vitringa* lib. III. Obſervationum Sacrar. cap. V. fine, pag. 89.

Verſ. 2. *ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε* ] Vide, quæ ſcripta ſunt ad *Galat.* V. 10. *Hombergius* hanc & ſequentes *phraſes pro iisdem omnes habet, quod ad ſenſum, non obſtante ullo inanis battologiæ metu,* in Parergis pag. 304. conſentientem ſibi nactus *Jac. Haſæum*, præmaturis fatis functum, in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. pag. 707. cui nulla, quæ inter eos ſit, diſtinctio dari poſſe videtur. Mihi quidem omnino diverſa indicari videntur. *Τὸ αὐτὸ φρονεῖν* ad mutuum in *doctrina* Evangelica conſenſum ſpectat. Hic phraſeos ſenſus eſt *Galat.* V. 10. Ἐγὼ πέποιθα εἰς ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ, ὅτι ὐδὲν ἄλλο ( i. e. τὸ αὐτὸ) *φρονήσετε*. Erant ſcilicet inter *Galatas*, qui Judaicæ atque adeo alienæ ab Evangelio doctrinæ de circumciſione, cum fide in Chriſtum conjungenda, applauſerant. Jam ſperat, fore, ut, lecta hac epiſtola, errorem agnoſcant, & ad eandem cum reliquis, rectius ſentientibus, doctrinam perducantur. *Idem* vero mutuam inter ſe invicem dilectionem infert, quæ per ſchismata alias detrimentum patitur. Συμψυχία denique *conſenſum animorum* ad conſilia & inſtituta ſpectat, quæ ad gloriam Dei & mutuam ædificationem referri debeant. Aliam viam ingreditur eruditiſſimus *Michael Roſſal*, quam paucis aperiam. *Τὸ αὐτὸ φρονεῖν* ait id velle, *ut uno eodemque affectu & ſtudio, uno quaſi jugo, per tot difficultates & calamitates agentes omnes trahant, neque in diverſa ſtudia abeant, vel in contraria currant. Neque hoc externa quadam forte utentes arte, vel ſimulatione, ſed, ut hoc faciant, pari ſe omnes mutuo* ſincera charitate *complectentes*, τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες. Σύμψυχες denique requirere putat Apoſtolum, *ut explicet iſtam* amoris *Chriſtianorum mutui* paritatem *talem eſſe debere, quæ ſit unius ejusdemque hominis in* ſe ipſum, *in quo intenſionis vel* diverſitatis *aliquid reperiri non poteſt, neque etiam fingi, uno ſcilicet tempore*, unam animam habentes, *ὡς μία ὄντες ψυχή, ὐ τῇ ὐσίᾳ ἀλλὰ τῇ γνώμῃ κὴ ὁμονοίᾳ.* Lege eum ita diſſerentem in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. pag. 1051. ſq. Mihi quidem *τὸ φρονεῖν* rectius ad intellectum & animi ſententiam eandem, quam idem voluntatis ſtudium, quod per *συμψυχίαν* potius indicatur, referri videtur. In hanc ſententiam vide quæ diſſerit ſagaciſſimus olim *Lampius* in Biblioth. Bremenſi



Digitized by Google

Claſſ. I. pag. 709. Eandem probavit *Chryſoſtomus* ad h. l. Quando enim phraſin: τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες, explicat, ait; τουτέστι, μὴ ἁπλῶς περὶ πίστιν μόνον ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν. Ἔστι γὰρ καὶ τὸ αὐτὸ φρονεῖν, καὶ μὴ ἀγάπην ἔχειν. Nec dubito, duos *Joſephi* locos ex l. XII. Antt. Judaic. c. 7. πολλοὺς ἀπέκτειναν τῶν ἐναντία φρονούντων & c. 8. μὴ προσδεχομένων δὲ τοὺς λόγους, ἀλλὰ τἀναντία φρονούντων pro hac interpretatione eadem probabilitate, quam quidem pro altera viri docti facere. Interim probo conſilium, ex quo affectuoſiſſimam Apoſtoli dictionem à ταυτολογίᾳ liberavit, & mea facio laudati *Lampii* verba: *Ego ſane ignorantiam meam fateri mallem, quam quatuor harum phraſium eundem ſenſum ſtatuere. Quantillum enim id à mulierculàrum Plautinarum loquacitate diſtaret!*

σύμψυχοι, τὸ ἓν φρονοῦντες] Poſtrema phraſis D. *Welſio* Anglo in h. l. primæ hujus commatis adeo ſimilis viſa eſt, ut à ſuperfluæ repetitionis ſuſpicione vindicari non poſſit, niſi ita vertatur: *minding the one thing neceſſary*, h. e. *uni illi neceſſario ſtudentes*, quale quidem ſtudium in Maria laudaverit Salvator, ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, Luc. X. ult. Quo conſilio ſequentia v. 3. μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν, &c. pendere vult a phraſi v. 2. ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε. Sed his quidem opus non eſſe recte monuit *A. Blachwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 11. qui eadem opera obſervat, hanc ejusdem phraſeos *repetitionem* adeo pro *tautologia* haberi non debere, ut efficaciam & emphaſin potius ſermoni conciliet. Expende, quem idem affert, *Xenophontis*, apis Atticæ, locum ex Cyropædia lib. I. p 58. edit. Hutchinſonianæ. Λέγων, ita ſcribit, ὡς μεγάλα τε εἴη ταῦτα ἔθνη, καὶ ἰσχυρὰ, καὶ συνεστηκότα εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ ἐπιγαμίας ἀλλήλοις πεπιστημένοι εἶεν, καὶ συνεστήκοιεν εἰς ἕν. Vides hic συνεστηκότα εἰς τὸ αὐτὸ, paucis vocibus interjectis exprimi per συνεστήκοιεν εἰς ἕν, quemadmodum h. l. Paulus τὸ αὐτὸ cum τῷ ἓν permutat. Cauſa vero erat, cur Apoſtolus phraſin hanc repeteret, quando oſtenſurus erat, quidnam commendato illi animorum in doctrina & reliquis ſtudiis conſenſui fraudi eſſe ſoleret, nempe ἐρίθειαν & κενοδοξίαν. Subjungit enim: μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν ἢ κενοδοξίαν. Ibi τὸ μηδὲν puto pendere a voce φρονοῦντες, hoc ſenſu, quod nihil vel *ſentire* & ſtatuere, vel *conſectari* oporteat ex *contentionis* aut *vanæ gloriæ* ſtudio. Ita non opus eſt ſupplemento verbi ποιοῦντες quod *Welſium* l. c. potiſſimum adduxit, ut de alia hujus phraſeos interpretatione cogitaret. Ita quoque participium ſequens, ἡγούμενοι, reſpondebit antecedenti φρονοῦντες. Hoc modo video hæc accepiſſe *Chryſoſtomum*. Τί ἐστι, inquit, σύμψυχοι; ἐδήλωσεν, εἰπὼν, τὸ ἓν φρονοῦντες ἔνεστω τὸ φρόνημα, ὥσπερ μιᾶς ψυχῆς· μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν ἀξιοῖ λοιπὸν, καὶ τὸν τρόπον λέγει; πῶς ἂν τοῦτο γένοιτο· μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν, ἢ κενοδοξίαν, φησίν· ὅπερ ἀεὶ φημὶ, ὅτι πάντων αἴτιον τῶν κακῶν τοῦτο ἐστιν· ἐντεῦθεν αἱ μάχαι καὶ ἔρεις. Ex his *Chryſoſtomi* verbis altera quoque cauſa intelligitur, cur Paulo eadem phraſi repetita vice uti placuerit, nempe, ut rectius intelligeretur, quid per συμψυχίαν ſibi vellet. Idem monuit *Roſſalus* l. c. pag. 1052. *Quia vero nonnulli iſtud* σύμψυχοι, *ut obſcurius, non intellexiſſent, vel etiam propter quosdam Philoſophos de eadem animæ eſſen-*

*tia*

*tia per errorem capere potuiſſent. propterea viſum videtur Apoſtolo vocis ambiguitatem definire per iſtud* τὸ ἓν φρονοῦντες, *quaſi diceret*, σύμψυχοι, *h. e.* τὸ ἓν φρονοῦντες, *non tantum* τὸ αὐτὸ, *ut mox, ſed &* τὸ ἓν, *quo ſumma conſenſio notatur.* Mihi quidem prior, quam dixi, repetitionis cauſa, vel unica vel ſaltem potior videtur. De phraſi τὸ ἓν φρονεῖν lege, ſodes, *Suicerum* Tomo I. pag. 1039.

Verſ. 3. Μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν ] Κατὰ cauſam, quam *impulſivam* vocant denotat. Ita *Herodotus* obſervante *Raphelio* pag. 545. ἔκειρε τοὺς χώρους οὔτι κατὰ ἔχθος αὐτέων, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀναγκαίης μεγάλης ἐχόμενος. *Rura vaſtavit, non illorum odio, ſed ingenti neceſſitate adactus.* Sic *Arrianus* de Expedit. I. 17. 14. καὶ ἔχθραν ἀποκτείνειν, *ex odio interficere.* De utroque, a quo Paulus cavere jubet, vitio lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis, pag. 711. Vocem ἐρίθεια exponit *Suicerus* Tom. I. pag. 1213.

ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν ] i. e. τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγούμενοι, *Rom.* XII. 10. ubi, quæ ſcripta ſunt, vide.

Verſ. 4. Μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε ] Similem ſententiam habes in *Aboth. R. Nathan* cap. 17. ubi R. *Joſe dicit: opes ſocii tui tibi eodem modo grata ſint, ac tua* &c. Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 796. Nonnulli Codices hic legunt σκοποῦντες. Ideo alterum illud σκοπεῖτε *Scholiaſtæ alicui, Grammaticæ regulas magis curantis, quam genuinum textum Apoſtoli*, tribuit *Millius* in Prolegomenis §. 794. recte renitente *Whitbio* in Examine pag. 69. Nec video ego, cur τὸ σκοπεῖτε ab ipſo Apoſtolo, præeunte conſtantiore codicum lectione, profectum cenſeri non debeat. Participia plura ſunt, quæ a verbo φρονῆτε pendent. Nec quicquam cauſæ eſt, cur ea novo quodam augeamus. Quemadmodum v. 22. ad Philippenſes ait: πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν, ita ad eosdem iterum converſus nunc ait: μὴ —— σκοπεῖτε. Poſt particulam μὴ aliam μόνον *tantum*, ſubintelligi debere, recte obſervat *Lamb. Bos* de ellipſi pag. 127. Id enim non ſolum alia hujus ellipſeos exempla facere ſuadent, ſed & τὸ, καὶ Apoſtoli ante τὰ ἑτέρων excipit. Idem in Exercitationibus pag. 195. docet, *Lucianum* in Prometheo, ſimiliter dicere: Ὁρᾷς ὅπως τὰ μαυτοῦ μόνα σκοπῶ, & *Thucydidem* lib. VI. p. 365. τὸ ἑαυτοῦ μόνον σκοπῶν. In loco Paulino phraſis hæc privati emolumenti ſtudium, etiam cum alterius damno conjunctum, amoliri plerisque videtur. At Rev. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 546. & in præfat. ad eas §. 26. cum aliis ſtatuit, τὰ ἑαυτῶν *eſſe ſuas cujusque, &* τὰ ἑτέρων *aliorum dotes atque virtutes. Humilitati enim*, ita pergit, *ad quam Apoſtolus adhortatur, nihil magis eſt adverſum, quam nimia ſui æſtimatio, aliorumque contemtus. Vetat ergo ſua tantum conſiderare dona, ſuas magni facere virtutes, ſuam admirari eruditionem; alios quoque ſuo vult æſtimari pretio, quin imo majoris æſtimari, quam nos ipſos, quod aliorum nobis vitia non æque ſint cognita, quam noſtra. Ita verba hæc aptiſſime cohærent & cum antecedentibus & cum conſequentibus*


eodem-

*eodemque ſenſu capiuntur apud Herodotum.* Herodoti ille locus exſtat lib. I. pag. 4. ubi Gyges reprehendens Candaulem, quod hic uxorem nudam ipſi ob formæ præſtantiam oſtendere vellet, ait: *πάλαι δὲ τὰ καλὰ ἀνθρώποισιν ἐξεύρηται, ἐκ τῶν μανθάνειν δεῖ. ἐν τοῖσιν ἓν τόδε ἐστὶ, τινὰ σκοπεύειν τὰ ἑαυτοῦ, ex quibus hoc unum eſt, ſua quemque inſpicere debere.* Parum abeſt, quin in hanc ſententiam diſcedam, præcipue, cum, quod idem monet, *τὸ, μὴ τὰ ἑαυτῶν σκοπεῖν* ſic egregie reſpondeat Paulinæ illi, *μὴ ἑαυτοῖς ἀρέσκειν Rom.* XV. 1.

Verſ. 5. *Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν*] Egregie Lutherus: ein jeglicher ſey geſinnet. *Eraſm. Schmidius* ſimiliter: *is enim affectus ſit in vobis*, quod etiam dixeris: *ita animo ſitis affecti.* Conf. ad *Rom.* VIII. 5. 6.

*ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ*] ſcilicet, *ἐφρονήθη, quomodo Chriſtus erat affectus.* Conſtat, commate hoc quarto & ſequentibus usque ad 11. contineri Sectionem epiſtolicam, quæ pro concione explicari in cœtibus noſtratibus ſolet. Eam itaque omnem perſecutus eſt *Franciſcus Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 149. ſqq.

Verſ. 6-11. *Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, κ. τ. λ.*] Longior forem, ſi afferre ſuſciperem omnia, quæ vel in Theologorum Scholis, vel in Philologorum cathedris de his commatibus olim hodieque ſunt diſputata. Superioris memoriæ commentationes, inprimis Theologicas, copioſe enarrat B. *Carpzovius* in Specimine Theologiæ Chemnitianæ pag. 132. & 323. & *Thomas Crenius* in Notis ad *Caſauboni* Diatribam de Verborum uſu, quam recudi fecit in Analectis ſuis pag. 110. ſqq. Addam his diſputationes noſtratium ſingulares, quales ſunt *Cæleſtini Myslenta* Analyſis variorum erroribus oppoſita, Regiomonti 1624. *Jo. Affelmanni* Syntagma Eexercitatt. Theologic. Part. II. pag. 243. *Jo. Hulſemanni* de Exinanitione J. C. Lipſ. 1656. *Andreæ Kunadi* de Exinanitione & Exaltat. Chriſti, Witteb. 1659 *Frider. Rappolti* Lipſ. 1674. *Jo. Botſacci* Diſcuſſionem loci Paulini ſolidam Stetini 1663. 8. & *Jo. Guilielmi Bayeri* Analyſin & Vindicias dictorum Scripturæ illuſtrium Part. II. pag. 49. ſq. Jungi eis ex reliquis Theologis poſſunt *Spenerus* in Tractatu vernaculo, quo Chriſti Deitatem a Socinianorum exceptionibus vindicavit, pag. 433. ſq. & *Jo. Franc. Buddeus* in inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ pag. 1068. ſqq. Ex Anglis huc retulero *Henr. Morum* in Operibus Theologicis pag. 67. ſq. qui perperam præexiſtentiam animæ Chriſti, quam ſomniavit, advocat, eamque per unionem phyſicam cum Deitate vere Deum fuiſſe affirmat. Ex recentioribus loco toto violente, more ſuo, abuſus eſt *Whiſtonus* in tractatu Anglicano, quem inſcripſit, *Account* of the Primitive Faith, pag. 86. ab aliis gentis ſuæ paſſim confutatus. *Fowleri* ſententiam nuper admodum renovare adgreſſus eſt *Thomas Bennetus* in *Diſcourſe of the ever bleſſed Trinity in Vnity* Londini 1718. 8. In hoc enim integrum caput VII. ad illuſtranda hæc Pauli commata refertur. Interpretationis ſummam habes in Actis Eruditorum

Lipſi-

Lipſienſibus anno. 1718. pag. 410. ſq. & in Bibliotheca Anglican. *de la Rochii* gallice ſcripta Tom. III. pag. 7. ſqq. Contendit vero, de divina Chriſti natura altum hic eſſe ſilentium, atque adeo omnia de anima Chriſti humana, ut olim præexiſtente, accipi debere. Longe illis rectius in exponendo hoc oraculo verſatus eſt *Richardus Ellis*, Anglus, in Fortuitis ſacris pag. 178-228. qui ut alia erudite monet, ita Arianorum ſpeciatim *ψευδερμηνείας* profligat. Ex Reformatis videndus eſt *Joan. Marckius* in Exercitat. Exeget. pag. 661. ſq. contra Socinianos diſputans, quemadmodum idem in Exercit. XLII. phraſin *ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο* perſequitur. Nec minus *Theodor. le Blanc* Tom. II. des Principes contre les Sociniens pag. 26. ſqq. Ex *Arminianis Simon Epiſcopius* in Reſponſ. ad LXIV. Quæſtiones, num. XXII. & *Adrianus à Cattenburg*, Profeſſor hodie inter eos Theologus Amſtelodamenſis, in Spicilegio Theologiæ Chriſtianæ Limborchii pag. 201. qui loco hoc pro adſtruenda Chriſti Deitate ita uſus eſt, ut phraſin *ἶναι ἴσα Θεῷ* non *æqualitatem* tantum ſed *paritatem* quoque inferri profiteatur, *Jo. Clerico*, Collegæ ſuo, diſerte contradicens, qui nonnulla Tom. XXVI. Bibliothecæ Veteris & Novæ Part. II. pag. 275. regeſſit. Ex *Pontificiis* denique *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. II. l. II. c. 5. §. 8. & paſſim in h. l. excurrit, ea potiſſimum commemorans, quæ veteris Eccleſiæ Doctores de eo ſunt commentati. Lege Tom. V. lib. III. cap. 6. §. 5. lib. IV. c. 15. §. 12. lib. V. cap. 11. §. 4. ſqq. lib. VII. cap. 7. §. 3. ſqq. & lib. VII. cap. 8. §. 3. ſqq. Junge illi *Eraſmum* Tom. III. Opp. pag. 1592. Patrum ſententias exponit etiam *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. paſſim, v. c. Tom. I. pag. 414. 957. & 1264. & Tom. II. pag. 87. & 377. Ex *Socinianis* noviſſime L. M. *Artemonius*, i. e *Sam Crellius* ad oraculum Paulinum pervertendum aſſumtionem Chriſti in cœlum, ſub initium prædicandi ab eo Evangelii factam, illam Socinianorum Pandoram, infucare denuo aggreſſus eſt in *Initio* quod vocat, *Evangelii S. Joannis* reſtituto. Lege librum p. 96. ſqq. *Ad iſtam Chriſti*, inquit, *aſſumtionem in cœlum, in principio Evangelii referri poteſt unus & alter in Epiſtolis Apoſtolicis locus. Nempe cum in cælos, ibi perpetuo, ſi voluiſſet, manſurus, aſſumtus eſſet, dici poteſt fuiſſe tunc in formi Dei Patris Philip.* II. 5. *qui poſtea, de cælo deſcendens, ſeſe, ἐκένωσε, exinaniverit.* Adde. pag. 279. ſqq. Non eſt, cur in his fucis detergendis operam collocem. Ea enim defunctum eſſe video Vener. *Jo Laur. Moshemium* in ſingulari diſſertat. de raptu Chriſti in cœlos, Socinianis, & nominatim *Sam. Crellio* oppoſita, Helmſtad. 1729. 4.

*Ος ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων*] *Μορφὴν Θεῦ*, *formam Dei*, Patres per *φύσιν Θεῦ naturam Dei* ſunt interpretati. *Theodoretus* ad h. l. Dial. I. pag. 29. *ἡ μορφὴ τῦ Θεῦ φύσις νοεῖται τῦ Θεῦ* & paulo poſt *μορφὴ Θεῦ, ὐσία Θεῦ*. *Chryſoſtomus* ad h. l. *ὁ ἐν μορφῇ Θεῦ ὤν, ὁ μηδὲν ἔλαττον ἔχων τῦ πατρὸς, ὁ ἴσ☉ αὐτῷ*. Et in homilia II. in epiſt ad Hebræos clarius: *ὥσπερ ἡ μορφὴ δύλυ ὐδὲν ἄλλο ἐμφαίνει ἢ ἄνθρωπον ἀπαράλλακτον, ὕτως ἡ μορφὴ τῦ Θεῦ ὐδὲν ἄλ-*

λο

*λο ἐμφαίνει, ἢ Θεόν.* Hos ſecuti ſunt nonnulli ex Theologis noſtratibus, nominatim B. *Chemnitius* in egregio libro de duabus Chriſti naturis, quando hodie omnes, quos norim, non tam de ipſa *natura*, quam de Majeſtate divina carni Chriſti communicata, quæ tamen communicatio divinam naturam præſtruit, *μορφὴν* illam accipere malunt. Accipe hanc in rem *Jo. Bened. Carpzovii* verba ex Specimine Theologiæ Chemnitianæ pag. 114. *Neminem*, inquit, *hoc* (interpretatio ſcilicet Chemnitii) *turbare debet, ſi viderit, non* immediate de ipſa natura, *ſive Divina ſive humana*, ſed de Majeſtate Divina *carni Chriſti* communicata *hodie* Orthodoxos Theologos *voces has explicare*, & *ἐν μορφῇ Θεοῦ εἶναι de* Majeſtatis *hujus* poſſeſſione, *μορφὴν* vero *δούλου λαβεῖν de* Majeſtatis *hujus* evacuatione exponere. *Nam primo imitatur* Chemnitius *Patres nonnullos, ad quos provocat etiam: deinde non absque connotatione* ſtatus *ita accipit voculam iſtam, ſed adſignificat eam, uti cap.* XXIV. pag. 172. b. *claris verbis id oſtendit.* In eandem ſententiam B. *Calovius* in Bibliis illuſtratis ad h. l. *Quanquam vero μορφὴ directe hic & immediate non notet* internam Dei eſſentiam, *ſed* poteſtatem *illam &* Majeſtatem, *quæ in ſenſus incurrebat, ea tamen vere divina poteſtas & Majeſtas erat filii Dei unigeniti propria Joh.* I. 14. *adeoque conſequenter & mediate connotat aut præſupponit divinam naturam, vel eſſentiam, à qua illa eſt inſeparabilis; atque hoc ſenſu Patrum nonnullorum explicatio, inprimis cum Deitatem Chriſti ex hoc loco concludunt, non improbatur, modo ſenſus immediatus non negligatur. - - - Nam hic intelligitur non falſa μορφὴ Θεοῦ, ſed vera: non poteſt autem eſſe vera μορφὴ Θεοῦ, niſi ipſam θεότητα vere complectatur, quippe quæ ejus eſt fundamentum - - Quanquam ergo, ſalva orthodoxia noſtra, dici poſſit, Chriſtum ſecundum humanam naturam ὑπάρχειν, exiſtere in forma Dei, quod in perſona, vel ὑπάρξει Filii Dei ſubſiſtat, hæc etiam communicatio hypoſtaſeos divinæ Filii Dei fundamentum ſit communicatæ divinæ gloriæ & poteſtatis: non tamen ea ἐνύπαρξις hic directe ſpectatur, ſed ut per ſervi formam conditio ſervilis carnis, per aſſumtionem formæ ſervi aſſumtio ſtatus ſervilis, non ipſa naturæ humanæ ἐπίληψις indigitatur; ita per formam Dei non natura divina, ſed ſtatus divinus, & per ὑπάρχειν ἐν μορφῇ Θεοῦ non ſubſiſtentia in perſona, vel natura divina Filii Dei, ſed exiſtentia in ſtatu conditionis divinæ notatur, vi cujus Chriſtus ſecundum humanam naturam Divinam Majeſtatem non tantum poſſidebat, quia tota plenitudo divinitatis in ipſo habitabat corporaliter, ſed etiam in manu ſua habebat illius plenariam χρῆσιν, qua vero libere ſeſe noſtræ redemtionis cauſa inanire dignatus eſt.* Vide ibi reliqua, ex quibus hæc etiam prolixius repetii, quod germanam phraſeos hujus notionem, ex contextus viſceribus deductam, ſiſtere mihi videantur. Ratio hujus interpretationis in eo præcipue poſita eſt, quod Chriſtus hic ſe *κενῶσαι evacuaſſe* dicitur. Jam, ſi *μορφὴν Θεοῦ* de ipſa natura divina accipere velimus, eam depoſuiſſe aliquando dicendus erat Dominus, quod nemo temere admiſerit, qui *τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* in eo perpetuo *κατοικῆσαι* cum Paulo credat. Eadem vero opera patet, Socinianis ita frigidam non ſuffun-

ſundi, qui eadem fere interpretatione abutuntur. Quam enim illi naturam divinam Chriſto, Domino noſtro, temere abjudicant, eam noſtrates, tanquam fundamentum neceſſarium, præſtruunt. Recte in hanc ſententiam *Elsnerus*, qui tamen & ipſe μορφὴν per naturam divinam interpretatur, p. 240. Obſſ. Sacr. ad h. l. monet, ſtulte *negari* internam formam *Dei*, *cui* externam *tribuant* (Sociniani) *miraculorum ſolo juſſu patrandorum & adorationem* non vulgari, ſed divina ratione, *quæ & naturam vere divinam arguit, & neceſſario præſupponit, niſi μορφὴ illa ſit φάντασμα.* Et pag. 241. *Sed age, largiamur* Socinianis, μορφὴν Θεοῦ ſpeciem & imaginem Dei *eſſe*, *tamen valido inde argumento docebimus, Deum eſſe* natura, qui in forma & imagine Dei *exſiſteret, niſi Deum perſonatum & commentitium, qui ſpeciem quidem & φάντασμα haberet veritate carens, credere & adorare malint.* Attendi præterea velim ad loca ex profanis Auctoribus ab eodem allata, ut evincat, μορφὴν paſſim *naturam* ſeu eſſentiam rei ipſam inferre. Illuſtria inprimis ſunt *Euripidis* in *Bacch.* v. 54. verba, ubi Bacchus formam, quam induerat, humanam ita exprimit:

Ὧν εἵνεκ' εἶδος θνητὸν ἀλλάξας ἔχω,
Μορφὴν τ' ἐμὴν μετέβαλλον εἰς ἀνδρὸς φύσιν.

Admitti hic ſignificatus etiam h. l. poterat, niſi alia obeſſent, & noſtra notio idoneis locis a *Grotio* eſſet adſtructa. Interim locis illis Elsnerianis commode & nos uti poſſumus, eo fine, ut conſtet, μορφὴν inferre *veram* rei alicujus *vere* exiſtentis effigiem, & conditionem. Commode video, *Elliſium*, Anglum, in Fortuitis Sacris pag. 180. μορφὴν itidem *de ampliſſima Dei Majeſtate, & ea, quæ Deo uni convenit, gloria, quæ & omnia replet, & ſuper omnia eſt*, interpretari, quem omnino conferri velim; & hoc fuſius adſerentem, & præterea probantem, Chriſtum non minus verum Deum, Deoque æqualem, cui μορφὴ Θεοῦ tribuatur, fuiſſe, quam verum fuiſſe hominem, qui μορφὴν δούλου ſibi aſſumſerit.

Eſt præterea in hac phraſi aliud quiddam non negligendum. Alii enim vertunt: *qui cum in forma Dei* ſit; alii: *qui cum in forma Dei* eſſet. Poſterius expreſſit *Vulgatus*, *Lutherus* item, *Eraſmus Schmidius*, & *Beza*. Illorum veſtigiis inſiſtendum cenſuit *Heumannus* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 580. *Duos enim*, inquit, *Chriſti ſtatus nobis repræſentat Apoſtolus; priorem, quo ſplendorem & gloriam habuit divinæ ſuæ perſonæ debitam; poſteriorem, quo omni majeſtate nudus ſimplicis ejuſdemque viliſſimi hominis ſpeciem præbuit.* Itaque μορφὴν Θεοῦ accipit de *majeſtate illa, qua Filius Dei exſplenduit ante, quam homo naſceretur, & de δόξῃ illa, quam coram Patre habuit ante orbem conditum* πλούσιος ὢν 2 *Corinth.* VII. 9. ſicut μορφὴν δούλου *vilem illam perſonam interpretatur, quam Filius Dei homo factus ſuſtinuit, natus humili loco, educatus parce ac duriter, nullo fulgens honore* &c. Admitti & verſio hæc & interpretatio poteſt, modo ſimul teneatur, Chriſtum in aſſumta ſervi forma non *omni majeſtate ita nudum* fuiſſe, ut eandem penitus deponeret, ſed ut *poſſideret*

 quidem,

quidem, quamvis ea non *perpetuo ſed interdum uteretur.* Alioquin enim dicere non potuiſſet Johannes I. 14. καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Ita etiam apparet, de *ſtatu* & conditione, naturæ ſive DEI ſive ſervi congruente, non de *natura* ipſa ſermonem eſſe.

οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο] In hac dictione exponenda multus eſt *Mericus Caſaubonus* in Diatriba de Verborum uſu, quæ primum ſeorſim edita, poſtea *Amſtelodami* an. 1699. 8. à *Thoma Crenio* in Analectis Philologico-Critico-Hiſtoricis pag. 91. ſqq. denique vero in calce epiſtolarum *Iſ. Caſauboni* Almeloveenii cura Roterodami 1709. fol recuſa eſt. Vide editionem Crenianam, notis hujus auctam pag. 117. ſqq. Recte *Jo. Conr. Keslerus* in Obſervationibus in hanc epiſtolam, quam Theſaurus Diſputationum Theologico Philologicus recens editus Tom. II. pag. 947. ſeq. exhibet, *comma hoc tam torſiſſe Interpretes, quam tortum ſit ab illis*, obſervat. Abſit à me, ut in enarrandis omnibus eorum ſententiis operam collocem, ab aliis jam occupatam, inter quos numero *Elliſium*, Anglum, qui in Fortuitis Sacris pag. 178-210. de hac phraſi ita commentatur, ut commemoratis aliorum cum veterum tum recentiorum expoſitionibus judicium ſuum annectat. Potiores mihi retuliſſe ſuffecerit. Inter eas primo loco occurrit, quæ, à B. *Luthero* noſtro expreſſa, Chriſtum cenſet talem hic repræſentari, qui ſtatuerit, *à ſe hoc minime alienum eſſe, nec raptum, ſed a natura ſibi proprium*, ut nempe Deo æqualem ſeſe gereret. Ita rem explicat ex noſtratibus *Gerhardus* in Exegeſ. & alii, ex Reformatis vero *Beza*, *Coccejus* & *Roëllius* commentar. in Initium hujus epiſtolæ, ab *Elsnero* appellati.

Quæ ſententia quamvis à phraſi quidem ipſa, in ſe conſiderata, aliena non ſit, contextui tamen & ſcopo Apoſtoli non admodum reſpondere recte viſa eſt, quam in rem legi poterit *Elſnerus* pag. 243. Ex noſtratibus itaque poſt *Georgium Enjedinum* in Explicatione locorum Vet. & Nov. Teſtamenti quamvis diſſimili inſtituto, *Eraſmus Schmidius* ex *Heliodori* quibuſdam locis hunc ſenſum expromit, *quod Chriſtus non avide arripuerit, aut ſine mora ad tempus aliquod differre noluerit uſurpationem plenariam Deitatis cum Deo Patre æqualis, ſed ea aliquando ſe ipſum exinaniverit, exſpectato juſto tempore, quo Pater ipſum exaltarit.* Lege, quæ contra *Enjedinum* diſputat *Elliſius* in Fortuitis ſacris pag. 196. ſeqq. & contra *Whitbium* in Notis ad Nov. Teſtament. veſtigia ejus legentem, *Jo. Edwardus* in præfat. ad librum Anglicanum, quem inſcripſit: *Some brief Obſervations and Reflections on Mr. Whiſtons Primitive Chriſtianity reviv'd.* Summam dictorum habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. T. VI. Supplementorum pag. 106. ſeq. Nec omitte Clericum in Bibl. Selecta T. XV. pag. 352. Eandem ſententiam *Xenophontis* quibuſdam & *Polybii* locis adſtruere inſtituit *Raphelius* in Annotationibus ex utroque petitis, quemadmodum eandem *Lamb. Bos* pag. 196. Exercitatt. nuperrime autem autem *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag 105. ſqq. ornavit. Poſtremus hic p 109. præ-

præſtructis, quæ à ceteris illis admonita erant, Apoſtoli mentem ita repræſentat, quod Chriſtus, θεάνθρωπος exiſtens, ratione ſuæ humanitatis tam infinitum bonum, (ut eum ſanctiſſimo λόγῳ in unam perſonam jungeretur,) conſecutus, non fruitus ſit incomprehenſibili illo gaudio, quod in ipſo maximum illud bonum efficere poterat, nec inenarrabilem illam ſuper omnes creaturas ceteras prærogativam uſurparit, ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινε σταυρὸν, *Hebr.* XII. 2. Similiter *Jo. Conr. Schwarzius* in Notis ad *Olearium* de Stylo N. T. pag. 304. de ejusmodi præda ſermonem eſſe exiſtimat, de qua, honeſto nomine parta, exſultare homines ſoleant.

Alium victorum ſpoliantium morem huc advocat *Jo. Conr. Keslerus* l. c. ceu ex iſta ejus verborum paraphraſi intelligitur: *Jeſus Chriſtus* inquit, *cum ipſe verus Deus eſſet, non tamen putavit, tam pertinaciter hoc ſibi retinendum eſſe, ut Deo æqualem Majeſtatem in omnibus exſereret, quam pertinaciter retinere ſolent rem, qui illam, multo cum periculo & labore ſuo, palam ut hoſtes rapuerunt.* In hanc rem, ἁρπαγμοῦ naturam explicaturus, obſervat, homines raptum aliquid adhibita vi vindicare ſolere, tanquam quod ſibi vitæ periculo conſtiterit. Quod quidem exemplo Achillis illuſtrat, qui, prædæ factæ tenaciſſimus, Iliados I. 161. inquit:

Καὶ δή μοι γέρας αὐτὸς ἀφαιρήσεσθαι ἀπειλεῖς
Ὧι ἔπι πόλλ' ἐμόγησα.

Comparari idem vult *Jeſ.* XLIX. 24. & *Matth.* XII. 29. Advocata præterea ſermonis ſerie, monet, Paulum v. 3. non levioribus hominibus, ſed præcipuis Eccleſiæ Philippenſis membris humilitatem commendare, ut de χαρίσμασι, à Deo acceptis, non magnifice ſentiant: eamque in rem Chriſti exemplum illis proponere, qui, cum eſſet verus Deus, tamen ubique & ſemper æquale pondus Majeſtatis cum Deo oſtendere noluerit, h. e. non pertinaciter retinere, ut ſolent, qui raptum poſſident. E contra, hoc ſtudio neglecto, Chriſtum ita ultro egiſſe, ut pro hominibus diriſſima quæque paſſus ſit, Deo ita probatus, ut ſummis eum honoribus afficeret. Formalem itaque phraſeos notionem *Keslerus* in eo poſitam putat, ut Chriſtus dicatur majeſtatem illam ſuam divinam non *pertinaciter* ſibi adſeruiſſe, ad exemplum eorum, qui *prædam* labore partam quovis modo & perpetuo ſibi vindicare conſueverunt. Hanc *Kesleri* interpretationem approbat *Jo. Alberti* in Obſervationibus pag. 376. ſq. monetque, eandem ante *Caſtalioni* quoque arriſiſſe. Affine his eſt *Jo. Conr. Dieterici* pronunciatum in Antiquitatibus Biblic. Nov. Teſt. pag. 147. *Hoc ipſum*, inquit, *quod Deo erat æqualis, non ita reputavit, aut poſſedit, ut ſolent, qui aliquid per rapinam & non juſto poſſident titulo. Hi enim perpetuo metuunt, ne per vim eripiatur illis, quod aliquando violenter rapuerunt.*

Ab his proxime abſunt, qui ad aliam *prædantium* proprietatem reſpectum hic haberi exiſtimant, quando prædam partam *jactant*, & in oculis omnium circumferunt, & trophæa ſibi ſtatuunt. Ita ex veteribus accepit *Theodoretus* ad h. l. Tom. III. Operum edit. Sirmondianæ pag. 329. Θεὸς γὰρ ὢν, καὶ φύσει Θεὸς καὶ τὴν πρὸς τὸν πατέρα ἰσότητα ἔχων, ȣ̓ μέγα τȣ̃το ὑπέλαβε. Τȣ̃το γὰρ ἴδιον τῶν παρ' ἀξίαν τιμῆς τινὸς τετυχηκότων. Ἀλλὰ τὴν ἀξίαν κατακρύψας τὴν ἄκραν ταπεινοφροσύνην εἵλετο, καὶ τὴν ἀνθρωπείαν ὑπέδυ μορφήν. *Cum enim eſſet Deus, & natura Deus, & Patri æqualis, non hoc magnum exiſtimavit: hoc enim proprium eſt eorum, qui præter meritum honorem aliquem ſunt conſecuti: ſed, celata dignitate, ſummam elegit humilitatem, & humanam formam ſuſcepit.* Τὸ ȣ̓ μέγα ὑπολαβεῖν *non magnum exiſtimare*, Theodoreto hic idem eſſe, quod *jactare aliquid, gloriari*, aliiſque ut præclarum aliquid ingerere, ex eo apparet, quod talium hoc eſſe dicit, qui præter meritum dignitatem aliquam ſint conſecuti. Hos enim homines non tam de re ipſa, quam de exiſtimatione ſua, ejusque vindiciis ſolicitos eſſe ſolere conſtat. *Maldonatum* video Theodoreti phraſi quidem, ſed aliter accepta, uti. Diſco id ex *Rich. Simonis* Bibliotheca Critica Tom. I. cap. 6. pag. 81. ſeqq, ubi ex commentario ejus MS. de myſterio SS. Trinitatis hæc affert: *Verum ſenſum hujus loci eſſe arbitror, ut* rapina *vocetur à D. Paulo veluti proverbio quodam id quod habetur in magno pretio, juxta illud Proverb.* 9. Aquæ furtivæ dulciores ſunt; ut ſenſus ſit: cum Chriſtus eſſet in forma Dei, i. e. verus Deus, tamen non rapinam arbitratus eſt, i. e. non magni æſtimavit, ſe eſſe æqualem Deo. Illam *Theodoreti* interpretationem ex Reformatis adoptavit *Camero* in Myrotheeio Evangelico pag. 214. *Phraſis eſt*, inquit, *ſumta ab eo, quod tum fieri ſolebat: Victores nempe hoſtium ſpolia detracta atque erepta in trophæum erigebant. Itaque optime iſta ſic Gallice vertas:* Il ne fit point de triomphe (ou trophée) de ce qu'il étoit egal à Dieu, *h. e. non jactavit, non viſus eſt gloriari, & inſoleſcere. Hortatur nempe fideles Apoſtolus ad humilitatem, argumento ab exemplo Chriſti ducto, qui cum Deus eſſet, non ut Deum ſeſe geſſit, non id palam patefecit, ab oſtentatione & gloria alienus, ſed ſervi formam aſſumſit.* Eandem amplexus eſt *Grotius*, *Mericus Caſaubonus* in Diatriba citata, ὀπλοφόρων plurium teſtimoniis allatis, ex recentioribus vero *Lydius* de re militari pag. 219. & Interpretes Galli Berolinenſes. Hi enim ita vertunt: *il n'a point fait de trophée.* Ex noſtratibus idem placuit *Dannhauero* pag. 480. *Jo. Mich. Dilherro* in Diſputatt. Philologicis, *Calovio* in Bibliis Illuſtratis, & pleriſque aliis, ab eodem excitatis. Ad eos quoque acceſſit *Heumannus* l. c. pag. 584. ut hæc ſit ſententia. *Filium Dei omnem majeſtatis ſplendorem exuiſſe* (quæ tamen phraſis ex iis, quæ ſupra monui, omnino temperanda eſt) *nec more triumphantium, ſpolia hoſtibus erepta pompoſe oſtentantium*, μετὰ πολλῆς φαντασίας Act. XXV. 23. *magna ambitione in hunc orbem proceſiſſe.* Ita à LXX. prædam & ſpolia non ſemel appellari ἅρπαγμα ex *Roëllii* commentario pag. 511. obſervat, quemadmodum *Herodianus* lib. IV. c. 11.

n. 13.

n. 13. & cap. 15. n. 10. ἁρπάζειν dicat milites prædam facientes, & ſpolia hoſti detrahentes. Ejusdem expoſitionis veſtigia recte videre ſibi in epiſtola Viennenſis & Lugdunenſis Eccleſiarum ad Eccleſias Aſiæ Phrygiæque viſus eſt *Elliſius*, in Fortuitis Sacris pag. 191. Lege *Euſebium* Hiſt. lib. V. cap. 2. Diſplicet illa *Clerico* in Notis ad Hammondum & in Bibliotheca Selecta Tom. XIX. pag. 238.

Alia eſt *prædantium* conſuetudo, quando in res, quas concupiſcunt, præcipites involant, easque ſine labore ſibi vindicant. Atque huc reſpexiſſe quidam volunt Apoſtolum, interque eos ex noſtratibus *Alethæus* Tomo I. der Erörterung, pag. 483. ſq. Ita etiam *Zeltnerus* in gloſſa ad Verſionem Biblicam Germanic. Lutheri: er fuhr nicht zu, ſich der ihm mitgetheilten Herrlichkeit zu gebrauchen. *Alethæum* probat etiam *Starkius* in Notis Selectis pag. 150. ut ſenſus ſit, Chriſtum æqualitatem cum Deo non reputaſſe rem, quam ſine labore & temere aliquis occupare poſſet. Idem, credo, voluit *Joan. Poſſelius*, quando teſte ad h. l. *Eraſmo Schmidio*, τὸ οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, idem eſſe ſtatuit, atque οὐχ ἥρπαξε *non rapuit*. Adde illi *Flacium* in Clave Scripturæ voce: *arbitrari*. Sed illi quidem merito adverſatur *J. C. Dietericus* loc. cit. *Non placent*, inquit, *qui iſtam* (phraſin) *ἰσοδυναμεῖν putant, atque eandem cum ἁρπάζειν eſſe contendunt, neque hoc probari poteſt auctoritate* Thucydidis, *qui quidem lib. VII. hanc habet phraſin, ἁρπαγμὸν ποιεῖσθαι & ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι. Illud vere & proprie expones per*, rapere, *hoc vero proprie per*, rapinas arbitrari, pro rapina reputare, ut rapinam æſtimare. Nihilominus tamen Cl. *Elsnerus* pag. 244. in has partes non obſcure diſceſſit. Simplicius enim exponi poſſe credit: *non rapiendum ſibi duxit* τὰ ἴσα τῷ Θεῷ, *ſed ſe exinanivit*, quemadmodum *Hebr.* V. 4. 5. dicatur: οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμήν, οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε. Hoc ait non modo cum Apoſtoli ſcopo convenire, verum etiam cum verſ. 4. μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπεῖτε, ἀλλὰ καὶ τὰ ἑτέρων ἕκαστος. Similem itaque hanc phraſin illis putat ἀναγκαῖον ἡγησάμην verſ. 25. & cap. III. 7. 8. ἥγημαι ζημίαν, σκύβαλα & Jac. I. 2. χαρὰν ἡγήσασθε, *gaudendum putate*. At non videntur mihi hæ phraſes cum noſtra hac comparari poſſe. Illæ enim ſicut & aliæ ſimiles ellipticæ ſunt, & verbum εἶναι ſubintelligi jubent. Id conſtat vel ex ipſis Pauli verbis ex cap. III. 7. 8. allatis. Quando enim Paulus v. 7. elliptice ait ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριστὸν ζημίαν, verſ. 8. phraſin plenam repetita vice adhibet: ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι —— καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι. Senſus eſt, *reputo eſſe damnum*, *eſſe quisquilias*. Et ſic hoc loco phraſis, οὐχ ἡγήσατο ἁρπαγμὸν idem fuerit, ac ſi ſcripſiſſet Paulus: οὐχ ἡγήσατο ἁρπαγμὸν εἶναι ἴσα Θεῷ. *Non putavit rapinam eſſe, Deo eſſe æqualem*. Patet etiam, cur Paulus τὸ εἶναι hic omiſerit, ideo nempe, quod paulo poſt idem ſequebatur. Jam vero non crediderim, Virum doctum, phraſin ita poſitam, aut animo conceptam, hoc modo convertendam cenſere: *non rapiendum ſibi duxit, eſſe æqualem Deo*. Haberet, fateor,

hæc interpretatio ſpeciem, ſi Paulus ſcripſiſſet ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὰ ἴσα τῷ Θεῷ, qua ratione etiam *Elsnerus*, omiſſo τῷ εἶναι, phraſin repræſentat. Quando vero Apoſtolus aliter ſcripſit, aliter quoque de mente ejus eſt judicandum. Ex ipſa enim phraſi Apoſtolica intelligitur, in Chriſto vere fuiſſe τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ, h. e. Chriſtum vere Deo fuiſſe æqualem. Quod autem vere erat, quod vere habebat, de eo dici non poteſt, quod Chriſtus ſibi illud non *rapiendum* aut *vindicandum* duxerit. Contra vero ea recte dici poteſt, Chriſtum eam majeſtatem, quam ut homo ex arctiſſima cum divina natura unione habebat, non *rapinæ ſpoliive* loco habuiſſe.

Venit in mentem recordari, *Arium* olim, quamvis longe alia mente, quam quæ viris modo laudatis fuit, eadem ratione verba hæc accepiſſe. Auctorem habeo *Chryſoſtomum* homilia III. ad h. l. Εἶπε γὰρ, inquit de *Ario*, ὅτι ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων ὐχ ἥρπασε τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. *Dixit, cum in forma Dei eſſet, non hoc rapuiſſe, ut eſſet æqualis Deo.* Idem tamen homilia ſequente ait: ἐκεῖνοι λέγυσιν, ὅτι τὸ ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο ἁρπάσαι ἐςίν. Ημεῖς ἐδείξαμεν, ὅτι πάντη ἕωλον ϰ̀ ἄτοπον τῦτο. *Dicunt illi* (Ariani) *verba iſta*, non rapinam arbitratus eſt, *idem valere, ac ſi dixiſſet*, non rapuit. *Nos oſtendimus irritum hoc & abſurdum eſſe.* Et paulo poſt: οὐκ εἶπεν ὐχ ἥρπασεν, ἀλλ' ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. *Non dixit*: non rapuit; *ſed*, non rapinam arbitratus eſt. Compara *Elliſii* Fortuita Sacra pag. 198. ſqq. qui præter hæc ſimilia illis *Hilarii* verba ex lib. XII. §. 6. de Trinitate recitat: *Qui autem in forma Dei erat*, Deo ſe æqualem eſſe non rapuit; *quia ex Dei æqualitate, id eſt, ex forma ejus in formam ſervi decederet.* Et ex Expoſitione Pſalmi CXVIII. *Manens enim in forma Dei non vi aliqua ſibi* aut rapina, *id quod erat*, præſumendum exiſtimavit, *ſcilicet, ut Deo eſſet æqualis.* Addit denique, eandem *Clerico*, quem ſub *clariſſimi Profeſſoris apud Remonſtrantes Amſtelodamenſis* nomine indicat, eſſe ſententiam. Hic enim idem eſſe cenſet, ac ſi ſcriptum eſſet: ὐχ ἡγήσατο ἁρπακτὸν, h. e. *non cenſuit rem eſſe, quam rapere liceret*, & confert cum illo Ciceronis Orat. V. in Verrem: *omnium bona prædam ſuam duxit.* Vide *Clericum* ad Hammondum, ad verſionem Gallicam N. T. Tom. XVII. Bibliothecæ Univerſalis p. 505. ſq. & Tom. XXVII. Biblioth. V. & Novæ Part. II. p. 243. ſq. ubi contra *Elliſium* nonnulla affert. Recte illi *Elliſius* ſequentia pag. 202. opponit: *Alludere hæc mihi ſane videntur, ſi non & reſpicere ad rapacia illa animalia, quorum ſingula ſibi propriam naturæque convenientem ſuam habent prædam.* Præda canum cervus. *Porro à Latina dictione ad Græcam noſtram nullam video hoc loco concluſionem. Præterea nec tam prædam, uti oſtendimus, ſonat* ἁρπαγμὸς, *quam prædandi actionem. Quis unquam ita verterit Græcus: Bona omnium* τὸν ἑαυτῦ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, prædam ſuam duxit?

Accedat nunc *Elliſii*, aliquoties a me laudati, ſententia, quam p. 206. ſq. Fortuitorum Sacrorum ita proponit: *Vita*, inquit, *Syriacam noſtri, quem præ manibus habemus, loci expoſitionem. Ad verbum hæc eſt:* Qui cum eſſet

in

in ſimilitudine Dei, nequaquam rapinam æſtimaſſet illud ipſum, quod eſſet æqualis Deo. *Quæ ſane antiquiſſima interpretatio, Vulgatæ, ſi ſimplici verborum ſenſu accipiatur, plane conſonat, hæc, ut puto Italicæ. Non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualis Deo. Non neſciebat ſibi licuiſſe, qui in forma Dei erat, cum Deo æqualitatem vindicare. Intellexit, id non eſſe rapinæ, ut in ea forma maneret, pro Deo ſe gereret; nihilominus ſuo jure non uſus eſt. Dicta voluntariam, quæ proxime ſequitur, Chriſti demiſſionem amplificant. Scopo Apoſtoli mire convenit interpretatio hæc. Vult noſtris cujusque commodis anteponi aliena com. 4. Hujus rei Chriſtum in exemplum proponit, com. 5. Hic cum Dei æqualitatem ſuam eſſe noverit, hanc tamen noſtri cauſa quaſi exutus, ſua negligit, celata divina, noſtra curat, natura aſſumta humana. Verba* οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, ſuum eſſe noverat, *plane ad illa reſpiciunt:* μὴ τὰ ἑαυτῶν ἕκαστος σκοπείτω, ne ſua quisque, *& reliqua; com.* 4.

Idem conſentientem ſibi adfert *Auguſtinum* contra Maximin. African. Epiſc. lib. I. cap. 5. ita explicantem: *Intellige, Apoſtolum ideo dixiſſe non rapinam arbitratus eſt, eſſe, æqualis Deo; quia non alienum arbitratus eſt eſſe: quod natus eſt: ſed tamen, quamvis æqualitatem Dei non fuerit arbitratus alienam, ſed ſuam, ſemet ipſum exinanivit, non quærens, quæ ſua ſunt, ſed quæ noſtra ſunt:* &c. *Conſtat*, ita pergit *Elliſius, hac interpretatione nihil menti Apoſtoli magis conſonum dici poſſe. Sed & nativum quoque, eoque ut in noſtris par eſt, ſimpliciſſimum vocabulorum ſenſum commode exprimit. Adde Patres, quos in initio diximus intermedios, in hoc fere omnes conſentire.* Chryſoſt. *ad Philippenſes Homil.* VII. Τοῦτο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ οὐχ ὡς ἁρπαγμὸν εἶχε, ἀλλὰ φυσικόν. *Vide ibidem plura.* Auguſtinum *vidimus. Hic iterum ad* Joh. V. 18. non uſurpavit æqualitatem, *h. e. ut ipſe paulo ante explicat*, non uſurpatione rapuit, ſed natura habuit. *Eundem vide contra* Maximin. Arian. lib. II. cap. 15. & 23. Tandem ita finem dicendi facit: *Simplicior interim, eoque veriſimilior vulgaris illa:* rapinam arbitrari, *h. e.* aliquid, ut alienum habere; vindicare aliquid, quod ſuum non eſt. Idem placere video *Jo. Edwardo* loco ſupra allato.

Non exiguam veri ſpeciem hæc expoſitio habet. Interim aut valde fallor, aut non ſatis reſpondet dictioni Paulinæ. Ex ea enim patet divinum Scriptorem hic τὸ, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, opponere τῷ, ἀλλ' ἐκένωσεν ἑαυτὸν, *non rapinæ habuit, ſed exinanivit ſe ipſum.* Itaque per priorem phraſin aliquid ejusmodi ſignificari debet, quod oppoſitum ſit exinanitioni. Tale vero fateor me non videre in eo, ſi dicamus τὸ ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι idem eſſe, quod, *aliquid ut alienum habere, vindicare aliquid, quod ſuum non eſt.* Vidit hoc *Auguſtinus* loc. cit. ideoque oppoſitionem ejusmodi in verſione exprimere ita inſtituit: *ſed tamen, quamvis æqualitatem non fuerit arbitratus alienam, ſed ſuam, ſemet ipſum exinanivit.* Conferat hæc, qui volet, cum verbis Pauli: ὃς ἐν μορφῇ

Θεοῦ

Digitized by Google

Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, & dicat, utrum non potius ingeratur in contextum, an ex eodem ſimpliciter fluat. Si Paulus hoc voluiſſet, ſcripturus ita erat: *ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, καὶ οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγησάμενος τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ ἑαυτὸν ἐκένωσε.* Quæ *Elliſius* ad hanc exceptionem reſpondeat, infra ad verſ. 8. exponemus.

*Joſ. Scaliger* aliter nonnihil, ſed ex parte tamen his convenienter, rem inſtituit. Diſco id ex epiſtola, ad *Sibrandum Lubbertum* data, quæ exſtat inter epiſtolas Clarorum Virorum a Gabbema editas pag. 391. *Comma illud*, inquit, *pure accipiunt, cum manifeſto dictum ſit ὑποθετικῶς. Nam τὸ ἂν, quod ex conſuetudine Apoſtoli non exprimitur, ſed intelligitur, Grammatici autem τὸ ἂν δυνητικὸν vocant, illud, inquam bis intelligendum eſt: ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων ἂν οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο ἂν, ἴσα εἶναι Θεῷ.* Qui ſi in forma Dei fuiſſet, non utique rapinam exiſtimaſſet, eſſe æqualem Deo. *Apoſtolus igitur, ut nemo neſcit, hortatur ad humilitatem Philippenſes exemplo Domini, qui in forma ſive figura hominis & ſervi i. e. abjectiſſimi mortalis, ſeſe nobis exhibuit, qui tamen ſi in forma Dei veniſſet, non tamen ſeſe injurium Deo facere exiſtimaſſet, ſeſe illi æqualem facere, cum ſit verus Deus, & Deo æqualis. Igitur ὑπάρχων ἂν,* eſt, ſi fuiſſet, & conditionale eſt, & ὑποθετικόν. *Non enim accidit, ut verum Deum forma ſeſe exhibuerit. - - - - Quod vero περὶ ἁρπαγῆς quæris, id proprie eſt, quod Hebræi עמס & עשק vocant. Et alterutrum horum in animo habebat Apoſtolus: ἀδικίαν, ὕβριν, ἁρπαγμὸν Biblia Græca recte exponunt.* Sed & hic τὸ ἂν, idque repetitum, non tuto invehitur in verba Pauli, atque ſic ex oratione pura & ſimplice hypothetica formatur. Hæc vero præterea Paulo tribui non poteſt, cum alioquin oſtendi nequeat, quare idem Chriſtum ſe κενῶσαι dixiſſet. Hæc enim κένωσις, Chriſto ſimpliciter, non hypothetice tributa, requirit omnino, ut μορφὴ Θεοῦ, tanquam poſſeſſa, Chriſto abſolute à Paulo adſcripta exiſtimetur. Sic enim intelligitur, qua re Dominus noſter, ſe quod ad uſum perpetuum, ultro abdicarit. Itaque nec dici poteſt Chriſtus veniſſe in carnem, ſine μορφῇ Θεοῦ.

Longiſſime ab Apoſtoli mente divertunt, qui ad ἀποθέωσιν veterum Gentilium eum reſpexiſſe opinantur. Inter hos eſt *Alex. Morus* in Diatriba ad cap. LIII. Jeſaiæ pag. 136. quo loco in hanc ſententiam ita diſſerit: *Reſpicit, opinione mea, veterum Apotheoſes, in quibus rapi dicebantur ex ſolio in cælum Cæſares, & inter Deos referri. Vere poterat Chriſtus, in forma Dei cum eſſet, nec tantum in forma Regia, ſe terris oſtendere, ac poſtmodum in cælum raptu quodam ſubvolare, ac divinos honores conſequi. Maluit ex forma ſervili, non imperatoria, & ex cruce, non ex throno, in cælum ſcandere, ac divinum nomen adipiſci, ut exemplum profundiſſimæ humilitatis ederet.* In fidem ſententiæ affert *Plutarchum* in Romulo ſub finem dicentem: σέβεσθαι Ῥωμύλον ὡς ἀνηρπαγμένον εἰς θεούς. Idem ſe probavit *Stephano le Moyne* in notis ad Varia Sacra pag. 274. ſqq. cujus verba recitat & approbat *Pet. Zornius* Tom. I. Biblioth. Anti-

Antiquario Exeget. pag. 15. ſqq. & in Annotationibus in Scripturæ aliquot loca vernaculis ſub titulo der Erörterung, & ſub *Amelii* nomine, editis Tom. II. pag. 430. ſqq. Adde eundem in Phraſeologia Dogmatica N. T. pag. 17. Idem ex noſtratibus viſum eſt *Conrado Samueli Schurzfleiſchio* in Tmematibus aliquot Philologicis §. 14. Omnis hujus alluſionis ſuſpicio *Moro* ex eo videtur ſubnata, quod veteres eos, quos in Deorum numerum receptos poſt fata credebant, *ἀνηρπαγμένους* aut *raptos* appellare videret. Sed hic verbi uſus lubricum admodum fundamentum ſubſternere facile intelligitur, ad quem ſane Paulus h. l. reſpicere non potuit, cui jam quidem non de glorioſa Chriſti conditione imminente ſermo erat, de qua poſtea loquitur, ſed de ea, qua in his terris uti poterat, niſi ea in hominum ſalutem ſe ex parte abdicaſſet. Non dicam, ſolicite cavendum eſſe, ne ineptas Gentilium opiniones divinis Scriptoribus ingeramus; illis inprimis in locis, ubi de myſteriis ſublimiſſimis commentantur. *Lemonium* ipſum conjecturæ ſuæ parum tribuiſſe ex eo apparet, quod idem in Diſſertat. ad Jerem. XXIII. 6. pag. 10. ſq. alia atque alia cumulat, quæ Apoſtolus ſpectaſſe credi poſſit. Nunc enim ad *Angelos*, qui ſuperbo faſtu jura Dei invadere voluerint; nunc ad *Adamum*, Dei ſimilitudinem affectantem; nunc ad *Deaſtros gentium*, Deo debitos honores ſuffurantes; nunc denique ad *Imperatores Romanos*, eorumque *ἀποθέωσιν*, reſpectum habitum fuiſſe opinatur.

Tempero mihi a reliquis, quæ afferri poterant, qui longior jam fuiſſe videri poſſim. Itaque ſubindicabo tantum, quæ de *Herm. Witſii* ſententia, ex Exercitatione ejus I. in Orationem Dominicam leguntur apud *Clericum*, ſed diſſentientem, in Bibliotheca Univerſali Tom. XVII. pag. 505. & de *Jacobi Vogelii*, in Relationibus Innoxiis de rebus Theologicis vernacule editis an. 1705. p. 701. ſq. exſtant, quemadmodum *Chriſtoph. Sonntagius* in Obſervationibus ad *ἅπαξ λεγόμενα* pag. 42. ſqq. nonnulla huc commentatur. Minime vero omnium intelligo, quomodo huc pertineant, quæ in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag. 614. leguntur: Ἁρπαγμὸς Philip. II. 6. *videtur etiam propheticam ecſtaſin denotare, cujus compotes ad tempus divinis alloquiis frui videntur. Sed Chriſtus nunquam talem vatem nudum ſe præſtitit, nudo homine & Propheta major, Deo Patri quippe æqualis.*

Quod me denique attinet, illorum ſententiam præ ceteris probarim, qui per *ἁρπαγμὸν* ad quoddam *ſpoliationis περικείμενον* reſpici arbitrantur. Tale vero eſt partim ſpoliorum in triumpho *jactatio*, partim vindicatio eorum, ſive juſte ſive injuſte partorum, *pertinax*. Utrumque horum aut alterutrum qui hic in cenſum vocaverit, eum ex ſupra allatis intellecturum exiſtimo, ad dictionem & ſcopum Apoſtoli, ſermoniſque ſeriem proxime accedi. Retinendi pertinaciam potiſſimum innui, agnovit auctor Annotationum, quæ in verſione Latina (*a*) *Vatabli* nomine edita leguntur. *Aequalitatem*, inquit, *quam cum Patre habebat, ambitioſe retinere noluit, velut facere ſolent prædones.*

*qui, quod ſemel rapuerunt, ſumma cura & ſtudio retinent : ſed ab illa ad tempus diſceſſit, cum formam ſervi accepit.* Idem probatur Rev. *Zeltnero* in notis ad *Martini Ruari* epiſtolas pag. 586. qui & ipſe recte ita dici profitetur, quamvis alioquin, quod ex pag. 613. patet, locum hunc ad Socinianorum mentem detorqueat.

τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ] *Deo eſſe æqualem.* Phraſis Græca elliptica eſt, quam recte ſuppleas per κατ᾽ ἴσα μέρη h. e. ἐν ἴσοις μέρεσι, id quod oſtendit *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. Idem in Exercitationibus pag. 197. ita exponit, ut idem ſit, quod τιμὴν λαχεῖν vel ἔχειν ἰσαθεῶ. Quod ut recte dici non dubito, ita cum eodem hoc interpretari nolim de gloria illa, ad quam ratione humanæ naturæ, redemtionis opera perfunctus, evectus eſt: quamque Paulus *Hebr.* I. 3. per καθίζειν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης ἐν ὑψηλοῖς, exprimit. Neque hæc eſt B. *Glaſſii* noſtratis, quem *Boſius* advocat, ſententia. Is enim in Grammatica S. lib. III. Tract. I. Canon. XXVI. pag. 444. obſervat, eſſe, qui hanc phraſin *non ad naturam & eſſentiam referant, ſed ad* gloriam, majeſtatem & jus imperii, *quod ex unione perſonali ſecundum humanam naturam Chriſtus habebat, verum tempore exinanitionis eo ſe abdicabat &c.* Vides, eum τὰ ἴσα τῷ Θεῷ accipere de *gloria, Majeſtate, & jure*, (non uſu) *imperii*, non quod Chriſtus demum poſt mortem acceperit, ſed quod ex unione perſonali habuerit & poſſederit, quamvis eo non ſit perpetuo uſus. Neque hic Paulus loqui poteſt de exaltatione Chriſti hominis ad perpetuum & plenum divinæ Majeſtatis uſum, cum de ſtatu exinanitionis loquatur, eidemque verſ. 9. illum exaltationis, poſtea ſecutæ, opponat. Rectius agunt, qui phraſin hanc idem inferre exiſtimant, quod antecedens ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχειν, quam in rem vide *Calovium* in Bibliis Illuſtratis. Ceterum eandem ex Græca antiquitate exponunt præter *Boſium* l. c. ex noſtratibus *Sonntagius* in Specimine Obſervatt. Exeget. in N. T. Obſerv. VIII. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis & Herodoteis ad h. l. & *Starckius* pag. 150. Notarum Selectarum, tum vero *Elsnerus* pag. 245. & ex Anglis *Elliſius* pag. 210. ſq. Fortuitorum Sacrorum. Hujus ego viri obſervata ex libro, in oris noſtris minus obvio, quamvis Roterodami recens anno. 1727. 8. edito, ſubjiciam. Τὸ ἴσος inquit, *pro* ὅμοιος *interdum poni non negarim. At* æqualis *proprie ſonat* ἴσος. *Porro* nec de Filio, *ut recte* Hilarius, uſquam ſimilitudinem reperies. *Plurale neutrum eſt* ἴσα, *quod more Græcorum adverbii loco ponitur; quomodo & in* Homero, *& apud* LXX. *ſæpius occurrit, Sic* ἴσα βαίνειν, ἰσαχηλεῖν, ἴσα βιοῦν. *Sed cum verbis* εἶναι, γίνεσθαι *copulatum pro adjectivo, ut & alia adverbia, ſumitur, Sic* ἀκὴν *Odiſſ.* β. verſ. 82.

Ἔνθ᾽ ἄλλοι μὲν πάντες ἀκὴν ἔσαν.

*Centies hic & alibi cum his verbis junctum invenies.* Taciti erant omnes. *Hinc doctiſſimus Grammaticus:* Ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ, Αντι τοῦ ἥσυχοι, inquit.

*Eodem*

Digitized by Google

*Eodem modo*, εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀντὶ τοῦ ἴσος, æqualis eſſe Deo. *Hæc ita v erti* Tertullianus adverſus Praxeam cap. 7. *quæ alibi interpretatur* pariari Deo, Gr. ἰσοῦσθαι, adv. Marcion. lib. V. in fin. *Similiter de Reſurrect. Carnis* cap. 6. qui in effigie Dei conſtitutus non rapinam exiſtimavit pariari Deo. - - - - - *Ea eſt certe* (dicam *quod ſentio*) *in hac locutione elegantia; ea verborum* εἶναι ἴσα *ad plenam per omnia æqualitatem exprimendam vis & energia, ut ne Græce quidem, ne dum alia lingua, ſignificantius dici potuerit.* Hilarius: *In forma Dei eſſe, nihil aliud eſt, quam æqualem Deo eſſe: ut æqualitas honoris Domino Jeſu Chriſto, qui in forma Dei eſt, debeatur, ipſo dicente:* ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem; lib. XII. de Trinitate §. 7. Idem cum pag. 214. monuiſſet, τὸ, ἴσα, per ἔλλειψιν præpoſitionis κατὰ exponi poſſe, pag. 215. iſta ſubjicit: Τὸ εἶναι *hic, ut alibi ſæpe,* μένειν *valere conſtat. Ita certe optime cohæret oratio:* Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt; *non neſciebat, ſibi licuiſſe in illa forma perſeverare; in ea cum Deo æqualitate manere; interim tamen* ſe exinanivit, formam ſervi accipiens. - - *Si quis in Græcis minus exercitus coactum hoc putet, ſciat idem, indiſcriminatim uſurpari* εἶναι & μένειν, *tam à noſtris, quam ab exteris.* Joh. XIV. 17. *Sic* 1 Joh. II. *quod* εἶναι *commate* 5. *dixerat, continuo* μένειν *dicit comm. ſeq.* Ariſtophanes *in Acharnenſ.* v. 307. *de Laconibus*

Οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.

*Idem de iisdem in Lyſiſtr.* v 63.

Οἷσιν πιστὸν οὐδὲν ſubaudi ἐστί.

Hactenus ille.

Verſ. 7. Ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε] Vidit *Elliſius*, ſuæ commatis antecedentis interpretationi obverti poſſe τὸ ἀλλὰ, *ſed*, quod oppoſitionem communiter infert, quodque ipſe ideo per *nihilominus* cenſuit convertendum, ceu ex ſuperioribus conſtat. Exceptionem igitur hanc amoliturus pag. 216. monet, hunc particulæ ἀλλὰ ſignificatum tam rarum & inſolentem non eſſe, ut locum hic habere non poſſit. Exempla enim ejus exſtant apud τοὺς LXX. v. c. 1 *Sam.* XV. 30. Ἡμάρτηκα, ἀλλὰ δόξασόν με. item Jeſ. XLIX. 15. nec minus in N. T. 1 *Cor.* IX. 12. & 2 *Cor.* VII. 6. De exteris idem probatum dediſſe *Budæum*, & *Heinſio* judice apud *Heſiod.* v. 129. Ἔργων, ἀλλὰ idem eſſe, quod ἀλλ' ὅμως. Non nego, τῷ ἀλλὰ, (ſicut & ſimilibus Græcorum particulis) diverſiſſimas atque adeo etiam hanc ſignificationem ex Scriptorum uſu competere. Id tamen non efficit, ut huic itidem loco eam vindicandam cenſeamus, cum τὸ ἀλλὰ proprie & plerumque oppoſitionis ſit indicium, communior vero notio deſeri non temere debeat, niſi ſingularis quædam cauſa, qualem hic non perſpicio, obſtiterit. Verbum ἐκένωσεν veteris Eccleſiæ Doctores nunc per *exinanivit ſe*, nunc per *evacuavit*, *exhauſit*, aut, *minuit*, convertunt. *Heſychius*, ad hunc locum, judice *Suicero*, & aliis, reſpiciens, reddidit ἐρήμωσε, *deſertum reliquit*. *Lamb. Bos* pag. 203. Exercitatt. è re militari putat deſumtum, ubi κενοῦν ſit

 *eva-*

*evacuare locum, vaſtare urbem*, ut proinde Apoſtolus eleganter in eadem metaphora perſiſtat, quando primum dixit, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, deinde vero, ἑαυτὸν ἐκένωσε. Ita *Joſephus* de Bello Judaico lib. VII. cap. 38. Καὶ τῇ μὲν ἄςεως ἥδοντο δαπανωμένῃ, τῶν δὲ ἁρπαγῶν διημάρτανον· ἐπειδὴ πάνθ᾽ οἱ ςασιαςαὶ προκενοῦντες ἀνεχώρουν εἰς τὴν ἄνω πόλιν. Hic obſervo, τὸ κενοῦν commode ita ad eorum ſententiam ornandam adhiberi poſſe, qui τὸ ἁρπαγμὸν ἡγεῖσθαι id putant inferre, ut Dominus noſter ſuam cum Patre æqualitatem non ad inſtar *ſpoliorum* in triumpho circumtuliſſe dicatur. Senſum *Boſius* ita mihi recte expreſſiſſe videtur: *ita ſe geſſit Chriſtus, tanquam vacuus eſſet poteſtate divina*, Neque enim Chriſtus formam Dei, vel æqualitatem cum Deo ita depoſuit, ut prorſus vacuus eſſet, etiam quod ad κτῆσιν; ſed quod ad χρῆσιν ſive uſum plenarium & perpetuum majeſtatis gloriæque divinæ, ſeu clarius, attributorum divinorum, quæ ἐνεργητικὰ Theologi appellant, talem ſe præſtitit, ut ea vacuus videri hominibus poſſet, cujus quippe uſu ſe non quidem penitus, ſed plerumque abdicaſſet. Hæc in Theologorum ſcholis fuſius ediſſeruntur. In his præterea docetur, κένωσιν hanc non nuda κρύψει ſeu occultatione majeſtatis divinæ fuiſſe abſolutam, quod *Tubingenſes* Theologi docere quondam viſi ſunt, quibus hoc nomine *Gieſſenſes* ſe oppoſuiſſe conſtat. Vide huc Rev. *Chriſtoph. Matthæi Pfaffii*, Theologi hodie & Cancellarii Tubingenſis, Inſtitutt. Theologiæ Dogmatic. Parte II. cap. 6. §. 1. qui inter cetera ita: *Itaque jam clarum eſt, peccare eos, qui Theologis Tubingenſibus imputant, quod ſtatuunt, exinanitionem Chriſti conſiſtere in nuda κρύψει. Rogamus hic viros præſtantiſſimos, ne ejusmodi ſententiam, quam plane deteſtamur, nobis invitis attribuant amplius.* Hæc, tanquam ad cancellos noſtros non pertinentia, paucis ſubindicaſſe ſuffecerit. Propius interim ad nos ſpectat, quod *Alex. Morus* in Notis ad Jeſ. LIII. pag. 103. tradit. Ille enim ἐκένωσε Paulinum cum Hebraico Jaſaiæ הערה למות נפשו *effudit*, vel *evacuavit animam ſuam*, i. e. ſe ipſum ad mortem, ex eo potiſſimum comparat, quod οἱ LXX. per ἐξεκένωσεν illud expreſſerunt. Enimvero phraſis Apoſtolica alio ſpectat & latius patet, quia τῷ ὑπάρχειν ἐν μορφῇ Θεοῦ, & τῷ, εἶναι ἴσα Θεῷ opponitur. Neque juvat Virum doctum, quod v. 8. Chriſtus dicatur ὑπήκοος γενόμενος μέχρι θανάτου. Illud enim pertinet ad ταπείνωσιν, quæ ex κενώσει antecedente conſequebatur.

μορφὴν δούλου λαβὼν] *formam ſervi accipiens.* Cave per *formam* illam *humanam naturam* intelligas cum aliis, & noviſſime *Elliſio* pag. 218. l. c. Id enim non patitur μορφὴ Θεοῦ, tanquam alteri illi oppoſita. Sicut enim per eam, vi dictorum, non intelligitur *natura Dei*; ita nec per *formam ſervi* indicari poteſt *natura humana.* Si de *natura divina* acceperis, conſequeretur præterea, Deum exinaniri poſſe, quod ut in univerſum dici nequit, ita nec in Chriſto ratione divinæ naturæ uſu venit, aut venire potuit. Propterea Apoſtolus non μορφὴν ἀνθρώπου, *hominis*, ſed δούλου ſeu *ſervi* commemorat, quemadmodum

dum poſtea per ἄνθρωποι non hominem quemvis, ſed talem, qui infimæ & contemtæ ſortis ſit, indicat. Itaque per μορφὴν δούλου *conditio* potius *ſervilis*, ſicut per μορφὴν Θεοῦ conditio majeſtatica & Deo propria, eſt intelligenda. Quod ipſum ex eo quoque firmatur, quod Paulus voces μορφὴ, ὁμοίωμα & σχῆμα eodem hic ſenſu uſurpet. Quemadmodum autem ὁμοίωμα & σχῆμα non de re ipſa, ſed ejus affectione quadam & conditione interpretaberis; ita idem de voce μορφὴ fieri neceſſe eſt. Probo interim, quæ *Elliſius* ibidem contra *Grotium*, poſt vocem λαβὼν diſtinctionem ſeu διαστολὴν inveheutem, diſputat, quod & *Calovium* video feciſſe.

Verſ. 8. καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος] *&* *habitu compertus ut homo.* σχῆμα Græcis *formam*, *habitum* & *veſtitum* exteriorem inferre idoneis veterum locis evicerunt *Perizonius* ad Aelian. IV. 3. *Tanaquil Faber* ad Luciani Peregrinum pag. 577. *Elsnerus* ad h. l. & *Styanus Thirlby* ad Juſtinum Martyrem pag. 137. Addi eorum locis poteſt ille *Sexti Empirici* lib. II. adverſus Rhetores §. 105. pag. 308. edit. Fabricianæ, ubi Ulyſſes χερνήτου λαβὼν σχῆμα *operarii habitum indutus* dicitur, ſicut *Polyænus* Codrum φρυγανιστοῦ σχῆμα λαβόντα commemorat; ſpeciatim vero ad ſervilem veſtitum indicandum adhibetur, quem *Lucianus* in Somnio pag. 10. σχῆμα δουλοπρεπὲς appellat. Vide *Elsnerum* & *Majum* ἐν μακαρίτην in Obſervat. Sacris lib. II. pag. 63. edit. II. auctioris. Inde vero transfertur ad alias res, quemadmodum σχῆμα βουλῆς *Philoſtratus* dicit in Vita Apollonii V. 32. pag. 222. Denique vero in genere ſtatum conditionemque vitæ infert, quod ex *Xenophonte* pag. 649. Oeconomic. & Cyropædiæ lib. VII. pag. 142. Raphelius probatum dedit, & alio *Polybii* loco adſtruxit. Hinc idem in Annotationibus Xenophonteis pag. 268. conficit, hoc ſignificari, *Jeſum Chriſtum ita ſe ſimilem geſſiſſe aliis hominibus, ut vitæ ipſius ratio nihil à ceteris abhorreret, neque ipſe homine majus quid eſſe videretur.* Recte hæc cogitari exiſtimo. Ita enim ſimul apparet, quam ſapienter σχῆμα ἀνθρώπου opponatur τῷ εἶναι ἴσα Θεῷ, ſicut μορφῇ τοῦ Θεοῦ ab altera parte μορφὴ δούλου reſpondet. Non crediderim cum *Lampio* Exercit. VII. ad Pſalm. XLV. pag. 292. *vocem theatralem hic eſſe, ab iis deſumtam, qui aliorum perſonas, aſſumto eorum veſtitu, repræſentant.* Hæc enim interpretatio precario præſtruit, ſermonem hic eſſe de humana natura, a Chriſto aſſumta, cum de eo potius loquatur Apoſtolus, qualem ſe Chriſtus homo factus inter homines geſſerit. Nec magis probem *Ramireſium*, hæc eo accipientem, quaſi Chriſti comitas & humanitas ex illo apparuiſſe dicatur, quod corpus ſuum pannis vilibus & incomta veſte induerit, cum homines Deorum ſuorum habitum affectarent. Vide ejus Spicilegium S. Tractat. I. cap. 1.

*Εὑρεθεὶς*] *compertus*, ſeu, *fuit*. Vide *Gatakerum* ad Anton. IX. 9. p. 329. a. edit. in 4. Ibi enim *Antonius* εὑρέθη *reperta ſunt*, dicit, pro *exiſtit*, eodem-

eodemque ſenſu paulo poſt ἰδ, εὑρίσκετο eodem ſenſu uſurpat. Compara *Elliſium* pag. 227. qui vocem ita acceptam 1 *Pet.* II. 22. exſtare, nec ignotam externis eſſe, recte monet

ὡς ἄνθρωπος] Particula ὡς non ſimilitudinem nudam, ſed veritatem rei infert, ſicut illud Hebræorum כ quod אמיתית ſeu veritatis indicium Magiſtri appellant. Vide, quæ ſcripſi Vol. I. pag. 430. & 602. & Vol. II. pag. 204. Non improbo B. *Maji* cogitata, quando h. l. ἄνθρωπον non tam hominem quemcunque, quam vilem & contemtum indicare contendit. Sane is hanc notionem probis veterum locis adſtruxit, ex quibus inſuper intelligitur, ſervos inprimis ἀνθρώπους appellari conſueviſſe.

ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν] Ταπεινὸν εἶναι & ταπεινῶσαι ἑαυτοὺς illi ſpeciatim Græcis dicuntur, qui vili habitu cultuque incedunt. Vide *Arrian.* Epictet. lib. II. cap. 8. & *Polybium* lib. VIII. cap. 16. quos locos cum aliis nonnullis promit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 555. eadem opera ſapienter monens, eam hic ταπεινοφροσύνην (ad quam etiam Apoſtolus verſ. 3. cohortatur,) innui, quam Chriſtus ingenere probavit, ταπεινὸν τῇ καρδίᾳ Matth. XI. 29. ſe præſtans. Ex ea vero humilitate profecta ſunt omnia, quæ tum agendo, tum inprimis perpetiendo pro hominibus, exantlavit, obedientem ſe in omnibus Patri usque ad ultimum vitæ finem præbens. Ceterum & hanc phraſin & reliqua hujus commatis interpretatur *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 300-314.

ὑπήκοος γενόμενος] Similiter Philo pag. 38. Operum: ὑπήκοος ἀνθ' ἡγεμόνος, καὶ θνητὸς ἀντ' ἀθανάτου γίνεται. Locum obſervavit *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. Parte I. pag. 120.

θανάτου δὲ σταυροῦ] Particula δὲ augendi vim habet, quam Latine recte per *& quidem* expreſſeris. Ita *Herodotus* lib. IV. pag. 298. τὸν Ζάμολξιν ait δουλεῦσαι ἐν Σάμῳ· δουλεῦσαι δὲ Πυθαγόρῃ τῷ Μνησάρχου. Vide Raphelii Annotationes Herodoteas pag. 547. Confer Volumen noſtrum I. pag. 1163.

Verſ. 9-12. Διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, κ. τ. λ.] Tria hæc commata illuſtrant ex noſtratibus in ſingularibus diſſertationibus *Lucas Oſiander* de nomine ſupra omne nomen, Tubingæ 1620. *Jo. Hulſemannus* de laborioſa filii Dei ſervitute, Lipſ. 1648. *Chriſtianus Langius* de glorioſa dominatione filii hominis, Lipſ. 1649. *Jo. Guilielmus Baierus* de adoratione Jeſu Chriſti, Jenæ 1690. *Jo. Fechtius* de nominis Jeſu per genuflexionem veneratione, Roſtoch. 1709. ibid. 1730. recuſa, & D. *Caſp. Læſcherus* in Axiomate γονυκαμψίας in Chriſto homine terminante, Wittebergæ. His jungi poſſunt *Amelius* Tom. II. der Erörterung, pag. 434. & *Jo. Gothfr. Lackemacherus* in Obſervationibus Philologicis Parte VIII. pag. 135. ſqq. & *B. Jul. Franc. Lutkenius* in Collegio Biblico p. 178. ſq. Ex Pontificiis legatur *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. VI. ubi de Incarnatione lib. XV. §. 4. ſq. ex Reformatis *Cloppenbur-*

*gius*

Digitized by Google

*gius* Tom. I. Operum pag. 469. & 580. ex Anglis *Georg Bullus* in Defenſione Fidei Nicenæ pag. 100.

Verſ. 9. Διὸ —— ὑπερύψωσε] i. e. *Ex quo* —— *exaltavit.* Conſtat, & Socinianos & Pontificios ex particula διὸ probandum ſuſcepiſſe, quod Chriſtus ſibi exinanitione ſua exaltationem promeruerit. Hoc aliis argumentis à Theologis pridem propulſatum eſt, ita idem hinc non conſequitur, cum τὸ διὸ non ſemper cauſam meritoriam, ſed etiam ordinem, in quo aliquid fit, & aliquid, quod rem conſequitur, indicet. Vide v. c. *Act.* XIII. 35. & XX. 26. item *Hebr.* II. 9. ubi Chriſtus dicitur ἠλαττωμένος διὰ τὸ πάθημα τῦ θανάτυ. Adde *Wolfburgii* Obſervationes Sacras pag. 128. & *Gatakeri* Adverſaria cap. XXXVII.

ὄνομα ὑπὲρ πᾶν ὄνομα] *Abarbanel* in commentar. ad *Exod.* XXVIII. 36. nomen יהוה omni alio nomine ſuperius eſſe ſimiliter dicit, ceu obſervat *Braunius* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum pag. 808. Quando Magiſtri Iudæorum de nomine מטטרון (quod ajunt Meſſiæ eſſe) diſſerunt, idque ratione literarum, in computum ductarum, reſpondere ajunt nomini divino שדי cum utrumque efficiat 314.; argumentum hinc petunt illum, cui hoc nomen competat, adorandum eſſe. Vide locum in *Sanhedrin* f. 38. 2. quem Latine converſum exhibet *Balthaſ. Scheidius* in Biblioth. Lubecenſ. Tom. II. pag. 215. & *Coccejus* in Excerptis cap. IV. §. 11. Ceterum h. l. ὄνομα *dignitatem* infert, ut ad *Epheſ.* I. 21. ubi vide, quæ ſcripſi. Adde *Jo. Medum* comment. in Apocal Part. II. p. 152. Neque tamen negarim, heic ſimul reſpici ad nomen aliquod excellentius, quod Chriſto, in cœlum evecto, datum eſt. In hanc ſententiam diſſerit *Vitringa* Obſervatt. Sacrar, lib. II. cap. V. fine. *Heic vero loci*, inquit, τὸ ὄνομα *nec* Majeſtatem, *nec* auctoritatem, *nec* exiſtimationem *primo loco, ſed ipſum, mea opinione*, nomen *notat, quod Chriſto à Patre poſt ſuam in cælos aſcenſionem datum eſt excellentiſſimum, & in quo continebatur* τὸ flectere omnis genu ἐπυρανίων &c. Hoc vero nomen idem eſſe ait, quod dicitur γεγραμμένον ἐπὶ τὸ ἱμάτιον καὶ ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτῦ. Βασιλεὺς βασιλέων καὶ Κύριος Κυρίων. *Nomen Regis Regum & Domini Dominorum. Apoc.* XIX. 16. Quando enim fuit πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, factus eſt ἄρχον τῶν βασιλέων τῆς γῆς. *Apocal.* I. 5. *Hoc nomen eſt, quo nullus unquam gaviſus eſt, neque præter illum gaudere poteſt. unde eſt* ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα. *Hoc nomen eſt, ad quod* genua ſua flectere *debeat omnis creatura, ſi ſalvari velit, & certiſſimum aufugere interitum.* Addit idem, Apoſtolum h. l. reſpicere ad Jeſ. XLV. 21. ſq. ubi legitur אל צדיק ומושיע *Deus juſtus & Salvitor*, ſpeciatimque oculos intendere ad nomen מושיע. quando ait, ἵνα ἐν ὀνόματι Ιησῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ. Nomina enim ישוע, יהושוע, & מושיע ejusdem eſſe notionis. Commode præterea monet, priſcos Hebræorum Magiſtros, quando in explicandis *Pſalmo* XLVII. & *Zachar.* VI. 12. 13. occupan-

pantur, de *glorificatione* Meſſiæ deſtinata verba facere, & hæc ipſa oracula ad eam transferre.

Verſ. 10. ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ] Quod ad phraſin ſimilis exſtat locus apud *Athenæum* Deipnoſophiſt: XV. pag. 260.

Πάντες γόνυ πεπληκῶτές ἐμοὶ κυνέοντι
Δεσπόταν καὶ βασιλέα μέγαν φανέοντι.

Ex eodem conſtat, genu flexionem inter cultus & venerationis argumenta numeratam olim fuiſſe. Præterea & in Deorum cultu γονυκλισία in primis recepta fuit, quod, ut alios taceam, eruditiſſimus *Chriſtianus Gottlieb Schwarzius* in Miſcellaneis politioris literaturæ oſtendit Diatribe I. pag. 76. Confer Cl. *Lakemacheri* Obſervatt. Philolog. Part. VIII. pag. 180. Nec Chriſtianos ab ea, exceptis diebus Dominicis, & omni, quod inter Paſchatos & Pentecoſtes feſtum interjicitur, intervallo, abhorruiſſe evicit *Juſtellus* ad Codicem Canonum pag. 75. Adde M. *Aug. Nathanaëlis Hubneri* Exercitat. Hiſtorico-Eccleſiaſt. de Genuflexione Magdeburgi 1711. 4. & *Jo. Hoornbeeckii* Vetera & Nova lib. I. pag. 609. Quando igitur Paulus in eo eſt, ut Salvatorem Optimum omni cultu ex divini Patris nutu & mandato proſequendum pronunciat, externi hujus indicii & teſtificationis meminit. Reſpicitur vero hic inprimis cultus mente præſtitus, ita tamen, ut externus ille ab iis requiratur, à quibus quidem proficiſci poſſit. Placent B. *Caſparis Læſcheri* verba in diſputat. de axiomate γονυκαμψίας p. 5. *Γονυκαμψία, ad Chriſtum reſtricta, tametſi h. l. non tam denotat corporalium genuum incurvationem, quam ſpiritualem, atque cultum vere divinum; attamen non plane excludi corporalem literæ ſacræ ediſſerunt. Nam & Paulus* curvatis oravit poplitibus, (Act. XX. 36.) *& hujus quoque gratia* flectere voluit genua ſua ad Patrem. *Epheſ.* III. 14. Neque proinde noſtratis Eccleſiæ membris vitio vertendum erat, quod nominis Chriſti appellationem genibus flexis excipiunt. Morem tamen hunc ſuperſtitioſum pronunciat *Gisbertus Voëtius* in Diſputationibus Selectis Parte III. pag. 157. ſqq. *Zanchio* in commentar. ad h. l. *Davide Pareo* Irenici pag. XXIV. Artic. X. & *Jo. Durello* in Hiſtoria Rituum Eccleſiæ Anglicanæ c. XIX. pag. 209. aliter & nobiscum ſentientibus. Eorum locos allatos vide à B. *Jo. Friderico Mayero* in Eclogis Evangelicis, quas S. Rev. *Erdmanni Neumeiſteri*, Collegæ amiciſſimi, curæ & auctiores & emendatiores debemus, Parte I. pag. 208. Eundem ritum ut per ſe innocentiſſimum & laudandum, priſcæ item Eccleſiæ receptum, defendit data opera B. *Fechtius* in diſputatione ante laudata; quemadmodum B. *Caſp. Læſcherus* in altera illa cultum divinum Chriſto homini præſtandum à *Philippi Limborchii* exceptionibus lib. V. Theologiæ Chriſtianæ cap. 18. §. 2. vindicavit. Num Apoſtolus phraſi hac ad exaltationem Joſephi, *cui novum nomen inditum fuit, & ad cujus nomen & præſentiam, cum curru triumphali veheretur, tota Ægyptus humilis & venerabun-*

Digitized by Google

*bunda procumbebat*, reſpexerit, quæ *Steph. le Moyne* pag. 91. Diſſertationis ad Jerem. XXIII. 6. ſententia eſt, ſuo loco relinquo, præcipue cum ipſe ſapienter ſubjiciat: *Sed hæc infra Chriſti dignitatem multum videntur ſubſidere & nullo modo conferenda cum majeſtate Meſſiæ, &c. Amelio* Parte II. der Erörterung, pag. 434. ſeq. per ὑπερυψῶν ad ἀποθέωσιν, paganis hominibus receptam, alludi videtur.

ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων] *Supracœleſtium, terreſtrium & ſubterraneorum.* Hæc omnium optime ex ſimili phraſi *Joannis* Apoc. V. 13. exponi poſſe videntur: Καὶ πᾶν κτίσμα, ὅ ἐστιν ἐν τῷ οὐρανῷ (en ἐπουράνια) καὶ ἐν τῇ γῇ (en ἐπίγεια) καὶ ὑποκάτω τῆς γῆς (en καταχθόνια) καὶ ἐπὶ τῆς θαλάσσης ἅ ἐστι καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα, ἤκουσα λέγοντας· Τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ τῷ ἀρνίῳ, ἡ εὐλογία, καὶ ἡ τιμὴ, καὶ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Placent itaque B. *Jo. Fechtii* verba in Diſſertatt. de externa nominis Jeſu per Genuflexionem veneratione pag. 17. ita concepta: *Sunt, qui hac univerſi in tres rerum omnium claſſes diſtributione non tam reſpici exiſtimant peculiares, ſingulisque, quæ incolant, locis proprias creaturas, utpote angelos, homines & dæmones, ſed eadem potius generatim comprehendi univerſitatem creaturarum, quæ in tres hos ordines diſtribui ſoleant, non tantum ſenſu & intelligentia prædita, ſed etiam iis deſtituta. Ceu fit Apoc. V. 13. Nec enim inſolens eſſe ajunt, rebus etiam inanimatis per* προσωποποιΐαν *rerum anima gaudentium actiones tribui, utpote campis gaudium, Pſalmo XCVI. 11. fluminibus plauſum, montibus exſultationem, Pſalm. XCVIII. 9. ita & hic genuflexionem. Ita ex Arminianis cenſet Steph. Curcellæus pag. 252. Operum. Neque ab hac opinione alienus videtur Schomerus noſter, acerrimi judicii exegeta. Quo pacto nec angeli eximentur, nec homines, nec dæmones, abjiciuntur tantum creaturæ ſenſus & rationis expertes, quippe quæ ad opera quoque manuum Dei pertinent, quæ pater cæleſtis Filii ſui pedibus ſubjecit, Pſ. VIII. 7. & quidem nulla re excepta. 1 Cor. XV. 27. Genua igitur ſua Chriſto flectunt, pro modulo naturæ ſuæ, quæ corporis membris deſtituitur, angeli boni, Pſalm. CIII. 20, angelique mali, ſive illi ad cæleſtia referantur, cum dominentur in aëre, qui infima cœli pars eſt, Eph. II. 2. ſive connumerentur* καταχθονίοις, *ob ſtatum, in quo conſtituti ſunt, infelicem & tenebricoſum. Qui quanquam cum hominibus improbis & ſceleratis inviti & contremiſcentes majeſtatem Chriſti agnoſcunt, Jac. II. 19. partim tamen jam in diebus carnis ſuæ dæmones genua coram ipſo poteſtatem in ſe ſuam venerati flexerunt, Marc. I. 24. & multi impii atque infideles dicente ad Pſ. CIII. Auguſtino, &c. partim quoad integros populos (vid. Arndium in vero Chriſtianiſmo lib. II. cap. 16. §. 8.) partim vero in extremo univerſalis judicii die genua ſua omnes Chriſto inflectent, juxta vaticinium Jeſaiæ cap. XLV. 23. quod de pantocritico illo die præcipue intelligendum eſſe docet Paulus Rom. XIV. 11. Denique & pro indole corporis ſui, adeoque vere & proprie genua flectunt homines quicunque fideles & electi, Jeſum*



Digitized by Google

*ſum ſuum, Redemtorem ſuum, Salvatorem ſuum, Deum ſuum, Dominum ſuum, ex toto animo & humillimo complexu venerantes.* Hæc, utut longiora, vel ideo deſcribenda putavi, quod in compendio exhibent, quæ ad intelligentiam horum verborum dici poſſunt. Sententiam ipſam ex veteribus ſummatim complexus eſt *Chryſoſtomus*, quandо ait: *τυτέςιν ὁ κόσμος πᾶς, καὶ ἄγγελοι, καὶ ἄνθρωποι, καὶ δαίμονες, ἢ ὅτι καὶ οἱ δίκαιοι, καὶ οἱ ἁμαρτωλοί.* Contra hæc, *Jo. Gothofredus Lakemacherus*, Vir doctiſſimus, Parte VIII. Obſervat. Sacrarum pag 136. *τὺς ἐπουρανίυς, ἐπιγείυς* & *καταχθονίυς* de diis gentilium, ſpeciatimque *τὺς καταχθονίυς* de *Diis inferis* interpretatur, cum his nominibus diverſa deaſtrorum genera in externorum ſcriptis videret appellari. *Paulum* ait pag. 136. *verbis iſtis Jeſum Chriſtum, diis, quos Græcorum veneraretur atque coleret ſuperſtitio, omnibus ſic oppoſuiſſe, ut horum potentiam atque dignitatem nullam eſſe docere voluerit, ſi cum Sanctiſſimi Jeſu majeſtate comparetur, ac oportere eosdem, ſi exiſtere illos, & eſſe aliquid concedatur, ſummæ reverentiæ ſigna exhibere Chriſto, majeſtate vere divina fulgenti.* In hanc ſententiam ornandam, erudite ex veterum monimentis oſtendit, à Gentilibus deos alios *cæleſtes*, *terreſtres* alios, alios *inferos* & appellatos & ſuis quoque ritibus cultos eſſe. Ita *Porphyrius* de antro nympharum fol. 1. col. 2. tradit, *ὡς τοῖς μὲν ὀλυμπίοις θεοῖς ναὺς τε καὶ βωμὺς ἱδρύσαντο, χθονίοις δὲ καὶ ἥρωσιν ἐσχάρας, ὑποχθονίοις δὲ βόθρυς καὶ μέγαρα.* *Quemadmodum* cœleſtibus *diis templa & ædiculas, & altaria collocarant*, terreſtribus *vero & Heroibus focos*, inferis *autem ſcrobes & cryptas.* *Καταχθονίυς δαίμονας* commemorari videmus in limine aureorum Carminum Pythagoræ, *τὺς δὲ καταχθονίυς σέβε δαίμονας*, ad quem verſum lege Salmaſium in præfatione ad Tabulam Cebetis Græce, Arabice & Latine editam p 24. ubi inter cetera hæc legis: *Certum eſt, hic Pythagoram ſe accommodaſſe opinioni & locutioni hominum ſui ævi, qui animas defunctorum καταχθονίυς δαίμονας vocabant, h. e. ὑποχθονίυς,* deos manes & deos inferos. Conferri de illis deaſtrorum ordinibus poteſt præter *Stanlejum* in Hiſt. Philoſoph. lib. I. Sect. II. c. 17. *Anton. van. Dalen* in diſſertationibus de origine & progreſſu idololatriæ. Res ipſa ut negari non poteſt, ita non putem Paulum ad deos illos fictitios hic reſpexiſſe. Scriptores V.T. fateor, paſſim, ubi de cultu veri Dei ſermo eſt, deaſtrorum meminerunt, quos vir doctus Paulum imitatum eſſe ſtatuit p. 178. ſq. Sed nihil ejusmodi in Novi Inſtrumenti tabulis invenio. In illis potius Angelorum fit mentio, quando majeſtas Salvatoris & cultus ei debitus urgetur, tanquam qui ei ab ipſis angelis præſtetur. Ita *Hebr.* I. 6. ad Chriſtum refertur oraculum Davidicum Pſalm. XCVII. 7. *καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτῦ*, quem locum vel ideo de diis cum viro docto accipere nolim. Conf. *II.* 9. Porro deaſtri à Scriptoribus Novi Inſtrumenti inter res nihili numerantur. *οἴδαμεν ὅτι ὐδὲν εἴδωλον ἐν τῷ κόσμῳ* 1 *Cor.* VIII. 4. Atque hæc doctrina tanto magis urgenda erat apud Gentiles, qui vel à cultu illorum profano & ſuperſtitione avocandi, vel in agnitione veri Numinis & Mediatoris confirmandi erant. Jam verendum omni-

omnino erat, ne Philippenſes, vel alii, ex paganis ad Chriſtum converſi, ſuſpicarentur, Deos non omnino nihil eſſe, ſiquidem Paulus cultum eorum cum cultu Chriſti comparaſſet, aut innuere voluiſſet, *eosdem, ſi aliquid eſſe concedatur, ſumma reverentiæ ſigna Chriſto exhibere debere.* Hæc ſuſpicio recens converſis proprius ſuboriri poterat, quam illud, cujus cauſa Paulus hanc Numinum tripartitorum opinionem Philippenſibus ad animum revocaſſe exiſtimatur. *Erant*, inquit p. 177. *fortaſſis in Eccleſia illa ſimpliciores aliqui, qui, notitia perſonæ Jeſu accuratiori non inſtructi, haud ita, ut dignum erat ejus magnitudine, de illo ſentiebant, admiſcentes formæ, menti de eodem impreſſæ, aliquid ex Deorum fictorum, quam olim ſibi conformaverant, ſpecie.* Si *ſimpliciores* tales erant, facile fieri poterat, ut illorum deaſtrorum, tanquam qui non prorſus nihil eſſe viderentur, cultum cum cultu Salvatoris Optimi temere conjungendum cenſerent, quemadmodum illi, qui ex Judæis doctrinam Evangelicam cum ceremoniis & inſtitutis priſtinis conciliare nitebantur. Itaque Apoſtolus credi non poteſt, opinionem illam ſuggerere Philippenſibus voluiſſe, ex quorum potius animis penitus eradicari debebat. Perſiſto igitur in altera illa, quam expoſui, ſententia, quæ eo pertinet, ut omnes res conditæ tales hic repræſententur, quæ vel ſponte ſua, vel invitæ, pro ea, qua ſingulæ ſint, conditione, Chriſtum ſe ſuperiorem eſſe, & omni cultu dignum ſint profeſſuræ. Qui locum Joanneum *Apocal.* V. 13. & *πᾶν κτίσμα* ibi commemoratum expenderit, non aliter, puto, ſentiet. Sicut enim ibi nulla deaſtrorum mentio eſt, ita eadem creaturarum diviſio, quæ h. l. exſtat, deprehenditur. Quæ de horum verborum ſenſu *Chriſtianus Knorrius à Roſenroth* in Synopſi Sohar pag. 38. n. 25. tradidit, ea diſpulſa lege à *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 796. ſq. Ultimo loco obſervari velim, Judæos & nominatim Phariſæos ſtatuiſſe, animas ſeparatas *ἀπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς* recipere. Auctor eſt *Joſephus* Antiquitatum Judaic. XVIII. 11. quem locum cum noſtro hoc comparavit *J. B. Ottius* in ſuis ad Joſephum annotationibus Tomo II. edit. Havercampianæ p. 316. a.

Verſ. 11. *Καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται* ] Codices aliquot & Patrum quorundam allegationes habent *ἐξομολογήσεται*, quod *Millius* præferendum putat alteri illi, tanquam à librario profecto, qui futurum in aoriſtum ob præcedens *κάμψῃ* converterit. Nihil utique eſt, cur id ſuſpicemur. Quemadmodum enim *τὸ, καὶ* verbum *ἐξομολογήσηται* cum verbo *κάμψῃ* conjungit, hoc autem aoriſti primi formam ſubjunctivam omnino *τὸ ἵνα* poſtulat: ita erraſſe illi cenſendi ſunt, qui *τὸ ἐξομολογήσεται* expreſſerunt. Confer *Rom.* XIV. 11. *Ζῶ ἐγὼ, λέγει Κύριος, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται τῷ Θεῷ.* Ibi *τὸ, ὅτι* a forma competente utriusque verbi excipitur, quemadmodum hic *τὸ ἵνα* aliam ſibi debitam utrinque requirit. Per *linguam omnem* Spiritus omnis ordinis & homines cujusvis linguæ indicari exiſtimat *Alex. Morus* in notis, quem vide.

*εἰς δόξαν Θεοῦ πατρός*] Vulgatus Interpres vertit, ac ſi legiſſet, *ἐν*, *quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Nec aliter *Cyprianus* lib II. cap. 13. adv. Judæos, quem locum, non commemorato Vulgato, attulit *Millius*. Ex Reformatis *Jo. Hoornbeeckio* lib. V. Theolog. Practicæ cap. 9. ex noſtratibus autem hæc interpretatio ſe probavit Rev. *Zeltnero* in notis, verſioni Biblicæ vernaculæ adjectis p. 205. daß JEſus Chriſtus der HErr ſeye in (der Ehre oder) Herrligkeit GOttes des Vaters. Idem tamen non negat *τὸ, εἰς* quoque per *ad* commode reddi poſſe. Atque hoc poſterius malim. Neque enim hic de majeſtate Chriſti ſermo eſt, quæ jam ante per *ὑπερύψωσιν* ſignificata erat, ſed de gloria, quæ in Patrem ipſum ex confeſſione, ab omnibus facta, redeat. Confer *Joh.* XVII. 1. & 1 *Joh.* II. 23.

Verſ. 12. *καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε*] ſicut ſemper obedientiam præſtitiſtis, ſcilicet, mihi, vel Evangelio. Alterutrum enim fas fuerit ſubintelligi, quemadmodum aliquot codices *τὸ μοι* exhibent.

*μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον*] *non ut in præſentia mea ſolum.* Τὸ, ὡς a paucis aliquot Codd. abeſt, adeoque inſititium videtur *Millio* in Prolegomenis §. 1206. Sed perſiſtendum eſt in conſtantiore & Codicum & verſionum lectione. Dici quidem poterat, particulam *ὡς* h. l. *πλεονάζειν*, quemadmodum alibi nonnunquam omittitur, quod poſterius oſtendit *Lamb. Bos* de Ellipſi. Sed cave, ita ſtatuas. Cum enim præſentia doctoris efficere ſoleat, ut diſcipuli & tirones diſcipuli & dictis ſe magis audientes præſtent, Apoſtolus hic profitetur, Philippenſes morigeros ſe præbuiſſe, non *tanquam* reſpectu tantum habito ad præſentiam ſuam, ſeu, non ut præſenti, ſed etiam multo magis ut abſenti. Similis eſt loquendi ratio *Epheſ.* VI. 5. 6. *οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς Κυρίοις —— ὡς τῷ Χριστῷ. Μὴ κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ.* Idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet: *καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατέ μοι, μὴ ὡς παρόντι, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἀπόντι.* Apoſtolus laudat hic conſtantiam in tenenda doctrina Evangelica, & vita Evangelio digna, quam perpetuo probarint Philippenſes, quam in Galatis deſiderabat. Vid. *Gal.* V. 7.

*μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε*] *cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem conficite.* Ita hactenus Interpretes, quos ſciam, omnes verbum poſtremum *imperative*, & in exhortandi ſenſu acceperunt. Unus *Samuel Werenfelſius*, in Sylloge Diſſertationum Theologicarum pag. 459. ſqq. *indicative* ſumit, & totum hoc comma ita convertit: *Ita dilecti mei, ut ſemper obedientes fuiſtis, eo quod non modo in præſentia mea, ſed nunc multo magis in abſentia cum timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem conficitis.* Hoc modo commate 12. Apoſtoli *πρότασιν* contineri, comma 13. ut cauſam ejus, quod in *προτάσει* dicitur, *παρενθετικῶς* inſeri, & v. 14. denique *ἀπόδοσιν* comprehendi exiſtimat: *Omnia facite ſine murmurationibus &c.* Ex quo conſequeretur, verſ. 12. *commendationem* Philippenſium, & verſ. 14. eorundem ad ſtudium virtutis *excitationem* exhiberi. Speciem habet nova hæc expoſitio:

ſed

Digitized by Google

ſed ſunt, quæ me ab aſſenſu largiendo prohibent. Vir doctus τὸ ὥστε vertit per *ita*, quod rectius omnino per *itaque*, *proinde*, redditur. Hoc ſenſu voculam frequenter adhibet Paulus, v. c. infra IV. 1. ὥστε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι χαρὰ καὶ στέφανός μου, οὕτω στήκετε ἐν Κυρίῳ, ἀγαπητοί. *Itaque, fratres mei dilecti*, —— *ſtate in Domino.* His enim verbis exhortatio continetur ad omnes & ſingulos facta, ſicut in ſequentibus aliæ ejusmodi ad nonnullos ſpeciatim perferuntur. Similiter 1 *Cor.* III. 21. ὥστε μηδεὶς καυχάσθω, IV. 5. ὥστε μὴ πρὸ καιροῦ τι κρίνετε, XI 32. ὥστε ἀδελφοί μου, συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν ἀλλήλους ἐκδέχεσθε. Omitto alia. Exhortandi notionem locum hic habere, ipſa illa compellatio ἀγαπητοί μου, quæ in eadem loquendi forma adhuc efficacior eſt intra IV. 1. credere jubet; poſtulat autem nova illa, quæ verſ. 14. ſequitur: πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν. Ea enim ut ad ſpeciale quoddam officium, Chriſtiano homine dignum, refertur; ita argumento eſt, antecedentem illam cohortationem ut generalem eſſe accipiendam. Accedit, & hoc, quod Paulus alias, ubi ſimili adhortatione perfungitur, phraſin μετὰ φόβου καὶ τρόμου ut h. l. adhibeat. Vide *Ephesʃ.* VI. 5. *Werenfelſius* præterea particulas μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, facta transpoſitione ὡς μὴ μόνον ἐν τῇ παρουσίᾳ μου, vertit, *eo quod non modo in præſentia mea.* Hic vero probandum erat, τὸ ὡς idem Græcis alias eſſe, quod *eo quod.* Si hoc ſibi Paulus voluiſſet, ſcripturus erat: Ὥστε ἀγαπητοί μου, καθὼς πάντοτε ὑπηκούσατε ὡς μὴ ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον —— τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. Sic ille, quem *Werenfelſius* cupit, ſenſus ex voculæ ὡς ſtructura & recepto quoque ſignificatu, *tanquam* proditurus erat: *Itaque dilecti mei, quemadmodum ſemper obedientes fuiſtis tanquam* —— *ſalutem veſtram conficientes, &c.* Ita Paulus alibi ſæpe loqui amat, v. c. *Rom.* XV. 15. Τολμηρότερον δὲ ἔγραψα ὑμῖν —— ὡς ἐπαναμιμνήσκων ὑμᾶς. 1 *Cor.* IV. 7. τί καυχᾶσαι ὡς μὴ λαβόμενος. V. 2. Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι, ἤδη κέκρικα ὡς παρών. Jam vero h. l. iſta dicendi ratio non exſtat. Affertur quidem pag. 464. ad aſſerendum τῷ ὡς ſignificatum, *eo quod*, locus 2 Cor. VII. 15. ubi Titi vehemens amor in Corinthios prædicatur, tanquam ἀναμιμνησκομένου τὴν πάντων ὑμῶν ὑπακοὴν, ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτὸν, quæ vir doctus ita vertit: *reminiſcentes veſtra omnium obedientiæ*, qua in re? *eo quod cum timore & tremore eum excepiſtis.* Sed nec ille efficit, quod effici debebat. Τὸ ὡς enim non reſpicit proxime τὴν ὑπακοὴν, ſed τὸ, ἀναμιμνησκομένου. Senſus eſt, Titum recordari, *quomodo*, & *quantopere* cum timore & tremore ſe exceperint. *Eſt* igitur *aliquid in verbis Apoſtoli, quod hanc* novam *interpretationem non patiatur;* ſecus ac viſum eſt *Werenfelſio* pag. 460. Ab altera potius parte nihil eſt, quod receptæ expoſitioni fraudi ſit. Quod enim pag. 461, obvertitur, Apoſtolum nullam habuiſſe occaſionem, Philippenſes, quippe qui non ſegnes fuerint in hoc opere cap. I. 3-6. & verſ. 29. 30. ad *operationem ſalutis ſuæ* cohortandi: id quidem aliter habere facile perſpexerit, qui meminerit, ſermonem hic eſſe de eodem opere por-

ro continuando, & indies magis magiſque usque ad vitæ finem urgendo. Id enim ſibi vult τὸ, *κατεργάζεσθε*. Hoc vero monendi occaſio non minor à Philippenſibus Apoſtolo naſcebatur, quam à Timotheo, tantopere laudato, quem vel ſic cohortatur: *ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι*, 1 *Tim.* VI. 15. Admonitio hæc non minus locum habebat apud Philippenſes, quam illa, qua ad eosdem infra utitur cap. IV. 1. *οὕτω στήκετε ἐν Κυρίῳ.* Excipit vir doctus p. 162. ex recepta expoſitione ſequi, quod Paulus ſalutem ſuam non modo in præſentia ſua, ſed multo magis in abſentia ſua conficere jubeat; id quod inconcinne dici non dubitat. Id fere miror ipſi excidiſſe. Nam verba illa, *μὴ ὡς ἐν τῇ παρουσίᾳ μου μόνον, ἀλλὰ νῦν πολλῷ μᾶλλον ἐν τῇ ἀπουσίᾳ μου*, ad antecedens *πάντοτε ὑπηκούσατε*, non autem ad conſequens, *τὴν ἑ. σ. κατεργάζεσθε* ſpectare, vel ex eo conſtat, quod ſic ratio redditur, cur Apoſtolus Philippenſes dicat *ſemper* obedientiam præſtitiſſe, nempe, & præſente & abſente ipſo. Cumque hoc vir doctus ipſe l. c. affirmet, non video, qui illud urgere potuerit, præcipue, cum neminem norim, qui ita unquam hæc verba acceperit. Non magis valet, quod pag. 464. excipitur, particulam *ὡς*, niſi pro *eo quod* accipiatur, prorſus otioſam & inutilem eſſe. Aliter, credo, ſtatuet, qui ſuperiora noſtra legerit. Quæ ex v. 13. & 14. pro ſe affert *Werenfelſius*, ea ad ipſa illa commata mox diluemus. Longior hic fere fui, quam opus eſſe nonnullis videri poſſit, in re non magni admodum momenti. Duo autem ſunt, quæ, ut hoc facerem, me impulerunt. Primum eſt, quod viro docto interpretationis ſuæ veritas ita perſuaſa ſit, ut pag. 465. *miretur, nemini, verſum 13. ſerio legenti, eam in mentem veniſſe.* Alterum eſt, ut novo hoc exemplo conſtet, quam periculoſum ſit, novas & incognitas interpretationes ſolicite venari, quod multis præclarum hodie videri intelligo.

*μετὰ φόβου καὶ τρόμου* ] Utraque vox non *timorem* & *tremorem*, ex ſolicita dubitatione aut ſervili animo ortum, ſed humilitatem duntaxat, atque ſummam animi demiſſionem, cum reverentia conjunctam, ſignificat. Recte hoc monuit B. *Martinus Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 410. & ex Daniel. V. 19. & VI. 26. ubi *τρέμειν* & *φοβεῖσθαι* apud *τοὺς* LXX. eadem notione adhibetur. Confer *Suicerum* ex Patribus commentantem Tom. II. pag. 1451. *Sixtin. Amamam* in Antibarbaro Biblico pag. 446. & quæ *Schœtgenius*, in Horis Hebraicis p. 797. ex Judæis affert.

*τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε* ] Conferri velim diſſertationes duas, alteram B. *Jo. Deutſchmanni*, de ſolicita Chriſtianorum in Deo *σωτηριοεργησίᾳ* Vitemberg. 1683. 4 alteram B. *Jo. Schmidii* de cura ſalutis cum timore ac tremore, Lipſ. 1712. 4. Verbo *κατεργάζεσθαι* frequentiſſime, nec ſine *ἐμφάσεως*, utitur Paulus. Vide, quæ ſcripſi ad *Epheſ.* VI. 13. *Chryſoſtomus* ita: *Οὐκ εἶπεν, ἐργάζεσθε, ἀλλὰ κατεργάζεσθε, τουτέστι, μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς, μετὰ πολλῆς τῆς ἐπιμελείας.*

Verſ.

Verſ. 13. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν] Ita eleganter & emphatice dici pro ἐνεργεῖ, aliquot *Herodoti* exemplis evincit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 547. Is v. c. lib. II. pag. 179. ait: τῇ Ἴσι τε τὸ ἐν Μέμφι ἱρὸν Ἄμασίς ἐστι ὁ ἐξοικοδομήσας.

*ἐν ὑμῖν] in vobis.* Non erat, cur *Seb. Pfochenius* de linguæ Græcæ N. T. puritate §. 63. τὸ ἐν idem hic eſſe quod *per* ſtatueret. Sermo enim eſt de gratioſo DEI opere *in* animis Philippenſium, quod vel ex verbo θέλειν intelligitur.

καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν] Anonymus Anglus, epiſtolarum duarum ad Profeſſorem Amſtelodamenſem Lond. 1721. ſcriptarum, auctor, quarum altera de locis aliquot N. T. conjecturas ſuas promit, contendit, legendum eſſe, καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐκτελεῖν, *& ut velitis, & ut perficiatis*, cum ἐνεργῶν τὸ ἐνεργεῖν inconcinnum ſit, nec ab Apoſtolo profectum credi poſſit. *Num ſenſus*, inquit, *aliquid huic ſimile non poſtulat? num hæc conjectura non firmari videtur ab eo, quod iisdem pene verbis dicit Paulus*, in 2 *Cor.* VIII. 11. ἵνα καθάπερ ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, οὕτω καὶ τὸ ἐπιτελέσαι ἐκ τοῦ ἔχειν? *Ibi enim voces* θέλειν & ἐπιτελεῖν *ſibi invicem opponuntur. Imo hoc ipſo in loco, de quo agitur, verſiones* Copt. *&* Syr. *reddunt Græcum verbum per* perficere, *quod eſt* ἐπιτελεῖν *non* ἐνεργεῖν. *Verſio autem* Vulgata *habet*: Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere: *unde illum credibile eſt olim legiſſe* ἐπιτελεῖν. *Vix enim illa reddidiſſet idem verbum in priore loco per* operari, *in poſteriore vero per* perficere. Ingenio hic, more ſuo, abuſus eſt vir doctus, inſuper habitis & codicibus, & veterum allegationibus, à quibus ſibi nihil opis accedere ipſe fatetur. Paulum ita, ut hodie legitur, ſcripſiſſe, nemo dubitaverit, qui non ignoret, eundem *Coloſſ.* I. 29. ἐνέργειαν τὴν ἐνεργουμένην, & *Philip.* I. 4. ἐν πάσῃ δεήσει τὴν δέησιν ποιεῖν, dicere. Idem τὸ θέλειν alias τῷ κατεργάζεσθαι, vel ποιεῖν, vel πράττειν, quæ ſynonyma ſunt τοῦ ἐνεργεῖν, opponit. Vide *Rom.* VII. 18. 20. 2 *Cor.* V. 4. 5. *Rom.* VII. 15. 16. Quod ad 2 *Cor.* VIII. 11. attinet, probat ille quidem, Apoſtolum h. l. ita ſcribere potuiſſe, ſcripſiſſe autem, non item. Nihil enim prohibet, quo minus illud, quod hic exſtat, verbum, tanquam illi æquale & ἰσοδύναμον, adhibitum ab ipſo fuiſſe credamus. Lege, quæſo, *Pollucem* lib. IX. Sect. 156. ita præcipientem: Ἔστι δὲ εἰπεῖν ἐπράχθη, ἐξεπράχθη, κατεπράχθη, εἰργάσθη, κατειργάσθη, ἐτελέσθη, ἐξετελέσθη, ἐτελεσιουργήθη. Item Sect. 157. πράττων, ἐργαζόμενος, τελῶν, συντελῶν, ut Synonyma, jungit. Compara *Jo. Henr. Maij*, τοῦ μακαρίτου, Vindicias Græcæ veritatis ſtilique Apoſtolici Anonymo illi oppoſitas, p. 23. ſeq. cui hæc in acceptis fero. Illius obſervatis hoc addidero, quod vir doctus, ſed nimium ſibi tribuens, gratis provocat ad Interpretes *Vulg. Copt. & Syrum*, tanquam qui τὸ ἐνεργεῖν per *perficere* interpretantes, ἐπιτελεῖν legiſſe videantur. Si enim ἐνεργεῖν & ἐπιτελεῖν eodem ſignificatu valent, nihil obſtat, quo minus & illos ἐνεργεῖν h. l. legiſſe credamus.

ὑπὲρ

ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας] *pro beneplacito ſuo*, vel, *juxta, ſecundum beneplacitum ſuum*, ut modaliter intelligatur, quæ *Eraſmi Schmidii* eſt ſententia ad 1 Cor. XV. 29. Reddi vero etiam poterat: *propter benevolentiam ſuam*, ut de cauſa impulſiva accipiatur, quam notionem obtinere idem oſtendit loc. cit. Ita recte acceperunt eruditi Interpretes Galli *de Beauſobre* & *Lenfant: par la bonne volonté, qu'il a* pour vous, ad *Luc*. II. 24. provocantes, & illam aliorum, *ſelon qu'il lui plait*, (*prout ipſi placet*,) repudiantes. *Prior enim ſenſus*, ita pergunt, *huic loco eſt convenientior, quia id, quod credentem ſuſtentat & excitat, non eo continetur, quod gratiam ſuam largitur, cui lubet*; *ſed potius* proclivitate (ſeu benevolentia,) *qua in eam dandam fertur*. Non aliter *Jo. Clericus: par la bonté, qu' il a* pour vous. Et ſic quoque Lutherus: nach ſeinem Wohlgefallen, nec minus *Grotius: pro ſumma ſua in vos benevolentia*. Pro *Lutheri* verſione, ab *Emſero* ſugillata, dicit *Raithius* in Vindiciis Verſionis Germanicæ pag. 540. eadem opera oſtendens, errare *Syrum* & *Arabem*, aliosque nonnullos, *qui τὴν εὐδοκίαν* ad *deſiderium* Philippenſium referant. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 1241.

Mihi quidem nunc diluenda ſunt, quæ *Werenfelſius* l. c. pag. 465. ex commate hoc pro nova ſua interpretatione verbi κατεργάζεσθε extorquere conatus eſt. Senſum ait hunc eſſe: *Deus in vobis operatur, ut velitis ſalutem veſtram propriam operari cum tremore & timore, utque id, quod vultis re ipſa præſtetis.* Quid inde? *Sed quomodo, quæſo*, inquit, *ad aliquid faciendum incitareturis, cui diceretur: Fac hoc; Deus enim, ut hoc ipſum facere velis, & revera facias, efficaciter in te operatur. Quis unquam audivit talem exhortationem?* At bona verba, quæſo. Ratio hæc exhortationis Paulinæ adeo non inconcinna viſa eſt Interpretibus, quos modo laudavi, Gallis, ut eam potius & agnoverint, & illuſtrarint his verbis: *C' eſt un encouragement à travailler, parce que Dieu* opere le vouloir *&c. & à travailler* avec crainte, *parce que ſans ſon ſecours il n'y a perſonne, qui ne ſuccombat.* i. e. *Eſt hæc formula ad laborem excitandi, quia Deus* efficit, ut velimus *& laboremus* cum timore, *ſine cujus ope ſi foret, quisque ſuccumberet.* Et num hæ ad bonum excitandi formulæ adeo infrequentes ſunt Apoſtolis, ut inſolitæ nobis videri poſſint? Nonne *Petrus*, poſtquam 1 Ep. V. 7. ſeqq. ad officia varia, Chriſtiano homine digna, ſuos excitaſſet, v. 10. ait: ὁ δὲ Θεὸς πάσης χάριτος — αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενώσαι, θεμελιώσαι. Nonne hoc idem eſt, quod h. l. Philippenſibus ſuggerit Apoſtolus, Deum pro benevolentia ſua ſumma effecturum, ut opus, in ſe difficilimum, & velle & perficere poſſent. Hac vero promiſſione & aſſeveratione eo magis h. l. opus erat, quod commemorato antea *timore* & *tremore* percelli poterant, ſubveriti, ne nimium ab illis, &, quod humeris ſuis majus eſſet, à ſe requireretur. Hanc ſolicitudinem levaturus Paulus ſapienter eos revocat ad præſentiſſimum divini Numinis auxilium recogitandum. At videre mihi videor, quid *Werenfelſium* torſerit, nem-

nempe *efficaciſſima* Numinis operatio in Philippenſibus. Hanc enim, ſi quid video, ex Reformatorum, nominatim *Baſileenſium*, mente pro *irreſiſtibili* habuit, qualis ſi admittatur, fieri omnino poteſt, imo potius debet, ut, qui de illius dono certus ſit, operoſam curam & laborem omnem ſecurus abjiciat, atque adeo omnem, quæ ad eam fiat, excitationem ſupervacaneam eſſe judicet. At enimvero non datur ejusmodi gratia Dei, etiam *efficax*, h. e. ad ſalutem obtinendam idonea & ſufficiens, quæ ſit *irreſiſtibilis*. Patet hoc ex ordine illo, quem Deus omnibus, quibus gratiam ſuam ampliſſimam pollicetur, præſcripſit, quo neglecto fit, *ut gratiam Dei εἰς κενὸν in vanum acceperint*. 2 *Cor.* VI. 1. Quando itaque gratiæ Dei in opere ſalutis provehendo obex ab hominibus poni poteſt, patet, pollicitationem ejus locum habere poſſe apud eos, qui in hoc opere hactenus & fidos ſe ac ſtrenuos præſtiterant, & ad idem ſtrenue urgendum excitari debebant. Nonne hominem inopem, qui manuum labore victum ſibi quærere neceſſe habet, pecunioſior aliquis ad laborem efficaciter excitat, ſi illum certum eſſe jubet, ſe de ſuo, quæ forte deſutura ſint, largiturum eſſe, modo induſtriam deſiderari non patiatur? Non habet igitur, cur queratur *Werenfelſius*, nexum non eſſe inter verſ. 12. & 13. ſi recepta adhuc expoſitio teneatur. Nobis potius, illam tuentibus, fas & integrum eſt, nexus ejusmodi rationem reddendam ab ipſo, omnia alia hic quærente, repetere. Talem enim ſibi in promtu non eſſe ipſe faſſus eſt, quando comma 13. a reliquis per παρενθέσεως notam diſtinguit. Non poſſum denique non meminiſſe *Chryſoſtomi*, qui eandem, quam oſtendi, nexus rationem eodem modo reddit. Ἐπειδὴ δὲ, inquit, εἶπε, μετὰ φόβου καὶ τρόμου, καὶ ἐναγωνίους ἐποίησεν, ὅρα, πῶς παραμυθεῖται τὴν ἀγωνίαν. Τί γάρ φησιν; ὁ Θεός ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν. μὴ φοβοῦ, ὅτι εἶπον μετὰ φόβου καὶ τρόμου· οὐ διὰ τοῦτο εἶπον, ἵνα ἀπαγορεύσῃς, ἵνα δυσεφικτόν τι εἶναι νομίσῃς τὴν ἀρετὴν, ἀλλ᾽ ἵνα προσέχῃς, ἵνα μὴ διαχέῃς σεαυτὸν, ἂν τοῦτο ᾖ, ὁ Θεὸς πάντα ἐργάσεται· σὺ θάρσει. Ὁ Θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν. Εἰ τοίνυν αὐτὸς ἐνεργεῖ, ἡμᾶς δεῖ τὴν προαίρεσιν παρασχεῖν συγκεκροτημένην διαπαντὸς, ἐσφιγμένην, ἀδιάχυτον. In ſequentibus idem ad eam exceptionem reſpondet, quam *Werenfelſius* movit, εἰ τὸ θέλειν αὐτὸς ἡμῖν ἐνεργεῖ, πῶς ἡμῖν παρακελεύει; Hæc apud ipſum legi malim. Legere etiam juverit, quæ *Dionyſ. Petavius* Tom. I. Dogmatum Theologic. lib. X. cap. XVII. & cap. XX. ubi de Prædeſtinatione, ex Patribus ad hunc quoque locum commentatur.

Verſ. 14. Πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν] Inquirendum hic eſt in nexum hujus commatis cum antecedente. *Werenfelſius* eum e longinquo repetit, & πάντα illa omnia reſpicere putat pag 469. ad quæ in iſta epiſtola Philippenſes ſit cohortatus, v. c. ad concordiam ſervandam, vitandam contentionem, κενοδοξίαν &c. Rectius vero, ſi quid video, ad τὸ κατεργάζεσθαι τὴν σωτηρίαν hoc referes, quod tanquam ſpeciale aliquod idque neceſſarium momentum requiritur, ut ſcilicet omnia, quæ in opere ſalutis, vel facienda, vel patienda ſunt, fiant ſine *murmuratione* in Deum & ſine ſolicita ani-

mi *dubitatione.* Utrumque enim cadere ſolet in eos, qui *καθ' ὑπομονὴν ἔργου ἀγαθοῦ ζωὴν αἰώνιον* quærere debent *Rom.* II. 7. Nunc enim à *murmuratione* cavere ſibi debent calamitatibus preſſi, (conf. 1 *Cor.* X. 10.) nunc a *dubitatione*, ubi aliquid, quod difficultatibus obſitum ſit, eſt perficiendum. Poſteriorem illam per *διαλογισμὸν* indicari cum B. *Luthero* exiſtimo, quo ſenſu eadem vox occurrit 1 *Tim.* II. 8. *βούλομαι προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας — χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ*, ubi Chryſoſtomus *διαλογισμὸν* per *ἀμφιβολίαν* explicat. Neque h. l. aliter vocem accepiſſe videtur, quandoquidem per *διάκρισιν* exponit. Recte *Jo. Martianæus* in *Conatibus novæ verſionis* pag. 370. ita ſententiam enarrat: *Agiſſés, au reſte, toutes choſes, ſans murmurer, & ſans vous deſier de la protection du Seigneur*, i. e. *Ceterum agite omnia ſine murmuratione, & ſine diffidentia reſpectu auxilii divini.*

Verſ. 15. *Ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι*] Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 221.

*καὶ ἀκέραιοι*] Inſpice Curas has ad *Matth.* X. 16. & *Rom.* XVI. 19.

*ἐν μέσῳ.*] Codices aliquot habent *μέσον*; itaque *Millius* in Prolegom. legere mavult *ἀνὰ μέσον*, renitente recte *Whitbio* pag. 70. Examinis.

*γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης*] Ita οἱ LXX. *Deuteron.* XXXII. 5. confer *Suicerum* Tom. I. pag. 745. & nos ad *Matth.* XVII. 17. *Arrianus* Epictet. pag. 114. *δόγματα στρεβλὰ καὶ διεστραμμένα.* & pag. 290. *διεστραμμένα τῶν ἀνθρώπων* appellat, obſervante *Raphelio* in Annotatt. Polybianis pag. 556.

*ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ*] *inter quos lucetis.* Ita malim cum plerisque indicative accipere; ut dignitas Philippenſium credentium ſignificetur. Alii malunt imperative, *lucete*, cum *Eraſmo*, quod neſcio an ex Græcæ linguæ rationibus ſtatui poſſit. Id ſibi Paulus vult & præcipit, ut quemadmodum adhuc in tenebris & caligine hominum profanorum virtutis radios inſtar luminum ſparſerint; ita inpoſterum quoque continuato hoc ſtudio a ſordibus & maculis vitiorum puros ſe præſtent.

*ἐν κόσμῳ*] *Jo. Clericus* in Verſione Gallica vertit: *in cælo*; ideo quod *κόσμος* Græcis, & *mundus* Latinis frequenter *cælum* inferat, & ſtellæ etiam in cœlo luceant. Nolim ego deſerere ſignificatum vocis *κόσμος* in Novi Inſtrumenti tabulis perpetuo obvium, quo vel hanc rerum univerſitatem, vel homines in mundo viventes, vel denique, & ſæpiſſime, perverſæ indolis homines, nunquam autem *cælum* ſpeciatim, indicat. Taceo, *τὸ ἐν κόσμῳ* non ad *φωστῆρας*, cum quibus comparantur Philippenſes, ſed ad *φαίνεσθαι* rectius referri, ut intelligatur, quo loco & in quorum commodum illi quidem luceant. Quemadmodum enim ſtellæ & alia ſidera non ſibi, nec cœlo, ſed orbi habitabili potiſſimum lucent, ita fidelium *φῶς λάμπει ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ὅπως ἴδωσιν αὐτῶν τὰ καλὰ ἔργα, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Matth.* V. 16.

Verſ.

Verſ. 16. *λόγον ζωῆς ἐπέχοντες*] Pendent hæc à præcedente phraſi, *ἐν οἷς φαίνεσθε*, & indicatur inſtrumentum, quo ſe mundi lumina præſtent. *Ἐπέχοντες* aliis hic ſunt *tenentes*, nempe ſibi; aliis *exhibentes*, ſcilicet aliis. Inter hos eſt *Grotius*, & *Eraſmus Schmidius*, item *Beza*. *Schmidius* huc affert *μαςὸν ἐπέχειν*, quod Græci de nutrice adverſus infantem dicunt, nominatim *Homerus*, & *Pauſanias*. Malim tamen cum B. *Luthero* priorem ſignificatum præferre, quem & *Knatchbullus* adoptavit. Verbum enim hoc accuſativo junctum inter cetera etiam imperium & poſſeſſionem infert. Ita *Ariſtoteles* frequenter Deum ait *τὸν κόσμον ἐπέχειν*. Et *Plutarchus* in Numa, *ἐπέχειν τάξιν* dixit. Lucas Paulum ait *ἐπέχειν χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν*, *Actor.* XIX. 22. *Heſychius ἐπέχοντες* per *κρατοῦντες* interpretatur. Pauli mens eſt, Philippenſes hactenus vitam Evangelio dignam egiſſe, & inpoſterum eſſe acturos, ſi perpetuo teneant *verbum* vitæ, per quod ad fidem atque adeo ſpem ſalutis æternæ; & ſimul ad vitam ſpiritualem perducti ſint, & in eadem conſervandi.

*εἰς καύχημα ἐμοὶ*] Vide 2 *Cor.* I. 14.

*ὅτι οὐκ εἰς κενὸν ἔδραμον*] Lege nos ad *Gal.* II. 2.

Verſ. 17. Ἀλλ' *εἰ καὶ σπένδομαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν*] *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere lib. I. cap. 6. pag. 70. Paulum ait h. l. *Philippenſes* fideles *cum* Sacerdotibus *conferre*, *tanquam ſe ipſos Deo offerentes* jugi *profeſſione vera fidei*; ſuum vero ſanguinem (*aliquando pro confirmanda Evangelii doctrina effundendum*) *cum* vino, *quod olim effundebatur ſuper ſacrificio quotidiano*: Sed etiamſi etiam liber (*ſic vocabatur* נסך effuſio vini, *ad holocauſtum*, *quod matutinis & veſpertinis horis jugiter in Templo offerebatur*) ſuper ſacrificio & miniſterio (*miniſterio Sacerdotali*) fidei veſtræ, gaudeo &c. *Attendatur*, *quaſo*, (ita pergit) *ad comparationem elegantiſſimam*, *quam Apoſtolus in hoc loco inſtituit. Fideles ipſos hic conſiderat*, *ut Sacerdotes*, *quemadmodum & alibi* (Rom. XII. 1.) Sacrificium *eorum* juge, *quod* holocauſtum *erat ſub* lege, *vocat* fidem, *quia fidelis per continuos fidei actus ſe ipſum offert Deo.* Vinum, *quo holocauſtum juge ſolebat libari*, *interpretatur per* ſanguinem ſuum, *effundendum ad confirmationem veritatis.* Eadem eſt ſententia Interpretum, quos vidi, principum, & nominatim *Quiſtorpii* noſtratis ad h. l. ita verba enarrantis: *Dum vos tanquam hoſtiam per meum miniſterium Deo obtulerim*, *vosque veſtra corpora hoſtiam vivam*, *ſanctam & Deo placentum offeratis*; *ego quoque prout in V. T. fiebat*, *ubi victimis vini* (*vel olei libamentum infundebatur*) *cum gaudio & animi prolubio ſanguinem meum profundam*, *ut eo ceu libamine vos hoſtia humectemini.* Compara *Joan. Arrowſmithi* Tactica Sacra lib. III. cap. 3. pag. 301. ex noſtratibus *Pet. Zornium* Tomo II. Opuſculorum Sacror. pag. 50. & *Ritmeierum* in Apoſpaſmatis Philologematum Sacrorum pag. 20. ex Patribus autem eos, quos *Suicerus* Tom. I. pag. 1427. & II. pag. 993. affert. Hoc malim, quam quidem cum Rev. *Zeltnero* in notis ad verſionem Lutheri Germanicam *θυσίαν* de Chriſto tanquam ſa-

crificio; de quo verſ. 8. interpretari. Θυσία non minus de *Philippenſibus* accipienda eſt, quam fides, quæ ipſorum dicitur, λειτεργία vero de Pauli *miniſterio*, per quod factum erat, ut Philippenſes grata Deo victima fierent, ſeque ipſos ut tales Deo offerre quotidie poſſent. Hanc eſſe Pauli mentem nemo dubitaverit, qui expenderit ſimilem phraſin *Rom.* XV. 16. qua conſtitutum ſe ait, εἰς τὸ εἶναί με λειτεργὸν Ἰησε Χριςε εἰς τὰ ἔθνη, ἱερεργεντα τὸ εὐαγγέλιον τε Θεε, ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος, ἡγιασμένη ἐν Πνεύματι ἁγίῳ. Ceterum non ſolum apud Judæos, ſed & apud paganos moris erat cæſis victimis libamentum ſuperaddere, i. e. vinum de patera defundere, id quod *Arrianus* eadem phraſi dicit σπένδειν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ de Expedit. Alexandri VI. 19. 11. Obſervavit hoc, & aliis locis adſtruxit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 557. qui ibidem monet, ſenſum eſſe: *etiamſi ſanguis meus profundendus ſit, poſtquam vos ad fidem adduxi.* De his libationibus gentium videri idem jubet *Jo. Phil. Pfeifferum* in Antiquitatib. Græcis lib. I. cap. 8. & 29.

χαίρω] Majori id jure & vera animi præſentia facere poterat Paulus, quam *Seneca* olim, quem, profuſo ex venis ſanguine, *Tacitus* lib. XV. Annal. auctor eſt lætum dixiſſe, *libare ſe liquorem illum Jovi liberatori.* Simili Thraſeæ Poëtæ dictum idem affert lib XVII. Commemoravit utrumque doctiſſimus *Schellhornius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VII. pag. 78. ſq. Non contemni quidem mortem ſed lubenti tamen animo excipi vult *M. Antoninus* lib. IX. §. 3. Μὴ καταφρόνει θανάτε, ἀλλὰ εὐαρέςει αὐτῷ, ὡς καὶ τέτε ἑνὸς ὄντος, ὧν ἡ φύσις ἐθέλει. Adde X. 14. & ibi *Gatakeri* notas pag. 365. cujus & Cinnus pag. 280. conferri poteſt.

Verſ. 19. Ἐλπίζω δὲ ἐν Κυρίῳ Ἰησε] *Spero vero in Domino Jeſu*, i. e. ſpero, Dominum Jeſum effecturum, ut mittere ad vos poſſim Timotheum. Vide, quæ de hujus phraſeos, Paulo frequentatæ, notione diſſerit *Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte II. pag. 210. Scilicet ut Apoſtolus à ſuis omnia fieri & ſperari volebat in Domini nomine *Coloſſ.* III. 17. ita ſuo illis exemplo præibat.

ἵνα καγὼ εὐψυχῶ] *Ut & ego bono ſim animo.* *Grotius* hic habet ἐμψυχῶ, & ab aliis legi monet εὐψυχῶ, priorem lectionem non ſpernendam eſſe contendens; quia ἐμψύχειν & ἀναψύχειν tanquam activa pro reciproco, *refrigerare ſemet*, adhibeantur. Neſcio, unde τὸ ἐμψύχειν natum ſit *Grotio.* Illud enim ut inter varietates à *Millio* collectas non occurrit; ita nec à Stephano aut aliis Lexicographis eſt obſervatum, quemadmodum etiam apud τὰς LXX. fruſtra quæritur. Contra ea εὐψυχῶ Scriptoribus non eſt ignotum, quod Pollux lib. III. §. 135. monet, & cum θαῤῥεῖν conjungit. *Kuhnius* ibi Latine vertit, per, *bono animo eſſe*, ad Gloſſas provocans, quæ εὔψυχον *animoſum* dicant.

Verſ.

Verſ. 20. Οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον] *Neminem habeo pari animo præditum.* Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius.* Hanc verſionem probat & adſtruit contra *Heinſium*, qui illam ſugillaverat, *Jo. Pearſonus* in Vindiciis Ignatianis Part. II. pag. 203. *Virum*, inquit, *ſimiliter erga Philippenſes affectum, & pari cura eorum ſtatum proſequentem intelligit, ut ſequentia demonſtrant. Recte optimus Interpres* Chryſoſtomus: *οὐδένα γὰρ ἔχω ἰσόψυχον, τουτέστι, τῶν ὁμοίως μοι μεριμνώντων, & rurſus, ἀντὶ τοῦ ὁμοίως ἐμοὶ κηδόμενον ὑμῶν καὶ φροντίζοντα.* Pauli mens eſt, neminem, excepto Timotheo, eſſe, qui ad ſuum in Philippenſes ſtudium propius accedat. Egregie B. *Lutherus* noſter: der ſo gar meines Sinnes ſey.

*γνησίως*] *germane, ſincere, candide.* Ita *Polybius* pag. 415. *τὸ γνησίως συνεπικυρῶσαν, decretum candido ſimpliciqne animo affirmarunt.* Interpretes Galli *de Beauſobre* & *Lenfant* vertunt: *trés grand*, i. e. *maxime*, & hanc vocis notionem ex *Philone* eliciunt, qui Therapeutas dicat ob virtutem ſuam eſſe *γνησίως* i. e. *maxime* commentatos. Crediderim vero, & ibi *τὸ γνησίως* idem eſſe, quod *vere.* Γνήσιος & *γνήσιον* in N. T. ſemper infert, rem vel perſonam talem *vere* eſſe, qualis eſſe dicitur. Ita Paulus ad *Corinth.* 2. epiſt. VIII. 8. *Τὸ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης γνήσιον δοκιμάζων.* Infra cap. IV. 3. *σύζυγον γνήσιον*; & 1 *Tim.* I. 2. Timotheum, itemque Titum I. 4. *τέκνον γνήσιον*, appellat. Lege de vocis emphaſi *Witſium* in Miſcellaneis Tom. II. pag. 560.

Verſ. 21. Οἱ πάντες γὰρ] i. e. *plerique.* Nam ex illorum numero eximendi, ut alios taceam, erant *Epaphroditus*, quem laudat ut *ἀδελφὸν, καὶ συνεργὸν, καὶ συστρατιώτην*, infra verſ. 25. & *Tychicus*, *ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς καὶ πιστὸς διάκονος Coloſſ.* IV. 7. Similiter *Act.* II. 12. *ἐξίσταντο δὲ πάντες*, i. e. *πλεῖστοι*, quod ex eo conſequitur, quia v. 13. ab illis diſtinguuntur, *ἕτεροι δὲ χλευάζοντες.* Compara *Jac. Lydii* Analecta pag. 33. & *Clerici* Artem Criticam Parte II. Sect. II. cap. XVI. 16. Dici tamen etiam poteſt, & hæc comparative de reliquis omnibus dici, hoc ſenſu, quod nemo, præter *Timotheum*, ſit, qui, depoſito proprii commodi ſtudio, tam ſtrenue rem Evangelii curet, quam quidem Timotheus. *Auguſtinus* Tract. XLVI. in Johannem hanc Pauli querelam ad Romanos, apud quos erat, cum hæc ſcriberet, pertinere putat. Compara *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. I. lib. X. cap. 23. p. 455.

*τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσι*] Proverbii loco eſt hæc ſententia. Vide *Andr. Schottum* de Adagialibus Sacris pag. 132. & *Gatakerum* ad Antonin. I. 16. p. 31. *Herodianus* I. 2. ait: *τὸ οἰκεῖον πιέζει πᾶν· τοῦ δὲ δημωφελοῦς καὶ κοινῇ διαφέροντος ὀλίγη τοῖς καθ' ἕνα φροντίς.*

Verſ. 22. *Τὴν δὲ δοκιμὴν αὐτοῦ γινώσκετε*] *Experimentum autem ejus noſtis.* Τὸ *γινώσκετε* etiam imperative accipi poteſt, hoc ſenſu: *ſcitote vero* experimentum, ſeu probationem ejus, quam dedit. Ita *Clericus*: *Sachez, que je l'ay eprouvé.* Ita Hebr. XIII. 23. *Γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, ſcitote, Timotheum fratrem vinculis eſſe liberatum.* Malim tamen prius,

cum veri ſit ſimile, Philippenſibus res Timothei non minus, quam Pauli illas cognitas fuiſſe. Itaque non ignorabant, quantam & Evangelio & Paulo ipſi operam præſtiterit. Δοκιμὴ infert experimentum candoris & virtutis, quod dederat Timotheus, ideo vocatur δοκιμὴ αὐτοῦ, quemadmodum hæc vox non minus atque δοκίμιον *Jac.* I. 3. infert id, quo aliquis probatur & probatum ſe ſiſtit. Vide ibi *Lamb. Boſii* notas pag. 268. Exercitationum.

ὅτι ὡς πατρὶ τέκνον σὺν ἐμοὶ ἐδούλευσεν] Ad *Malachiæ* III. 17. reſpici hic putat *Andr. Schottus* in Adagialibus Sacris pag. 132.

Verſ. 23. Ὡς ἂν ἀπίδω τὰ περὶ ἐμὲ] *ſimulatque videro rerum mearum ſtatum.* Ita *Herodotus*, obſervante *Raphelio* pag. 548. lib. I. τὰ περὶ Κῦρον *res Cyri* & lib. VI. pag. 411. τὰ περὶ Κλεομενέα *res Cleomenis* appellat.

Verſ. 24. Πέποιθα δὲ ἐν Κυρίῳ] Vide ſupra ad verſ. 19.

Verſ. 25. Ἀναγκαῖον δὲ ἡγησάμην Ἐπαφρόδιτον] *Epaphroditi* cujusdam præclare meminit *Joſephus* in procemio Antiquitatum, tanquam, qui ſibi auctor hujus inſtituti fuerit, nec non in limine libri I. contra Apionem, quem eidem, tanquam κρατίστῳ ἀνδρῶν, inſcribit. Hinc *Jo. Bapt. Ottio* conjectura ſubnata eſt, illum Joſephi cum noſtro Pauli forte eſſe eundem. Vide ejus Annotationes in Joſephum Tomo II. editionis Havercampianæ pag. 316. ubi de hoc argumento in *Flavianis ſuis amplioribus* plura ſe ait attuliſſe. *Daubuzius* Anglus in tractatu, quo Joſephi de Chriſto teſtimonium ut γνήσιον adſerere inſtituit, lib. I. Parte III. confidenter in hanc ſententiam pedibus ivit. Sed vide, quæ illi oppoſita ſunt à B. *Thoma Ittigio* in Selectis capitibus Hiſt. Eccleſ. Seculi I. pag. 371.

ὑμῶν δὲ ἀπόστολον] Dupliciter dici *Epaphroditus* poteſt Philippenſium Apoſtolus, ut vel intelligatur eſſe *doctor illorum*, qui ad ipſos mittatur, vel *legatus*, qui à Philippenſibus ad Paulum ſit miſſus. Utriusque ſententiæ breviter meminit *Chryſoſtomus* ad h. l. ita explicans: τὸν ὑμέτερον ὑμῖν πέμπομεν, ἢ τὸν ὑμᾶς διδάσκοντα. i. e. *veſtrum* (h. e. ut interpretor, qui à vobis venit) *vobis mittimus, vel etiam eum, qui vos doceat.*

Ex recentioribus *Walo Meſſalinus*, (is eſt *Salmaſius*) de Epiſcopis & Presbyteris p. 40. Epaphroditum hunc inter eos cenſet numerandum, quos Apoſtoli ad Eccleſias miſerint, ad conſtituendos Epiſcopos ſeu Presbyteros in illis Eccleſiis, quarum fundamenta ipſi jecerint. Alii pro *doctore* Philippenſium ita habent, ut ex voluntate Pauli Epiſcopi locum apud illos occuparit. Ita poſt alios ex recentioribus *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris p. 174. ad antiquitatem provocans, quæ Epaphroditum primum Philippenſium Epiſcopum fuiſſe teſtetur. At de legato Philippenſium ad Paulum interpretatur ex veteribus *Theodoretus*, quando ἀπόστολον ὑμῶν reddit per τὸν παρ' ὑμῶν ἀποσταλέντα πρός με, & ex verbis contextus ſequentibus addit: διʼ αὐτοῦ γὰρ ἦσαν στείλαντες αὐτῷ τὰ πρὸς χρείαν. Idem placuit ex recentioribus Gallis, *Clerico* ac *Beauſobrio.*

*brio.* Nec aliter puto equidem ſtatuendum. Ἀποςόλυς *legatos* ſignificare patet ex 2 *Cor.* VIII. 23. Epaphroditum autem a Philippenſibus ſymbolas ad Paulum pertuliſſe infra cap. IV. 8. conſtabit. Itaque erat ἀποςόλος ſeu legatus, & ſpeciatim λειτυργὸς τῆς χρείας.

λειτυργὸν τῆς χρείας μυ] *qui ſubminiſtravit mihi, quibus opus erat.* Vide ad 2 *Cor.* IX. 12. Act. VI. 3. & Rom. XII. 13.

Verſ. 26. Επειδὴ ἐπιποθῶν ἦν] Ita ſupra v. 13. ὁ Θεός ἐςίν ὁ ἐνεργῶν. ἀδημονῶν] Vid. ad *Matth.* XXVI. 37.

ἵνα μὴ λύπην ἐπι λύπῃ σχῶ] Hebraiſmum phraſis referre viſa eſt *Grotio* præter rem. Similiter enim *Apollonius Rhodius* lib. I. v. 197.

Ἀλλ' ἔτι κεν καὶ ἐπ' ἄλγεσιν ἄλγος ἄροιο

*Sed dolorem poſt dolores habebis.* Et *Polybius* lib. II. cap. 33. πληγὴν ἐπὶ πληγῇ φέροντας appellat. Habes hæc itemque alia apud *Elsnerum* pag. 248.

Verſ. 28. ἵνα ἰδόντες αὐτὸν πάλιν, χαρῆτε] Τὸ πάλιν, quod apud *Chryſoſtomum* prorſus deeſt, editiones pleræque omnes jungunt voci ἰδόντες, quos & interpretes plerique ſequuntur. At editio Argentoratenſis *Bæcleri* ad verbum χαρῆτε refert, ςιγμῇ poſt αὐτὸν poſita. Atque ita reddidit *Vulg. ut, eo viſo, iterum gaudeatis,* nec minus B. Lutherus. Hoc rectius eſt. Philippenſes enim ex morbo Epaphroditi dolorem acceperant quos proinde Paulus iterum lætari vult. Compara eruditiſſimi *J. C. Schwarzii* Solœciſmos diſcipulorum Chriſti antiquatos pag. 9. *Eraſmus Schmidius* in verſione ſua alterum exprimit cum *Beza: ut eo viſo rurſus, gauderetis;* in annotationibus vero alterum repræſentat: *ut, eo ſalvo viſo, omiſſa ſolicitudine pro eo, denuo ſuper eo gaudeant.* Crediderim, ςιγμὴν librarii vitio in verſione loco non ſuo eſſe collocatam. Interim contextus Græcus vulgatam illam interpunctionem exhibet.

Verſ. 29. καὶ τὺς τοιύτυς ἐντίμυς ἔχετε] Externi Scriptores alias dicunt ἐντιμῇ ἔχειν, ut *Arrianus* Exped. Alex. lib. I. cap. 26. & *Philemon* fragment. pag. 350. obſervante Cl. *Alberti.* Iidem tamen etiam dicunt ἔντιμόν τινα vel τι ποιεῖν.

Verſ. 30, παραβυλευσάμενος τῇ ψυχῇ] παραβολευσάμενος legit *Alex. & Clar. Ger.* cujus utriusque verſio Latina habet: *parabolatus de anima ſua;* item *Boernerianus* Gr. Lat. *Vulgatum* quoque ita legiſſe *Millius* cum aliis cenſet, vertentem ſcilicet: *usque ad mortem acceſſit,* item *Aethiopem.* His præſidiis nixi fuerunt, qui ita legendum h. l. cenſerent. Inter hos ſunt *Joſ. Scaliger,* ingenio tantum ſuo uſus, in epiſtolis pag. 190. *Iſaac. Caſaubonus* in epiſtolis ab Almeloveenio editis pag. 134. & in *Caſaubonianis* meis pag. 83. *Grotius* & Hammondus ad h. l. *Salmaſius* ad Solinum pag. 504. & de modo uſurarum pag. 198. *Jac. Gothofredus* ad Leg. 42. C. Theod. de Epiſc. Eccl. & Cler. & de velandis mulieribus pag. 16. *Jo. Crojus* in Obſſ. Sacr. pag. 118.

118. *Ludov. Cappellus* in Spicilegio notarum ad h. l. *Jac. Lydius*, Agoniſtic. pag. 77. *Hombergius* una cum *Pet. d'Apples*, Profeſſore Gr. Lauſanenſi, in Parergis pag. 305. *Millius* in Prolegom. §. 484. Rigaltius ad Tertullianum p. 72. & noviſſime *Jo. Alberti* pag. 379. ex noſtratibus autem *Bernhard. Raupachius* in Decade II. Obſervatt. Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis pag. 18. Hinc factum eſt, ut recens editor N. T. Græco Anglicani in ipſum contextum reciperet. Deſcribam hic *Salmaſii* verba de modo Uſurarum pag. 198. *Ab eo nomine* παράβολος, inquit, *& aliud verbum* παραβολεύεσθαι, *idem plane, quod* παραβάλλεσθαι, *quo uſus eſt Apoſtolus in epiſt. ad* Philippenſes *cap.* II. *ubi vetus Interpres ex antiquiſſimo codice Bibliothecæ Puteanæ;* Parabolatus eſt de anima ſua, *reddidit, ut pluribus ad locum dicturi ſumus; non, ut vir magnus, aliis oculis fortaſſe, quam ſuis uſus, in epiſtola ad* Scaligerum *ſe legiſſe teſtatur*, parabolanus fuit. *Certe &* parabolani *&* parabolarii *inde etiam appellati, ſed verbo* parabolari *pro* παραβολεύσασθαι *etiam uſi ſunt Latini illius ævi. Gloſſæ veteres:* παραβολεύσασθαι *interpretantur* periculum facere, & Heſychius παραβολευσάμενος εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδύς. *Ut* παραβολεύσασθαι τῇ ψυχῇ *dixit Apoſtolus*, capitis & vitæ periclitari, *ita &* παραβάλλεσθαι τῇ κεφαλῇ *Attici, &* παραβάλλεσθαι τῷ ἀργυρίῳ. Vir magnus, quem *Salmaſius* appellat, eſt *Caſaubonus* in epiſtolis l. c. Cave, credas, de recepta lectione actum eſſe, verbumque παραβουλευσάμενος de ſede ſua penitus dejectum. *Caſaubonus* ipſe in Caſaubonianis l. c. pro eo facere ait libros omnes, eodemque alibi uſum eſſe *Chryſoſtomum*, absque dubio non ſine alluſione ad h. l. Nec deſunt, qui patrocinium ejus ſuſceperint. Inter hos video eſſe *Whitbium* in Examine N. T. Milliani, *A. Blackwallum* in Claſſicis Sacris parte II. pag. 285. ſq. Anonymum in Obſervationibus ſelectis Hallenſibus, ad rem literariam ſpectantibus, Tomo II. pag. 208. & noviſſime eruditiſſimum *Elsnerum* pag. 248. Operæ pretium eſt, Latine ea exhibere, quæ *Blackwallus* l. c. Anglice ſapienter monuit. Scaliger, inquit, & Capellus *ajunt, vocem* (παραβουλευσάμενοι) *non eſſe Græcam, eo, ut puto, ſenſu, quod apud Scriptores Claſſicos non exſtat. Interim tamen ad analogiam Græcæ linguæ exacta eſt, & in conveniente ſignificatu adhibetur. Refert enim præpoſitionem* παρὰ, *quæ in verbis compoſitis* defectum *aut* neglectum *infert. Itaque optimum Epaphroditus a cordato Paulo, hic à cœleſti ſapientia & animi robore commendatur, qui, vitæ ratione inſuper habita, maximis periculis ad ſalutarem doctrinam & hominum ſalutem provehendam ſe ſtrenue & fortiter objecerit. Jam vox* παραβολευσάμενος *ab eruditis, qui eam adoptarunt, eodem ſenſu explicatur, ut ſignificet*, pericula quæque ſubire, ſe ipſum periculis exponere, & vitam ſuam *in aliorum, quos amat*, ſalutem impendere. *Exiguum inter utriusque verbi notiones diſcrimen intercedit. Simulac itaque quisquam eruditorum uſum verbi* παραβολευσάμενος *idoneo Auctoris Græci claſſici exemplo probatum mihi dederit, idem ipſi de verbo* παραβουλευσάμενος *præſtitero. Utrumque verbum inſigni & efficace notione pollet; poſtremum vero auctoritate & uſu S. Pauli ſe tuetur, qui paſſim extra & ſupra terminos ac limites Grammaticæ Græcæ vulgaris,*

*garis, nunquam autem contra analogiam & rationes Grammaticas generatim ſpectatas, & inprimis illius lingua, qua epiſtolas ſuas vere diſertas & divinas ſcribebat Apoſtolus, procedere conſuevit.*

*Re deliberatius expenſa* (ita pergit) *perſuaſum mibi habeo, non dari in Græca lingua verbum* παραβολέομαι, *quamvis in ea exſtat vox* παράβολος *i.e homo* periculo ſe ipſum objiciens, & intrepide, *ubi res fert*, vel ſtulto conſilio vitam projiciens, *vel ex juſta & præclara cauſa* amittens. *Ex hac vitii plena lectione factum eſt, ut vetus aliquis interpres barbare phraſin converteret, in hanc ſententiam* : parabolatus eſt ſuam animam. *Ceterum* βουλεύω & βουλεύομαι *proba ſunt verba, nec* παρὰ, *poſteriori convenienter Græca linguæ præmiſſum, efficit, ut ſolæcum aut barbarum videri poſſit. Apud* Plutarchum *legimus* : βουλεύσασθαι σὺν οὐδενὶ λογισμῷ. *Senſum verbi efficaciſſimi princeps Poëtarum Romanorum egregie expreſſit, dicens*, vitam objectare periclis; *&*, projecere animas. Hæc prudenter & erudite obſervata ſunt à *Blackwallo*. Similia affert Celeb. *Elsnerus. Ego vero*, inquit, *non video, qua ratione recipi* παραβολευσάμενος *in textum poſſit, unius alteriusve codicis auctoritate, præſertim cum nemo probaverit,* Τὸ παραβολευσάμενος *Græcum eſſe. In Gloſſis* Philoxeni *eodem jure legi poteſt* παραβουλεύσασθαι, *aut* παραβάλλεσθαι : *quod apud* Heſychium *&* Phavorinum, *qui* παραβουλευσάμενος *habent, legi debere contendunt Critici noſtri* παραβολευσάμενος. *Deinde nemo negaverit,* παραβουλεύειν *ſignificare poſſe,* nullam alicujus rei rationem habere, male ſibi conſulere, *ut* παρορᾷν, παραφρονεῖν, *&c. Quod ſi autem propterea admittendum negaveris, quod nullis auctorum locis probetur, idem ſtatuendum erit de* παραβολευσάμενος, *& multis aliis N. T. &* τῶν LXX. *vocabulis auctorum præſidio deſtitutis.* Παραβουλεύεσθαι *autem* τῇ ψυχῇ, vitæ ſuæ minus conſulere *dicitur*, qui adire non veretur vitæ diſcrimen, quemadmodum ὀνειδίζειν τὴν ψυχὴν *idem dicitur apud* LXX. Judic. V. 18. *quomodo Pauli verba interpretatus quoque eſt* Syrus *&* ῥίπτειν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, *ibid.* IX. 17. Idem pag. 50. obſervat, cum *Diodorus Siculus* lib. III. pag. 169. dicat, ἔκριναν παραβαλέσθαι ταῖς ψυχαῖς, vitæ diſcrimen adire decreverunt, majori jure, ſi Codices accederent, legi hic poſſe παραβαλόμενος τῇ ψυχῇ.

Quo magis ego in natales τοῦ, παραβολευσάμενος inquiro, hoc certius mihi perſuaſum habeo, id omne ingenio & eruditioni, loco non opportuno adhibitæ, deberi. Primus, ni fallor, *Scaliger* hanc legendi rationem invexit, non codicis alicujus auctoritate uſus. (*Puteani* enim illius hac in parte notitiam à Caſaubono primum accepit, quod ex epiſtolis Scaligeri pag 190. intelligitur) ſed conjectura ex eo doctus, quia παράβολος & παραβάλλεσθαι Græcis atque hinc *parabolanum* Latinis ſenſu, huic loco conveniente, dici meminerat. Jam vero minus tutum eſſe, ſi ex convenientia vocum efficere velis, quod eædem ſint & ipſe non ignorabat, & ii quotidie experiuntur, qui in originibus vocum ſcrutandis cum cura & judicio occupantur. Crediderim itaque illam Sca-

 ligeri

ligeri conjecturam ſe tot eruditis non probaturam fuiſſe, niſi codicis Puteani, qui hodie eſt *Claromontanus*, auctoritas acceſſiſſet. Ad hunc enim & *Caſaubonus* & *Salmaſius* provocat. De hoc vero & illi ſimilibus dubitari poteſt, an non παραβουλευσάμενος legi debeat, quamvis παραβολευσάμενος ſit ſcriptum. Conſtat enim, in membranis antiquis, iisque præſertim, quæ literas majuſculas ſeu unciales referunt paſſim O pro OΥ occurrere. Exempla copioſa illi afferunt, quos Vol. II. harum Curarum p. 587. excitavi. Hoc non recogitans Interpres ille vetus, cui procul dubio vocis παραβόλου notio in mente hærebat, vocem Græcam Latina barbara, *parabolatus eſt*, expreſſit, forte ideo, quod notionem verbi παραβουλεύεσθαι non admodum in promtu haberet. Verſio itaque illa nihil aliud efficit, quam ut interpretem Græca prave legiſſe credamus. Is porro poterat perſpicere, legendum eſſe παραβουλεύσασθαι, cum παραβολεύεσθαι vel παραβολεύσασθαι non ſolum ab uſu Scriptorum ſit remotum, ſed analogiæ quoque linguæ Græcæ parum reſpondeat. Hoc viri eruditi modo laudati rectiſſime, nec ſine pondere, monuerunt. Num enim credibile eſt, τὸ παραβολεῖσθαι vel παραβολεύεσθαι nusquam in ſcriptis veterum occurrere, in quibus ὁ παράβολος & παραβάλλεσθαι eo, qui alteri illi hic tribuitur, ſignificatu frequentatur? Neque dubium eſt, παραβολεύεσθαι ab aliis vocibus eſſe derivatum, ſiquidem unquam exſtitit. Jam vero ex rationibus Græcæ linguæ oſtendi mihi velim, quomodo inde derivari potuerit. Propterea non audio *Caſaubonum*, quando in epiſtolis p. 134. aſſeverat, *elegantiſſimum hoc verbum* (ſic Τὸ παραβολεύεσθαι appellat) *antiquos librarios quaſi ex compacto de notione hominum videri tollere voluiſſe. Vidi*, ita pergit, *antiquæ manus Lexicon parvum vocum apud Paulum obſcuriorum, ubi ſimiliter corrupte ſcriptum βου pro βο. Legi etiam incertum Scriptorem, qui* in τακτικῶν *Regiæ Bibliothecæ volumine habetur, hæc verba :* καὶ ὡσαύτως δεῖ μικρόν τι παραβουλεύσασθαι, καὶ πρὸς μάχην ὁρμῆσαι. *Non dubito auctorem aliter ſcripſiſſe.* Idem paulo ante non negat, apud *Chryſoſtomum* verbum παραβουλεύεσθαι ſæpe legi, quod ubique ſibi in παραβολεύεσθαι mutandum videatur. Itane vero conſultum eſt tot locos mutari in gratiam verbi, quod ſine die & conſule, &, ni me omnia fallunt, invitis linguæ Græcæ rationibus adoptatur? Non majori jure *Heſychii* illud : παραβουλευσάμενος hic ſolicitatur, eo quod converterit εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδούς. Num rectius convertere poterat phraſin : παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, quam ita? ψυχὴν recte de vita accepit, cui qui non admodum conſulit, is utique *morti ſe tradere* dici poteſt. Et videtur mihi *Heſychius* non obſcure indicare, quod verbo hoc ad Pauli locum reſpexerit, θανάτου faciens mentionem, quemadmodum Paulus hoc ipſo commate docet, Epaphroditum μέχρι θανάτου ἠγγικέναι, *quod Chryſoſtomus* interpretatur : μέχρι θανάτου ἐκινδύνευσε δι' ἐμέ. Fruſtra etiam provocatur ad *Vulgati* & *Chryſoſtomi* expoſitionem, cum & illam ferat τὸ παραβουλεύεσθαι. Hujus enim ſenſus eſt, *vitæ rationem non habere*, quod *Beza* & *Schmidius* habent, vel *vitæ male conſulere*. Egregie & ad vocem ipſam accommodatiſſime B. *Lutherus*, da er ſein Leben

gering

gering bedachte. Ex his, credo, apparet, rectius agere illos, qui conſtantem codicum lectionem h. l. tuentur, & alteram illam, ex ingenio primum natam, deinde vero unius alteriusve codicis, qui vel prave ſcriptus, vel lectus eſt, auctoritati ſuperſtructam, nullo autem Scriptoris Græci exemplo adhuc comprobatam rem ſibi ſuam habere jubent. Ceterum de *parabolanis*, quos *Caſaubonus* in verſione Latina codicis *Puteani* commemorari per errorem tradidit, poſt alios erudite commentatur Anonymus in Obſervationibus Selectis Halenſibus Tom. II. pag. 233. ſqq. eosque, prout in Codice Juſtinianeo repetitis vicibus afferuntur, non Medicos, ſed ægrotantium miniſtros, habendos & à negotii periculoſitate quaſi παραβόλους ita appellatos eſſe oſtendit. Adde *Joſ. Binghami* Antiquitates Eccleſiaſticas lib. III. cap. IX. quod de *Parabolanis*, quodam Clericorum genere, exponit, & Rev. *Bernhardi Raupachii* Decadem II. Obſervatt. Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis pag. 18. itemque *Jo. Stephan. Menochium*, in libro Italico, quem *Trattenimenti eruditi* inſcripſit, Parte V. pag. 93. Eosdem *Adrianus Beverlandus* in Otiis Oxonienſibus, quæ manu exarata habeo, cap. XVII. eſt perſecutus. Παραβόλοι, ex qua voce illa *parabolani* nata eſt, veteribus ii ſpeciatim vocantur, qui alias *beſtiarii* audiunt, i. e. homines ad beſtias damnati, qui nunc ſoluti, nunc ligati, nunc inermes, nunc armati, & ad lapidem ſurrecti, beſtiis objici ſolebant. De his lege *Jul. Cæſarem Bulengerum* de Venatione Circi c. XXX. & XXXI. item Agoniſticorum Scriptores, in his autem nominatim *Jac. Lydium* pag. 76. & *Suicerum* Tom. II. pag. 566.

ἵνα ἀναπληρώσῃ τὸ ὑμῶν ὑςέρημα τῆς πρός με λειτουργίας] *ut ſuppleret defectum veſtri erga me officii*, vel, *miniſterii*. Rectiſſime Beat. *Lutherus*: auf daß er mir dienete an eurer ſtatt. De Epaphrodito hic ſermo eſt, quem Philippenſes ad Paulum miſerant, ſuas illi ſymbolas allaturum. Hoc vero officio ille perfunctus, id ſua ſponte addidit, ut Paulo etiam in ceteris adeſſet, & miniſterii vices, Philippenſibus alioquin incumbentes, præſtaret. Male itaque *Hombergius* pag. 305. Parergorum ita eſt interpretatus: *ut impleret defectum in miniſterio meo*, h. e. quod idem addit, *defectum, quem habebatis in officio, quod mihi incumbit*. Enimvero voces τῆς πρός με λειτουργίας non poſſunt accipi de miniſterio, ſeu officio, quod Paulo incubuerit. Nam τὸ πρὸς idem eſt, quod εἰς, & *objectum* infert, ad quod miniſterium refertur. Ita Paulus alibi ſæpe, v. c. *Gal.* VI. 10. ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιςα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίςεως. Neque præſtabat quicquam Epaphroditus, quaſi vice Pauli, quod non Paulus ipſe eo tempore præſtaret. Nam & ipſe in vitæ periculo, cui ſe objecerat Epaphroditus, verſatus erat, & adhuc vinculis detinebatur. Itaque non eſt, cur Paulum exiſtimemus, eo nomine Epaphroditum hic Philippenſibus commendare, quod ſuas vices impleviſſet. Nec obſtat, quod eum v. 25. λειτουργὸν τῆς χρείας μου appellat. Sicut enim eo ipſo *ſubminiſtrum indigentiæ ſuæ* vocat; ita hic λειτουργίαν non de miniſte-

 rio,

rio, quod à Paulo requiri poſſit, ſed de illo, quod ipſi ſit præſtitum, accipere jubet. Rectiſſime *Theophylactus*: Τοῦτο οὖν, ὃ ὑςερήσατε ὑμεῖς, τὴν διὰ τῆς χειρὸς καὶ τοῦ σώματος λειτουργίαν αὐτὸς ἀνεπλήρωσεν ἀντὶ πάντων ὑμῶν διακονήσας μοι. *Hoc igitur quod vobis defuit, nimirum, quod corpore manuque mihi non miniſtraveritis, ipſe ſupplevit, omnium veſtrum loco mihi inſerviens.* Quem vir doctus locum ex 2 *Cor.* IX. 12. (operarum enim vitio ibi ſcriptum puto 2 *Cor.* 11.) pro ſua interpretatione affert, eum pro noſtra potius facere, catus lector intelliget. Adde 1 *Cor.* XVI. 17. Verbum ἀναπληροῦν non ſignificat *iterum implere*, ſed *implere* ſimpliciter. Probatum id dedit *Elsnerus* pag. 250. veterum aliquot locis, nominatim *Ariſtotelis*, qui lib. II. de cura rei familiaris p. 696. ait: τοὺς θησαυροὺς ἀναπληροῦν ἐκέλευσε.

# CAPUT III.

VErſ. 1. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοί μου, χαίρετε ἐν Κυρίῳ] Verba hæc a profanorum hominum abuſu vindicat *Spenerus* in libello vernaculo, Rettung etlicher Sprüche heil. Schrifft pag. 514. ſq. Gaudium illud & interiorem beneficiorum divinorum agnitionem, & quæ hinc oritur, celebrationem infert. Confer hic v. 3. & lege *Suicerum* Tom. II. p. 1495.

τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν] Ita *Socrates* apud *Xenophontem* lib. IV. ἀπομνημονευμάτων pag. 635. οὐ μόνον ἀεὶ τὰ αὐτὰ καὶ περὶ τῶν αὐτῶν. *Non ſolum eadem ſemper dico, ſed etiam de iisdem.* Hæc obvertuntur Hippiæ, repetitas admonitiones ſtulte ridenti, quibus tamen opus eſſe *Epictetus* & *Plato* recte monuerunt, quorum loca affert *Strigelius* ad h. l. Adde Raphelii Annotatt. Xenophonteas pag. 268. Ταυτολογίας criminationem hinc in ſacras literas non cadere recte oſtendit *Jobus Ludolfus* in Commentario ad Hiſtor. Aethiop. II. 27. 7. Nec rectius hinc efficitur, Paulum plures epiſtolas ad Philippenſes ſcripſiſſe. Ita ex noſtratibus viſum olim eſt *Aegidio Hunnio*, ex Reformatis autem Doctoribus, ut alios taceam, *Jo. Ens* in Biblioth. Sacra pag. 63. Τὰ αὐτὰ reſpiciunt potius ea, quæ Paulus præſens ore tradiderat, quæque hic literis tanquam ſine labe & corruptione ſervanda iterum inculcaturus erat, nempe ut ſibi inprimis a doctoribus judaizantibus caverent.

Verſ. 2. Βλέπετε τοὺς κύνας, κ. τ. λ.] Illuſtrantur hæc programmate ſingulari, quod exſtat in Sylloge Programmatum Terniana pag. 742. *Cave canem* tritum eſt veteribus adagium, quod à canibus, pro foribus cubantibus & catena ligatis alii, alii a canibus rabioſis petitum arbitrantur. Vide *Borremanſii* Varias lectiones pag. 85. qui Paulinam phraſin huc reſpicere exiſtimat. Per κύνας non *gentiles*, qui alioquin cum *canibus* comparantur *Matth.* XV. 26 ſed Judæos, ſpeciatim quidem tales, qui doctrinam ſuam ad Judaicam accommoda-

modabant, & Evangelium temerabant, intelligi, veteres recte tradunt. Eorum locos attulit *Suicerus* Tom. II. pag. 201. Eorum tamen alii alias comparationis cauſas afferunt, quando nunc *impietatem*, nunc *ingratitudinem*, nunc *maledicendi ſtudium*, nunc *impudentiam*, nunc *turpis lucri* cupiditatem, nunc *impuritatem* ſpectari arbitrantur. Ex recentioribus *Jo. Conr. Keslerus* hanc ſententiam præ ceteris ornavit in Obſervationibus in hanc epiſtolam Tomo II. Theſauri Novi Diſſertationum Theologico-Philologic. pag. 949. ſq. recuſis. Ille vero ſpeciatim accipi vult de iis doctoribus Chriſtianis ex Judæis, qui a Chriſtianis ad Judæos erant reverſuri. De priori conſentio, de poſteriori autem non liquet, quod nec phraſi ipſa infertur, nec argumentis, quibus vir doctus uſus eſt, ſatis probatur. Verbum *βλέπειν cavendi* notionem ſecum ferre doctores veteris Eccleſiæ recte monent apud *Suicerum* Tom. I. p. 702.

*βλέπετε τὺς κακὺς ἐργάτας*] *cavete malos operarios.* Falſos doctores notari, ex verbis Domini noſtri, de præconibus Evangelii vocem hanc aliquoties adhibentis, patet. Vide *Matth.* IX. 37. 38. X. 10. Ita Paulus in *ἐργάτας δολίυς* 2 Cor. XI. 13. animadvertit. Sic Evangelii prædicatio *ἔργον Χριςῦ* vocatur ſupra II. 20. Confer quæ ad I. 22. de *καρπῷ ἔργυ* diximus.

*βλέπετε τὴν κατατομὴν*] *cavete conciſionem.* Gloſſæ veteres: *conciſio, deciſio.* B. Lutherus: Zerſchneidung, cui voci *Herm. Hardtius* alias Hümplerey & Hudlerey, jungit. Coptus *Wilkinſii* vertit *immolatum circumciſionis.* Ad Judæorum *περιτομὴν*, reſpicere Apoſtolum, patet ex verſ. 3. *ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομὴ*, ubi quemadmodum Chriſtiani ipſi vere *circumciſi* eſſe indicantur; ita eadem opera intelligitur, *κατατομὴν* ſignificare Judæos *circumciſos.* Ideo *Arabs & Æthiops* per *circumciſos* reddunt. Quo magis vero illi circumciſione gloriabantur, hoc magis eam per *ἐυτελισμὸν* Apoſtolus deprimit, *κατατομὴν* appellans. Hanc germanam credo appellationis rationem, cujusmodi alias veteres & recentiores afferunt, à *Gatakero* Adverſariorum cap. XXXVIII. recitatas, & ex eo à *Suicero* Tom. II. pag. 67. repetitas. *Alex. Morus* in Notis pag. 171. non inepte huc advocat illud *Diogenis*, Platonis *διατριβὴν, κατατριβὴν* appellantis, auctore *Laërtio.* Idem obſervat, Matris deorum Sacerdotes *κατατέμνεσθαι* dictos proprie fuiſſe, quod tamen ex allato ibi *Nonni* loco probari poſſe non videtur.

*Ημεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομὴ*] Περιτομὴ per paronomaſiam opponitur *τῇ κατατομῇ*, quam venuſtam dicendi rationem alibi Paulus adhibet. Vide, quæ diximus Vol. II. pag. 32. 33. 575. & 649. & junge *Alex. Morum* pag. 172. Notarum idem ſchema *Platonis* exemplo approbantem.

*οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες*] Nonnulli codices legunt: *πνεύματι Θεῦ Spiritui Dei*, quam lectionem in Latinis etiam Codicibus pluribus, quos perfidi falſaverint, obtinere *Ambroſius* lib. 2. cap. 6. de Spiritu S. & *Auguſtinus* de Trinit. lib. I. cap. 6. teſtantur. Rectius eam ſpuriam habet *Millius*, & ex ignoratione

ratione veri ſenſus vocis *πνεύματι* natam arbitratur. De *Spiritu* ſcilicet *De* accipiebant, quam de *mente* renatorum *ſpirituali* interpretari debebant Confer *Pet. Fabri* Semeſtria l. III. p. 157. *Jo. Clerici* Artem Criticam Part. III Sect. I. cap. 15. pag. 235. & *Petavii* Dogmata Theologica Tomo II. lib. II cap. XIII. §. 3. Ad mentem ſpiritualem, fide innixam, reſpici patet ex phraſi ſequente, *καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες.* Πνεῦμα opponitur *σαρκὶ*, ſicut Gal. V. 5. Paulus ait: *ἡμεῖς γὰρ πνεύματι ἐκ πίστεως ἐλπίδα δικαιοσύνης ἀπεκδεχόμεθα*, & v. 6. addit: *Ἐν γὰρ Χριστῷ Ἰησοῦ οὔτε περιτομή τι ἰσχύει, οὔτε ἀκροβυστία.* Recte *Oecumenius*: *τῷ Θεῷ λατρεύοντες καὶ πνευματικῶς περιτεμνόμενοι*, quam expoſitionem approbat *Rich. Simon.* in Hiſtor. Critica commentatorum N. T. pag. 272. Lege etiam Programma Regiomontan. Pentecoſtale an. 1713. in honorem Spiritus S. cui cum Patre & Filio ſerviendum.

*καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες* ] Per *σάρκα* generatim quidem omnes prærogativæ, Judæis præ gentibus olim collatæ, inprimis tamen *circumciſio*, intelliguntur. Vide ad *Galat.* VI. 13.

Verſ. 4. *Καίπερ ἐγὼ ἔχων πεποίθησιν ἐν σαρκὶ* ] Ἔχων ſcilicet *εἰμὶ*, *quanquam ego quoque habeam, de quo confidam, ſecundum carnem.* Ellipſis verbi *ἐστι* frequens eſt. Plene ſupra II. 13. *ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν* & verſ. 26. *ἐπιποθῶν ἦν.* Alii nominativum conſequentiæ hic agnoſcunt, hoc ſenſu: *καίπερ ἐμοῦ ἔχοντος.*

*εἴτις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκὶ* ] Explica hæc ex 1 *Cor.* XI. 16. & ibi nos vide.

Verſ. 5.. Περιτομῇ ὀκταήμερος ] Ita editio *Curcellæi* & nonnullæ aliæ, in caſu tertio vel ſexto, pro quo pleræque vocem *περιτομὴ* in primo exhibent. Prius mavult *Hombergius* pag. 306. ſubintellecta præpoſitione *ἐν*, & *Elsnerus* pag. 250. qui ex verſ 4. *ὡς ἀπὸ κοινοῦ* repetendum putat: *poſſum confidere in;* quemadmodum ante *φυλῆς Βενιαμὶν* repeti debeat *ἐκ*, ex phraſi, *ἐκ γένους Ἰσραήλ.* Mihi *περιτομὴ* in caſu primo locum habere poſſe videtur, modo eo ſenſu accipiatur, ut *circumciſum* inferat, ſicut verſ. 3. *ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομή.* Hoc vero poſito ſubintelligendum eſt non quidem *ἦ* vel *ἦν*, quod vult *Knatchbullus;* id enim parum quadrat ad ſequentia, *ἐκ γένους Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμὶν*, &c. ſed *ὢν*, hoc ſenſu: *magis ego confidere poſſum in carne, qui ſim octavo die circumciſus.* Participium *ὢν* ſubintelligi debere non ſolum ex frequenti verbi *εἰμι* omiſſione credi poteſt, ſed ex eo etiam, quod v. 6. participia duo in eadem orationis ſerie adhibet Paulus, *διώκων τὴν ἐκκλησίαν*, & *γενόμενος ἄμεμπτος*, ut taceam, hoc ſupplementum ad omnia hujus commatis momenta egregie eſſe accommodatum. Huic expoſitioni non obſtat, quod ſic, monente, poſt *Heinſium*, *Elsnero*, *octo dierum circumciſio* inferretur. Neque enim de *circumciſione* hic ſermo eſt, ſed de *circumciſo*, qui *ὀκταήμερος* commode appellari poteſt. In dubium quidem hoc vocare *Hombergius* videtur, quando obſervat, *Græcos eleganter, cum quid volunt certo die* (vel anno) *factum eſſe, nomen iſtud, quo dies* (vel annus) *ſignificatur, perſonæ*

*ſonæ jungere.* Vide *Joannes* XI. 39. Idem vero ad hoc diluendum valet, quod modo monuimus. Reſpectus habetur non tam ad circumciſionem, quæ octavo die facta eſt, quam ad circumciſum, qui *octo dierum erat.* Denique non inſueta eſt Scriptoribus hæc abſtracti pro concreto metonymia. Sic *Æmilius Portus* in Lexico *ἀσπίδα ὀκταχιχιλίην* affert, quæ *ἀσπιδοφόρους ὀκταχιχιλίους* denotet. Confer *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 548. Ex eo, quod circumciſionem *octavo die factam* memorat Paulus, nonnulli confecerunt, Judæos octavo diei ſingulare quidquam tribuiſſe, quemadmodum *Servius* ad *Terentium* in Phormione teſtatur, *antiquos diem octavum pueri natalem conſtituere ſolitos, & ea die ſingulis annis lætum convivium parare.* Confer *Pet. Zornii* Bibliothecam Antiquario Exegeticam Tom. I. pag. 1102. Non crediderim, vel Judæos octavo die hoc initiationis ſacramentum adhibuiſſe, vel Paulum circumciſionem *ὀκταήμερον* alio ſcopo dicere, quam, quod ita divina lege præceptum erat. Confer tamen, ſi placet, *Beauſobrii* & *Infantii* notas ad hunc locum.

Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων] i. e. ex utroque Parente Ebræo natus, non ex Parente altero gentili, qualis erat Timotheus, aut ex proſelytis. Confer *Seldenum* de Jure Nat. & Gentium lib. II. cap. 4. pag. 164. Non putem reſpici *Helleniſtas*, qui non Hebræa, ſed Græca in ſacris lingua utebantur, quæ ſententia eſt *Witſii* pag. 7. Meletematum Leidenſ. Longius progreditur *Spencerus*, quando lib. I. cap. 6. Sect. 3. de legibus Hebræorum ritualibus p. 212. edit. nuperæ Tubingenſis contendit, Paulum id indicare, quod *ortum ducat à majorum Hebræorum ſerie, quæ nulla macula ſervili vel gentili inſpergeretur, vel cui nullus unquam Mamzer, aut filius ex Hebræo & ethnica ſuſceptus i. e. hybrida natus ſit.* Confer eruditiſſimi *Schœtgenii* Horas Hebraic. p. 799. Simili phraſi Scriptores uti oſtenderunt *Lamb. Bos* p. 203. *J. H. Majus* lib. II. Obſervatt. Sacrar. p. 155. edit. II. *Jo. Alberti* p. 379. & *Jac. Elsnerus* p. 251. qui, quod ad rem ipſam, obſervat apud Athenienſes neceſſe fuiſſe, ut ex *ἀμφοῖν ἀστοῖν* i. e. *utroque parente* Athenienſe natus eſſet, qui frui civitate vellet. Ita jubebat lex Periclis apud *Aelianum* Var. hiſtor. VI. 10. *Δοῦλον ἐκ δούλων* dicit *Lyſias* Orat. contra Agoratum.

*κατὰ νόμον φαρισαῖος*] Argumento hoc eſt, Phariſæorum ſectam Judæis olim magni habitam eſſe, quod aliunde etiam conſtat. *Nic. Serarius* in Trihæreſio pag. 56. hinc quoque conficit, Phariſæos non omnes iis vitiis, ex quibus in animadverſionem incurrunt, indulſiſſe, ad quos alioquin Paulus provocaturus non fuiſſet. *Νόμον* h. l. vel certam aliquam *ſectam* notare, ſuis legibus diſtinctam, vel ſingularem rationem explicandæ legis Moſaicæ, recte monet *Witſius* in Meletematibus Sect. I. pag. 14. Eodem ſenſu *Theophylactus* & *Theodoretus* *νόμον* per *αἵρεσιν* exponunt. Adde *Schœtgenii* Horas Hebraicas loc. citat.

Verſ.

Verſ. 6. *κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος*] Νόμος hic inſtituta legis, quæ à Philippenſibus potiſſimum urgebantur, indicat, quemadmodum *δικαιοσύνην* ſibi Paulus eo ſenſu tribuit, quo hujus familiæ homines de ea gloriari conſueverant. Nihil ait Paulus fuiſſe, quod in ſe reprehendere poſſent æquales. Compara *Amelii* Erörterung Parte I. pag. 427. & *Schatgenii* Horas Hebraicas pag. 800.

Verſ. 7. *Ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χριςὸν ζημίαν*] Eadem phraſis eſt *Alciphronis* lib. I. cap. 26 pag. 104. *Εὐθὺς μὲν οὖν μόλις με προσεῖπε, ἡγούμενος τὴν προσηγορίαν.* *Statim igitur vix me alloquebatur, jacturam exiſtimans, ſi me appellaſſet.* Adde hunc locis veterum pluribus ab *Elſnero* allatis pag. 252.

Verſ. 8. Ἀλλὰ μενοῦνγε καὶ ἡγοῦμαι πάντα ζημίαν εἶναι κ. τ. λ.] Comma hoc cum ſequenti illuſtrat *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico poſteriori pag. 216. ſqq. & Rev. *Henr. Scharbau* in Parergis Part. III. pag. 97. Per *τὰ πάντα* non opera tantum naturaliter bona hominis nondum renati, ſed omnia cujuscunque generis intelligi contra *J. G. Pfeiferum*, Theologum Lipſienſ. oſtendit Symbolophilus in ſcripto vernaculo: Abweichungen von den Symboliſchen Büchern pag. 189. ſq.

*καὶ ἡγοῦμαι σκύβαλα εἶναι*] *& exiſtimo ſtercora eſſe.* Vocem *σκύβαλα* de rebus viliſſimis quibusque uſurpari erudite oſtendit *Gatakerus* in Adverſariis poſthumis cap. XLIII. atque hinc *Suicerus* Tom. II. pag. 978. ſqq. Junge illis *Elsnerum* pag. 252. *Kirchmaierum* in Parallelismo dictionis N. T. & Polybii pag. 48. & *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N.T. pag 172. De cibo canum dici *Bochartus* Part. I. Hierozoici pag. 971. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 581. docent. Vocis hujus elegantem *χαριεντισμὸν*, quem vocat, & interiorem, argumentoque, quod agitur, accommodatiſſimam notionem præ ceteris excuſſit *Pet. Zornius* Tom. II. Opuſc. Sac. pag. 504. ſqq. *Lutherus* & voci & intentioni Paulinæ convenientiſſime vertit Dreck, pro quo Koth mavult *Emſerus*, cujus intempeſtivam dicacitatem compeſcuit *Raithius* in Vindiciis verſionis vernaculæ pag. 541. nec minus *J. M. Dillherrus* in Farragine rituum lib. I. cap. 17.

Verſ. 9. Καὶ εὑρεθῶ ἐν αὐτῷ, κ. τ. λ.] Pertinet huc B. *Wilhelmi Lyſeri* diſſertatio ſingularis de cauſa inſtrumentali juſtificationis ex parte hominis, & cauſa formali ejusdem, Witteb. 1647. & 1712.

*μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην*] Ad ſententiam hanc verbis ſaltem accedunt Judæi, in precatione quadam ſua profitentes: *Ego nudus plane ſum operibus bonis, ſolaque tua juſtitia eſt tegumentum meum;* obſervante *Ludov. Capello* in Spicilegio Notarum pag. 114. Vide etiam *Jo. Vorſtii* Diſſert. Sacras lib. III. pag. 142. ſq.

ἀλλὰ

Digitized by Google

ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ. τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει] Cl. *Mich. Roſſalus*, Profeſſor Groninganus, in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. p. 1049. recte obſervat, *δικαιοσύνην διὰ πίστεως Χριστοῦ* non eſſe idem, ac *δικαιοσύνην Θεοῦ ἐπὶ τῇ πίστει*. Prius enim *medium* oſtendere, *διὰ πίστεως*, poſterius *fontem* vel *cauſam*. Ex Θεοῦ eſt, ſed *διὰ πίστεως*, vel *ἐπὶ τῇ πίστει*. Lege ibi plura. Επὶ τῇ πίστει deeſt in *Syriaco*. Hoc permovere potuit *Millium*, ut in Prolegomenis §. 1254. ita ſcriberet: *Vix obſtat quidem ſummus Codicum, quos jam habemus, conſenſus, quo minus ſequentia, ἐπὶ τῇ πίστει, pro interpretamento, eoque minus opportune hic injecto, habeam.* Itane vero phraſis *ἐπὶ τῇ πίστει* clarior eſt altera illa *διὰ τῆς πίστεως*? Velnum poſterior hæc ita obſcura eſt, ut interpretamento indigere credi poſſit? Itane Paulo infrequens eſt fidem repetitis vicibus urgere, ubi de juſtificatione agitur, apud eos inprimis, qui opera ſua ambitioſe crepabant? Quid videtur de verbis Pauli *Rom.* III. 22. *δικαιοσύνη δὲ Θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας*? Num & ibi *τὸ ἐπὶ πάντας* inſititium eſt, cum *εἰς πάντας* proxime antecedat? num *τοὺς πιστεύοντας* illatos credis, cum *τῆς πίστεως* paulo ante facta ſit mentio? Apoſtolum hic ad *Jerem.* XXIII. 6. יהוה צדקנו oculos retuliſſe exiſtimat *Steph. le Moyne* in diſſertat. ad illum locum pag. 265.

Verſ. 10. Τοῦ γνῶναι αὐτὸν, καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ κ. τ. λ.] Inſpice Rev. *Chriſtiani Mundenii* Programma Paſchale, Helmſtad. 1729. de virtute reſurrectionis Domini noſtri promulgatum.

*συμμορφούμενος*] *Alex.* & *Colbertinus* Codices legunt *συμμορφιζόμενος*, Latina verſio in Cod. *Clarom.* & *German.* *cooneratum* exhibet, mirante non præter rem *Millio* in Prolegomenis §. 776. At fontem translationis aperuit *Kuſterus* in præfat. ad repetitam N. T. Milliani editionem p. 9. Cum enim vidiſſet, Codicem Boernerianum Græco-Lat. hic habere *συνφορτιζόμενος*, *cooneratus*, perſuaſum ſibi merito habuit, *τὸ συνφορτιζόμενος errore librariorum Græcorum corruptum eſſe ex voce affinis ſoni, συμμορφιζόμενος, prout quidam Codices Græci dicto loco habent pro, συμμορφούμενος. Hic error cum poſtea ad codices plures dimanaſſet, non mirum eſt, Latinos in ejusmodi codices incidentes, ſuum* cooneratus *inde formaſſe.* Ceterum lectionem hanc ineptam eſſe verborum ſeries evincit.

Verſ. 11. *Εἴπως*] *ſi quo modo*, ut *Vulg.* vel *ecquo modo*, ut *Beza* reddit, quæ quidem particula non ſemper dubitantis eſt, aut *rem incertam difficilem* habentis, quæ *Grotii* eſt ſententia, ſed quod *Salmero* Tom. XV. Opp. diſp. VI. & cum eo *Calovius* noſter ait, modeſte de ſe loquentis. Ita *Camerarius* ad h. l. *Non eſt oratio dubitans, ſed indicans pietatis ad exploratum & certum finem tendentis conatum.* Sic Paulus Rom. XI. 14. *εἴπως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν*, de Judæis ait, quos Gentilium converſorum exemplo excitare conabatur ad Chriſtum fide amplectendum & ſalutem conſequendam. De ſcopo hoc obtinendo, & aliquibus ſaltem Chriſto lu-

crandis dubitare non poterat Apoſtolus, cum expertus id jam didiciſſet. Itaque recte *Glaſſius* in Philolog. Sacra lib. III. Tract. V. canon. 25. *Conditionalis hic nullam dubitationem in animo Pauli infert, cum de reſurrectione ſua ad vitam æternam & perfectionis cœleſtis comprehenſione eſſet certiſſimus: ſed rei hujus difficultas indicatur, ad acuendum diſiderium.* Eodem ſenſu *Rom.* XI. v. 21. τὸ μήπως adhibetur, in phraſi, ἐδέ σε φείσηται, quod futurum eſſe adeo non dubitabat Apoſtolus, ut potius verſ. 22. diſerte traderet: ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. *Jo. Clericus* vertit: *pour tacher de parvenir à la reſurrection des morts. Beauſobrius* vero & *Infantius: aſpirant par ce moyen à parvenir à la reſurrection des morts*, quam in rem afferunt *Actor.* XVII. (lege XXVII.) 12. & *Rom.* XI. 14. in notis, ſimulque monent ſimpliciter verti etiam poſſe: *afin de parvenir*, i. e. ut perveniam. Eam enim particulæ εἴπως vim eſſe apud Interpretem Græcum, 1 *Maccab.* IV. 10. Καὶ νῦν βοήσωμεν εἰς τὸν ἐρανὸν, εἴπως ἐλεήσει ἡμᾶς. Ut rem conficiam, & hoc loco non ſolicita & fluctuans dubitatio, ſed *cura* potius continua & ſubmiſſa de ſe ipſo ſentiendi modeſtia innuitur. Hoc modo *Chryſoſtomus* verba Pauli accipit: Ἀλλ᾽ ὅμως μετὰ ταῦτα πάντα ἐ θαῤῥῶ. ὅπερ ἀλλαχȣ͂ λεγει· ὁ δοκῶν ἑςάναι, βλεπέτω, μὴ πέσῃ. Καὶ πάλιν· Φοβȣ͂μαι, μήπως ἄλλοις κηρύξας αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι.

καταντήσω] *perveniam, pertingam.* Vid. *Act.* XVI. 1. XVIII. 19. *Heſychius:* καταντήσας, λαχὼν, κληρώσας. De ſpe reſurrectionis conſequendæ reſpectu Judæorum eadem phraſis exſtat *Act.* XXVI. 6.

εἰς τὴν ἐξανάςασιν τῶν νεκρῶν] Codices nonnulli habent τὴν ἐκ τῶν νεκρῶν. Utrumque infert: *ad reſurrectionem ex mortuis.* Eam duplicem eſſe conſtat, nempe, vel ſpiritualem ex morte peccati, vel gloriæ plenam, quam pii quoque ex morte naturali ſuo tempore ſperant. Priorem hic indicari pauci, & inter eos *Balduinus*, noſtras, adfirmant. Cum vero illa jam ſe perfunctum ſubinnuat Apoſtolus, quando ſe θανάτῳ Χριςȣ͂ συμμορφȣ́μενον vocat & τὴν κοινωνίαν τῶν παθημάτων αὐτȣ͂ γνῶναι dicit, (conf. ad *Rom.* VI. 4. 5) neceſſe eſt, ut de altera illa ſermonem eſſe exiſtimemus, cujus ſe participem futurum profitetur Apoſtolus. At ſunt, qui aliam, ab utraque diſtinctam, comminiſcuntur, eam nempe, quæ univerſalem illam mortuorum omnium antecedat, quæ Sanctorum & Martyrum ſit, quæ felicis in hac terra millennii, quod *Apocal.* XX. 4. ſeq. deſcribi putant, fructum ſecum ferat. Ita ex Anglis ſtatuit *Robertus Fleming* in Diſſertat. ſingulari, quam inſcripſit: *The firſt Reſurrection, or, a diſſertation, wherein the prior and ſpecial Reſurrection and reward of the moſt eminent Chriſtian witneſſes, during the rage of the Paganism and Anti Chriſtianism is conſidered &c.* Exſtat illa in calce Voluminis II. ejuſdem *Chriſtologiæ*, Londini 1708. 8. editæ, cujus ſumma capita me olim in Actis Eruditorum Tom. IV. Supplementorum pag. 352. ſq. dare memini. In ea vero hoc Pauli oraculum de reſurrectione iſta ſpeciali, Martyribus & Sanctis propria, accipiendum eſſe contendit. Adſeclam nactus is eſt L. M.

Arte-

Artemonium i. e. *Lucam Mellerium*, ſeu *Samuelem Crellium* in *Initio Evangelii S. Johannis reſtituto*, p. 216. ſqq. Quamvis enim eum non appellet, argumenta tamen, à *Flemingio* allata, ita ſua fecit, ut non dubitem, *Crellium* ex fonte ejus hauſiſſe, eidemque etiam debere illam loci *Rom.* I. 4. interpolationem, per quam verba, ἐν δυνάμει ἐξ ἀναστάσεως legi vult ἐν δυνάμει ἐξαναστάσεως νεκρῶν τοῦ Χριστοῦ. Ita enim ſtatuit *Flemingius* p. 83. diſſertationis ſuæ. Hoc addi velim iis, quæ contra *Crellium* in calce Voluminis II. harum Curarum de loco illo diſputavi. Videamus, quæ *Flemingii*, atque adeo *Crellii*, ita de hoc loco ſentientium, ſint argumenta. Primum eſt, quod loquatur de re ſibi non ſatis comperta, & proinde dubia. Jam vero Paulum de reſurrectione univerſali nequaquam dubitaſſe, quam 1 *Cor.* XV. & alias tam valide adſeruerit. Itaque neceſſe eſſe, ut de alio quodam reſurrectionis genere ſermo ſit. Hujus argumenti nervum jam incidimus, manifeſtumque fecimus, εἴπως non ſemper animum incertum inferre. Hic vero addo, Apoſtolum non aliam corporis ſui reſuſcitationem exſpectaſſe, quam eam, quo ſibi cum aliis, in DOMINO defunctis, communis eſſet futura. Sic enim 2 *Timoth.* IV. 8. Λοιπὸν ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὁ δίκαιος κριτής· οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. Scribebat hæc vir θεόπνευστος, cum martyrium ſibi imminere noſſet. Εγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. Confer *Philip.* II. 17. Jam vero non aliud conſtantiæ & operæ præmium exſpectare ſe ait, quam illud, quod Dominus, juſtus judex, in die illo παντοκριτικῷ omnibus, apparitionem ejus glorioſam expetentibus, ſit vi promiſſionis ſuæ largiturus. Quod ſi vero non aliud præmium præſtolatus eſt, quomodo hic de alio cogitare potuiſſe exiſtimabitur? Alterum opinionis ſuæ præſidium in voce ἐξανάστασις collocat. Eam enim plus ait inferre, quam vocem ſimplicem ἀνάστασις, quemadmodum alias verba ejus compoſita, v. c. ἐξαφαίρομαι, ἐξαναδύομαι &c. efficaciora ſint, quam ſimplicia. Urget quoque in eandem ſententiam, quod nonnulli Codices legant ἐξανάστασιν τὴν ἐκ τῶν νεκρῶν. Reſponſionis initium à poſtremo faciemus. Voces ἀνάστασις, ἀνάστασις ἐκ νεκρῶν, & ἡ ἀνάστασις ἐκ τῶν νεκρῶν eodem ſenſu uſurpari ex comparatis invicem locis *Matth.* XXII. 30. 31. *Marc.* XII. 18. & *Luc.* XX. 35. 36. apparet. Itaque τὸ, ἐκ τῶν νεκρῶν nihil amplius infert, quam τὸ, νεκρῶν, ſi vel maxime Paulum prius illud ſcripſiſſe credere velimus. Cum vero unus alterve codex, ut credamus, efficere non poſſit, vos ἐξανάστασις ſola à manu Pauli profecta merito exiſtimabitur. Et temere egit recens editor N.T. Græco-Anglicani, quando hanc lectionem in contextum recepit, quanquam, ſi etiam admittatur, cauſæ noſtræ non obſit. Hoc poſito facile intelligemus, eum non aliud dicere, quam ἀνάστασιν, ſimpliciter poſitam. Εξανάστασις τῶν νεκρῶν idem eſt, ac ſi ſcriptum eſſet ἀνάστασιν ἐκ νεκρῶν. Recte, & Græcæ linguæ rationibus convenienter monet *Eraſmus Schmidius* ad h. l. *Præpoſitio ineſt in verbali pro*, εἰς τὴν ἀνάστασιν ἐκ τῶν νεκρῶν. Ita *Actor.* VIII. 7. Πολλῶν γὰρ τῶν ἐχόντων πνεύματα ἀκάθαρτα ἐξήρχετο.

χετο, dicitur, eo ſcilicet ſenſu, ac ſi ſcriptum eſſet: ἐκ πολλῶν ἐξήρχετο. Quod ſi tamen quiſquam præfracte pro emphaſi h. l. pugnare ſuſtineat, largiri eam in tantum poſſumus, in quantum de reſurrectione piorum glorioſa, altera illa impiorum omnino eminentiore, ſermonem eſſe conſtat. Confer *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 361. Ita *Theophylactus* ad *Joh.* VI. 40. Ταύτην τὴν ἀνάστασιν Παῦλος ἐξανάστασιν ὀνομάζει διὰ τὴν ἐκ τῆς γῆς ἔπαρσιν. Οἱ γὰρ ἁμαρτωλοὶ ἀνίστανται μὲν ἐκ τῶν μνημείων, ἐκ δὲ τῆς γῆς οὐκ ἐξανίστανται εἰς τὸν ἀέρα, κάτω γὰρ μένουσιν ὡς κατάκριτοι καὶ κατάρατοι. Et ſi dicere licet, quod res eſt, nullum inter utramque vocem, compoſitam puta & ſimplicem, diſcrimen, ex ea, quam dixi, ſtructuræ ratione dari exiſtimo. Eodem modo nec in verbis ejuſmodi, quæ præpoſitionem ἐκ vel ἐξ præmiſſam habent, emphaſis per ſe quærenda eſt, niſi τὰ περικείμενα eam inferant. Certe ἐγείρειν & ἐξεγείρειν eodem ſenſu & promiſcue adhibentur. Vide 1 *Cor.* VI. 14. & XV. 14. 15. Compara, quæ contra *Crellium* dicta ſunt Vol. II. p. 797. Non habet is, cur in *Initio Evangelii Joannei reſtituto* p. 216. ajat *ἀνάστασιν νεκρῶν dici, cum omnes mortui, aut mortui in genere, aut indefinite reſurgunt. Ἐξανάστασιν vero νεκρῶν aut ἐκ τῶν νεκρῶν, quando aliquis aut aliqui e numero mortuorum eximuntur, cum excitantur e mortuis, aliis mortuis adhuc in morte detentis.* Non habet is, inquam, idoneam ita ſentiendi cauſam, niſi quod ſubtilitatem conſectari neceſſe eſt, ubi clara & diſerta argumenta non ſunt in promtu. Nonne enim de Chriſto, qui excitatus eſt & reſurrexit e mortuis, aliis mortuis adhuc in morte detentis, vox ſimplex ἀνάστασις uſurpatur? Vide v. c. *Act.* I. 22. II. 31. IV. 33. XXVI. 23. 1 *Petr.* I. 3. & III. 21. Imo nullus in toto codice Novi Inſtrumenti locus exſtat, in quo reſurrectio Chriſti ἐξανάστασις dicatur. Quem enim *Flemingius* & *Crellius* huc torquent ex *Rom.* I. 4. cum invitis omnibus codicibus, & repugnantibus pluribus argumentis, eo rapi loc. cit. oſtendi. Itane vero credibile eſt, vocem ἐξανάστασιν de Chriſto uſurpatam nunquam fuiſſe, ſi ſpecialis ejuſmodi reſurrectio, quæ univerſali illi contradiſtincta eſſet, indicari per eam deberet? Cur quæſo, Paulus v. 10. non ſcripſiſſet ἐξανάστασιν αὐτοῦ (nempe Chriſti) ſed ἀνάστασιν, eo præcipue loco, quo, ex adverſariorum ſententia, idem v. 11. de ἐξαναστάσει ſui, ſeu ſpeciali quadam reſuſcitatione, erat locuturus? Sed habere ſibi viſus eſt *Crellius*, quod huic argumento opponeret. Nam p. 219. ita de loco noſtro diſſerit: *Eodem ſenſu* (nempe ut ἀνάστασις ſuſcitationem in Salvatorem, Prophetam & Regem inferat) *ſimiliter ἀνάστασις* ſuſcitatio Philip. III. 10. *præſertim cum ante paſſiones & ante mortem Chriſti, & ante ἐξανάστασιν e mortuis verſ. 11. memoratam ponatur.* Ut, *inquit*, cognoſcam eum, & vim ſuſcitationis ejus (*in Salvatorem, in ſecundum illum Adamum*) & communionem paſſionum ejus, conformatus morti ejus, ut aliquo modo perveniam ad exſuſcitationem mortuorum, *ad quam nempe Salvator meus, poſt ſuſcitationem illam ſui in Salvatorem, poſt paſſiones & mortem ſuam pervenit.* Vide, & mirare, quomodo & quam miſere illam Chriſti ἀνάστασιν trucidet Crellius, ut ſuam illam ἐξανάστασιν νεκρῶν,

*κρῶν*, per ſomnium natam, excitet. *Ανάςασις* enim h. l. ſi ipſum audias, non reſurrectionem, aut ſuſcitationem ex mortuis infert, ſed *ſuſcitationem Chriſti in Salvatorem, Prophetam & Regem, a Deo Patre factam.* Cur ita? quia ſcilicet Paulus primum *ſuſcitationis*, deinde vero *paſſionis* & *mortis Chriſti* meminit. Siccine vero non intelligit *Crellius*, Paulum iſta capita non recenſere eo ordine, quo in Chriſtum ceciderunt, ſed quomodo illa Paulus fide cognoſcat, amplectatur & ſua faciat, tum fide, tum, quoad fieri poteſt, imitatione. Hic vero primum eſt, credere, Chriſtum ex mortuis eſſe excitatum. Vide *Rom.* X.9. *Οτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ ςόματί σȣ Κύριον Ἰησȣ͂ν καὶ πιςεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σȣ, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ.* Hæc fides & juſtificationem noſtri, & glorioſam corporum excitationem atque ſpem vitæ æternæ certam facit, ex memoria ſcilicet perpeſſionis mortisque à Chriſto in ſalutem noſtram ſuſceptæ & exantlatæ. Hoc itaque alterum eſt, quod teneri debet fide, & imitando, quoad fieri poteſt, exprimi. Ita enim pervenitur in communionem perpeſſionum & mortis Chriſti. In hoc vero ordine pervenitur ad reſurrectionem glorioſam. Jam arbitrum te, lector, conſtituo, num *Crellius* ex commemoratione *ἀναςάσεως* Chriſti, primo loco facta, colligere recte potuerit, de *ſuſcitatione Chriſti in Salvatorem, Regem & Prophetam* loqui Apoſtolum. Nonne ex reſurrectione Chriſti facta propius pendet reſurrectio mortuorum & ſpeciatim fidelium glorioſa, quem ex eo, quod Chriſtus nobis Salvator eſt conſtitutus? Nonne Paulus hanc ex illa proxime repetit *Rom.* VIII. 11. *Ει δὲ τὸ πνεῦμα τȣ͂ ἐγείραντος Ἰησȣ͂ν ἐκ νεκρῶν, οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριςὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τὸ ἐνοικȣ͂ν αὐτȣ͂ πνεῦμα ἐν ὑμῖν;* Sed mittamus Crellium, in mille ambagibus oberrantem, & revertamur ad *Flemingium.*

Is enim p. 21. per. *ἐξανάςασιν τῶν νεκρῶν* & *τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως* ſpecialem hanc reſurrectionem, tanquam ſingulare quoddam præmium indicari ait, quemadmodum per *σκοπὸν* v. 14. felicitas in genere indicetur. Mirum eſt, *Flemingium ſcopum* & *præmium* ſeu *βραβεῖον* hac ratione à ſe invicem diſtinguere potuiſſe. Ex ſequentibus patebit, Apoſtolum ſe comparare cum curſoribus gymnicis, qui ad metam contendebant, certi omnino de palma, ſi metam eſſent aſſecuti. Itaque metæ conſecutio erat ordo, in quo præmii fiebant participes, tantum abeſt, ut illa conſtitueret *felicitatem*, quæ potius conſequebatur. Denique ibidem urget, Paulum hoc momentum non ut neceſſarium doctrinæ Chriſtianæ caput inculcare, ſed ut propriam ſibi opinionem tradere v. 15. ubi alios aliter hic ſentire pronunciet, quod tamen Deus aliquando per Johannem perſpicue ſit revelaturus. De eo nos paulo poſt dicemus. Suffecerit nobis monere lectorem, quod Rev. *Jo. Ja. Quandt*, Theologus Regiomontanus præſtantiſſimus, hæc *Flemingii* cogitata ſub examen vocarit in ſingulari Programmate Paſchali, Regiomonti 1723. edito, quo & nos uſos eſſe grati profitemur.



Digitized by Google

Jam quidem Cl. M. *Georg. Ludov. Oederus* nos vocat. Huic enim in Syntagmate Obſervationum Sacrarum p. 752. Paulus *de reſurrectione ſua b. l. agere non videtur, ſed, ut modo dixerat, ſe ſimilem fieri morti Chriſti, ita augurari nunc, fore, ut &* reſurrectioni Chriſti ſimilis *evadat, h. e. quemadmodum Chriſtus poſt vitam reſumtam, potentiam & claritatem ſuam ubivis oſtenderit; ita ſperare ſimile quidquam in ſe futurum, ut inclareſcat per orbem non in ſuam quidem, ſed Dei auctoris laudem, eccleſiæque ſalutem.* Sententiam hanc ſuperſtruit phraſi Paulinæ, *εἴπως καταντήσω*, quam dubitationis plenam eſſe contendit. De hoc vero capite jam actum eſt. Deinde hanc interpretationem cum v. 12. optime connecti poſſe ait, in quo Paulus neget, *eam gloriam ſe jam eſſe adeptum, ſed perſequi ſcopum, i. e.* eas terras, *quibus Evangelium per ſe ſit nunciandum*, quo & referri cupit comma 16. Enim vero, ſicut hoc comma ad omnia alia pertinet, quod mox oſtendemus; ita, quæ illi ſuperſtructa ex parte eſt, expoſitio ſua mole ruet. Hoc itaque loco tantum monemus, probandum fuiſſe viro docto, *communionem mortis Chriſti* eam tantum vel potiſſimum intelligi, quæ morti Chriſti v. c. per matyrium reſpondeat, & ſic per reſurrectionem *gloriam* indicari, quæ ſuo modulo non minus ad Paulum ex opera Evangelio præſtita, & adhuc præſtanda, perventura ſit, quam olim pervenerit ad Chriſtum ex morte ſuſcitatum. Quamdiu propria phraſi cuique ſignificatio ſalva manere debet, niſi ſingulare quid ex re ipſa obſtet, tamdiu *τὴν ἐξανάστασιν τῶν νεκρῶν* reſpectu Pauli, & *ἀνάστασιν Χριστοῦ*, qua is ſe fulcit, de reſurrectione in ſe ſpectata accipi fas fuerit. Num vero etiam veri eſt ſimile, Paulum, de obtinendo aliquando præmio tam præclare & magnifice loquentem, de gloria nominis ſui, per orbem vagaturi, cogitaſſe?

Verſ. 12. *Οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον*] ſcilicet *τὸ βραβεῖον*, quod v. 14. nominatur. Ita recte *Chriſtianus Schætgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi Græcæ Linguæ p. 31. Sic 1 *Corinth.* IX. 24. plene: *εἷς δὲ λαμβάνει βραβεῖον.* Diſerte *Chryſoſtomus: τί ἐστιν, ἤδη ἔλαβον; τὸ βραβεῖόν φησι.* Tenendum vero hic eſt, Paulum, ſub brabeo illo, quod poſt reſurrectionem glorioſam exſpectabat, non ſimpliciter aut præciſe ipſam illam gloriam intelligere, ſed ea ſimul ſignificare, quæ à ſe ratione ordinis à DEO præſcripti, requiri probe intelligebat, ſtudium ſcilicet perpetuum ea præſtandi, quæ & confeſſorem Chriſti, & inprimis præconem Evangelii facere in gloriam Chriſti decebat. Æternam enim illam & perfectam gloriam ſibi, in vita adhuc verſanti, nondum collatam eſſe ut moneret, nihil erat neceſſe. Recte *Chryſoſtomus: Τί ἐστιν εἰ καταλάβω; ὅπερ πρότερον ἔλεγον, εἰ καταντήσω εἰς τὴν ἐξανάστασιν τὴν ἐκ νεκρῶν· τὴν αὐτοῦ φησιν, ἀνάστασιν εἰ καταλάβω, τουτέστιν, ἐὰν δυνηθῶ τοσαῦτα παθεῖν, ἂν δυνηθῶ μιμήσασθαι αὐτὸν ἂν δυνηθῶ σύμμορφος αὐτῷ γενέσθαι, οἷον πολλὰ ἔπαθεν ὁ Χριστὸς, κ. τ. λ. τοῦτο στάδιόν ἐστι· διὰ πάντων τούτων δεῖ πρὸς τὴν ἀνάστασιν αὐτοῦ φθάσαι πάντας τοὺς ἄθλους ἐνηνοχότας.* Hanc Pauli mentem eſſe, patebit ex iis, quæ ad v. 14. dicentur. Voci *ἔλαβον*, aliquot codices jungunt *ἢ ἤδη δεδικαίωμαι*, ſed hoc ex interpretamento vocis *τετελείωμαι* natum eſſe recte obſervat *Millius.*

ἢ ἤδη

Digitized by Google

*ἢ ἤδη τετελείωμαι* ] Reſpicit Paulus ad *βραβεῖον* ſive *præmium*, quo qui donabantur, ſignificabantur quaſi *τετελειωμένοι*, quo ſenſu Paulus etiam *Hebr.* XI. 40. fideles V. T. *τελειωθέντας* dicit, *ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι. Oecumenius* ad illum locum: *Οὐκ εἶπε, ςεφανωθῶσιν, ἀλλ' ὃ μείζονα ἔμφασιν ἔχει, τελειωθῶσι, τυτέςι τὸ πέρας τῶν ἀγαθῶν· καὶ ὑπὲρ ὃ κάμνει πᾶσα σπυδαίυ κίνησις, ἀπολάβωσι.* Hæc *Pet. Fabri* ſunt cogitata in Agoniſticis lib. III. c. 11. & *Jac. Lydii* cap. XXX. pag. 131. ſqq. ubi tamen tenenda ſunt illa, quæ modo monuimus. De *Salmaſii* explicatione paulo poſt ad v. 15. dicemus.

Quam inepte hæc verba ad licentiam vitæ negligentioris palliandam trahi & perverti ſoleant oſtendit *Spenerus* in Vindiciis ejusmodi Scripturæ locorum, vernacule editis p. 357. ſeqq.

*διώκω δὲ, εἰ καὶ καταλάβω* ] *ſed perſequor, ut etiam ipſe apprehendam.* *Τὸ καταλαβεῖν* ad coronæ arreptionem & ad metæ contactum (qui finis & ſcopus erat curſu certantium) refert *Pet. Faber* l.c. lib. II. cap. 33. & cum eo *Lydius* c. XXIV. pag. 82. ubi plura lege. *Lucianus* utrumque verbum ſimiliter conjunxit in Hermotimo pag. 564. fine, *διώκοντες ὐ κατέλαβον, perſecuti, non aſſecuti ſunt*, obſervante *Jo. Alberti* pag. 380.

*ἐφ᾽ ᾧ καὶ κατελήφθην ἀπὸ τῦ Χριςῦ Ιησῦ* ] *cujus rei cauſa* etiam *appre henſus ſum à Chriſto Jeſu.* Ita *Beza* & *Eraſm. Schmidius*, quam verſionem M. *Chriſtoph. Wolle* in diſſertat. de vera fictaque particularum emphaſi, quæ Eccleſiæ ejus Phariſaicæ & Chriſtianæ ſubjuncta eſt, pag. 317. adſeruit. *Hombergius* mavult: *quandoquidem.* Nihil ad rem ipſam refert, utrum eligas. Per apprehenſionem illam ſui a Chriſto factam veteres quidam & recentiores indicare Paulum putant mirabilem illam ſui ad Chriſtum converſionem in itinere, Damaſcum verſus facto, *Actor.* IX. 3. ſqq. Nec præter rem illi ita ſentiunt. Ex ipſa vero hac comparatione intelligitur, Paulum non magis de eo dubium fuiſſe, an ſcopum præfixum ſit aſſecuturus, quam dubitare poterat, an unquam à Chriſto ſit apprehenſus, & in fidei miniſteriique campum deductus. Id itaque tantum vult, hoc majorem ſe operam impendere curſui ſuo exacte & feliciter perficiendo, quo major ſibi a Chriſto hunc in finem gratia præſtita ſit. Num etiam hæ phraſes ad nominis gloriam celebritatemque, à Paulo dubie exſpectatam quæ *Oederi* ſententia eſt, cum aliqua veri ſpecie referri poſſint, lectori judicandum ſecure permitto. Phraſes certe omnes tales ſunt, quibus alias utitur Apoſtolus, ubi prædicat gloriam cœleſtem inſtar brabei non ſibi tantum, ſed & fidelibus omnibus imminentem, & certo exſpectandam.

Verſ. 13. *Ἀδελφοὶ, ἐγὼ ἐμαυτὸν ὐ λογίζομαι κατειληφέναι κ. τ. λ.*] Comma hoc cum ſequenti explicatur à *Campeg. Vitringa* in calce Expoſitionis epiſtolarum ad *Galatas* & *Titum* Belgicæ pag. 217. ſqq.

*ὐ λογίζομαι* ] Nonnulli Codices & Patres, locum hunc citantes, legunt *ὔπω, nondum*, ideo forte, quod illud ad verbum *κατειληφέναι* magis quadrare vi-

videbatur, hoc ſenſu, quod Paulus id, quod quærebat, ***nondum*** ſe adſecutum profiteatur, inpoſterum vero adſecuturum ſperet. Cum vero τὸ ἐ proxime junctum ſit verbo λογίζομαι, atque adeo Paulus id ſignificet, quid de ſe inpræſentiarum ***non*** ſtatuat; patet, particulam ἐ præ altera illa locum heic habere. Λογίζομαι infert judicium mentis, rationibus recte ſubductis, formatum. Vide ad 2 *Corinth.* X. 2.

κατειληφέναι] i. e. interprete *Chryſoſtomo*, ὐδέπω κατειληφέναι τὴν ἀρετὴν ἅπασαν ἡγῦμαι, ὕτως εἰπὼν, ὡς ἂν εἰ ἐπὶ δρόμεως εἴποι τις, ὕπω κατέλαβεν. ***Nondum me aſſecutum virtutem omnem arbitror, hoc ſenſu, ac ſi quis de curſore dicat: nondum aſſecutus eſt.*** Vides hic, *Chryſoſtomum*, τὸ κατειληφέναι referre ad ***virtutem***, i. e. officia, quæ incumbere ſibi agnoſcebat Apoſtolus ad ***palmam*** acriter inſtar curſoris contendenti. Officia hæc ***Vitringa*** l. c. p. 222. recte diſpertitur in ea, quæ Paulo partim ut Chriſtiano, partim ut Apoſtolo incumbebant. Ipſius erat, tanquam ***Chriſtiani*** perſeverare in fide & virtute, ſecundum Domini monitum ***Matth.*** XXIV. 13. & ***Apocal.*** II. 26. tanquam ***Apoſtoli*** vero, ſtrenue & conſtanter urgere provinciam ſibi creditam, quod ipſe ſibi inculcat 1 *Cor.* IX. 16. Placent præterea, quæ idem p. 225. de nexu ſermonis Paulini, & occaſione ſtudium ſuum in cœpto curſu alacriter continuando profitendi affert. Apoſtolus in limine capitis graviter monuerat Philippenſes, caverent ſibi ab illis, qui legis inſtituta & nominatim circumciſionem Evangelicæ doctrinæ de fide jungebant, & ſic juſtificationem apud Deum promittebant. Hunc in finem ſuum ipſis proponit exemplum, tanquam qui olim ipſe præclare de operibus legalibus in Judaiſmo ſenſerit, jam vero, omnibus illis inſuper habitis, in juſtitia, per Chriſtum fide conſequenda, acquieſcat. Cum vero præterea noſſet, doctrinam hanc veriſſimam ab adverſariis calumnia peti ſolere, quaſi fides illa vana & omni virtutis ſtudio vacua ſit, hanc criminationem ſuo itidem exemplo depellit, adſeverans, adeo ſe in illa animi quiete & tranquillitate non eſſe ſecurum ſalutis ſuæ, ut ad eam potius omni opere contendat, perſuaſum ſibi habens, multa adhuc ſupereſſe (quicquid alii præclare de ſe ſentiant,) quæ in ſtadio hoc decurrens vel facere vel perpeti ad metam aſſequendam deberet. Quæ h. l. de ſe tradit, ea omnium credentium animis infigit *Rom.* VI. 1. ſqq.

Verſ. 14. Ἐν δὲ] Elliptice hoc ita dici patet, ſive τὸ ἓν referas ad verbum διώκω verſ. 12. & verſ. 14. vel ἀπὸ κοινῦ repetas verbum λογίζομαι. ἓν λογίζομαι κατειληφέναι, vel denique verbum πράττω ſubintelligas. Vide Eraſm. Schmidium. Ad verbum διώκω verſ. 24. relatum τὸ ἓν procul dubio voluit *Bæclerus*, quando in editione N. T. Argentoratenſi verba: τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος, τ. δ. ἔ. ἐπεκτεινόμενος, per parentheſeos notam à vocibus ἓν δὲ, ſejungit.

τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθανόμενος] *ea quidem, quæ ſunt à tergo, obliviſcens.* In verbo ἐπιλανθανόμενος emphaſin poſitam eſſe recte cenſet *Chryſoſtomus*:

ἐκ

οὐκ εἶπεν, ὅτι οὐκ ἀναλογίζομαι, οὐδὲ μέμνημαι, ἀλλ᾽ ἐκλανθανόμενος ἡμᾶς προσεκτικωτέρους ποιεῖ. Illuſtrat & firmat hanc expoſitionem *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 549. ex *Herodoti* lib. III. pag. 249. ubi de *Otane* ait, τῶν ἐντολέων μεμνημένος ἐπελανθάνετο, quod quamvis præceptorum Darii memor eſſet, eorum tamen adeo nullam habuerit rationem, ac ſi eorum penitus eſſet oblitus, & omnia alia potiora haberet. Confer ibidem lib. IV. pag. 270. & lib. III. pag. 218. Τὰ ὀπίσω hic ſunt omnia ea, quibus Judæi, & ad eorum exemplum Paulus olim, inniti conſueverint, præcipue vero illa ex operibus legis juſtitia, qua mirum quantum gloriabantur.

τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος] *ad ea vero, quæ à fronte ſunt, contendens*, ut *Beza*, & *Eraſmus Schmidius*; vel potius, *porrigens me, protendens*, quod *Elsnerus* mavult cum B. Luthero, ich ſtrecke mich nach dem, das davorne iſt, id quod pag. 253. *Chryſoſtomi* expoſitione ſimili & Gloſſis veteribus, ἐπεκτείνω. per *porrigo, protendo*, exponentibus firmat, monens præterea, *Oppianum* lib. IV. Halieutic. verſ. 101. alacre curſorum gymnicorum ſtudium deſcribentem, voce ſimili προπροτιταινόμενος uti. Τὰ ἔμπροσθεν ratione rei quæ ſint, ex oppoſitis, quæ Judæis cordi erant, intelligitur, nempe bona tum ſpiritualia tum cœleſtia per Chriſtum parta, & in ipſo ſolo exſpectanda. Itaque non reſpexit hic Apoſtolus ad τοὺς ἔμπροσθεν, quaſi ad præcedentes ſe extendat, eosque antevertere conetur, quæ *Camerarii* ad h. l. & *Schmidii*, item *Lydii* in Agoniſticis c. XXIV. pag. 82. eſt ſententia. Quemadmodum enim ratione oppoſiti non οἱ ὀπίσω, ſed τὰ ὀπίσω hic commemorantur; ita ex altera parte non οἱ ſed τὰ ἔμπροσθεν innuuntur. Utrinque non perſonæ, ſed res ſpectantur, ad quas ſe omnes animi, fide & deſiderio pleni, vires ita ait protendere Apoſtolus, ſicut curſor expeditus manibus colloque protenſis, pedes prævertere conatur. Hæc ſcilicet eſt illa ἀποκαραδοκία, quæ ἀπεκδέχεται *Rom.* VIII. 19. & ſupra I. 20. hujus epiſtolæ.

κατὰ σκοπὸν διώκω] *Scopum verſus feror*, ita *Beza* & *Schmidius*. Simili ſenſu *Herodotus* lib. V. pag. 373. ἐν μὲν Σάρδισι οὐκέτι ἐόντας τοὺς Ἴωνας εὑρίσκουσι, ἑπόμενοι δὲ κατὰ στίβον, αἱρέουσι αὐτοὺς ἐν Ἐφέσῳ. *Non adepti Jones, jam illinc profectos, eadem via inſecuti comperiunt Epheſi*: Ubi tradente *Raphelio* pag. 550. κατὰ στίβον ἕπεσθαι eſt *veſtigia ſequi*, der Spur nachfolgen. Idem hic locus me monet, κατὰ σκοπὸν non id tantum inferre, quod Paulus ad *metam* contendat, ſed rationem innuere, qua ad eam connitatur, nempe via breviſſima & tali, quam ſcopus ipſe eminus oſtendat. Ita illi apud *Herodotum* veſtigiis, quæ ab Jonibus expreſſa videbant, perpetuo intenti, non aliam viam ſectabantur. Idem, ni fallor, B. Lutherum voluiſſe exiſtimat Anonymus quidam im freywilligen Heb-Opfer, Tom. III. p. 226. modo verſio vernacula recte interpungatur. Hodie enim legitur: ich jage nach dem vorgeſteckten Ziel, nach dem Kleinod. Sed ille quidem verba ita putat interpungenda: ich jage

nach, dem vorgeſteckten Ziel nach, dem Kleinod. Vereor autem, ut B. Lutherus ipſe ita ſcripſerit. Manifeſtum enim mihi videtur τὸν μακαρίτην priori illo nach τὸ, πρὸς, poſteriori autem τὸ ἐπὶ exprimere voluiſſe, ut taceam, verſionem alioquin ratione ſtructuræ verborum minus facilem & expeditam eſſe. Quicquid hujus erit, conſentientem in re ipſa habeo *Vitringam* l. c. pag. 228. Si Apoſtolus nudam ſcopi adſecutionem voluiſſet, ſcripturus erat εἰς vel πρὸς, pro quo nunc legitur κατά. Si hoc teneamus, ſimul patebit, quam ſapienter & luculente hoc obvertatur doctoribus illis judaizantibus. Illi enim contendebant ad brabeum, ſed non *recta via*, quam ſcopus ipſe commonſtrare poterat, verum potius per ambages & anfractus, qui ipſos à ſcopo avertebant. Confer *Rom.* IX. 31. Hebræi forte dicerent לנכח. Vide *Guſſetii* commentarios L. Hebr. pag. 512. *Laur. Ramirez* de *Prado* in Pentecontarcho cap. 50. pag. 282. σκοπὸν de γραμμῇ ſeu *linea*, quam Græci in hoc argumento vocant, accipit. De voce Ziel, per quam σκοπὸν Lutherus convertit, lege B. *Dieterici à Stade* Expoſitionem vocum difficiliorum verſionis vernaculæ.

ἐπὶ τὸ βραβεῖον] Vide ad 1 *Cor.* IX. 24.

τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ] *Supernæ vocationis Dei*, i. e. ad quod à Deo ipſo vocamur. Hinc B. *Lutherus*: welches vorhält die himmliſche Beruffung GOttes. Cl. *Jo. Alberti* in Periculo Critico pag. 54. vertit: *ſuperioris* i. e. præteritæ *vocationis*, adducto *Heſychio*, ἄνω, ἐπὶ τοῦ ἀνωτέρου τόπου καὶ χρόνου τάσσεσθαι teſtante. Sed non ſatis capio, quæ vocatio per *præteritam* ſeu *ſuperiorem* à Paulo h. l. indicari poſſit. Ab altera vero parte perſpicere mihi videor, quæ ſit ſuperna illa Dei vocatio ad præmium, aliquando in cœlis reportandum. Quod ſuperne venire dicitur, fateor, frequentius in ſacris literis per ἄνωθεν exprimitur. Sed voces ἄνω & ἄνωθεν, ut ſibi affines, promiſcue uſurpantur. Imo cum per τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ *Gal.* IV. 26. Eccleſia Chriſtiana ex ſcopo allegoriæ, ibi ab Apoſtolo propoſitæ, intelligi debeat: patet, per τὸ ἄνω id quoque innui, quod divini Numinis vi & cœleſti nutu obtingit. Eodem ſenſu credentes vocantur κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι *Hebr.* III. 1. quemadmodum alias Apoſtoli frequenter urgent vocationem à Deo ipſo, nempe per præcones Evangelii, factam. Conferri denique hæc vocatio poteſt cum agonothetis & præconibus gymnicis, qui ex editiore loco curſores non ſolum ad curſum inchoandum excitabant, ſed victores etiam renunciabant. Vocationem ad Eccleſiam N. T. & regnum Meſſiæ, quæ vere fuerit קריאה של מעלה indicari putat Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 801. & ſuam de Hieroſolyma cœleſti diſſertationem capite ultimo videri jubet.

Verſ. 15. Ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν] *Quotquot itaque adulti* (ſumus) *hoc ſentiamus*. Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, qui tamen, quod in notis monet, *adultos* in ſpiritu intelligit. Rectius alii *perfectos* interpretantur. Atque hoc præfert *Salmaſius* in de Trapezitico Fœnore p. 347. ubi notat *Exercitatorem*

*torem Sacrum*, ( i. e. *Dan. Heinſium*, ) qui *ſummum virum* ( i. e. *Bezam* ) recte ita vertiſſe dixerit. *Si* τέλειοι, inquit, *hic* adulti *ſunt*, *paulo ante*, ἢ ἤδη τετελείωμαι, *reddendum eſt*, aut jam adoleverim. — *Pro* ſanctificatus ſum, *videtur poſuiſſe*. *Nam & τελειοῦν eſt* ſanctificare. *Et ſanctificati ac juſtificati proprie* τέλειοι, *i. e.* perfecti. Τέλειοι inter Philippenſes vocantur, reſpectu aliorum, qui imbecilliores & imperfectiores erant. Hæc frequens eſt vocis notio in Novo Fœdere. Vide, quæ ſcripſimus Vol. II. pag. 322. & 324. Hoc vero loco illi τέλειοι præcipue appellantur, qui de juſtificatione per fidem conſequenda veram doctrinam tenebant. Ita Paulus *Coloſſ.* I. 28. ſe & alios Apoſtolos ait eſſe διδάσκοντας πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ἵνα παραστήσωμεν πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ibi vero ſermonem eſſe de Chriſto, fide in ſpem ſalutis unice recipiendo, ex eo apparet, quod Chriſtus diſerte vocatur ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης, *ſpes gloriæ*, in quo ſcilicet unice innitatur. Eam doctrinam qui recipit & tuetur, is vero τέλειος eſt.

τοῦτο φρονῶμεν ] *hoc ſentiamus*. Hoc verbum itidem reſpicit doctrinam, in limine hujus capitis traditam, quod ſcilicet *gloriari* fas ſit *in Chriſto*, v. 3. quod omnia negligenda & abjicienda ſint propter Chriſtum, recte agnitum, quod in Chriſto per fidem juſtitia & ſalus ſit quærenda v. 9. quod denique illa fides veram & germanam ſe præſtare debeat in officiis, Evangelio dignis, perficiendis v. 13. 14. Ita ſentire decet, qui inter τελείους numerari cupiunt. De illa vocis φρονεῖν notione lege, quæ ſcripſi ſupra ad II. 2. Recte hæc vidit *Herm. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. pag. 974. de noſtro loco ita pronuncians: *ex connexione evidens eſt*, τελείους *hic eſſe, qui doctrinam de abrogatione ceremoniarum legis, & de perfecta Chriſti juſtitia recte intelligebant*. In hanc ſententiam commode affert *Hebr.* V. 13. 14. ubi τέλειοι opponuntur νηπίοις, νήπιος autem dicitur μετέχων γάλακτος, & ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης.

καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, καὶ τοῦτο ὑμῖν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψει ] Sunt, qui hæc omnia per parentheſeos notam à reliquis ſeparant. Inter hos numerandus eſt *Hombergius* p. 307. Alii parentheſin inde à vocibus, καὶ εἴτι usque ad, εἰς ὃ ἐφθάσαμεν protendunt, ut verba τῷ αὐτῷ στοιχεῖν κανόνι, à phraſi, τοῦτο φρονῶμεν, proxime pendeant. Hæc eſt ſententia doctiſſimi *J. C. Schvvarzii* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 9. Alii denique tres tantum voces, εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, pro parentheticis habent, nominatim *Knatchbullus* & *Wollius* de Parentheſi Sacra. *Hombergius* & *Schvvarzius* in voce πλὴν ſupplemento opus eſſe cenſent, quod *Schvvarzius* ita exprimit πλὴν τοῦτο εἶναι, vel πλὴν τοῦτο φθῆναι. Prior eorum ita vertit: *quotquot igitur perfecti ſumus, hoc ſentiamus: non alio quam eodem canone incedere & idem ſentire*. Quod ad parentheſin attinet ea quidem opus hic eſſe non exiſtimem, cum verba illa καὶ εἴτι ἑτέρως κ. τ. λ. ad ſequentia: πλὴν, εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, κ. τ. λ. ita reſpiciant, ut ab his ſeparari non poſſint. Id quod mox oſtendemus. Interim verba

ba ipſa hoc ſibi volunt: *ſiquid aliter ſentitis, etiam hoc DEUS vobis reteget.* Hæc pertinent non ad τελείυς illos, ſeu perfectos, ſed ad ceteros rudiores, quos illis Paulus contradiſtinguit. Non ignotum erat Paulo eſſe inter Philippenſes, quemadmodum inter Hebræos cap. V. 13. 14. qui de his illisve doctrinæ capitibus incerti à reliquis diſſentiebant. Hos itaque non prorſus deprimit aut condemnat, ſed ſperare jubet, fore, ut inpoſterum ab errore vel dubitatione divino beneficio & divina luce revocentur. Illa vero diſſenſionis capita non puto ex mente Pauli ad doctrinam de juſtitia fidei, quam inprimis urſerat, pertinere, eo ſenſu, quod illi etiam, qui à doctoribus judaizantibus in ſuam ſententiam fuiſſent invitati, inpoſterum à Deo ad rectiorem ſint perducendi; ſed ad alia potius, quæ ſalutis fundamentum non tam prope attingebant. Qui in his *aliter ſentiebant*, eos ad revelationem Dei ulteriorem revocat. Ita ut ſtatuam, hanc præcipue cauſam habeo, quod, ſi ad idem illud caput, de juſtificatione ſcilicet, reſpexiſſet Paulus, ſcripturus erat: καὶ εἰ ἑτέρως φρονεῖτε, non autem καὶ εἴτι, h. e. *ſi qua in re,* quæ proinde res ab ea diſtincta eſſe debet, de qua dixerat: ὅσοι ὖν τέλειοι, τῦτο φρονῶμεν. Ἀποκαλύψιν illam non opus eſt, ut de *immediata* quadam *revelatione* divina accipiamus, quæ, ut alios taceam, *Petavii* in Dogmatibus Theologicis Tom. III. de hæreſi Pelagianorum, cap. 9. p. 329. eſt ſententia. Quid enim obſtat, quo minus inſtrumentum illud revelationis de verbo Dei, & doctrina, ab Apoſtolis tradita, ita intelligamus, ut Philippenſes eam inpoſterum, divina ope, rectius percepturi dicantur? Ita *Auguſtinus* lib. I. de Prædeſtinatione c. 4. profitetur, ſe aliquando in errore de Prædeſtinatione verſatum eſſe, ſed ſententiam mutaſſe Apoſtoli oraculo 1 *Cor.* IV. 7. *Quid habes, quod non accepiſti?* convictum. *Cum hac de re aliter ſaperem*, inquit, *quam mihi Deus in hac quæſtione ſolvenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum, ſicut dixi, ſcriberem, revelavit.* Vides hic *Auguſtinum* ad præſentem Pauli locum reſpicere, & *revelationem Dei* id appellare, quando ſe teſtimonio Apoſtolico convictum ſentiebat. Atque hæc verbi notio aliquando eſt in ſacris literis. Paulus *Galat.* III. 23. πίςιν τὴν μέλλυσαν ἀποκαλυφθῆναι de Evangelica doctrina accipit, quæ aliquando non ἀμέσως, ſed per præcones Evangelii ad homines erat perferenda. Hæc monenda erant in gratiam *Roberti Flemingii*, quem ſupra ad v. 11. monui ἀποκάλυψιν hanc de ea accipere, quæ inpoſterum à Johanne, quod ad doctrinam de ſpeciali reſurrectione Martyrum & Sanctorum, tanquam novam & adhuc inauditam, ſit exſpectanda. Addit idem, Apoſtolum hoc, de quo dixit: τῦτο φρονῶμεν, momentum, non ut neceſſariam Chriſtianæ doctrinæ particulam, ſed ut propriam ſibi opinionem tradere, atque hoc nomine v. 15. alios aliter in hac parte ſentire profiteri. At enimvero nec ſe Paulus incertum profitetur de re, de qua ſermo erat, nec Philippenſes de ea ait diſſentire, quod ex τῷ εἴτι apparet. Ponamus tamen aliam aliquam ſententiam de eodem, de quo agebatur, capite innui, ne illam quidem imperfectiores ex Philippenſibus perpetuo tenere

cupit

cupit aut permittit, cum promittat, fore, ut inpoſterum, divina ope adjuti, de rectiore perſuaſione convincantur.

Verſ. 16. Πλὴν εἰς ὃ ἐφθάσαμεν, τῷ αὐτῷ ϛοιχεῖν κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν] *Attamen, quod jam aſſecuti ſumus, eadem incedendum eſt regula, idem ſentiendum.* Referuntur hæc ad τοὺς τελείους, ſeu perfectos, iidemque monentur, ut, ſi vel maxime alios tolerent diverſa à ſe in hoc illove capite ſentientes, id tamen operam dare debeant, ut ſecundum eam, quam tradiderat, regulam ſeu doctrinam de juſtitia ex fide in Chriſto quærenda, omnibusque aliis illi poſtponendis, incedant, atque adeo unum ſentiant. Ita patet, reſpectum hic haberi ad illa verba, καὶ εἴ τι ἑτέρως φρονεῖτε, quæ proinde cum nonnullis per parentheſin ab his non ſunt ſejungenda. Admonitio hæc eſt illi ſimilis, quam ſupra *Philip.* I. 27. inculcat: Μόνον ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθε, *tantum*, h. e. hoc cum maxime ſtudete, *ut digne Evangelio Chriſti vos geratis.* Infinitivos illos pro imperativis Atticorum more poſitos exiſtimo. Hanc interpretationem, omiſſa παρενθέσεως nota, quam alioquin prætulerat, locum habere poſſe *Hombergius* quoque pag. 308. largitur, ita convertens: *quod ſi quid aliter ſentiatis* (aut, *velitis*) *quam in eo, ad quod jam pervenimus*, (vel, *de quo jam diximus,*) *eodem incedere canone, & idem ſentire, etiam hoc vobis Deus revelabit.* Scilicet perfecti illi una cum Paulo id intelligendo erant aſſecuti, (εἰς τοῦτο ἔφθασαν) quod de juſtitia ex fide docuerat: hoc itaque ab illis conſtanter teneri vult, ut idem ſentiendo & judicando ſecundum regulam ſeu doctrinam propoſitam incedant. Confer, quæ de phraſi τὸ αὐτὸ φρονεῖν (de qua ad h. l. *Elsnerus* pag. 254.) diximus ſupra ad II. 2. & de altera ϛοιχεῖν τῷ κανόνι ad *Galat.* VI. 16.

Voces κανόνι, τὸ αὐτὸ φρονεῖν omiſſæ ſunt in *Alexandr.* & *Colb.* 7. alii autem pauci, inter quos etiam *Barnerianus* eſt, vocem κανόνι non habent. Coptus *Wilkinſii* pro utraque phraſi promit: *in eo oblectemur.* Mirum eſt, *Millium* in Prolegomenis τῷ κανόνι ex *Galat.* VI. 16. huc illatum credere potuiſſe. Quid, quæſo, hoc poſito, intelligi debeat ſub ϛοιχεῖν τῷ αὐτῷ? Duo, quod adhuc notandum eſt, membra hic ἀσυνδέτως conjunguntur, nempe ϛοιχεῖν τῷ αὐτῷ κανόνι, & τὸ αὐτὸ φρονεῖν. Id Hebræorum more factum aſſeverat *Beza*. Sed nec Græcis infrequens eſſe aliquot veterum locis evicit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 585. Ita *Arrianus* diſſertatt. II. pag. 211. τὴν ἀκρασίαν σου τέτροφας, ἐπηύξησας. & pag. 372. ἀπέχειν δεῖ πάντα ἃ θέλει, πεπληρωμένῳ τινὶ ἐοικέναι &c.

Cl. *Oederus* in Programmate ad natalem B. Lutheri celebrandum Onoldi 1730. promulgato pag. 6. in omnia alia abit, ita hæc παραφράζων: *Quicunque* perfecti *tantumque peritia poſſidemus, ut alios erudire poſſimus, id firmiter credamus, quod hoc capite* v. 8. 9. 10. *potiſſimum inculcatum, nullam extra Chriſtum ſalutem eſſe* &c. *ceterum, quod cuique contingit* ſpatium, *in eo decurrendo*

 *gnaviter*

Digitized by Google

*gnaviter pergendum eſt, idemque de ſumma religionis & fidei ſentiendum. Eſt cuique demenſum ſpatium, in vinea Domini aſſignatum, ubi rerum ſuarum vel potius Domini ſatagere debet.* Exinde apparet, virum doctum hoc quoque loco voci *κανὼν* ſignificatum *demenſi ſpatii* tribuendum cenſere, quem 2 *Cor.* X. 13. 15. 16. & *Gal.* VI. 16. locum habere contendit, eo ſenſu, *quod unicuique in eo ſpatio, quod occuparit,* nempe docendo, *pergendum ſit.* Non crediderim ullo modo, Paulum de his cogitaſſe, quemadmodum nec de *docentibus* ſpeciatim cogitavit. Hoc quidem ſenſu *Oederus τὺς τελείυς* accipit, ſed gratis & precario. Sicut enim alias ſæpe, ita & h. l. Chriſtianorum Philippenſium cœtus in *τελείυς* & *νηπίυς* diſtinguitur. Nec patrocinatur huic cauſæ, quod *Apoſtolo hic res ſit contra Pſeud-Apoſtolos, qui in illis regionibus, quas Paulus Evangelio impleverat, varia miſcebant.* Largiamur hoc; ſed vir doctus largiri viciſſim debet, admonitionem verſ. 2. *βλέπετε τὺς κύνας,* &c. non ſpeciatim ad doctores Philippenſium, ſed ad audientium cœtum, qui falſorum doctorum reti capi poterant, retuliſſe. Urget præterea, verbum *φθάνειν* idem eſſe, ac vel *caſu*, vel *conſilio aliquo venire*, ſive, *locum occupare, antequam alter eodem veniat: quo ſenſu recte Apoſtolus dixerit, cuique in eo ſpatio, quod occuparit, pergendum.* Circumſpexi locos, in quibus verbum *φθάνειν* apud Sacros Scriptores exſtat; idque (ſi forte locum 2 *Cor.* X. 14. & 1 *Theſſal.* IV. 15. exceperis) non *phyſice*, de loco aliquo ſeu ſpatio occupato, ſed *moraliter* adhiberi intellexi. Ita *Matth.* XII. 28. & *Luc.* XI. 22. de *regno Dei* dicitur, *ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς,* 1 *Theſſal.* II. 16. de ira Dei, *ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς. Rom.* IX. 31. de Iſraële pronunciatur: *εἰς νόμον δικαιοσύνης ὐκ ἔφθασε.* Nec inſuetus Græcis hic verbi *φθάνειν* uſus eſt. *φθάνειν* enim dicunt eum, qui aſſecutus eſt, quod efficere contendit. Vide loca, quæ præter *Budæum* in Commentariis & *Stephanum* in Theſauro attulit *Meibomius* ad Cebetis Tabulam pag. 28. ſq. Hoc ſenſu *Chryſoſtomus* reddit: *τῦτο ἡμῖν ἤδη κατώρθωται.* Cur non igitur credentes dici poſſint *φθάσαι εἴς τι*, ubi de doctrina, quam tenent, & tenere fas eſt, ſermo eſt? Taceo denique, neminem facile perſpecturum, quomodo Apoſtolus per ſermonis ſui nexum eo feratur, ut *docentes* ad doctrinam in illis locis, in quibus ſint, continendam excitet. Ab altera parte expedita ſunt omnia, ſi admonitionem hanc ad integrum Philippenſium credentium cœtum, & ſpeciatim eorum perfectiores, pertinere ſtatuamus. Quemadmodum enim Apoſtolus v. 17. *συμμιμητὰς* ſuos eſſe vult non ſolos doctores, ſed *ἀδελφὺς*, quod commune & univerſale credentium elogium eſt; ita & antecedentia illa eodem referre neceſſe eſt.

Verſ. 17. *καὶ σκοπεῖτε*] Vide ſupra ad II. 4.

*καθὼς ἔχετε τύπον ἡμᾶς*] *τύπος* eſt *exemplum*, in imitationem expreſſum. Vide *Suicerum* Tomo II. p. 1340.

Com-

Comma hoc una cum ſequentibus usque ad finem hujus capitis, ſectionem epiſtolicam complexis, illuſtrat Rev. *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 176. ſqq.

Verſ. 18. 19. Πολλοὶ γὰρ περιπατοῦσιν, κ. τ. λ.] Spectat huc Cl. *Chriſtiani Schætgenii* Programma vernaculum, de hoſtibus crucis Chriſti, Francof. ad Viadrum an. 1716. editum. A primis his verbis π. γ. περιπατοῦσι pendere videntur verba ultima v. 19. οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες. Si enim referas ad, οὓς πολλάκις ἔλεγον &c. ſcribendum videbatur, τοὺς τὰ ἐπίγεια φρονοῦντας. Propterea *Eraſmus Schmidius* in editione ſua N. T. parentheſi incluſit omnia, quæ inde à verbis οὓς πολλάκις usque ad ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, leguntur. Nec aliter ſtatuit *Hombergius* pag. 308. recte, puto, & convenienter. Alia tamen ratione ſtructuræ verborum conſuli poſſe cenſet Cl. J. C. *Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 91. Verba enim οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες vocativi locum explere exiſtimat. Sic ille: *O animæ in terras curvæ, & cæleſtium inanes!* Huc refert illud *Antonin.* I. 16. ἀλλ' ὡς ἤδη ἀποθνήσκων τῶν μὲν σαρκίων καταφρόνησον· λύθρος, καὶ ὀςάρια καὶ κροκύφαντος ἐκ νεύρων, φλεβίων ἀρτηριῶν πλεγμάτων. *Sed ut jam moriturus carnes aſpernare pulverulente ſanguis! oſſicula & reticulum è nervis, venulis, arteriis plexum!* Sed prius illud ſimplicius mihi videtur. Senſus eſt: *multi enim ambulant, tanquam qui terreſtria curent.* Sic nullo ſupplemento opus eſt ad verbum περιπατοῦσι.

τοὺς ἐχθροὺς τοῦ ςαυροῦ τοῦ Χριςοῦ] *Inimicos crucis Chriſti* eos hic appellari cenſent nonnulli, qui vitæ licentiam conſectentur. Rectius vero alii indigitari eos arbitrantur, qui vel doctrinam de Chriſto pro hominibus paſſo, ex Judæis vel Gentilibus, penitus averſabantur, vel ſaltem, quod falſi doctores faciebant, vim & efficaciam mortis Chriſti in hominum conciliatione cum DEO deprimebant. Ita hæc Pauli verba cum ſuperioribus arctius conjunguntur; quibus etiam egregie reſpondent ſequentia, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία. Per illa in mores horum hominum Epicureos animadvertitur, qui, non κατὰ σκοπὸν διώκουσι ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ Θεοῦ ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ verſ. 14. Alium enim ſibi conſtituunt ordinem, quam in quo brabeum illud obtinendum proponitur. Priore ſenſu *Ignatius* in epiſt. ad Philippenſes ait: *Princeps hujus mundi gaudet, cum quis crucem negarit: cognoſcit enim, crucis confeſſionem ſuum ipſius eſſe exitium.* Lege ſimilia apud *Andr. Schottum* in Adagialibus Sacris pag. 132.

Verſ. 19. ὧν τὸ τέλος ἡ ἀπώλεια] Æterna illa pernicies in eos κατ' ἐξοχὴν cadit, qui in cruce Chriſti fiduciam ſalutis non collocant. Quicquid enim cetera agant, aut moliantur, ſententia illa premuntur, quæ legitur *Actor.* IV. 12. Phraſin ipſam cum Hebraica סופו לשחת & סופו לעולם הבא comparat *Schætgenius* in Horis Hebraicis pag. 801.

ὧν

*ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία* ] Fuiſſe inter Chriſtianos, ſive doctores, ſive diſcipulos, qui ventri ſtuderent, & de rebus obſcœnis, ſpurcis & turpibus gloriarentur, ex h. l. intelligitur. Hos ipſos notari oſtendit B. *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 456. De phraſi ipſa lege Patrum locos apud *Svicerum* Tomo I. pag. 1370. & II. pag. 801. item apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 712. Similiter Græciæ & Latii Scriptores *ventris* nomine voluptates, quibus ſtudetur, appellant. *Cicero* in Piſonem *abdominis voluptates* appellat. *Plutarchus* *περὶ τύχης* de Laſthene & Eurycrate: *τῇ γαστρὶ μετροῦντες, καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν*, qui locus huc apprime quadrat. *Alexis* in Ἀσωτοδιδασκάλῳ, *γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον, Αὐτὴ πατήρ σοι, καὶ πάλιν μήτηρ μόνη.* Locos hos iisque ſimiles habes apud *Alex. Morum* in Notis pag. 174. *Athenæum* hoc genus hominum *κοιλιοδαίμονας* vocare obſervavit *Jo. Alberti* pag. 380. quos *Julianus* Orat. VI. pag. 198. *εἰς βίον αἰδοίοις καὶ γαστρὶ δουλεύοντα πεσεῖν* dicat. Inprimis vero huc pertinet *Euripidis* illud in Cyclope v. 335. ſq.

Ὡς τοὐμπιεῖν γε καὶ φαγεῖν τοὐφ' ἡμέραν
Ζεὺς οὗτος ἀνθρώποισι τοῖσι σώφροσι.

*Adeo bibere & edere in dies, is demum eſt Jupiter hominibus prudentibus.* Vide locum integrum fuſius recitatum à B. *Jo. Henr. Majo* in Obſervatt. Sacris lib. I. p. 35. ſq. cui Paulus ad eum reſpexiſſe videtur, neſcio quam recte. Cl. *Trillerus* in notis ad h. l. MSS. & hunc *Euripidis* locum affert, & *Æliani* alterum Hiſt. X. 9. Philoxenum *λίχνον καὶ γαστρὸς ἥττονα* appellantis. Confer ad *Rom.* XVI. 18. *οἱ γὰρ τοιοῦτοι τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ οὐ δουλεύουσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ.* Hinc æſtimare licet, quam temere *Amelius* Parte I. der Erörterung, pag. 23. in B. Lutheri verſionem, tanquam *ſine fundamento & mentis acie* conformatam animadverterit, ita verba reddenda potius cenſens: die den Leib ihrer Mutter für einen Gott halten. Si ingluviem *ventris* hic voluiſſet Apoſtolus, *γαστέρα* dicturum fuiſſe cauſatur. Ita ne vero *γαστὴρ* non itidem de *utero* matris adhibetur? Vide v. c. *Matth.* I. 18. 23. XXIV. 19. Itane Paulus *Rom.* XVI. 18. *τὴν ἑαυτῶν κοιλίαν* dicere non potuit? Et quid jubet de *matrum* utero cogitare, ubi *κοιλία* hominibus, de quibus ſermo eſt, ita tribuitur, ut ipſi inſtar dei ſervire dicantur? Scilicet *γαστὴρ* & *κοιλία* ſunt *ἰσοδύναμα*. Athenæus *γάστρωνα* & *κοιλιοδαίμονα* conjungit. Omitto alia, quæ dici poterant, cum hac opera perfunctum eſſe videam M. *Fiſcherum* in *Examine* laboris hujus menſtrui p. 84. & H. C. *Engelckenium* in der Sabbaths-Luſt, p. 322. itemque *Wokenium* l. c. noviſſime autem *Jo. Henr. à Seelen* in Bibliotheca Lubecenſi Tom. IX. p. 66. ſqq. ubi Judæos vel cum *Hammondo* Gnoſticos h. l. ſpeciatim intelligi poſſe aut debere rectiſſime inficiatur.

*καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν* ] Afferam quæ eruditiſſimus D. W. *Trillerus* in notis MSS. mecum communicavit: *Μέγα φρονοῦσιν ἐπὶ τῇ αἰσχύνῃ*, inquit, *παραφράζει* hunc locum *Baſilius* p. 222. Ceterum ſcite in hunc ſenſum *Seneca* ep. CXXIII. *Nolunt ſolita peccare, quibus peccandi præmium in-*

*famia*

*famia eſt.* Sic de Trione ſcribit *Tacitus* Annal. lib. II. 28. avidum fuiſſe famæ malæ, & lib. XI. cap. 26. de Meſſalina pariter narrat, eam *nomen matrimonii cum Filio, vivo adhuc marito Claudio, concupiviſſe, ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos noviſſima voluptas.* De *Polemone* denique narrat *Valer. Max.* lib. VI. cap. de mutatione morum, quod fuerit perditæ luxuriæ adoleſcens neque illecebris ejus tantum ſed ipſa *infamia gaudens*, h. e. μέγα φρονῶν ἐπὶ τῇ αἰσχύνῃ. Vide *Lipſium* ad poſtremum Taciti locum & *Berneggerum* in Obſervatt. Miſcellan. XIII. pag. 88. ubi Lipſium exſcripſit. Senſus verborum eſt, hos homines ea agere, quæ ab aliis turpia habeantur, imo quæ in dedecus, ignominiam & pudorem eorum vergant. Poſterius expreſſit *Beza*, quando vertit: *quorum eſt gloria cum confuſione eorum.* Sic *Selneccerus: gloria eorum eſt ad confuſionem.* *Feſſelius* nonnihil aliter: *in quibus oportebat eos pudore ſuffundi, in his ſe efferunt.* Ita *Polybius* pag. 989. eo amentiæ ait veniſſe Philippum, ὡς ἐφ' οἷς ἔχρην αἰσχύνεσθαι καθ' ὑπερβολὴν, ἐπὶ τούτοις, ὡς καλοῖς, σεμνύνεσθαι, καὶ μεγαλαυχεῖν. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 558. Mireris, alios τὴν αἰσχύνην de *pudendis* accipere potuiſſe. Sed non nova eſt hæc interpretatio, quæ ipſi *Ambroſio* placuerit. Exponit enim: *gloriantes in pudendis circumciſis.* Ex recentioribus id ſe probavit *Warlitzio* in diſquiſitione de modeſtia Scripturæ in rebus verecundis pag. 29. gratis ad *Apocal.* III. 18. provocanti, & *Amelio* l. c. pag. 24. cui gloriatio de *circumciſione præputii* innui videtur. Hæc vero expoſitio ut illi prioris phraſeos innititur, ita una cum ea labi neceſſe eſt. Vide, quæ præter citatos contra eam dixit M. *Chriſtoph. Wolle* in diſſertat. de uſu & abuſu Euphemiſmi ſacri pag. 25. Compara tamen & *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 802.

οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες ] Oppoſiti hi ſunt illis, de quibus *Antoninus* VII. 47. ἀποκαθαίρουσι γὰρ αἱ τούτων φαντασίαι τὸν χαμαὶ βίον, *iſtiusmodi enim cogitationes vitæ hujus terreſtris ſordes expurgant.* Lege ibi *Gataker.* pag. 278.

Verſ. 20. 21. Ημῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, κ. τ. λ. ] Vide B. *Chriſtiani Kortholdi* diſp. de gloria corporum beatorum Kilon. 1680. & B. *Jo. Georg. Neumanni* de fidelium μετασχηματισμῷ Witteb. 1700. *Jo. Canuti Lenæi* ſchediaſma in obitum Simonis Benedicti Arbogienſis, Upſal. 1649. 4to. *Chriſtoph. Cellarii* Diſſert. Academ. p. 731. *Amelii* Erörterung, Tom. II. pag. 810. & *Norriſii* diſſertationes Practicas, anglice editas, n. VI. In rationes vocis πολίτευμα curate inquiſiviſſe video *Raphelium* in Annotatt. Polybian. pag. 559. Oſtendit enim, eam à *Polybio* quidem nunc pro civitate, ſive incolis urbis alicujus, poni; nunc pro Republica, ſive forma regiminis; nunc pro integris gentibus ſive nationibus, quæ, ſocietate inita, in unum quaſi reipublicæ corpus coaluerint. De poſtremo hoc momento vide eum lib. III. p. 375. & l. II. 174. Atque hinc potiſſimum notionem τοῦ πολιτεύματος h. l. æſtimari vult *Raphelius*, inprimis, ſi attendatur, quod, qui ita communi

muni republica uterentur, eodemque imperio, licet locis diverſi, regerentur, ab eodem *Polybio* dicuntur πολιτεύεσθαι & συμπολιτεύεσθαι, v. c. p. 199. & 1432. *Sumus enim*, inquit, *ex his terris non cives, ſed peregrini, hoſpites & advenæ, in cœlis autem noſtra eſt civitas. Civitas, inquam. Hoc enim nomine & apud Latinos non tantum incolarum ſocietas, uno oppido aut urbe collecta, ſed & gentes, ſeu nationes integræ appellantur, quæ iisdem legibus vivunt, & unum Reipubl. corpus, diſperſæ licet & diſtinctis locis habitantes, conſtituunt. —— Quorumcunque ſanctorum civitas eſt in cœlis; hic autem alienæ ſunt civitatis, inter ſe vero ſunt* συμπολῖται *Epheſ.* II. 19. Lutherum ait in Poſtilla Epiſtol. Domin. III. poſt Paſcha optime vertiſſe Bürgerſchafft. Οὐρανοπολῖται ſumus, ſicut Socrates ſe κοσμοπολίτην vocabat. Ad hanc verſionem accedit *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. II. pag. 134. *Eraſmus Schmidius*, vertens *municipium*, & *Beza*: *nos autem ut municipes cœlorum nos gerimus.* Nec aliter *Jo. Clericus*: *mais pour nous la Republique, dont nous ſommes citoyens, eſt dans le Ciel;* & *Beauſobrius*: *Mais pour nous, nous ſommes citoyens du Ciel.* Confer *Herm. Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 978. & *Wokenium* l. c. pag. 178. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. mavult: unſer Bürger-Recht iſt himmliſcher Art. In primis verſionis Lutheri editionibus hinc inde legi Bürgerſchafft, obſervat *Raithius* in Vindiciis ejus Anti-Pontificiis pag. 543. eademque opera monet, alteram illam *converſatio*, quam *Vulg.* etiam habet, i. e. Wandel, tanquam ad *captum legentis faciliorem* & accommodatiorem τῷ μακαρίτῃ viſam, in omnibus exemplaribus, inde ab an. 1545. excuſis, legi. Nec inconcinna illa eſt, modo vi vocis ipſius reſpectus ſimul habeatur ad civitatem cœleſtem, cujus qui hic ſunt participes, eos legibus & præmiis civitatis illius convenienter vitam agere neceſſe eſt. Ita *Juſtinus Martyr* ad Diognetum: ἐπὶ γῆς διατρίβουσιν, ἀλλ᾽ ἐν οὐρανῷ πολιτεύονται. *M. Antoninus* X. 1. θεοῖς ait συμπολιτεύεσθαι, ad quem locum vide *Gatakerum* pag. 352. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 712. *Heraclitus* olim in ad Amphidamantem epiſtola: πολιτεύσομαι οὐκ ἐν ἀνθρώποις, ἀλλ᾽ ἐν θεοῖς, quem locum Paulus *Sculteto* ſpectaſſe viſus eſt. *Philo* p. 33. τῷ μεγίστῳ καὶ τελειοτάτῳ πολιτεύματι ἐγγραφέντας, *in jus civitatis maximæ perfectiſſimæque adſcriptos* appellat, quod obſervatum eſt *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 121. Deſcribam hic, quæ B. *Albertus Ehlers* ad h. l. manu ſua annotavit pro ſignificatu *converſationis*, voci πολίτευμα vindicando. Πολίτευμα, πολιτεύω & πολιτεύομαι, inquit, *de perſonis privatis uſurpatum ſignificat*: in republica verſor, & ejus legibus ac inſtitutis vivo; *πολιτεία & πολίτευμα eſt etiam* inſtitutum & vitæ ratio. *Ut proinde ſenſus ſit vitæ noſtræ, & nos gerendi, ſive converſationis noſtræ ratio eſt cœleſtis: cœleſtia cogitamus, quærimus, & curamus ea, quæ ad cœlum ducunt: cœleſtibus legibus regimur, ut fere* Grotius *loquitur ad h. l.* Syrus *utitur hic ea voce, quæ* exercitium & operationem *infert. Sic &* Arabs; *cujus dictio in Bibliis Polyglottis per* converſationem *vertitur.* Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 802. ita παραφράζει: *Nos vero, qui Chriſtiani ſumus, aliam longe ſublimiorem politiam ſequi-*

*ſequimur, cæleſtem ſcilicet illam, quæ per terrenam præfigurata erat.* Πολιτεύματ☉ *autem,* ita pergit, *vocabulum id denotare, quod volumus, nimirum converſationem hominis, ſive Judæi in V. T. ſive Chriſtiani in regno gratiæ oſtendit Joſephus Antiquitt.* III. 5. 8. τόν τε τρόπον καθ᾽ ὃν εὐδαιμονήσουσι πολιτευόμενοι, λέγων αὐτῷ κατὰ ταύτας ὑποθέσθαι τὰς ἡμέρας. Et iterum IV. 2. 1. Videri præterea vult diſſertat. ſuam de Hieroſolyma cœleſti. Πολίτευμα itaque de *converſatione noſtra in rebus cæleſtibus cum Chriſto accipit, ex qua recipiamus Jeſum Chriſtum Servatorem noſtrum.* Denique vix opus eſt, ut moneam, pro γὰρ *Vulgatum*, & *Syrum* hic legiſſe δὲ, vel ſaltem, ac ſi ita legiſſet, vertiſſe. Quod ad ſenſum, nihil admodum intereſt.

ἐξ ὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα ] Solœca nonnullis hæc phraſis viſa eſt, qui ſcilicet ob antecedens proxime ἐν τοῖς ὀυρανοῖς ſcribendum putabant ἐξ ὧν. Enimvero τὸ, ἐξ ὗ à voce πολιτεύματ☉ ſeu *civitate cæleſti* pendet, & ſimul oſtendit, eam rectiſſime per *civitatem* converti. Ex ea autem jure quaſi quodam ſuo ex privilegiis & promiſſis à Deo clementer datis cives exſpectant Dominum ſuum, corpora ad cœleſtem gloriam excitaturum. Cl. *J. C. Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 122. alia quoque ratione ſtructuræ vocum conſuli poſſe putat, ſi nempe τὸ ἐξ ὗ de *tempore* accipiatur, quemadmodum *Xenophon* in Conviv. dixerit, ἐκ τούτου, *poſtea.* Sententia foret: *Nos cives ſumus cæleſtes, etiam ex eo ipſo tempore, quo Dominum Jeſum Chriſtum exſpectamus.* Impeditiora hæc mihi videntur, quod pace viri eruditiſſimi dixerim, nec ideo admittenda, quod τὸ καὶ non ad ἐξ ὗ, ſed ad verbum ἀπεκδεχόμεθα referri debet. Mens Pauli eſt, fideles non ſolum civitatis cœleſtis jam in terris eſſe participes, ſed *etiam* in eam aliquando per Dominum & Salvatorem ſuum certiſſime transferendos.

Verſ. 21. Ὃς μετασχηματίσει, κ. τ. λ. ] Legendus hic fuerit *Guil. Saldenus* in Otiis pag. 182. Rectiſſime *Theodoretus* in h. l. Τὸ δὲ μετασχηματίσει, οὐκ ἐπὶ τῆς μεταποιήσεως τοῦ σχήματ☉ τέθεικεν, ἀλλ᾽ ἐπὶ τῆς ἀπαλλαγῆς τῆς φθορᾶς. *Illud autem* reformavit, *non poſuit pro mutatione figuræ, ſed pro liberatione ab interitu.* Ubi tamen tenendum eſt, eas ſimul corporis qualitates ſubinnui, quæ cum ἀφθαρσίᾳ ſunt conjunctæ. Similes aliorum Patrum expoſitiones lege apud *Svicerum* Tom. II. pag. 363. Contra Socinianos, hoc loco abutentes, lege Rev. *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini pag. 622. ſq.

τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν ] i. e. τὸ σῶμα ἡμῶν ταπεινὸν, *corpus noſtrum humile,* vile, abjectum. *Chryſoſt.* in h. l. ὅτι τεταπείνωται νῦν, ὅτι τῇ φθορᾷ ἐστιν ὑπεύθυνον, τῇ ἀλγηδόνι, ὅτι δοκεῖ εὐτελὲς εἶναι, καὶ οὐδὲν τῶν λοιπῶν ἔχειν τι πλέον. De illa notione vocis ταπείνωσις inſpice *Wokenii* Pietatem Criticam Parte I. p. 62. ſq. Nolim cum Cl. *Schœtgenio* in Horis Hebraicis p. 803. τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως per ipſam ταπείνωσιν, & τὸ σῶμα τῆς δόξης

per δόξαν interpretari, *quia Chriſtus infirmitatem noſtram & egeſtatem non corporis ſolum, ſed &, quod præcipuum eſt, animæ poſt mortem & reſurrectionem ita ſit transformaturus, ut, quemadmodum humanitas ipſius ſplendore divinitatis exornata eſt, ſic & nos ἐν ἰδίῳ tamen τάγματι, ipſi ſimiles futuri ſimus.* Malim equidem τὸ σῶμα non pleonaſticum habere; ſed ſuo ſignificatui relinquere, cum Paulus etiam alias, v. c. 1 *Cor.* XV. 36. ſqq. glorioſam corporum mutationem graviter urgeat. Neque vero video, quomodo anima dici poſſit μετασχηματίζεσθαι, quamvis negari non poſſit, vires & facultates longe fore illuſtriores. Paulus hic corporis ut transformandi, & ad ſublimiorem conditionem perducendi, ideo meminiſſe videtur, ut hoc magis Philippenſes ſibi caverent, ne τῇ κοιλίᾳ ſerviant, & δόξαν ἐν τῇ αἰσχύνῃ quærant.

εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ] Omittunt hæc pauci aliquot codices, nec minus Patres nonnulli, Græci & Latini, hoc dicto utentes. Pro interpretamento itaque marginali habet *Millius* in Prolegomenis §. 922. & eo audacior recens editor N. T. Græco-Anglicani ex contextu prorſus omiſit. Si Paulus ſcripſiſſet, ὃς ποιήσει, videri poterat hæc conjectura admittenda. Jam vero ſcripſit μετασχηματίσει. Hoc autem verbum vel ſimpliciter ponitur, vel, ubi altera, in quam res tranſit, forma aut qualitas indicatur, particulam εἰς requirit, aut eam dicendi rationem, quæ hic exſtat. Græce non dixeris: μετασχηματίσει σῶμα σύμμορφον, ſed μετασχηματίσει σῶμα εἰς συμμορφίαν, aut μετασχηματίσει, εἰς τὸ γενέσθαι. Ita *Philo* de mundo: κατὰ δὲ ἀναίρεσιν τῆς ἐπεχούσης ποιότητος, ὁ μετασχηματιζόμενος, ἵνα μηδὲ ἑτεροειδῆ τινα τύπον παράσχοι μορφῆς. *Peremtivus autem qualitatis modus eſt, cum ita ſit habitus immutatio, ut ne diverſa quidem forma faciem quandam præbeat.*

# CAPUT IV.

VErſ. 1. χαρὰ καὶ στέφανός μου] Paulus Philippenſes *gaudium* & *coronam* ſuam appellat, tanquam qui & *oblectamento*, & *decori* ſibi ſint, de quibus *gaudere* & *gloriari* poſſit. Hinc *Theſſalonicenſes* 2 epiſt. II. 1. χαρὰν & στέφανον καυχήσεως vocat. Conſtat alioquin, coronas olim lætitiæ inſigne fuiſſe, & in ſacris quoque hoc nomine adhibitas, quod illa ſolenniter lætoque & erecto animo celebrari debuerint. Confer *Cornel. Adami* Exercitationes Exegeticas pag. 308. Sacerdotes ſpeciatim, ſacra facturos, apud paganos, coronis fuiſſe ornatos, veterum monimenta teſtantur. Vide Rev. *Deylingii* Obſervationes Sacras Parte III. pag. 121. Paulus is erat, qui Judæos & gentiles tanquam victimas offerebat DEO (vide ſupra ad II. 17.) atque ipſæ illæ victimæ caput ejus ornabant.

οὕτω

*ἥτω ϛήκετε ἐν Κυρίῳ*] *ita ſtate*, ſeu perſiſtite, *in Domino*. Τὸ ἥτω non eſt *otioſum*, cujusmodi videri nonnullis poterat, ſicut viſum eſt aliis apud *Johan*. IV. 6. ubi vide, quæ diximus. Sed vel probam & laudabilem Philippenſium conditionem reſpicit, quam adhuc probaverant, quamque inpoſterum probare debebant; vel ad antecedentem Pauli delineationem, ipſis exhibitam, oculos refert. Malim fere prius, quod etiam *Eraſmus Schmidius* in verſione ſua exprimit: *ſic*, ut cœpiſtis, *ſtate in Domino*.

*ἀγαπητοὶ*] repetita vox affectus Pauli indicium eſt, quaſi diceret: *vos, inquam, dilecti mei*.

Verſ. 2. *Εὐωδίαν παρακαλῶ καὶ Συντύχην*] *Εὐωδίας* nomen editt. quædam & MSS. *Εὐοδίαν* per *ο* exprimunt. Utraque ſcriptio tueri ſe poteſt, pro diverſa origine, quam vox ipſa admittit. Si enim ex *εὐώδης*, *boni odoris*, repetas, prior tenenda eſt; ſin ex *ὁδὸς* via, unde *εὔοδος*, *proſper*, poſterior locum habebit. Quod ſi ex *εὔοδος* repetieris *Εὐοδίαν*, *Euhodian*, ut Latini quidam & *Eraſm. Schmidius* habent, major erit inter hoc & ſequens *Συντυχης* nomen, quod itidem *felicitatem* infert, convenientia. Alii mutata terminatione *Εὔοδον* vel *Εὐωδὸν*, vel *Εὐόδιον*, *Evodium*, ut *Notkerus* habet apud *Caniſium* Tom. VI. appellant, quam in rem lege *Coteleriu*m ad Dorotheum & *Halloixium* T. I. pag. 398. De *Syntyche*, Pauli diſcipula, lege, ſis, Acta Sanctorum Antverpienſia Tomo IV. Julii pag. 225. ſqq. Fœminarum hæc nomina eſſe patet ex verſ. 3. *συλλαμβάνου αὐταῖς*.

*τὸ αὐτὸ φρονεῖν*] Videntur illæ itaque diſſenſiſſe, fortaſſe etiam de illo doctrinæ capite, de quo ante diſſeruerat Apoſtolus.

Verſ. 3. *Καὶ ἐρωτῶ καὶ σε*] Codices non pauci, & ad eorum exemplum Patres nonnulli, legunt *ναὶ*, quod & verſiones quædam, ut *Lutheri* noſtra, per *ſic* exprimunt. Inter eas *Millius* etiam *Vulgatam* numerat. Cum vero illa habeat *etiam*, non *imo*, dubium eſt, utram *καὶ* an *ναὶ* expreſſerit. Præferendum mihi videtur *καὶ*, ideo quod illud verbum *ἐρωτῶ* cum antecedente *παρακαλῶ* connectat, *τὸ ναὶ* vero ante verbum ejusmodi alia occaſione uſurpari videatur, ceu ex locis N. T. variis conſtabit. Nec offendere quenquam poteſt repetitio particulæ *καὶ*, quæ poſteriori loco hic emphaſin habet, & idem eſt, quod, *inprimis*.

*σύζυγε γνήσιε*] Vide *Matth. Blochii* Diſputat. de *συζύγῳ* Paulino, Hafniæ 1709. Per hunc *σύζυγον* alii *conjugem* Pauli, alii *collegam* ejus in opere Domini, alii denique aliquem, cui nomen fuerit *Σύζυγος*, intelligi volunt. Lege *Pet. Zornii* Opuſcula Sacra Tom. II. pag. 704. ſqq. *Conjugem* intelligi cupit *Clemens Alexandrinus*, Stromat. II. pag. 448. fortaſſe primus, cujus verbis utitur *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. III. 30. *καὶ ὅγε Παῦλος οὐκ ὀκνεῖ ἔν τινι ἐπιϛολῇ τὴν αὐτοῦ προσαγορεῦσαι σύζυγον, ἣν οὐ περιεκόμιζε διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐϛαλές.*

λἰς. *Paulus quoque in quadam epiſtola ſuam ipſius conjugem compellare non veretur. Quam tamen ideo ſecum minime circumduxit; ut expeditius miniſterium ſuum obiret.* Hoc *Clementis* exemplum effecit, ut *Jo. Erneſtus Grabe* in notis ad Tom. I. Spicilegii Patrum Sec. II. pag. 230. cum in ipſo opere pag. 25. de Epiſcopo, ſive eximio Eccleſiæ Philippenſis membro, accepiſſet, idem ſentire cœperit, & *Eraſmum* laudatosque ab eo veteres, quibus ipſe *Iſidorum* lib. IV. ep. 112. addit, ad h. l. conſuli juſſerit. Præter *Grabium* D. *Chriſtian Gottlieb Kochius* in ſingulari diatriba de Pauli conjugio, Flensburgi an. 1707. edita & Rev. *Jo. Reinhard. Rus* in Harmonia Evangelica Tom. I. pag. 580. σύζυγον eadem ratione eſt interpretatus. At *Kochio* ſpeciatim ſe oppoſuit *Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib. II. pag. 332. & nuper admodum in Programmate Gœttingæ an. 1732. Sept. publicato. Adde *Elſnerum* pag. 255. Nec calculum hæc ſententia meretur, quæ primum ex eo nata videtur, quod vox σύζυγος frequenter maritum vel conjugem inferat. At eadem *ſocium* quoque ſignificat. Teſtis eſt *Ariſtophanis* locus, jam ab aliis allatus, in Pluto v. 946.

Ἐὰν δὲ σύζυγον λάβω τινά.

Nec quadraret, quod *Elſnerus* recte monet, adjectum γνήσιε. Indicaret enim *uxorem legitimam*, non *meretricem*, ſicut Semiramidem, ante meretricem, deinde uxoris legitimæ loco à Nino habitam, γνησίαν ἀπαγορευθεῖσαν γυναῖκα *Diodorus Sic.* lib. II. pag. 207. appellat. Quæ enim compellatio: *legitima mea uxor?* Nonne etiam ſequeretur, Paulum plures habuiſſe uxores, à quibus hanc ut γνησίαν diſtingueret? Num etiam credibile eſt, Pauli conjugem, ſiquidem eo ſaltem tempore talem habuiſſet, Philippis potius, quam Romæ fuiſſe, marito opitulaturam? Huic denique expoſitioni inprimis obeſt 1 *Cor.* VII. 7. Propulſari quidem hoc argumentum ex parte poterat, ſi epiſtola hæc ante illam ad *Corinthios* ſcripta eſſe exiſtimetur. Sic enim cogitari poterat, Pauli uxorem, cum ad Corinthios ſcriberet, mortuam fuiſſe. Ita ſuſpicatus eſt Cl. *Oederus* in Programmate ſingulari, quo oſtendere conatur, has ad Philippenſes literas Corinthi ante illam ad Corinthios ſcriptam eſſe. Sed fruſtra eum hactenus fuiſſe, ſupra evictum puto & paulo poſt amplius evincam.

Itaque præſtat altera ſententia, de *collega* ſeu ſocio miniſterii Evangelici, ſive illum de Epiſcopo Eccleſiæ Epheſinæ, aut alio ejus doctore principe, ſive de *Epaphrodito*, quod pleriſque placere video, interpreteris. Hic enim epiſtolam hanc Philippenſibus erat allaturus, nec inepte hæc ad illum cohortatio, forte præſenti etiam facta, ipſi epiſtolæ inſeritur, tanquam ad auctoritatem illi apud legentes conciliandam accommodata. Hunc ſane συνεργὸν ſuum & συστρατιώτην appellat II. 25. Conſtat vero etiam, Paulum eos γνησίυς appellare ſolere, qui ingenue & recte docendi munus obeant. Vide 1 *Timoth.* I. 3. & *Tit.* I. 4. Denique σύζυγον hic *collegam* denotare οἱ λοιποὶ συνεργοὶ, qui in calce commatis appellantur, credere jubent.

*Barna-*

*Barnabam* vel *Silam* intelligit *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. cui altera illa de conjuge Pauli ſententia ex 1 *Cor.* VII. 7. *ridicula* videtur.

Pro nomine viri proprio Σύζυγος haberi poterat cum *Oecumenio*, ſi nominis hujus exemplum in veterum monimentis exſtaret, quod fruſtra adhuc quæſivi. Nec fraudi eſſe poteſt, quod adjectivum γνήσιος additur. Conſtat enim, id alias fieri in ejusmodi nominibus, etiam *adjectivis*, quæ *ſubſtantivi* notionem induunt.

αἵτινες ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι] Suppetias itaque Paulo tuliſſe videntur in aliis doctrina Evangelica imbuendis, niſi forte præterea cuidam vitæ periculo religionis cauſa ſubjectæ fuerint. *Priſcillam* Apoſtolus συνεργὸν αὐτῷ vocat *Rom.* XVI. 3. confer *Tit.* II. 4. de πρεσβύτισι.

μετὰ καὶ Κλήμεντος] De *Clemente*, qui Romanæ Eccleſiæ poſtea præfuerit, accipit *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. III. 4. 15. Veri autem ſimilius eſt, talem hic *Clementem* intelligi, qui *Philippis* verbi Evangelici præconem egerit, quod de altero illo nusquam memini doceri.

ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς] Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 689.

Verſ. 4.-8. Χαίρετε ἐν Κυρίῳ, κ. τ. λ.] Pericopen epiſtolicam anniverſariam hæc conſtituunt, atque hoc nomine illuſtrantur à *Jo. Henr. Urſino* in Meletematibus lib. II. pag. 282. ſqq. & à *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 28. ſeq.

Ad gaudium in Domino perpetuum repetita vice Apoſtolus excitat in ipſorum credentium commodum, & veram animæ ſalutem, non autem ideo, quod, ſicut Judæi tradunt, Schechina non quieſcat ſuper homines triſtes & melancholicos, ſed ſuper lætos & alacres. Vide *Scheidium* in Biblioth. Lubecenſi Tom. II. pag. 215.

πάντοτε] abeſt ab *Æthiope*, ideoque *Millio* in Prolegomenis inſititium videtur, temere & inconvenienter. Ex ipſa admonitionis repetitione patet, continuum hujus rei ſtudium ab Apoſtolo commendari. Paulo poſt v. 6. preces fieri Apoſtolus vult ἐν παντὶ, cur non hic ad gaudium πάντοτε fovendum excitaret?

Verſ. 5. Τὸ ἐπιεικὲς ὑμῶν γνωσθήτω πᾶσιν ἀνθρώποις] Illuſtrat hæc *Alethaus* in der Erläuterung Tom. I. pag. 329. ſeq. & B. *Albertus Feldenius* in Decade Obſervationum ex Patribus Apoſtolicis pag. 11. ſq. Τὸ ἐπιεικὲς *æquitatem* ſeu *moderationem* infert. Lutherus vertit: Lindigkeit. *Zeltnerus* mavult Gutwilligkeit, die nicht alles ſo genau nimmt. Paulus alias ἐπιείκειαν vocat 2 *Corinth.* X. 1. ubi vide quæ ſcripſimus. Vox forenſis potiſſimum eſt, & opponitur τῷ ἀκριβοδικαίῳ ſeu *ſummi juris ſtudio*. Ita *Ariſtoteles* lib. V. Ethic. Nicomach. cap. 10. ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττικώτατος, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθὸν, ἐπιεικής ἐστιν καὶ ἕξις αὕτη ἐπιείκεια. Confer *Heumanni* Pœcilen Tom. I. pag. 344.

ὁ Κύριος ἐγγὺς] Malim hæc accipere de Domini noſtri præſentia ea, cujus vi non ſolum omnia perſpecta habet, ſed & cuique, inprimis injuriis alio-

rum

eſt, ſemper, ubi preces ad Deum perferantur, gratias eidem agi, laudesque Summi Numinis prædicari debere. Hoc ipſum vero inculcat Epheſ. V. 20. εὐχαριςοῦντες πάντοτε, & 1 *Theſſ.* V. 18. ἐν παντὶ εὐχαριςεῖτε.

Verſ. 7. καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ —— φρουρήσει] Pax cum Deo hic innuitur, de qua lege Patrum loca apud *Svicerum* Tom. I. pag. 1033. Τὸ καὶ hic eſt conſecutivum. Latine dixeris: *ſic*, *ita fiet*, *ut* &c. Ita v. 9. καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔςαι μεθ' ὑμῶν. B. *Gothofredus Wegnerus* comma hoc ſingulari diſputat. de Pace Dei inſcripta illuſtravit. Lipſ. 1694. item B. *Jo. Henr. Feuſtkingius* in alia, *de cuſtodia mentis & voluntatis* Wittenbergæ 1711. 4.

Verſ. 8. 9. Τὸ λοιπὸν, ἀδελφοὶ, κ. τ. λ.] Utrique commati lucem affundit *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tomo II. pag. 314-318. & *Jo. Philip. Treunerus* in diſquiſit. de laude Chriſtiana Eiſenbergæ 1700.

ὅσα ἐςὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, κ. τ. λ.] Conf. Cl. *Langii* Specimen Obſervatt. Philologic. in N. T. ex Luciano p. 33. De interpretatione vocum ſingularum germana inter *Malletum* & *Arnaldum*, verſionis Gallicæ Montenſis auctorem, diſputatum eſt, quam in rem legenda eſt *Arnaldi* Defenſio nova illius verſionis pag. 145-166.

ὅσα ἁγνὰ] Nonnullæ verſiones reddunt, *quæcunque ſancta*, quaſi legerint ἅγια. Ita enim *Vulgatus*. B. *Lutherus* inhæſit textui Græco, vertens: was keuſch, immerito propterea notatus à Pontificiis, *Emſero*, *Zangero* & *Dietenbergero*, contra quos vide, ſodes, *Raithii* Vindicias verſionis Germanicæ pag. 543. Similiter *Eraſmus* in verſione Latina, quam Leo X. probavit, *pura*, ſeu, *caſta*.

ὅσα εὔφημα] *quæcunque boni nominis*. Lutherus, & ſenſui & voci ipſi convenientiſſime: was wohl lautet. Ευφήμους λόγους ποιεῖν, *multa benigna referre*, dicit *Polybius* pag. 1303. v. *Raphel.* pag. 564.

εἴ τις ἔπαινος] Simile monitum exſtat in *Pirke Aboth* cap. II. 1. obſervatum à *Schœtgenio* l. c. pag. 804.

Verſ. 9. Α καὶ ἐμάθετε] Vide *Langium* l. c. pag. 34.

καὶ παρελάβετε] Vide Vol. II. pag. 489.

Verſ. 10. Εχάρην δὲ ἐν Κυρίῳ μεγάλως] Vox μεγάλως in N. T. ſemel occurrens, apud *Herodotum* frequens eſt. Vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 550. Ita lib. I. pag. 2. ἐτίμησαν μεγάλως.

ὅτι ἤδη ποτὲ] *jam tandem*. Sic *Arrian*. de Expedit. I. 7, 2. ut ſeſe à gravi Macedonum imperio jam tandem, ἤδη ποτε aſſererent; obſervante *Raphelio*. *Chryſoſtomus*: τὸ ἤδη ποτὲ χρόνον δηλοῦντός ἐςι μακρὸν, *illud* tandem aliquando *longum tempus indicantis eſt*. Interim τὸ ἤδη etiam tempus vix præterlapſum infert. Vide *Hombergium* pag. 308.

*ἀνεθάλετε τὸ ὑπὲρ ἐμȣ φρονεῖν* ] *reviruiſtis in veſtra pro me cura.* Helleniſtica vox viſa eſt nonnullis, quæ duplici modo accipiatur, nunc quidem abſolute, atque, ut loquuntur Arabes, ſignificatione intranſitiva, per *revireſcere:* nunc cum effectu, ſive tranſitione, quod eſt, efficere, ut aliquis iterum floreat, & vireſcat. Hæc poſtquam recitavit *Salmaſius* in Dedicat. libri de Lingua Helleniſtica pag. 47. ſubjungit p. 48. *Nec ad Helleniſtas aut Hebræorum conjugationes refugiendum, ut talis attribuatur verbo ἀναθάλλει notio. Paſſim Græcis id ſollemne, ut unum verbum duas habeat ſignificationes; agentis in ſe abſolute, & actionem in alterum transmoventis. Hinc καθίζειν* ſedere *eſt, &* aliquem in ſede conſtituere. *Sic βασιλεύειν pro* regnare, *&*, facere, ut aliquis regnet, *vel regem conſtituere.* Mihi quidem videtur *τὸ ἀναθάλλειν* intranſitive pro *revireſcere* h. l. commode accipi poſſe, modo ante *τὸ ὑπὲρ ἐμȣ φρονεῖν* intelligatur præpoſitio *κατὰ*, quam frequenter alias etiam omitti oſtendi Vol. II. harum Curarum pag. 131. 284. 430. & 469. Ita interpretatus eſt h. l. *Chryſoſtomus*, quando *τὸ ἀνεθάλετε* dici ait *ἐπὶ φυτῶν βλαστησάντων, εἶτα ξηρανθέντων, καὶ αὖθις ἀναθαλλέντων.* Sic Etymolog. M. *ἀναθηκλήσει, ἀναβλαστήσει.*

*ἐφ᾽ ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε* ] *qua de re tamen ſoliciti eratis*, ut *Beza* recte vertit, *τὸ καὶ* pro *μέντοι* accipiens, in eo tamen falſus, quod ad Hebraiſmum ubi ו pro adverſativa ponatur, ut *Eccleſ.* IX. 16. hoc omne refert, cum *Herodotus* lib. V. pag. 372. eodem ſenſu dicat: *οἱ δέ τινες αὐτέων καὶ κατέμειναν, ἀρρωδήσαντες - αὐτȣ, nonnulli eorum illic præ metu remanſerunt.* Vide Rev. *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 551. Optime Lutherus: wiewohl ihr allewege geſorget habet. De phraſi *ἐφ᾽ ᾧ* dictum eſt ad cap. III. 12.

Verſ. 11. *Οὐχ ὅτι καθ᾽ ὑστέρησιν λέγω* ] *Henr. Stephanus*, ceu *Curcellæo* obſervatum eſt, legendum conjecit *καθυστέρησα*, invitis codicibus & verſionibus omnibus, nec idonea cauſa adductus. Senſus enim commodus ex recepta lectione naſcitur: *non quidem propter penuriam hoc dico*, vel, *non quod dicam, quaſi inopia laborem.* Ita *2 Cor.* VIII. 8. *ȣ̓ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω, ἀλλὰ διὰ τῆς ἑτέρων σπουδῆς.* Hæc vero *τȣ̃ κατὰ* notio etiam eſt apud externos Scriptores, ut nempe cauſam *impulſivam* indicet. Locos ex *Arriano, Polybio* & *Herodoto* attulit *Raphelius* in Annotationibus ex his Scriptoribus petitis pag. 565. & 552. Ita *Arrianus* de expedit. Alex. VII. 21. 11. *ὅσοι ὑπὸ γήρως ἢ κατὰ πήρωσιν ἀπόλεμοι ἦσαν.* *Polybius* pag. 1083. *ȣ̓ μόνον κατὰ προαίρεσιν καὶ κατ᾽ εὔνοιαν Σικελιῶται πάντες εὐδόκησαν σφῶν αὐτῶν ἡγεμόνα εἶναι.* *Herodotus* lib. VI. init. *εἴρετο Ἀρταφέρνης, κατὰ τοῖόν τι δοκέει Ἴωνας ἀπεστάναι.* *Interrogabat Artaphernes propter quid putaret Jonas defeciſſe? Hombergius* itaque pag. 309. cauſam non habuit, cur poſt *ὅτι* parentheſin inveheret cum commate 16. claudendam, ut ſic Paulus v. 17. per epanalepſin reaſſumere exiſtimetur ſermonem his verbis: *ȣ̓χ ὅτι ἐπιζητῶ.* Hoc poſito hæc Paulum ait dicere: *pro penuria mea, in qua ſum, loquor, non quaſi requiram dona.* Enimvero vir doctus hoc modo germa-

num

num ſenſum penitus amittit, quem à priore interpretatione abeſſe fruſtra opinatur. Scilicet in penuria omnino fuerat Apoſtolus ante, quam ſymbolam, à Philippenſibus miſſam, accepiſſet: propter eam tamen negat ſe ita ſcribere, quod tantopere gaviſus ſit in Domino de eorum memoria ſui & beneficentia. Poſſe enim adeo paucis eſſe contentum, ut & famem patienter perferat. Niſi ita verba Pauli accipiamus, nulla reddi ratio poteſt, cur Apoſtolus in ſequentibus *αὐτάρκειαν* ſuam fuſius ediſſerat. Patet etiam, Paulum non tam de ipſo munere gaviſum eſſe, quam de animo, ſtudio & benevolentia, in ſe, & ipſam doctrinam Evangelicam, ob quam hæc perpetiebatur, probatis. Hinc ait ſe gaviſum eſſe *in Domino*, tanquam cujus cauſa hic agatur, & cui iſte Philippenſium animus acceptus ſit ferendus. Compara, quæ contra *Hombergium* rectiſſime dixit *Elsnerus* pag. 256.

*ἐν οἷς εἰμι*] *in quibus ſum*, ſeu, quacunque fortuna utar. Subintellige *χρήμασι* vel *κτήμασι*, quod monuit *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 204. & de Ellipſi Gr. L. pag. 63. qui eandem loquendi rationem veterum locis firmat. Tales vero attulerunt etiam *Raphelius* in *Polybianis* pag. 566. & *Elsnerus* pag. 256.

Verſ. 12. 13. *Οἶδα δὲ ταπεινοῦσθαι κ. τ. λ.*] Refer huc *Rob. Gelli* Reliquias anglice editas Tom. II. pag. 319 - 328. Primis commatis 12. verbis ſimilia ſunt, quæ de Socrate teſtata reliquit M. *Antoninus* lib. I. §. 16. fin. *ὅτι καὶ ἀπέχεσθαι καὶ ἀπολαύειν ἐδύνατο τούτων, ὧν πολλοὶ πρός τε τὰς ἀποχὰς ἀσθενῶς καὶ πρὸς τὰς ἀπολαύσεις ἐνδοτικῶς ἔχουσι, quod & abſtinere & frui rebus eis norat, quibus plerique nec per infirmitatem abſtinere, nec frui citra intemperantiam poſſunt.* *Ταπεινοῦσθαι* pro *inopem eſſe* dici, obſervat *Raphelius* ex *Arriano* lib. III. cap. 26.

*ἐν παντὶ καὶ ἐν πᾶσι*] *ἐν παντὶ* ſcilicet *χρόνῳ* vel *τόπῳ*, *ubique*, & *ἐν πᾶσι*, ſcil. *χρήμασι*, *in omnibus rebus*, vel negotiis.

*μεμύημαι*] i. e. *πεπείραμαι*, *expertus didici*, ut verbum hoc interpretatur *Heſychius* forte ad h. l. reſpiciens. *Theodoretus* & *Theophylactus πεῖραν ἔλαβον*, eodem ſenſu. Conf. *Svicerum* Tom. II. pag. 380. Sunt, qui Apoſtolum hoc verbo, quod Græci pagani de iis adhibere ſolent, qui myſteriis v. c. Eleuſiniis initiabantur, ideo uſum eſſe cenſent, quod variæ illis quidem moleſtiæ erant ſuperandæ. Vide huc B. *Ol arium* ad Matthæum p. 161. *Amelium* Tom. II. der Erörterung pag. 793. &, qui idem eſt, *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 469.

Verſ. 13. *Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ*] Poſtrema vox abeſt à Codicibus aliquot, atque hoc nomine *Millio* in Prolegomenis ſuſpecta eſt. Cum vero nullius ante facta ſit mentio, cui robur illud acceptum ferri poſſit, non video, quomodo *νοθείας* ſuſpicio in gratiam paucorum illorum codicum admitti poſſit. Conſtat, Imperatores Chriſtianos clypeis militaribus Chriſti nomen

per *βραχυγραφίαν* inſcribere conſueviſſe. Vide *Jac. Lydii* Syntagma de re militari pag. 73. qui morem illum huc accommodat, quod per Chriſtum, cujus, tanquam imperatoris noſtri, nomen clypeo fidei inſculptum circumferamus, omnia efficere, & calamitates quaſcunque fortiter perferre valeamus. Argumentum ipſum illuſtrat *Jo. Nic. Hartſchmidius* in diſput. de perfectione fidelium, Argentorati 1705. & 1709. edita.

Verſ. 14. Πλὴν] *Attamen.* Hæc enim vocis interdum eſt ſignificatio, cujus exempla habes apud *Elſnerum* pag. 257. Talem affert ex *Matth.* XVIII. 7. & *Ariſtophane* in Pluto verſ. 199. *πλὴν ἓν μόνον δέδοικα, unum tamen metuo.*

*καλῶς ἐποιήσατε συγκοινωνήσαντες*] elegantem hanc Græce loquendi formulam idem veterum locis munitam dedit pag. 257. Ita *Æſchines* Socraticus Dialog. II. cap. 12. *καλῶς δὲ καὶ σὺ ποιεῖς παραινῶν.*

Verſ. 15. *οὐδεμία μοὶ Εκκλησία ἐκοινώνησεν εἰς λόγον δόσεως καὶ λήψεως*] *nulla mibi Eccleſia communicavit in rationes dati & accepti. Camerarius* ad h. l. hæc ita accipit, ut Paulus dicat, *ſolos Philippenſes tum ſibi aliquid contuliſſe: quod ipſi nimirum expenſum tulerunt Apoſtolo, Paulus eis retulit acceptum.* Probat hæc *Mericus Caſaubonus* in calce diatribes de verborum uſu, quæ recuſa eſt una cum Iſaaci Caſauboni Epiſtolis edit. Almeloveenianæ pag. 156. b. Bene mihi phraſin illuſtrare videtur *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 804. ex Hebraica illa: על דבר משא ומתן *Phraſis*, inquit, *illa* משא ומתן *alias equidem de commercio inter mercatores accipitur, ſed etiam de commercio in genere adhibetur.* משא *eſt à radice* נשא *tulit, & exprimitur hic voce λήψεως, nimirum quod à Coloſſenſibus Paulus quædam ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria acceperit.* מתן *vero eſt à* נתן *dedit, unde hic vox δόσεως adhibetur. Quamvis autem alias vox λόγου & Hebr.* דבר *abundet, & latine verti non poſſit, hic tamen Paulus eam adhibet in ſignificatione rationis hoc ſenſu:* Nemo tales rationes, quales vos, accepti ſcilicet & expenſi, mecum duxit. *Porro, quamvis Paulus ſolus ſit, qui acceperit, Philippenſibus vero nihil ipſe reddiderit, benedictio tamen divina, loco Pauli, rationes optime duxit. Et ſic expone verſ.* 17. Fortaſſe tamen Paulus reſpicit ad beneficia ſpiritualia, quæ Philippenſes à ſe olim acceperint, & nunc accipiant, pro quibus viciſſim ad ſe de facultatibus ipſorum nonnihil redundarit. Ita liquidiores videntur tabulæ ſeu rationes dati & accepti. Confer 1 *Corinth.* IX. 11. *Ει ἡμεῖς ὑμῖν τὰ πνευματικὰ ἐσπείραμεν, μέγα, εἰ ἡμεῖς ὑμῶν τὰ σαρκικὰ θερίσομεν;*

Verſ. 16. *Οτι καὶ ἐν Θεσσαλονίκῃ καὶ ἅπαξ καὶ δὶς*] Prius *καὶ* à Codd. nonnullis abeſt, tanquam ſuperfluum. Præter rem. Ita enim *Herodotus* lib. II. pag. 151. *καὶ δὶς καὶ τρὶς ἀνοίξαντι, iterum ac tertio aperienti* & alias. Vide *Raphelium* in Herodoteis pag. 552. Nec omitte *Polybianas* p. 567. ubi *τὸ καὶ aut* ſignificare poſſe oſtendit ad exemplum *Polybii* p. 284. *ἐπὶ δυοῖν καὶ τρισὶν ἡμέραις, ad duos treſve dies.* Cum autem ſic Pauli animus

dubius

dubius de re ipſa videri poſſet, malim priori ſenſu accipere. Latini dicerent: *ſemel atque iterum*; vel *ſemel, imo bis.*

Verſ. 17. Ἀλλ' ἐπιζητῶ τὸν καρπὸν τὸν πλεονάζοντα εἰς λόγον ὑμῶν] *Sed requiro fructum exuberantem in rationes veſtras.* i. e. Jucundum mihi eſt, quod beneficentia veſtra, à DEO aliquando, tanquam δεκτὴ θυσία, largiter compenſanda, ampliſſimos fructus vobis ſit allatura. Conf. 2 *Corinth.* IX. 8. ſq.

Verſ. 18. Ἀπέχω δὲ πάντα] Hæc ita accipiunt Interpretes, quaſi omnia à Philippenſibus miſſa, recte accepiſſe dicat Apoſtolus, idque ceu ἀποχῇ quadam teſtatum faciat. Cum vero idem jam ante ſcripſerit Apoſtolus, & in hoc ipſo commate diſerte ſignificet, δεξάμενος παρὰ Ἐπαφροδίτου, nec fides Epaphroditi apocha ejusmodi indiguerit, rectius agunt, qui cum *Vulg.* & B. *Luthero* noſtro convertunt: *habeo vero omnia;* hoc quidem ſenſu: *ſufficit mihi*, quod accepi: nihil eſt, quod requiram amplius. Id ſcilicet optime reſpondet antecedenti: οὐχ ὅτι ἐπιζητῶ τὸ δόμα. Amoliri enim à ſe Apoſtolus volebat ſuſpicionem, quaſi hac gratiarum actione Philippenſes ad plus dandum invitare vellet. Hunc ſenſum requirunt proxima verba, περισσεύω & πεπλήρωμαι, quæ idem dicunt. Cumulat autem Apoſtolus verba, ut de αὐταρκείᾳ ſua rectius conſtet. Ita denique loquitur *Arrianus* Epictet. III. 24. pag. 372. τὸ γὰρ εὐδαιμονοῦν ἀπέχειν δεῖ πάντα, ἃ θέλει, πεπληρωμένῳ τινὶ ἐοικέναι. *Id enim, quod beatum eſt, habere oportet omnia, quæ vult, & expleto alicui ſimile eſſe.* Locum hunc commode obſervavit Rev. *Raphelius* in Polybianis p. 568. Ita Paulus ad Philemonem verſ. 18. αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς. Huc etiam pertinet illud *Marci* XIV. 41. ἀπέχει, *ſufficit.* Non poſſum mihi temperare, quo minus adſcribam, quæ in eandem ſententiam *Gatakerus* ad M. Antonini IV. §. 49. pag. 178. b. diſſerit. Cum enim ille IV. 49. ſcripſiſſet: ἡ φύσις ἡ τοῦ ἀνθρώπου ἀπέχει τὰ ἴδια, & IX. 42. ἀπέχει τὸ ἴδιον & XI. 1. Ἐγὼ ἀπέχω τὰ ἐμὰ, *Gatakerus* addit: *phraſis eſt emphatica, qua non tantum ſuum, quod eſt aſſecutus quiſpiam, indicatur, ſed ita id omne, quod ſuum ducit, plenum & integrum aſſecutus, ut in eo plene acquieſcat, nec quicquam amplius requirat, utpote quum illud ſibi ſufficere exiſtimet.* Pluribus poſtea in hanc cauſam allatis p. 179. *Dunæum* laudat, qui tria hæc Apoſtoli, ἀπέχω πάντα, καὶ περισσεύω, πεπλήρωμαι idem declarare ajat. *Nam*, ita Dunæus, ἀπέχω πάντα, *non eſt*; accepi omnia quæ miſiſtis: *eſſet enim* ταυτολογία, *quod ſubjungitur:* δεξάμενος παρ' Ἐπαφροδίτου τὰ παρ' ὑμῶν· *ſed ſignificat his verbis, ſibi abunde eſſe ſatisfactum.* Habeo, *inquit, jam* omnia, *quæ velim, nihil amplius deſidero, ſatis ſuperque eſt.* Ita *Pindarus* Iſthm. 5. μὴ μάτευε Ζεὺς γενέσθαι, πάντ' ἔχεις. Adde eundem *Gatakerum* ad lib. X. 1. p. 351. & *Suicerum* Tom. I. p. 434.

παρὰ Ἐπαφροδίτου] Deſunt in *Alex.* ideoque ex II. 25. huc traducta videntur *Millio*, cujus ſuſpicionis cauſam nondum, tanquam idoneam, perſpicio.



Digitized by Google

*ὀσμὴν εὐωδίας*] Hebraice dixeris: ריח ניחוח quomodo ſacrificia Deo placentia appellantur. Ita in *Jalkuth Rubeni* fol. 30. 2. & 114. 2. triplex odor Noachi ad Deum dicitur adſcendiſſe, nempe *odor ſacrificii*, *precum & operum ejus*. Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 805. ad h. l. & infra ad *Hebr*. XIII. 16.

*θυσίαν δεκτὴν*] eleemoſyna cur hoc nomine appelletur, oſtendunt Patres apud *Suicerum* Tom. I. pag. 1426.

Verſ. 21. *ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ ἀδελφοί*] Non exſtant hæc in *Copto* Wilkinſiano, quod *Millius* annotare neglexit.

Verſ. 22. *μάλιστα δὲ οἱ ἐκ Καίσαρος οἰκίας*] *Οἰκία* pro amplo, quo venit, ſignificatu, vel *familiam*, vel *aulam* Neronis Imperatoris denotare poteſt, ut ſic vel *domeſtici*, aut aulici, vel *cognati* ejus indicentur. *Polybius* quidem frequenter poſteriore ſenſu vocem adhibet, v. c. pag. 190. *ἀδικία εἰς τὴν Μακεδόνων οἰκίαν*, *injuria regibus Macedonum illata*. Plures locos affert *Raphelius* pag. 569. Fuerunt, qui inter hos *Senecam*, cujus epiſtolæ ad Paulum datæ circumferuntur, numerandum cenſerent, repugnantibus jure merito pluribus. Rectius eo referes pincernam Neronis & pellicem quandam ejus, ſi vera ſunt, quæ *Theodorus Metochita* p. 81. docet illis doctrinæ Chriſtianæ capita à Paulo tradita fuiſſe, obſervante *Cornel. Adami* in Exercitat. p. 490. Lege alia apud *Thom. Crenium* Parte X. Animadverſionum c. III. p. 243. ſq. *Jac. Nyloe* in Luce Scripturæ belgice edita p. 175. ſq. & *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus p. 212. Ceterum recte hinc confeceris, *licere* etiam *in aula bene vivere*, *ἔστιν ἄρα καὶ εὖ ζῆν ἐν αὐλῇ*, quod M. *Antoninus* ait V. 16. ubi *Gatakerum* lege. *Dorotheus* quidem non Imperatorem, ſed aliquem, *Cæſaris* nomine, ut proprio, gaviſum, hic intelligit. Lege tu contra cum *Wolfburgium* in Obſervat. Sacris pag. 302.

Verſ. 23. *μετὰ πάντων ὑμῶν*] Codices aliquot legunt: *μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν*. Et ſic quoque *Vulg. Copt. Æthiops*. Id rectius viſum eſt *Millio* in Prolegomenis, dignumque habuit recens editor N. T. Græco-Anglicani, quod in contextum reciperet. Utraque valedicendi formula Paulus uti conſuevit, prior tamen ipſi frequentior eſt, & vel ideo, ut cetera taceam, non deſerenda. Ceterum *Coptus* Wilkinſianus addit in fine commatis hujus, *fratres mei*.

*Πρὸς Φιλιππησίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης δι' Ἐπαφροδίτου*] Recte epiſtolam Romæ ſcriptam dici inter ceteros affirmat *Salmaſius* in Apparatu ad librum de Primatu Papæ p. 41. De Cl. *Oedero*, qui fidem illi omnem abjudicandam nuper cenſuit, in Prolegomenis actum eſt & oſtenſum, cum præter rem ſcriptionem epiſtolæ Romæ factam in dubium vocare. Hoc loco inquiremus in exceptiones, quas argumentis communioris ſententiæ opponendas cenſuit. Primum quidem epiſtolam hanc in vinculis ſcriptam eſſe, omnibus adhuc fuit perſuaſum. Ex eo tamen poſito recte negat conſequi, *Romæ* ſcri-

ptam

ptam eſſe, cum Paulus 2 *Cor.* XI. 23. ſe περισσοτέρως ἐν φυλακαῖς fuiſſe teſtetur. Largior hoc. Negat vero præterea, *in vinculis* ſcriptam eſſe, primum ideo, quod Paulus ſe non vocet δέσμιον, quod facit in limine epiſtolarum ad *Epheſios*, *Philemonem* & *Timoth*. Reſpondeo, parum intereſſe, ſive δέσμιον ſe ſimpliciter appellet, ſive phraſibus, idem inferentibus, utatur. Sed & hoc inficiatur. Quorum enim c. I. 7. 13. 14. 16. vinculorum fit mentio, illis Apoſtolum tum temporis liberatum potius quam vinctum aut captivum ſe ſiſtere exiſtimat. Hoc fine v. 7. ait *vincula, & defenſionem*, & *confirmationem Evangelii, ut res diſtinctas narrari*, atque adeo inferri, *injecta quidem per tumultum Apoſtolo vincula ſed paulo poſt, fortaſſe, quod ſe civem Romanum profiteretur, demta, ipſumque ad cauſam dicendam admiſſum, porro pios ſubita liberatione Apoſtoli, in profitenda fide Chriſtiana lætiores & alacriores factos.* Vir doctus hic præter rationem ſeparat, quæ, ut dictio Apoſtoli, ita res ipſa conjungit. Vincula apologiæ faciunt occaſionem, apologia vero, recte & ſolide facta, confirmandæ Evangelicæ doctrinæ inſervit, neutra vero in tantum opus eſt, ſi quis vinculis illis ſit liberatus: tunc enim impacto crimine liber & abſolutus cenſetur. Quod ſi itaque Paulus tunc à vinculis liber fuiſſe cenſeri debet, nec apologiam commemorare potuit, qua defungatur in confirmationem veritatis. Paulus vinctus erat Hieroſolymis, in illis vero ad ἀπολογίαν admittebatur, qua defungitur Act. XX. 1. Conf. *Act.* XXV. 16. & 2 *Tim.* IV. 16. Quæ de vinculis *injectis* quidem, ſed paulo poſt *demtis*, affert, ea conjecturæ quidem locum tuentur, ſed ad oppugnandum contrarium non ſufficiunt, multo minus probant, Apoſtolum omni apologia jam defunctum; minime denique omnium efficiunt, ut βεβαίωσιν Evangelii non tam ad Apoſtolum, illud maſcule tuentem, quam ad Chriſtianos, ſubita, quæ ſupponitur, liberatione lætiores factos, referri debere credamus. Præterea verba comm. 7. διὰ τὸ ἔχειν με ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμᾶς ita exponit, ut Philippenſes *ipſius Pauli curam geſſiſſe cenſeantur, in vinculis* ſcilicet & *defenſione veritatis*. Itaque neceſſe eſt, ut in illis adhuc hæreret, cum illud munus ad ipſum perferretur. Quando porro v. 13. *vincula hæc nota facta eſſe dicuntur in toto prætorio & apud ceteros omnes*, eo hæc interpretatur, quod *injuſſu magiſtratus à tumultuante plebe ſit nexus, deinde vero ſolutus quidem ſed cognitus magiſtratibus ceteriſque civibus in Achaja Romanis fuerit. Quid enim attinuiſſet*, inquit, *hæc ſcribere, ſi juſſu Magiſtratus vinctus cuſtodiaque detentus fuiſſet? Nam ſciri à Judicibus, quos vinculis nectendos ipſi curaſſent, haud oportet dici.* Conſtat omnino, in prætoriis ſeu foris ita rem agi, ut diverſis perſonis diverſa cauſarum genera cognoſcenda committantur. Nonne igitur fieri poteſt, ut is, qui hujus vel illius magiſtratus juſſu captivus ducitur, ceteris ſit ignotus, quibus deinde, cauſa perorata, innoteſcat? Taceo Paulum non tantum de Judicibus huic rei conſtitutis, ſed de Optimatibus ceteris, imo & *ceteris omnibus* urbis, in qua verſabatur, civibus loqui. His vero ignotus omnino eſſe ante poterat, quam cauſa publice diceretur, etiamſi publica unius alteriusve auctoritate fuiſſet vinctus. Præterea & illud tenendum eſt,

ſub

ſub *vinculis*, quæ innotuerunt, eorum quoque rationem, totamque adeo cauſam indicari, quod Interpretes recte monuerunt. Jam vero cognitus aliquis eſſe aliis poteſt, qui publice in carcerem ducitur, ut tamen obſcura maneat & cuſtodiæ cauſa, & cauſæ ipſius conditio, quæ, inſtituto examine demum innoteſcit. Itaque nihil cauſæ video, cur Paulum à tumultuante plebe vinctum quidem, ſed paulo poſt ſolutum, ex phraſi Paulina judicemus. Quod ſi ponamus, de cuſtodia Romana ſermonem eſſe, ad eam quidem ea, quæ hic dicuntur, optime quadrant. Paulus aliunde captivus ductus erat Romam, nec vel ipſis Judicibus ante cognitus, quam centurio eum vinctum tradidiſſet. Nonne itaque tum demum & illis, & aliis innoteſcebat, cum cauſam ſuam diceret?

Pergit vir doctus ad v. 14. vocesque *πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μȣ luculenter* ait *docere, pios fiduciam inde cepiſſe, quod injecta Paulo vincula tam cito demi oportuiſſet.* Aliam quidem video *fiduciæ* hujus rationem, quam ſcilicet ipſe Paulus v. 12. ediſſerit, quod ſcilicet viderent, ipſa etiam vincula Apoſtoli *εἰς προκοπὴν τȣ͂ Ευαγγελίȣ ἐληλυθέναι, in incrementum Evangelii ceſſiſſe*, quandoquidem Paulo veritatem libere profiteri liceret, & alios hactenus alienos vel in ſocietatem fidei pertraheret, vel ſaltem à præconceptis & ſiniſtris opinionibus avocaret. Hæc fiducia efficiebat, ut ceteri, ejusdem fidei participes, veritatem tanto majori ſtudio profiterentur, intelligentes, vel ſic Deum cauſæ ſuæ adeſſe, nec veritatem æque, ac Paulum, compedibus conſtringi poſſe.

Comma 16. videri poterat ſufficere, ut Paulus, hæc ſcribens, in vinculis adhuc fuiſſe crederetur. Confirmat enim, eos, qui non ſincere, ſed ex contentione Chriſtum prædicent, id ideo facere, quod putent, ſe *τοῖς δεσμοῖς θλίψιν ἐπιφέρειν, vinculis ejus adflictionem addere.* Manifeſtum enim eſt, id adeſſe debere, cui aliquid *ſuperadditur.* Sed etiam hic invenire ſibi videtur *Oederus*, quæ in rem ſuam convertat. *Denique* verſ. 16. inquit, *cum narrat Apoſtolus, malevolos quosdam prædicare quidem Chriſtum, ſed inſincere, eo conſilio, ut, orta contentione, magiſtratus permoverentur, pœnis irrogatis contentioſos homines coërcere, quo ipſo Paulum quoque punitum iri, &c, quod vinculis injectis parum proſpere ſucceſſiſſet, effici hac ratione poſſe ſperarant; non hoc vult, ſe adhuc geſtare vincula, ſed iis, quæ tuliſſet, minime ſatiatos adverſarios alio modo damnum machinari.* Retuliſſe hæc ſuffecerit, cum per ſe oſtendant, quibus fidiculis opus ſit ad ea extorquenda, quæ cauſæ ſemel ſuſceptæ inſervire poſſint. Perſuadet ſibi vir doctus, adverſarios Pauli, h. e. Judæos incredulos, quos vincula ipſi olim injeciſſe ſtatuit, tandem ipſos Chriſtum prædicaſſe, ut turbas excitarent, & hoc modo vindictam Magiſtratus in litigantes, ſimulque ipſum Paulum, converterent. Hoccine vero credibile eſt? Nonne potius in aprico poſitum eſt, de iis hic loqui Apoſtolum, qui invidiæ & contentionis ipſi pleni (*διὰ φθόνον καὶ ἔριν*) Paulo etiam in vinculis

lis omnium ora in ſe convertenti, infenſi erant, atque adeo operam dabant, ut perverſa quadam, atque ea inprimis ratione Evangelium docerent, qua favorem & gratiam aliorum præ Paulo aucupari poſſent? Id vero, ſi quid aliud, Paulo grave & moleſtum eſſe debebat. Vellem interim, Cl. *Oederus* oculos convertiſſet in v. 17. οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης, εἰδότες, ὅτι εἰς ἀπολογίαν τοῦ εὐαγγελίου κεῖμαι. Ait Apoſtolus, nonnullos ex amore Chriſtum prædicare, vicem ſcilicet ſuam miſerantes, quem videant, *in defenſionem Evangelii poſitum eſſe.* Τὸ κεῖσθαι emphaticum merito viſum eſt *Piſcatori* ad h. l. & tale, quo ſe *in vinculis jacere* Apoſtolus profiteatur. Id ſane ex hac phraſi conficere me poſſe exiſtimo, quod Paulus, hæc ſcribens, apologiæ pro veritate adhuc fuerit obnoxius, atque ideo à vinculis nondum liberatus; quam quidem calamitatem cordati fidei ſocii παῤῥησίᾳ ſua ſolari, quemadmodum alii infucata & prava doctrina augere, inſtituerint.

Progreditur Cl. *Oeder.* ad alterum patronorum ſententiæ communis præſidium, quod in *Prætorio*, quod v. 13. commemoratur, poſitum eſt. Ajunt illi, per *Prætorium* regiam Cæſaris Romanam intelligi. Probari hoc idoneis veterum locis poſſe negat, ex quo factum putat, ut alii de *caſtris Prætorianorum* id acceperint. Quod ut ipſe rectum putat, ita ex aliis obſervat, Proconſulum, eorumque, qui pro prætore miſſi erant, quin & Procuratorum habitationes in provinciis prætoria vulgo dictas eſſe; atque hinc tandem conficit, rem hanc, ad quam Paulus reſpiciat, in provincia accidiſſe, & per *Prætorium Proconſulis domum* intelligi. Omittam nunc quidem, ne longior ſim, hanc diſputationem, & largiar, rem hic narratam in provincia accidere potuiſſe; interim *vere* accidiſſe non magis inde collegerit quisquam, quam ullus alius ex ſola *Prætorii* illius mentione probare adhuc inſtituit, non alibi, quam *Romæ*, hæc agi potuiſſe. Itaque par hactenus erit diſſentientium ratio, nec Cl. *Oederus* de provincia, quam ſtatuit, tantum non certiſſimus eſſe poteſt.

Idem ſtatuendum eſt de illis, quæ tertio receptæ ſententiæ argumento opponit. Petitur illud ab iis, qui οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας IV. 22. vocantur, quorumque nomine Philippenſes ſalutantur. Obvertitur hic, Cæſares quoque *familias* ſeu *domus* in provinciis, neque hos ſolum ſed & alios lautioris fortunæ cives Romanos in poſſeſſionibus ſuis Aſiaticis, Africanis, aliisque familiam aluiſſe. Non diſputabo nunc, quid proprie per οἰκίαν τοῦ Καίσαρος ſit intelligendum, de quo ſupra actum eſt. Largiar potius & hoc, cum ex his itidem nihil aliud conſequatur, quam agi hæc, ſi cetera reſpondeant, in provincia potuiſſe. Interim contraria ſententia præ hac ponderis multum habet, cum Romæ quidem *Cæſaris domum*, ſeu *familiam* quærere magis in promtu ſit, quam in provincia, v. c. *Achaja.*

His præſtructis tandem exponit *Oederus*, ubi ſcilicet & quo tempore hæc omnia acta ſint, ipſaque adeo Apoſtoli epiſtola exarata ſibi videatur.

De *Corintho* ſcilicet in *Achaja* cogitat, ubi teſte Luca Act. XVIII. 12. poſt commorationem ſeſquiannuam male habitus ſit Paulus. *Huc fuerat*, inquit, *non ita multo ante Philippis delatus Apoſtolus. Hic potuit vinculis ad breve tempus onerari à tumultuantibus Judæis: nam vinctum eſſe, cum, narrante Luca, ad Gallionis tribunal actus eſt à Judæis, vix poteſt dubitari. Hic à Gallione, viro maxime populari, & qui abegit Judæos à tribunali ita, ut Paulum legum Romanarum violatarum reum ne ſuſpicaretur quidem, & defenſionem crederet ſupervacaneam, facile hactenus defenſus eſt, ut per Judæos vivere & in urbe eſſe liceret, adverſariis autem Evangelii ſpe ſua dejectis, boni audentiores fierent. Huc facile è vicina provincia Macedoniæ ſubmitti poterant beneficia, multis ultro citroque commeantibus. Huc venerat è Macedonia cum Sila Timotheus, qui adeo ſcribenti Apoſtolo epiſtolam præſto fuit. Act. XVIII. 5. Hic Paulus non ſine periculo, Judæis, quantum poterant, machinantibus, bonæ tamen ſpei pleniſſimus, ἡμέρας ἱκανὰς h. e. aliquandiu poſt illam σύῤῥαξιν permanſit. Actor. XVIII.* 18. *Hic denique & prætorium fuit Proconſulis Gallionis &c. Hic in Prætorio vincula, quæ Paulo per injuriam injecta fuerant, cognita & improbata ſunt. Hic Cæſaris fuit ſine dubio domus, procurante vel Mella, vel ipſo Gallione, vel alio quocunque res Neronis. Hic* προκοπὴν *habuerunt* τὰ κατὰ Παῦλον *Pauli negotia. Nam ut ne repetam, quæ jam dicta ſunt, Criſpus Archiſynagogus cum aliis multis acceſſit ad fidem Chriſtianam. Actor. XVIII.* 8. *Quæ cum ita ſint, Corinthi ſcriptam eſſe, multo ante captivitatem Romanam, epiſtolam ad Philippenſes, in aprico arbitror poſitum.*

Luſtrabimus hos temporis locique characteres cum bona Auctoris venia. Apoſtolus Corinthi nunquam fuit *in vinculis*. Lucas Act. XVIII. illorum non meminit. Ibi per tumultum non exſpectatum agitabantur omnia, & Paulus ad Proconſulem rapiebatur. Hoc ſine vinculis fieri omnino potuit, eo magis, quod Apoſtolus, cauſæ ſuæ non diffiſus, duci ſe facile paſſus eſt. Ponamus vero, vincula illi injecta fuiſſe ad breve tempus h. e. dum Gallioni ſiſteretur, hæccine ita comparata erant, ut Paulus illorum tam frequenter & efficaciter mentionem faciendam cenſere potuerit, quam in hac epiſtola fieri videmus? Nec *apologia*, quam vinculis jungit Paulus I. 7. tum temporis functus eſt apud Gallionem, ab ipſo prohibitus. S. Lucas XVIII. 14. diſerte ait: *μέλλοντ☉ τȢ Παύλȣ ἀνοίγειν τὸ ϛόμα εἶπεν ὁ Γαλλίων.* Itaque interpellavit dicere inſtituentem. Judæi accuſaverant Paulum: alioquin enim ſcire non potuiſſet Gallio, cujus criminis reum ipſum agerent, nec profiteri potuiſſet, non agi de *injuria* aliqua aut *facinore*, cujus cognitio ad ſe pertineret. Itaque auctoritatem ſuam adeo interponere recuſabat, ut potius Judæos, non amplius auditos, à tribunali arcendos curaret. Ludit vir doctus vocibus, quando, ut *ἀπολογίαν* exſculpat, Paulum ait *hactenus facile eſſe defenſum.* Facile quisque intelligit, Paulum loqui de defenſione, quam ipſe ſuſceperit, non de ea, quam ab alio ſit expertus. Imo nec Gallio Paulum defendit, ſed potius Judæorum poteſtati reli-

reliquit. Cum enim intelligeret de doctrina agi, ad legem Judaicam ſpectante, quam, ceu ad λογομαχίαν pertinentem, ſatis elevat, Paulum Judæorum arbitrio permittit, dicens: ὑμεῖς ὄψεσθε· κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι. Unde nec video, quomodo Paulus à vinculis, ſiquidem à tumultuantibus Judæis in ea fuerat conjectus, liberari potuerit. Gallio ſane Pſeudo Politicum cum maxime agebat, totius cauſæ nullam habens rationem, ſed utramque partem adunco naſo ſuſpendens, tantum abeſt, ut Paulum ab injuria defenderit. Qui de hoc dubitaverit, expendat περικείμενα, & comparet B. *Dannhaueri* diſputationem de Gallioniſmo in Diſputationibus ejus Theologicis p. 175. ſqq. recuſam. Hæc enim tota ad narrationem Lucæ illuſtrandam refertur. Nec indigebat in tantum Paulus Gallionis ope. Ἕλληνες enim, h. e. Gentiles, vel ex Corinthiis converſi, vel adhuc Gentiles, ſed rei indignitate permoti, Apoſtoli cauſam ita agebant, ut Soſthenem, Archiſynagogum, qui præcipuus harum turbarum auctor extitiſſe videtur, male mulctarent & verberibus depexum darent, præſente etiam & permittente, quod Lucas v. 17. diſerte memorat, Gallione. *Submitti huc*, fateor, *ex Macedonia vicina beneficia* facilius *poterant*, quam in Italiam. Sed fieri tamen idem, quamvis difficilius, poterat *Romam*, non quidem *per ultro citroque commeantes*, ſed per *Epaphroditum*, quem Philippenſes huic negotio deſtinaverant, unde & Ἀπόστολος legatus eorum ad Paulum vocatur II. 25. Timotheus aderat quidem Paulo tunc temporis, ſed præſens etiam Romæ eſſe potuit, de quo ſupra diximus. Paulus, his actis, Corinthi ἡμέρας ἱκανὰς commoratus eſt. Juſtum temporis intervallum definire non licet. Menſem tamen unum confeciſſe vix crediderim. Ita autem non video, quomodo Epaphroditus Apoſtolum Corinthi vidiſſe credi poſſit. Ille enim gravi lethalique morbo erat correptus; de hoc nuncii perlati erant ad Philippenſes, qui per literas dolorem ſuum & ægritudinem erant teſtati; interim convaluerat; Paulus denique ſibi reſtitutum cum literis ad Philippenſes dimittebat. Hæccine intra intervallum illud ἡμερῶν ἱκανῶν agi potuiſſe credideris? Et nihilominus tamen Paulus Corinthi hanc epiſtolam ſcripſiſſe creditur! Ponam Gallionis Proconſulis βῆμα *prætorii* nomine hic appellari, num vincula ejus *Prætorio toti & ceteris omnibus* cognita & improbata fuiſſe dici poſſunt? Gallio nec vidit vincula, quæ Paulum tunc non geſſiſſe oſtendi, nec cauſam cognoſcere voluit, cur Paulus tam male haberetur, nec, ut mitius haberetur, providit, ſed omnem cauſæ curam penitus abjecit. Credine poteſt, Paulum ejusque res ad Optimatum aliorum notitiam hac occaſione perveniſſe, Paulum, qui annum integrum & dimidium jam Corinthi non in obſcuro, ſed in copioſa, quam ſpargebat, Evangelii luce, erat verſatus? Neceſſe eſt, eum jam ante magis cognitum fuiſſe, quam fiebat tunc, cum Gallio adeo negligentem ſe præſtaret. Fuerit denique domus Cæſaris Corinthi, à neſcio quo, adminiſtrata: fruatur hac conjectura ſua Cl. *Oederus*. Quamdiu non negaverit, Romæ talem inprimis fuiſſe, cauſam ſuam parum ornaverit. Sufficiant hæc, ut appareat, characteres loci & temporis, à Viro

docto hic expreſſos, ex parte prorſus non cadere in *Corinthum*, & ea inprimis quæ Act. XVIII. ut cum Paulo acta narrantur; ex parte vero ita cadere, ut non conficiant, Apoſtolum *ibi*, & *eo*, quod definitum eſt, *tempore* epiſtolam hanc ſcripſiſſe. Ad oppugnandam hanc ſententiam addere hoc denique liceat. Si Paulus epiſtolam hanc Corinthi ſcripſit, qui fit, ut præter ea, quæ hic ſtatuuntur, nullum prorſus illius urbis, in qua tam diu & tam feliciter res ſuas egerat Apoſtolus, veſtigium exſtet? Qui fit, ut *Criſpi*, Archiſynagogi, ad Chriſtum converſi, aut aliorum ibi degentium nomine Philippenſes non ſalutet? Aliter ſane egit Paulus in calce epiſtolæ ad Romanos, quam *Corinthi* ſcriptam eſſe ſubſcriptio teſtatur, quod & plerique omnes exiſtimant.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Quæ introductionis loco, moneri hic poterant, ea tam copioſe & diligenter, ut alios taceam, perſecutus eſt *Sal. van Till* in *Iſagoge* commentario in hanc epiſtolam Latino pag. 318.-328. præmiſſa, ut ad eam ablegaſſe Lectorem ſuffecerit. Summa cjus hæc eſt. Primum topographicam regionis, nempe *Phrygiæ Pacatianæ*, ad quam *Coloſſarum* urbs ſpectat, deſcriptionem ſiſtit. Deinde Phrygum ſtatum Politicum, ingenium & mores, idololatriam item Coloſſenſium & Phrygum Auſtralium Chriſtianiſmum ediſſerit. Porro Scriptores hujus epiſtolæ, locum item ubi, & tempus, quo ſcripta eſt, una cum tabellariis epiſtolæ, anſa ſcribendi, ſcopo item & argumento epiſtolæ, ac denique Analyſi exhibet. Conferri cum his poſſunt *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 80. & 81. *Cavius* in vita Pauli Sect. VII. n. 4. & *Fabricius* noſter in Bibliothec. Græca lib. IV. cap. 5. pag. 156.

De *Coloſſarum*, vel ex antiqua ſcribendi ratione, *Colaſſarum* urbe dicemus mox ad cap. I. v. 2. Inter *Coloſſenſes*, ad Chriſtum converſos, alios olim Gentiles, alios Judæos fuiſſe, dubitari nequit: non æque vero perſpectum eſt, ad quos potior hujus epiſtolæ pars ſpectet. Ad Ex Judæos potiſſimum ſcriptam credit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. cap. VIII. p. 91. ſqq. ſicut *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 806. locos illos recitat, qui ad eos ſpeciatim relati videntur; in univerſum præterea monens, fuiſſe Coloſſis aliquot Judæorum doctores, qui recens ad Chriſtum converſos turbare conati ſint.

*Roma* ſcriptam eſſe omnis credidit antiquitas, quod præter Subſcriptionem teſtatur *Euthalius* p. 648. in Monumentis Zacagnii. Subſcriptionis vero formula in omnibus codicibus, qui adhuc inſpecti ſunt, & Verſionibus quoque

quoque antiquioribus, eadem eſt, niſi quod interpres *Coptus* à *Wilkinſio* editus, *Athenas* exhibet. Argumentum rei eſt, quod Paulus cap. IV. 3. *vinctum* ſe appellat, & *Coloſſenſes* vinculorum ſuorum, tanquam in quibus adhuc hæreat, memores eſſe jubet v. 18.

*Tempus* ſcriptionis ad primam captivitatem Apoſtoli pertinere ex eo apparet, quod Paulus ſpem reditus ſui foverit, & faciat, & Timotheum præſentem ſibi, hæc ſcribens, habuerit, quo in ſecundo carcere deſtituebatur. Imo eodem, quo illa ad *Ephesios* & *Philemonem*, tempore exaratam eſſe plerisque perſuaſum eſt, h. e. A. C. LXII. In hanc ſententiam *Millius* l. c. ita: *Statim poſt ſcriptam hanc* (ad *Epheſios*, vel, quos ipſe falſo credit, Laodicenos) *& obſignatam, uti diximus, etiam alteras Apoſtolus contexuit literas, ad* Coloſſenſes *mittendas; eodem quo ad* Laodicenos (Epheſios) *iſta, argumento, ac verborum fere tenore gaudentes, verum multo ipſis breviores.* In idem, ad quod epiſtola ad *Philemonem* ſpectat, tempus incidere, hinc fere conficitur, quod in utraque epiſtola, nempe *Coloſſ.* IV. 12. 13. & *Philem.* v. 23. Epaphras comes & concaptivus Pauli appellatur, ſicut in priore IV. 10.-14. & poſteriore ad Philemonem v. 24. idem Pauli ſocii commemorantur. Hæc ut liquida omnibus, vel tantum non omnibus viſa ſunt, ita Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 660. noſtram hanc nec *Romæ*, nec eo, quod dictum eſt, tempore, ſed alibi, & aliquot annis ante ſcriptam eſſe contendit, ex eo quidem capite, quod in eandem cum illa ad *Epheſios* ætatem incidat, quam nec Romæ in carcere, nec eo, quod vulgo putatur, tempore exaratam eſſe in antecedentibus oſtenderit. Enimvero virum doctum præter rationem ita ſtatuere in Prolegomenis in epiſtolam ad *Epheſios* manifeſtum nos feciſſe confidimus, nec, ut eadem h. l. repetamus, neceſſe eſt. Amplectimur potius id, quod ipſe largitur, nempe epiſtolam ad *Epheſios, Coloſſenſes* & *Philemonem* eodem tempore & loco ſcriptas eſſe.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ ] Vid. ad 1 *Cor.* I. 1.

Verſ. 2. Τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ] Codices veteres plurimi habent Κολασσαῖς per α, quod ex eo patet, quod *Millius* paucos admodum afferre potuerit, qui Κολοσσαῖς legunt. Eam ſcriptionem, ut germanam, tuetur *Lucas Holſtenius. Colaſſa*, inquiens, *unde* Colaſſenſes, *ad quos exſtat S. Pauli epiſtola, quorum nomen poſtea corruptum fuit in Coloſſenſes, quaſi à Coloſſo fuiſſet deductum. Codex Græcus admirandæ vetuſtatis in Biblioth. Vaticana LXX. Intt. & alius Codex parvulus* Κολασσεῦς *recte ſcribunt, & ſic in vulgatis omnino reponi debuiſſet.* Idem ſentit eruditiſſimus *Jo. Conradus Schwartzius* in Monumentis Ingeniorum, Tom. III. pag. 262. ſq. *Si antiquiſſimis,* inquit, *quibusque Scriptoribus plurimum auctoritatis tribuimus; plus nobis paratum eſt præſidii, qui Colaſſas defendimus, quam qui pro Coloſſis propugnant.* Munit

nit etiam auctoritate tum *Clementis Alexandrini*, qui Stromatum V. pag. 576. & VI. pag. 645. Κολασσαεῦς appellat, tum Interpretis N. T. Syriaci. Neque vero hæc ſcribendi ratio ab editis N. T. libris prorſus exulat. Occurrit enim in *Stephani* illa, & *Baſileenſi* anno MDLIII. per Nicolaum Brylingerum curata, *Argentoratenſi* Bœcleri anno MDCXLV. ac denique, ut alias taceam, *Millii*. Illæ enim omnes Κολασσαῖς in inſcriptione & Κολασσαεῦς in hoc commate exhibent. Veterum de hac urbe locos recitant, ejusque rationem exponunt præter *Chriſtoph. Cellarium* in Geographia Antiqua Tom. II. pag. 153. & Interpretes ad *Strabonem* lib. XII. & *Stephanum* de Urbibus, multi ex illis, qui h. l. illuſtrarunt, vel Prolegomenis ad ipſam epiſtolam aditum muniverunt. Inter hos numero inprimis *Salom. van Till* pag. 318. Adde *Thomæ Smithi*, αὐτόπτου, Epiſtolam de ſeptem Aſiæ Eccleſiarum & C Poleos notitia, *Londini* primum 1672. Latine, hinc ibid. 1678. Anglice, ac *Trajecti ad Rhenum* denuo Latine 1694. 8. editam. *Herodoti* & *Xenophontis* de ea teſtimonia repetit *Raphelius* in Annotationibus ex utroque ad N. T. relatis.

Verſ. 3. *Χάρις ὑμῖν ϗ εἰρήνη κ. τ. λ.*] Vide ad *Galat.* I. 3. & alias.

ϗ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ] Deſunt in aliquot Codicibus, verſionibus & Interpretibus, ideoque ex librariorum memoria cum *Eraſmo* profecta videntur *Millio*. Recte vero *Whitbius* pag. 70. contra illos obſervat: *Siquidem in reliquis epiſtolis omnibus Paulus eadem loquendi formula utitur, cum ad has vel illas Eccleſias, tum ad hos, vel illos homines, quid obſtat, quo minus hæc verba hic etiam uſurpaſſe videatur?* Quam *Theophylactus* rationem, cur hic à Paulo omiſſa ſint, affert, eandem idem *Whitbius* diſpellit. Nihilominus tamen recens Editor N. T. Græco-Anglicani voces has, tanquam alienas, parentheſeos notis incluſit, rectius facturus, ſi his retentis voces Κολασσαεῦς & Κολασσαῖς paulo ante *Millii* & aliorum exemplo retinuiſſet. Videor interim mihi videre cauſam, cur in Codd. nonnullis hæc ſint omiſſa. Scilicet in proximo commate legitur: *εὐχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ϗ πατρὶ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Itaque ſuperfluum forte librariis viſum eſt, ſi in commate proxime antecedente legerentur.

Verſ. 4. *Ἀκούσαντες τὴν πίστιν ὑμῶν κ. τ. λ.*] Vid. ſupra ad *Epheſ.* I. 15.

Verſ. 5. *διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς*] Τὸ *διὰ* referri poteſt ad *εὐχαριστοῦμεν* v. 3. quod nonnullos, interque eos noviſſime facere video *Elsnerum* l. c. ſed & ad fidem atque amorem in omnes ſanctos, proxime ante commemoratum, ſpectare æque commode creditur, ut indicetur, Coloſſenſes tum in fide in Chriſtum, tum in amore adverſus fidei ſocios, ideo ſtare, ut participes aliquando omnes reddantur ſalutis æternæ, omnibus in Chriſto promiſſæ. Poſterius hoc verius mihi videtur. Similiter Paulus in limine epiſtolæ ad Titum commemorat *πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ, καὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ᾽ εὐσέβειαν, ἐπ᾽*

ἐλπίδι

Digitized by Google

ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων. Ceterum idem *Elſnerus* l. c. erudite oſtendit, τὸ ἀποκεῖσθαι, *reponi*, *recondi*, non modo de certis verum etiam magni pretii rebus uſurpari ſolere. Conferri jubet 2 *Tim.* I. 8. & inter cetera *Strabonis* locum IX. pag. 643. recitat, qui χρήματα ἀποκείμενα καὶ ἀναθήματα *templi Delphici* appellet, quemadmodum *Plutarchus* Lucullo pag. 521. τοῖς εὖ βεβιωκόσι ἀποκεῖσθαι γέρας ἐν ᾅδου pronunciet.

ἣν προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας] Verbo προακούειν, quod alibi in N. T. non occurrit, utitur *Herodotus* lib. V. pag. 363. οὐ προακηκοόσι τοῖσι Ἀθηναίοισι ἐπιπεσεῖν & lib. VIII. pag. 555. obſervante Raphelio. Dicuntur vero Coloſſenſes προακούσαντες, *qui ante perceperint*, non reſpectu initii prædicationis Evangelicæ, ſed reſpectu ſpei, quæ illis de re futura erat facta.

Verſ. 6. Τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς] *quod pervenit ad vos*. Similiter *Herodotus* lib. VI. init. παρῆν ἐς Σάρδις, & pag. 576. & 389. παρῆν ἐς τὴν Ἀσίην, *venit in Aſiam*, monente *Raphelio*, qui plures ejusmodi *Polybii* locos affert in Annotatt. Arrianis & Polybianis pag. 570. ubi etiam oſtendit verbum hoc per ſe nihil amplius ſignificare, quam accedere, ſive quis permaneat, in quem acceſſit locum, ſive minus.

καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ] ſcilicet *pervenit ad alios*, vel *eſt*, & *auditur*, ſubintellecto verbo ἐστὶ ex membro ſequente: καὶ ἐστι καρποφορούμενον. Hinc factum eſt, ut τὸ, ἐστὶ exprimant Cod. *Vet.* & Interpres *Vulg.* De Evangelio per orbem undiquaque promulgato, lege Patrum loca apud *Bynæum* de Chriſto crucifixo pag. 168. ſq. verſionis germanicæ. Inſtar omnium hic eſt *Fabricii* noſtri egregia commentatio de Evangelio toti orbi exoriente, Hamburgi 1731. 4.

καρποφορούμενον] Codd. multi & verſiones quoque, inter quos etiam *Coptica* eſt Wilkinſii, addunt, καὶ αὐξανόμενον, ex commate 10.

ἀφ' ἧς ἡμέρας ἠκούσατε] *Polybius* Excerptis legat. 29. pag. 1157. Ἐν ἡμέραις ρ' ἀφ' ἧς ἂν τὰ ὅρκια τελεσθῇ, *intra centum dies, ex quo fœdus perfectum fuit*. Conf. *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis Novi Teſtamenti antiquatis pag. 126.

τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ] *gratiam Dei in veritate*, ſeu *vere*. Ita B. *Lutherus* in der Wahrheit, *Beza* quoque & *Eraſmus Schmidius*, recte omnino, ut ſignificetur, tales ſe præſtitiſſe Coloſſenſes in Evangelium auditum, quale ipſum ſit. Eſt autem illud ἀληθὲς, ſeu λόγος τῆς ἀληθείας. Veritatem itaque hanc ſincere & vere animo receperant, & conſtanter, atque ita tenebant, ut Evangelium decebat. Conf. infra II. 6. Ita Judæi *Joh.* VII. 26. quærebant: μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Χριστός; Sic

*Johan-*

*Johannes* 1. ep. II. 1. & III. 1. ὃς ἐγὼ ἀγαπῶ ἐν ἀληθείᾳ. Nolim igitur cum *Hombergio* ita accipere, ac ſi *gratia Dei verax* vel *gratia & veritas Dei* indicetur. Id enim ſignificatur potius v. 5. per λόγον τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου. Comma hoc integrum illuſtrat *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 329. – 336.

Verſ. 7. Καθὼς καὶ ἐμάθετε ἀπὸ Ἐπαφρᾶ] Sunt, qui *Epaphram* noſtrum *Epaphroditum* eſſe, cenſeant, de quo *Phil.* II. 25. ut Ἐπαφρᾶς per compendium & nominis ἀποκοπὴν dicatur, qui alias audit Ἐπαφρόδιτος ſicut Δημᾶς alias Δημήτριος vocatur. Hæc Grotii & aliorum quorundam eſt ſententia. Nomen idem eſſe litigare cum nemine nolim, cum illa nominum ejusmodi varietas pluribus exemplis conſtet. Vide *Grotium* ad initium Evangelii Lucæ, & nos ad *Rom.* XVI. 8. & 14. Hic tamen nominis conſenſus non efficit, ut eandem indicari perſonam cenſeamus, quæ in epiſtola ad Philippenſes affertur. Ita quidem viſum eſt poſt *Grotium, Carolo Daubuzio,* Anglo, in libro ſingulari, quo Joſephi de Chriſto teſtimonium excuſſit. Sed vide, quæ contra eos allata ſunt à M. *Jo. Davide Strobachio* in diſſertatione ſingulari, quam de *Epaphra Coloſſenſi* Lipſ. 1710. edidit. Eam fruſtra nunc inter reculas meas quæro. Diverſos fuiſſe ex eo probabile fit, quod *Epaphras* Coloſſenſis, ex *Coloſſ.* IV. 12. Epaphroditus autem *Philippenſis* Eccleſiæ miniſter fuit, quemadmodum prior Coloſſas patriam habuit, quod de poſteriore non conſtat. Plerique epiſtolas ad Philippenſes & Coloſſenſes eodem tempore à Paulo ſcriptas eſſe non præter rem arbitrantur. Poſito hoc credi vix poteſt, Epaphroditi, tanquam Paulo tunc præſentis, nomine Coloſſenſes hic ſalutari poſſe, quem ad Philippenſes miſerat. Sed hæc quidem tanti non ſunt.

ὅς ἐστι πιστὸς ὑπὲρ ὑμῶν διάκονος τοῦ Χριστοῦ] i. e. qui fidum veſtrum, vel apud vos, miniſtrum Chriſti egit. Erat ille Coloſſenſis. Hinc IV. 12. vocatur ὁ ἐξ ὑμῶν δοῦλος Χριστοῦ. Jam vero apud Paulum verſabatur, & *certabat* ὑπὲρ αὐτῶν apud Deum *precibus*, quemadmodum præſens docendo ὑπὲρ αὐτῶν fuerat miniſter Chriſti.

Verſ. 8. ὁ καὶ δηλώσας ὑμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην ἐν πνεύματι] *Amor in ſpiritu* dici poteſt, vel is, qui à Spiritu S. excitatur & fovetur: vide *Rom.* XV. 30. *Phil.* II. 1. &c. vel *ſpiritualis*, qui in animo ſe exſerit, & in alium abſentem, & antea non viſum aut cognitum fertur. Malim ego poſterius. Sic infra II. 15. Paulus ſimiliter ait: εἰ γὰρ καὶ τῇ σαρκὶ ἄπειμι, ἀλλὰ τῷ πνεύματι σὺν ὑμῖν εἰμι. Compara *Hombergium* pag. 310. Parergorum. *Sinceram* & *ſeriam* dilectionem innui exiſtimat *Eraſmus Schmidius*, notasque ſuas ad Luc. I. 47. n. 9. conferri jubet, ubi eam vocis πνεῦμα notionem aliis locis adſtruxit.

Verſ. 9. – 14. διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς, κ. τ. λ.] Sectio eſt epiſtolica, quæ pro concione exponi ſolet. Eam explicat *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. pag. 181. ſqq.

Non

Non video, cur commata illa 9-12. parentheſi ab antecedentibus ſeparari & ſecum invicem conjungi debeant, quod fieri voluit *Blackwallus*, Anglus, in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 134. cauſatus, hoc modo ſtructuram ſermonis luculentiorem fore, quæ nunc impedita & diſtracta videatur. Imo vero fieri id per ſermonis ſeriem non poteſt. Sic enim neceſſe erat, ut comma 13. ὅς ἐῤῥύσατο ἡμᾶς referretur ad voces ultimas v. 8. ἐν πνεύματι. Id vero fieri nequit, inprimis ſi τὸ πνεῦμα non de Spiritu S. ſed de Philippenſium animo accipias. Fieri etiam nequit, ut articulum ὅς taceam, per verborum ipſorum ſententiam. Neque enim Spiritui S. tribui ſpeciatim poteſt *liberatio ex poteſtate tenebrarum*, ſed *Patri*, de quo v. 12. *qui nos transtulerit in regnum filii ſui dilecti.*

Verſ. 9. ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ ἐν πάσῃ σοφίᾳ κ. τ. λ. ] Ad hæc *Picinellus* in Luminibus Reflexis pag. 713. nonnulla Patrum & externorum Scriptorum loca affert, quæ cognitioni veri ejusdem exercitium & uſum in bonis operibus jungi volunt.

Verſ. 10. περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Κυρίου ] Phraſi hac utitur *Polybius* pag. 868. ἀξίως μὲν τοῦ πατρὸς Βάρκα, καλῶς δὲ καὶ γενναίως τὰς περιπετείας καὶ τὰς ἐλαττώσεις διετέλει φέρων. Vide *Raphelium* pag. 570. Confer ſupra ad *Eph.* IV. 1. & quæ ad δείνωσιν ejus intelligendam monuit M. *Chriſtophorus Wolle* in commentatione de Eccleſia Phariſaica & Chriſtiana, in vitæ morumque ἀκριβείᾳ diverſa p. 211. ſq. Nec omitte *Svicerum* T. II. p. 679.

ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες ] Hic nominandi caſus parum reſpondere viſus eſt antecedenti περιπατῆσαι ὑμᾶς, quod καρποφοροῦντας, & αὐξανομένους requirere potius videtur. Itaque verba hæc, καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι &c. verbo περιπατῆσαι præmittenda quidem exiſtimant, ut ſic pendeant à verbo πληρωθῆτε, quod v. 9. antecedit. Ita rem, ut alios taceam, inſtituit *Salom. van Till*, & ex noſtratibus M. *Laurent. Müllerus* in Diſput. de ſtilo idiotico N. T. Sect. II. §. 8. *Sed tantam vim, & tanquam carnificinam, nec ſententia fert, nec interjecta vocabula;* quod recte arbitratur *Schwarzius* de Soloeciſmis diſcipulorum JESU antiquatis pag. 88. *Scilicet reminiſci oportet moris Atticorum, qui participia nominibus & verbis propinquiora fere debito caſu adjungunt, longinquiora nominativo vel accuſativo caſu ponunt, ſpreto caſu nominis, ad quod reſpicere debebant.* Hunc canonem idem *Schwarzius* nube exemplorum pag. 86. ſq. illuſtravit, in quibus ſine ulla barbariſmi ſuſpicione, aut vi vocum ſtructuræ allata acquieſcere ſecuri poſſumus. Adde, quæ diximus ad *Epheſ.* IV. 1. 2.

εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ ] Codices alii hic habent τῇ, vel ἐν τῇ ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ. Poſterius exhibet editio *Colinæi*, & recens Græco Anglicana, quemadmodum *Vulg.* quoque & B. *Lutherus* noſter expreſſit. Quod ad ſenſum nihil intereſt. Receptior tamen noſtra videtur verior. Vult Paulus, ut

N n Philip-

Digitized by Google

Philippenſes ſint *ἐν παντὶ ἔργῳ καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι, εἰς τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ* quemadmodum v. 13. optat, ut ſint *ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι —— εἰς πᾶσαν ὑπομονήν.* Vides utrinque ſignificari finem, in quem hinc *incrementum virtutum*, hinc *corroboratio* tendere & vergere debeat. Alter eſt, amplior & conformatior DEI cognitio, alter patientia & lenitas animi cum gaudio. Priorem illam, nempe cognitionem DEI pleniorem & firmiorem (*ἐπίγνωσιν*) per experientiam ſpiritualem ſuppeditari nemo negaverit. Atque hoc ipſum Paulus ſignificare voluit. Toto huic commati lucem affudit B. *Franc. Julius Lütkenius* in Collegio Biblico, vernacule edito p. 602.

Verſ. 11. *Ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι* ] Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 970.

*εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν* ] Digna eſt, quæ hic legatur, *Chryſoſtomi* obſervatio : *μακροθυμεῖ τις πρὸς ἐκείνους οὓς δυνατὸν καὶ ἀμύνασθαι· ὑπομένει δὲ, οὓς οὐ δύναται ἀμύνασθαι. Διά τοῦτο ἐπὶ μὲν Θεοῦ οὐδέποτε ὑπομονὴ λέγεται, μακροθυμία δὲ πολλαχοῦ. Lenitatem aliquis probat adverſus eos, quos etiam compeſcere poterat ; tolerat vero & patitur, quos non poteſt compeſcere. Propterea DEO nusquam ὑπομονὴ, ſæpe vero μακροθυμία tribuitur.* Obverti hic poterat *Rom.* XV. 5. ubi DEUS vocatur *Θεὸς ὑπομονῆς καὶ παρακλήσεως.* Tenendum vero eſt, DEUM ibi repræſentari, non qua patientiam exercet ipſe, aut ſolatio utitur, ſed qua omnis patientiæ omnisque ſolatii auctor eſt & largitor. Hinc v. 4. Apoſtolus ad *ὑπομονὴν* & *παράκλησιν* excitat Romanos, jam vero de utroque dono, DEI munere, qui hoc fine Scripturam tradiderit, certos eſſe jubet.

Verſ. 12. *Εὐχαριστοῦντες τῷ Πατρὶ τῷ ἱκανώσαντι ἡμᾶς* ] Lege *Petavium* Tom. I. Dogmatum Theologicorum lib. IX, cap. V. §. 5. & *Picinellum* p. 714. Pauci Codices hic habent *καλέσαντι,* pro *ἱκανώσαντι,* ex interpretamento forte, quod ex 1. *Theſſal.* II. 12. natum videtur *Millio,* ubi DEUS dicitur *καλῶν εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν.* Verior omnino eſt recepta lectio. Paulus in antecedentibus efficaciſſime loquitur, totum Chriſtianiſmi ordinem exponens, divinumque auxilium adprecans. Jam vero ipſos Coloſſenſes ad gratias DEO agendas excitat, qui ſe hactenus efficaciter & pro virtute ſua in illum ordinem duxerit, inque eo conſervare velit & poſſit. Propterea eundem *ἱκανώσαντα* appellat. Eodem verbo Paulus 2. *Cor.* III. 6. utitur.

*εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου* ] *ad partem*, ſcil. accipiendam, *de ſorte.* Phraſis exſtat *Deuter.* XXXII. 9. חבל נחלתו i. e. *μερὶς τοῦ κλήρου,* obſervante *Grotio.* Reſpicitur autem ad partitionem terræ Canaan inter tribus diviſam, quæ typus exſtitit poſſeſſionis, in cœlis modo ſublimiori aliquando obtinendæ. *Chryſoſtomus* recte phraſin hanc eo retulit, ut vita æterna non merito ullo, ſed ex gratia inſtar ſortis, quæ etiam non laboranti obtingit, impetrari exiſtimetur. Vide *Svicerum* Tom. II. pag. 112.

*τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ* ] *Akerslootius* in commentario ad h. l. Paulum ad ſacra Eleuſinia in honorem Cereris tum Athenis, tum alibi locorum noctu celebrari ſolita, alludere exiſtimat, ut ſignificetur, Coloſſenſes non ad tenebras ejusmodi, ſed ad lucem potius eſſe vocatos. Diſplicuit hæc conjectura *Cornelio Adami* in Obſervationibus Theologico-Philologicis pag. 278. inprimis ideo, quod nondum demonſtratum ſit, ſacra illa Coloſſenſibus æque ac Athenienſibus cognita fuiſſe. *Akerslootii* è contra ſententiam amplexus eſt *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 728. ſqq. ex *Godofredi* Exercitat. II. de myſteriis pietatis oſtendens, ſacra hæc ſacerrima inter omnes gentes pervulgata fuiſſe, atque alia afferens, quæ Apoſtolum huc oculos retuliſſe, perſuadere poſſint. Negare equidem nolim, horum ſacrorum celebritatem & notitiam ad plures atque adeo & Coloſſenſes forte pervaſiſſe, ſed vel ſic tamen nec ipſe crediderim, Apoſtolum eo digitos intendiſſe. Scribebat ille ad Coloſſenſes, inter quos non ſolum Gentiles ſed & Judæi, atque hi maximam partem, ſi *Braunio* in Selectis Sacris lib. I. pag. 91. credimus, ad Chriſtum erant converſi. Itaque veri eſt ſimilius, eum, quod & alias fere facere ſolet, ejusmodi phraſi uſum eſſe, quæ Ex Judæis perſpecta eſſe poterat. Hoc ut mihi perſuadeam, efficit alluſio ad ſortitionem terræ Canaan paulo ante facta, quæ ex ſacris literis V. T., ad quas etiam converſi ex Gentilibus ducebantur, utrique parti conſtabat. Ex iisdem vero ſacris literis conſtat, qui ſint *ἅγιοι*, & quid *τὸ φῶς* inferat. Malim itaque hæc illuſtrare ex 1. *Petr.* II. 9. *Υμεῖς δὲ γένος ἐκλεκτὸν, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, λαὸς εἰς περιποίησιν, ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς.* Vides hic, converſos appellari inter cetera *gentem ſanctam*; vides commemorari *lucem*, ad quam vocati ſit, nempe tum ſpiritualem, qua in his terris fruantur, tum æternam, quam exſpectent. Ita *Theophylactus* & præſens & futurum lumen hic reſpici exiſtimat. Non amo, quod iterum iterumque profiteor, ſtudium illud, quo Sacris Scriptoribus, de rebus & myſteriis ſublimiſſimis differentibus, alluſiones ad impuriſſima Gentilium ſacra tribuuntur. Vide interim *Pet. Zornium* Tom. I. Opuſculorum Sacrorum pag. 307. & Tom. I. Biblioth. Antiquario Exegeticæ, pag. 975.

Verſ. 13. *Ὅς — μετέστησεν ἡμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν* ] Similiter *Xenophon* de Byzantiis, quos Thraſybulus à paucorum dominatu in populare imperium vindicaverat, lib. IV. Hiſt. Græc. pag. 423. ita: *μετέστησε δὲ ἐξ ὀλιγαρχίας εἰς τὸ δημοκρατεῖσθαι τοὺς Βυζαντίους.* Hunc & alios locos etiam ex *Polybio* collectos habes in *Raphelii* Annott. Xenophonteis & Polybianis p. 270, & p. 571. ubi poſteriore loco præterea obſervat, vocabulum *βασιλείαν* ſignificanter hic opponi *τῇ ἐξουσίᾳ*. Quanquam enim omne regnum eſt & dicitur *ἐξουσία*, non tamen omnis *ἐξουσία* etiamſi unius, continuo regni nomen meretur. Utrumque ibi idoneis Polybii locis adſtruitur. Quemadmodum vero iidem evincunt, verbum hoc proprie de regnorum aut Rerum publicarum mutatione accipi; ita *Salomon van*

*Till* ad h. l. a coloniis factam translationem exiſtimat. *Ut enim victi*, inquit, *& liberati in aliam tranſeuntes poteſtatem, tanquam coloni traducuntur, & transferuntur in alias terras & regiones, quas colant; ita hic nobis repræſentatur nova colonia, ex ſervitute diaboli, ad regnum libertatis translata, ut ibi DEUM ſub ſolo Filii auſpicio, ſine ullo onere aut exactione dictorum Deorum, liberrime colant.* Per regnum hoc non *glorioſum* illud potiſſimum & *cæleſte*, ſed *gratiæ*, & *ſpirituale*, quod in his terris eſt, indicari exiſtimo. Hoc alias *regnum DEI*, & *regnum cælorum*, appellari conſtat. Hic autem *regnum Filii* vocatur, cum ejus, ut *Domini*, auſpiciis regatur & gubernetur. Illud hic potiſſimum reſpici patet ex v. 14. ubi habere dicimur *τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν*, quæ in regni hujus incolas, in ſuperius illud aliquando transferendos, cadit. Commate 12. egerat Paulus de regno illo *gloriæ*, jam vero illud *gratiæ* ſubjungit, in quo Coloſſenſes cum maxime verſentur. Sunt, qui de regno gloriæ tantum accipiant, in quod credentes jam translati dicantur ob certiſſimam ſpem, qua illud præcipere poſſint. Ita poſt alios rem inſtituit *Harius*, Præſul Anglicanus, in libello, quem inſcripſit: *Scriptures vindicated from miſinterpretations*, p. 141. ſqq. approbante *A. Blackwallo* in *Claſſicis Sacris* Tom. II. p. 95. Res in ſe veriſſima eſt, & alibi locum habet, ab hoc vero loco aliena videtur.

*τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ*] i. e. *ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἀγαπητῷ.* Vide *Matth.* III. 17. & adde *Svicerum* Tom II. pag. 1357.

Verſ. 14. *Ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν, κ. τ. λ.*] Hujus commatis phraſes pluribus in locis illuſtrat idem *Svicerus* in utroque Theſauri volumine, quos index cuique ſuppeditaverit.

*διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ*] Omittunt Codd. multi, & verſiones quoque, a *Millio* allatæ, quibus & *Coptica*, à Wilkinſio edita, addi poteſt. Propterea *Millio* quidem ex *Epheſ.* I. 7. huc poſtliminio relata videntur, quemadmodum recens editor N. T. Græco-Anglicani prorſus in contextu omiſit. Qui illum ad Epheſios locum vel obiter inſpexerit, noſtro ita ſimilem deprehendet, ut vix ſit dubitaturus, Paulum hic eadem ratione ſcripſiſſe. Is vero ita habet v. 6. *Εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ.* Verſ. 17. *ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ, τὴν ἄφεσιν τῶν παραπτωμάτων.* Rectiſſime igitur deſerti ſunt codices, in quibus illa h. l. deerant, quæ non minus hic, quam ibi, Apoſtolus expreſſiſſe merito exiſtimatur.

Verſ. 15. *ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου*] Filius hic dicitur imago Patris inviſibilis, reſpectu habito ad æternam ex Patre generationem. Eodem modo 2. *Cor.* IV. 4. vocatur *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ*, ubi vide, quæ ſcripſimus. Locum hunc urſit & vindicavit ab Arianorum & Socianorum ſtrophis *Jo. Weſſelius*, Theologus Leidenſis, diſſertatione ſingulari, *de Chriſto imagine inviſibilis DEI*, quæ in diſſertationibus ejus Sacris ad Selecta quædam V. & N. T. loca, Lugd. Bat. 1721.

1721. 4. recuſa, pag. 469. ſqq. legitur. Oſtendit ille, etiam contra *Roëllium*, hoc loco quidem totam perſonam ϑεανϑρώπε, non tamen totum perſonæ dici imaginem DEI inviſibilis; imaginem quoque non intelligi artificialem, nec internam & mentalem, ſed naturalem, qualis eſt filius: atque adeo Chriſtum non dici imaginem DEI inviſibilis, ſed quatenus inviſibili ſua natura divina Patri eſt ſimilis, ſive quatenus eſt filius, & inviſibilis Patris inviſibilis imago recte dici poteſt. His convenienter *A. Wall* in Notis Criticis Anglicanis ad N. T. pag. 291. recte exiſtimat, per εἰκόνα idem ſignificari, quod veteres Chriſtiani per ὁμοούσιον τῷ Θεῷ expreſſerint. Spectat huc, quod Patres Chriſtum εἰκόνα Πατρὸς ἀπαράλλακτον i. e. imaginem Patris per omnia ſimilem appellare conſueverunt. Inſpice locos apud *Svicerum* Tom. I. pag. 415. attende inprimis ad illud *Theodoreti* ad IV. anathematiſmum Cyrilli Tom. IV. pag. 713. πῶς εἰκὼν ἀπαράλλακτ☉ εἴη τοῦ γεννήσαντ☉ (ὁ υἱὸς) μὴ πάντα ἔχων τοῦ γεννήσαντ☉; *quomodo erit per omnia ſimilis imago Genitoris (Filius) non omnia, quæ Genitoris ſunt, habens?* Abſit itaque, ut Chriſtum *Patris imaginem* ideo *tantum* dici exiſtimemus, quod DEUM quodammodo nobis faciat viſibilem. Vide contra hanc ſententiam diſputantem *Hackſpanium* in Miſcellaneis lib. I. cap. 8. pag. 150. Confer ex noſtratibus tituli hujus notionem exponentem *Alethæum* Tom III. der Erläuterung pag. 153. ſqq.

πρωτότοκος πάσης κτίσεως] Longior forem, ſi hic repetere vellem, quæ à pluribus de phraſi hac vel explicanda, vel adverſus Socinianos vindicanda allata ſunt. Potiora leges apud *Jo. Quiſtorpium* in Diſput. ſingulari de primogenito omnis creaturæ, Wittebergæ edita, *Calovium* in Vindiciis hujus loci ibid. 1652. *Sebaſt. Schmidium* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 103. ſqq. *Phil. Jac. Spenerum* in Tractatu vernaculo pro Deitate Chriſti pag. 75. ſq. *Alethæum* T. III. der Erläuterung, pag. 163. ſqq. & Auctores des freywilligen Hebopffers Tomo IV. pag. 222. ſqq. contra recentem quenqam Unitarium. Patrum ſpeciatim ſententias leges apud *Petavium* Tom. II. Dogmatum Theologic. lib. II. cap. 4. p. 80. ſq. *Svicerum* Tom. II. p. 879. ſq. & *Stephan. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 447. ſq. *Juſtinum Martyrem* Chriſtum ſæpe appellare πρωτότοκον, obſervavit *J. E. Grabe* in notis ad Apologiam ejus I. p. 69. Nos quidem momenta potiora, quæ ad circulos noſtros ſpectant, hic delibabimus.

Cum Ariani ex voce πρωτότοκος inprimis efficere conarentur, Chriſtum ante omnes quidem creaturas conditum eſſe, atque hoc nomine in creaturarum loco habendum, *Iſidorus Peluſiota* lib. III. ep. 31. pro πρωτότοκ☉, mutato accentu, πρωτοτόκ☉ legi vult. Εἰκὸς ἦν, inquit, μᾶλλον δὲ ἀναγκαῖον, ἐννοεῖν, ὅτι κἀνταῦϑα τοιαύτῃ τινὶ ἐννοίᾳ ὁ ϑεσπέσιος ἐχρήσατο Παῦλ☉, οὐ πρῶτον τῆς κτίσεως δογματίζειν, ἄπαγε, κ. τ. λ ἀλλὰ πρῶτον τετοκέναι, τουτέστι πεποιηκέναι τὴν κτίσιν, ἵνα ἡ τρίτης συλλαβῆς ὀξυνομένης, ὡς πρωτόγον☉, οὐ πρωτογενὴς, πρωτοκτίστης, οὐ πρωτόκτιστ☉. Idem viſum eſt *Deſider. Eraſmo* in Reſponſione ad Notationes *Eduardi Lei* in hanc epiſtolam Tom. IX. Opp. pag. 229. A.

*Subtiliter* ita agi exiſtimat *Alex. Morus* in Cauſa DEI p. 66. & *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica Interpretum N. T. pag. 312. critices abuſum in *Iſidoro*, ita agente, recte agnoſcit. Sane, quemadmodum vox Πρωτότοκος v. 18. a Paulo adhibetur, ita non minus ad h. l. adhibita eſſe cenſenda eſt, ut taceam, τὸ πρωτοτόκος fœminei generis eſſe, & omittam, quod hac appellatione poſita non aliud v. 16. diceretur, quam quod in ipſa illa voce jam latet.

Plerique inter recte ſentientes ita rationes ſuas inſtituunt, ut Chriſtum hic dicant ita appellari, quia ſit *genitus* (non creatus) πρὸ πάσης κτίσεως, ac proinde in ordinem *creaturarum* cogi non debeat. *Et revera*, habes verba *Stephani le Moyne* ex l. c. pag. 449. *Apoſtolus videtur multis rationibus caviſſe, ne Chriſtus pro creatura haberetur. Nam non dicit, quod Chriſtus ſit* πρωτοκτισθεὶς, *primo creatus omnium* creaturarum vel κτισθεὶς πρὸ πάσης κτίσεως, *ſed* πρωτότοκος *primogenitus. Ut innueret, Chriſtum non eſſe* κτισθέντα, *& creatum, ſed genitum &* γεννηθέντα. *Eſt* πρωτότοκος, *non* πρωτοκτισθεὶς. *Addit Apoſtolus, per Chriſtum omnia creata fuiſſe, quæ ſunt in cælis & in terra. Quibus conſtat, Chriſtum non eſſe creaturam. Nam dicitur conditor & creator; an creatura poteſt adſurgere ad tale faſtigium, ut creator evadat? Eſt creator omnium creaturarum, non tantum, quæ ſunt in terra, ſed earum, quæ ſunt in cælo. Ergo non eſt creatura, vel debuit etiam ſe condidiſſe, quandoquidem omnia creavit tam, quæ ſunt in cælo, quam, quæ ſunt in terra. Condidit viſibilia & inviſibilia. Non tantum viſibilia, & quæ ſub ſenſus cadunt, ſed & inviſibilia; cum vero ſit ipſe inviſibilis, debuiſſet etiam ſe ipſum creare ſi eſſet creatura*, &c. Vide ibi reliqua.

Huic ſententiæ proxima & affinis eſt eorum, quam idem *le Moyne* p. 450. commemorat, ut ſcilicet primogenitus *primatum* quendam inferat. *Vox* primogeniti, inquit, *non ſemper notat prioritatem nativitatis, ſed primatum dignitatis, meriti, virtutis, excellentiæ, roboris, poteſtatis, vel relationis cujusdam, qua res quædam aliis videantur præferendæ.* Lege cetera. Atque huc tendunt, qui Chriſtum ut *Principem* & *Dominum* in omnes creaturas repræſentari arbitrantur, ad uſum vocis, in τοῖς LXX. obvium, inprimis provocantes. Inter hos ſunt *Colomeſius* pag. 51. Obſervatt. Sacr. *Hammondus* ad h. l. *Tillotſonus* Tom. I. concionum pag. 512. & ex noſtratibus *Amelius* Tom. I. der Erörterung pag. 78.

Minime vero contemnendi ſunt, qui ita vertunt: *genitum ante omnem creationem*, ut κτίσις non *creaturam*, ſed *creationem* inferat. Ita agit *W. Wall.* in Notis Criticis pag. 190. ideo inprimis, quod κτίσμα proprie rem conditam inferat, non autem κτίσις, quodque Paulus commate proximo dicat, per Chriſtum *condita eſſe omnia*, ex quo conſequatur, eum ante omnem creationem fuiſſe, adeoque nec creatum ipſum dici poſſe. Idem placet *A. Blackwallo* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 173. Convenienter hæc & valide Ari-

nis

nis puto opponi. Hanc enim vocis *κτίσις* notionem eſſe, ut *creationem* inferat, dubitari non poteſt ex *Marc.* X. 6. & XIII. 19. & 2. *Petr.* III. 4. ubi *ἀρχὴ κτίσεως* commemoratur, nec non ex *Rom.* I. 20. ubi *τὰ ποιήματα* i. e. res conditæ *ἀπὸ κτίσεως τοῦ κόσμου* i. e. *à creatione mundi* diſtinguuntur. Interim negari non poteſt, *κτίσιν* frequentius in Novo Fœdere *creaturam*, quam *creationem* inferre. Videntur hunc ſenſum expreſſiſſe Græci veteres, quando in Symbolis ſuis Chriſtum dicunt *πρὸ πάντων αἰώνων ἐκ Πατρὸς γεγεννημένον*, *ante omnia ſæcula ex Patre genitum.* Si ante omnia ſæcula, certe ante, quam creatio, quæ in ſæcula tantum cadit, ſuſciperetur.

Scopum minime omnium ferit *Fridericus Adolphus Lampe* in Exercitatt. Sacris ad Pſalm. XLV. pag. 573. per *creaturam* hic *Eccleſiam* intelligens. *Eorum enim*, inquit, *quis primogenitus eſt, quorum frater eſt, & quos ſanctificat: id quod tantum vera Eccleſiæ membra ratione Chriſti habent: Et ita myſterium primogenituræ Chriſti à noſtro Apoſtolo evidenter explicatur Hebr. II.* 11. *& in Rom. VIII.* 29. *Ratio autem denominationis hujus petenda eſt ex creatione myſtica, per creationem mundi repræſentata, per quam tota Eccleſia eſt novum cœlum & nova terra ſingulique fideles conſiderari poſſunt, ut ποίημα Θεοῦ κτισθέντες ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Abſit, ut *Lampio* Socinianorum aut Arianorum ſententiam impingam, a qua ſe alieniſſimum alibi oſtendit. Interim expoſitio hæc apud illos primum nata eſt, quam & noviſſime nonnihil pictam ſtitit *Artemonius* i. e. *Samuel Crellius* in Initio Evangelii Joannis reſtituto, pag. 444. de quo ad v. 16. dicemus. Eam vero *Calovius* in Bibliis Illuſtratis breviter, fuſius autem in *Triga Exercitationum* profligavit. Nervus ejus, qui in eo poſitus eſt, *quod eorum aliquis ſit primogenitus, quorum frater eſt, & quos ſanctificat*, facile ex primaria *primogeniti* notione poteſt incidi. Eam recte mihi eruiſſe videtur *Guſſetius* in Commentariis L. Hebraicæ pag. 127. בכור i. e. primogenitus, *relate dicitur ad Parentes, non ad fratres, ut patet ex affixis, cum adduntur. Nam ſemper referuntur ad Parentes.* בכורי *dicitur a Parente, & ſignificat, quem primum genui; non dici poteſt à fratre, ut ſignificet, qui ante me à Parentibus noſtris primus genitus fuit.* ——— *Hoc volo; Reuben recte dicetur* בכור יעקב *itemque* בכור לאה, *imo &* בכור בני יעקב *quorum numero ipſemet comprehenditur. At non recte diceretur idem Reuben eſſe* בכור שמעון *aut* בכור לוי *aliorumve fratrum ſuorum diverſorum. Itaque redeundo ad Chriſtum, obſerva, Col. I.* 15. *( coll. v.* 16.*) πᾶσαν κτίσιν ita proponi, ut ſyſtema & collectionem rerum, quæ vocantur mundi, utque diſtinctam à Chriſto prout & Marc. XVI.* 15. *& Rom. VIII.* 19. 20. 21. *& Apoc. V.* 13. Ea *propter πρωτότοκος ibi reſpondens Ebraico* בכור *non poteſt dici de Chriſto, quaſi genito eadem generandi ratione, qua illo πᾶσα κτίσις genita fuit. Tunc enim promogenitus diceretur* בכור *ſive πρωτότοκος aliorum genitorum a ſe diſtinctorum; perinde ac ſi Reuben diceretur* בכור *ſeu primogenitus Simeonis, Levi ac Juda; quod indoles Ebraiſmi reſpuit, ut vidimus.* Adde his, quod Chri-

Digitized by Google

Chriſtus expoſitis ejus præ omnibus aliis prærogativis, v. 18. demum *κεφαλὴ τῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας* vocetur. Id vero oſtendit, in antecedentibus aliud quid innui.

Non magis probem Celeb. ***Henrici Jac. van Bashuyſen*** conjecturam, qua contendit, *agi hic de Chriſto* SPONSORE, *qui inde accipit jus ſe gerendi tanquam primogenitum, qui reliquis fratribus, ut fiebat in cultu Levitico, vitam conſervat, cum in ipſo & per ipſum redimatur tota familia.* Vide epiſtolam ejus Rev. ***Salom. Deylingio*** inſcriptam, quæ legitur in Collectione Novantiquorum Theolog. vernacula, an. 1722. pag. 326. Nam & hæc eo tendit, ut Chriſtus primogenitus dicatur reſpectu fratrum ſuorum, quos erat redemturus. Longe aliud ſibi velle Apoſtolum, ipſa orationis ſeries oſtendere mihi videtur.

Denique monendum puto, non habere Arianos & Socinianos, cur de voce *πρωτότοκος* adeo glorientur. Video enim, ea R. ***Joſephum Becbai*** de DEO ipſo ita uti, ut eum בכורו של עולם i. e. *primogenitum mundi* appellet in explicatione Paraſchæ *Exod.* XXX. 11. ſqq. Accipe locum ex commentario in Pentateuchum edit. Venetæ anni. 1603. fol. 115. col. 3.

כל בכור בניך תפדה ולא יראו פני ריקם מי שזוכה שהוא בכור מעלה
גדולה היא והוא רמז להקב"ה שהוא בכורו של עולם:

Dicentne illi, Judæos DEUM inter creaturas numeraſſe? Quod ſi hic titulus ex Pandectis Talmudicis, aut antiquioribus Judæorum libris afferri poſſet, argumentum inde capere liceret, phraſin illam, Judæis olim frequentatam, Paulo occaſionem feciſſe, ut eadem uteretur. Alia tamen Judæorum lege apud ***Cartwrightum*** in Mellificio Hebr. Tom. IX. Biblior. Critic. pag. 3030. & Cl. ***Wilh. Erneſt. Ewaldum*** in Emblematibus Sacris Miſcellaneis lib. II. p. 162.

Verſ. 16. *Οτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα* ] Inſpice ***Sebaſt. Schmidii*** Collegium Biblicum Poſterius pag. 203. ſqq. & ***Cloppenburgium*** Tom. II. Operum pag. 790. ſeq. & 799. Fidiculis neſcio quot & quibus opus eſt, ſi hæc verba cum Socinianis ad novam creationem, ſeu novam rerum omnium ſub Evangelio, a Chriſto promulgato, conſtitutionem detorquere velis. Non patitur id ſeries ſermonis. Paulus v. 15. Chriſtum dixerat Patris *πρωτότοκον*, & ex creaturarum claſſe exemerat. Harum itaque originem ad Chriſtum refert commate proximo. Non ferunt id loca Apoſtolorum parallela complura, nominatim *Joh.* I. 3. &c. Adverſatur item communis Patrum, de creatione rerum proprie ſic dicta interpretantium, conſenſus. Patrum loca habes apud ***Svicerum***, qui hoc comma paſſim in Theſauro illuſtrat, cujus indicem conſuli velim. Miratus igitur ſum L. M. ***Artemonium*** nuper in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto p. 444. Chriſtianos veteres in præſidium *ψευδερμηνείας* hujus afferre & ad Valentinianorum æonas provocare potuiſſe, quos tamen locum hunc *ad ſua deliria detorſiſſe* ipſe fatetur. Poſtquam enim hæc ipſa deliria ex ***Irenæo*** recitaſſet, tandem l. c. inquit: ***Ecce vides, quid antiquis Chriſtianis fuerit*** Primoge-

nitus

nitus omnis creaturæ, *nempe*, factus caput univerſorum poſt Patrem, *aut infra Patrem. Fit autem caput iſtud univerſorum Angelus ille conſilii* NB. *per datam ipſi à Patre omnem in cælo & terra poteſtatem, & poſtquam fuiſſet* miſſus; ac tum illa omnia in ipſo ſunt creata. *Ibid. infra dicitur* Sophia (*ultimus nempe æon*) per apparitionem Servatoris fieri (*γίνεται*) *& quod extra eſt* creari (*κτίζεται*) Omnia enim per ipſum facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe, nihil. *Ecce clariſſimum indicium: antiquos Chriſtianos dictum illud Joannis*, Omnia per ipſum fiebant &c. *&* Col. I. 16. *ad apparitionem Salvatoris in mundo, ad conſummationem ſeculorum, ad rerum omnium ſub Evangelio conſtitutionem retuliſſe. Quod Valentiniani ad ſua deliria detorquebant.* Itane vero ex deliriis argumentari licet ad puram veterum Chriſtianorum ſententiam! Quo, quæſo, indicio conſtabit, quæ veterum Chriſtianorum mens, & quæ Valentinianorum ineptiæ ſint? Confer eundem p. 594. ſqq.

*εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες κ. τ. λ.* ] Phraſes has ex Patribus potiſſimum illuſtrat *Svicerus* tum in Theſauro Eccleſiaſt. tum in Obſervatt. Sacris p. 282. ſqq. Adde, quæ ex variis collegit *Thomas Crenius* in Animadverſionibus Hiſtorico. Philologic. Tom. XIX. pag. 127. nec omitte *Seb. Schmidii* Senarium Angelicum diſſ. IV. & V. Compara quæ ſupra ſcripta ſunt ad *Epheſ.* I. 21. nec audi *Jo. Braunium* in Selectis Sacris pag. 111. *homines principes* hic intelligentem, aut *Campegium Vitringam* in Archi Synagogo pag. 35. de *Judæorum Magiſtratibus* cogitantem, aut *Salom. van Till*, ad *Reges* & *Duces* Judæorum in V. T. *membra* item Synedrii Magni & *Poteſtates delegatas* hos titulos referentem. Neque enim hæc patitur propria & ſacris literis recepta verbi *κτίζειν* ſignificatio, quæ amplior eſt, quam ut de *evectione ad dignitates* accipi poſſit. Diverſos angelorum ordines à Judæis agnitos fuiſſe conſtat. Notandus vero inprimis contra eos, qui de Magiſtratibus Politicis hic cogitant, eſt locus R. *Abrahami f. Mordechai* ex libro חסד לאברהם fol. 3. 2. ubi ait, omnia fieri providentia divina, non hominum, aut ex viribus creatis, בין ממלאכים *vel angelorum*, בין מכסאות vel thronorum aut Sephirotarum. Vid. *Schœtgen.* Horas Hebr. pag. 808. *Θρόνους τοῖς* כרובים ſpeciatim reſpondere exiſtimat *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 401. Vocem enim רכב a כרב deducens quærit: *quid enim differt thronus mobilis à curru regio? Vide, quid Romanis conſulibus ſella curulis fuerit.*

*Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται* ] Vide ad *Rom.* XI. 36. & 1 *Cor.* VIII. 6.

Verſ. 17. *καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε* ] *& omnia in ipſo conſiſtunt.* Verbum *συνέστηκε creationem* inferre a multis eſt admonitum. Hoc ſenſu *Petrus* 2 ep. III. 5. adhibuiſſe videtur, *ὅτι οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ.* Similiter *Ariſtoteles* de creatione & conſervatione rerum omnium adhibuit lib. de Mundo cap. VI. pag. 471. Λοι-

πὸν δὴ περὶ τῆς τῶν ὅλων συνεκτικῆς αἰτίας κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν. Ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ τοῦ Θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκε. οὐδεμία δὲ φύσις, αὐτὴ καθ᾽ ἑαυτὴν αὐτάρκης ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. Obſervavit h. l. *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 554. ubi vide plura. Alios ſimiles promit *Elsnerus* pag. 259. inter quos eſt *Platonis* ille de Republ. lib. VII. pag. 456. *qui motum ſiderum intuetur*, arbitratur, ὡς οἷόν τε κάλλιστα τὰ τοιαῦτα ἔργα συστήσασθαι, οὕτω ξυνεστάναι τῷ τοῦ οὐρανοῦ δημιουργῷ αὐτόν τε καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, *tanta opera quam pulcherrime condita eſſe ab ipſo cæli conditore, & cælum ipſum, quæ in eo ſunt.* Videtur tamen his in locis ad *conſervationem* rerum conditarum reſpici, quam & *Ariſtotes* l. c. indicavit, quando naturam conditam ſibi non ſufficere, ſed DEI præſidio indigere profitetur. Nec alia ratione *Platonis* locum putem accipiendum. Verterim illum ita: *arbitrabitur* (νομιεῖ) *quod, quemadmodum ejusmodi opera* (aſtra) *pulcherrime conſtructa ſint: ita per cæli conditorem conſiſtere* (ξυνεστάναι) *& cælum ipſum, & quæ in eo ſunt.* Vides hic *creationi* jungi *conſervationem*, ut hæc illi reſpondeat, quod particula οὕτω indicat. Vide locum ipſum p. 703. edit. Frane. an. 1602. Atque hanc *conſervationem* Paulum ſignificaſſe ex eo colligo, quod ait, ἐν αὐτῷ συνέστηκε *in ipſo* conſiſtunt, i. e. virtute ejus conſervantur. Dixerat ante, per Chriſtum & in illum, h. e. per potentiam & in honorem ejus omnia eſſe condita; jam ait, omnia quoque per eundem conſervari. Similiter Paulus de DEO *Act.* XVII. 28. Ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν. Hanc conſervandi potentiam ſibi cum Patre vindicat Dominus *Joh.* V. 17. ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι. Nolim itaque ſimpliciter ad creationem referre, de qua jam dictum erat, aut vertere per: *conſtant*, vel *conſtiterunt*. Hanc autem *perſeverandi* & *perſiſtendi* notionem apud *Herodotum* quoque exſtare *Portus* in Lexico monuit. Quam infeliciter & hoc verbum ad novam creationem detorqueat *Artemonius*, leges l. c. pag. 440. 442. & 450.

Verſ. 18. Καὶ αὐτός ἐστιν ἡ κεφαλὴ τοῦ σώματος τῆς Ἐκκλησίας ] Confer *Balthaſ. Bebelii* diſſ. de Primogenitura, Argentorati 1671. 4. & Programma Gryphisvvaldenſe anni 1711. de Primogenito ex mortuis. Patet ex ſermonis ſerie, Apoſtolum, expoſita divinæ, quæ in Chriſto eſt, naturæ Majeſtate & poteſtate, creatione rerum omnium demonſtrata, ad humanam naturam, ejusque præ omnibus prærogativam & opera progredi, & docere, qualem ſe in regno *naturæ* oſtenderit, talem ſe etiam præſtare in regno *gratiæ*. Ex Patre eſt genitus ante ſæcula ſæculorum, eorumque, quæ ſunt, omnium auctor fuit & conditor: aſſumta vero hominis natura caput eſt Eccleſiæ, quam ſibi paravit. Diſcrimen hoc ſatis indicat Paulus, quando initium dicendi facit ab emphatica phraſi: καὶ αὐτός ἐστι.

ἐς

ὅς ἐςιν ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν ] Ἀρχὴ, & πρωτότοκος per appoſitionem junguntur, ita ut alterum explicet alterum, utrumque vero idem, nempe *mortuos*, reſpiciat. Chriſtus *primus* eſt ex mortuis reſuſcitatis, ideo a Paulo 1 *Cor.* XV. 20. vocatur ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, & *primogenitus* eſt *ex mortuis*, quo nomine, altero illo omiſſo, appellatur *Apoc.* I. 5. Hic notandum eſt, etiam in V. T. primitias meſſis & fructuum nunc ראשית i. e. ἀρχὴν nunc בכורים vocari. Vide *Levit.* XXIII. 10. & 17. item *Levit.* II. 12. & compara *Jac. Guſſetii* Commentarios L. Hebraicæ pag. 770 qui tamen ibi ex parte ſubtilior eſt. Quod ſi id minus placeat, dici etiam poſſit, ἀρχὴν πρωτότοκον reſpondere phraſi Hebr. conjunctæ ראשית בכורים i. e. ταῖς ἀπαρχαῖς τῶν πρωτογεννημάτων apud τοὺς LXX. quæ occurrit *Exod.* XXIII. 19. & XXXIV. 26. *Salomoni van Till* ad h. l. idem eſſe videtur, atque *princeps primogenitus.* Ita v. 18. vocatur πρωτεύων. Poſito interim hoc, ἀρχὴν, & πρωτότοκον τῶν νεκρῶν idem eſſe, diſpiciendum proxime eſt, quid ſibi velit phraſis poſterior. Recte mihi vim ejus adſecutus videtur *Gregor. Nyſſenus* Orat. II. contra Eunomium Tom. II. pag. 453. Ἐπεὶ καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναςάσεως ἔδει αὐτὸν ἐναποθέσθαι τῇ φύσει τὴν δύναμιν, γίνεται ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων· καὶ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν (vides quomodo hic utraque phraſis tanquam ἰσοδύναμος conjungatur), ὁ πρῶτος δι' ἑαυτοῦ λύσας τὰς ὠδῖνας (ita enim ibi legendum eſt,) τοῦ θανάτου, ὥςε καὶ ἡμῖν ὁδοποιηθῆναι τὴν ἐκ τοῦ θανάτου παλιγγενεσίαν διὰ τῆς τοῦ Κυρίου ἀναςάσεως, τῆς ὠδῖνος τοῦ θανάτου λυθείσης, ἐν ᾧ κατειχόμεθα. *Quoniam etiam per ſuam à mortuis reſurrectionem ipſum indere vim naturæ humanæ ad reſurgendum oportebat, fit dormientium primitiæ, & primogenitus ex mortuis, qui primus per ſe ipſum mortis dolores ſolvit. Ita ut nobis à morte ſit patefacta via ad regenerationem, per Domini reſurrectionem mortis doloribus ſolutis, in qua detinebamur.* Duplex hic redditur ratio appellationis: altera ex eo repetitur, quod Chriſtus primus, & ſua quidem virtute ſit excitatus; altera eo continetur, quod hoc ipſo aliis reſurrectionis auctor exſtiterit. In eandem ſententiam & alii Eccleſiæ Doctores diſſerunt, quorum locos attulit *Suicerus* Tom. II. pag. 881. & ipſe ita explicans: *id eſt, is, qui à mortuis primus ad immortalitatem propria virtute reſurrexit, & firmam de futura reſurrectione noſtra fidem reddidit.* Inſpice, quæſo, Pauli locum 1 *Cor.* XV. 20. & videbis, utramque hanc elogii, ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων, rationem non obſcure reddi. Primum enim dicitur: νυνὶ δὲ Χριςὸς ἐγήγερται i. e. ἀνέςη, utraque enim phraſi Scriptores Sacri promiſcue utuntur. *Reſurrexit* itaque *Chriſtus*, & quidem ſua virtute, quam profitetur ipſe *Joh.* II. 19. X. 17. 18. Idem vero auctor ſuis fuit reſurrectionis. Paulus ait: δι' ἀνθρώπου, nempe Chriſti, ἀνάςασις νεκρῶν. Ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ Ἀδὰμ πάντες ἀποθνήσκουσιν, οὕτω καὶ ἐν τῷ Χριςῷ πάντες ζωοποιηθήσονται. Hoc vero etiam ſperare Chriſtus jubet mortuos in ſe credentes *Joh.* XI. 25. Hæc liquida mihi videntur. Jam inſpice aliorum cogitata his ex parte ſimilia, quæ recitavit eruditus *Ewaldus* in Emblematibus Sacris Miſcellaneis pag. 162. & perpende, num dictionis δεινότητα exhauriat ipſe,

 quan-

quando referri eam vult ad primogenitos Iſraelitarum, qui ex mortuis Aegyptiorum primogenitis ſoli ſalvi evadebant: *Quando autem*, inquit, *additur phraſis ἐκ νεκρῶν, innuit occaſionem, quando primogeniti ex Iſraele DEO conſecrari cœperunt, ſcilicet, quando omnes primogeniti in Aegypto per Angelum Jehovæ trucidarentur, primogeniti Iſraelitarum ex mortuis primogenitis Aegyptiorum ſoli ſalvi evadebant, & quia æque morte digni erant coram DEO, eos ſibi conſecrari jubebat. Nam phraſis*, inquit, *ἐκ νεκρῶν, ſtatum mortuorum*, imo *mortem* denotat: *conf. Marc. XII. 25. Luc. XX. 35. Act. IV. 2. Recte ergo Chriſtus alluſive ad hos primogenitos dicitur πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν.* Non nego equidem, per *primogenitum* alludi ad primogenitos in V. T. commemoratos, ſed ea tantum ratione id fieri puto, ut generatim prærogativæ indicentur, quibus illi præ ceteris valuerint, atque adeo quoque ſignificetur, Chriſtum θεάνθρωπον inter homines ita eminuiſſe, ut nullus alius cum eo comparari poſſit. Reſpectum vero ſpeciatim ad illud haberi, quod primogenitis Iſraelitarum, tempore cladis primogenitorum ex Aegyptiis, acciderit, ut mihi perſuadeam, adduci non poſſum. Illi enim *primogeniti ex mortuis* appellari nequeunt, qui nunquam inter mortuos fuerint. Neque conſervatio illorum in vita Iſraelitarum primogenitis ideo uſu veniebat, quod eſſent primogeniti, ſed quod eſſent Iſraelitarum filii: alioquin enim reliqui eorum filii, ſecundo vel tertio loco nati, in occiſorum ſocietatem abripi debuiſſent. Quod vero in Aegyptiorum primogenitis potiſſimum hæc clades edebatur, id ideo eveniebat, ut ipſi Aegyptii partim intelligerent, ſpeciali quodam Numinis nutu id fieri, partim vero hoc majore dolore afficerentur. Non ſuffecerit regerere, Iſraelitarum primogenitos æque ac illos Aegyptiorum *morte dignos* fuiſſe. Nam & hoc in ceteros eorum fratres cadebat: itaque nihil præcipuum in illos ſtatutum fuiſſet. Neque Iſraelitarum filii æque morte digni erant, atque Aegyptiorum illi, cum ex eo populo eſſent nati, quem Summum Numen in tutelam receperat. Quod porro Iſraelitarum primogenitos DEUS ſacros eſſe volebat, id inter illorum prærogativas non adeo numeraverim, cum eo potius pertineret, ut facti memorabilis memoria in ipſorum animis perpetua eſſet. Quas interim habebant prærogativas, illarum nonnullæ iis ante hoc factum & ante hoc DEI inſtitutum propriæ erant, ex ipſo jure primogenituræ. Itaque hi Iſraelitarum primogeniti in tantum non fuerunt Meſſiæ typus, nec Apoſtolus credi poteſt, hinc ad eorum ex clade conſervationem, hinc ad dedicationem DEO factam reſpexiſſe. Quæ poſtea Vir doctus de dominio & principatu in ceteros, de Jure Sacerdotii, de ſanctitate & conſecratione adverſus DEUM, de ſanctificatione reliquis fratribus præſtita, de duplici hæreditatis portione, tanquam primogenitis olim competentibus, affert, ea ut erudite monentur & ad Chriſtum applicantur, ita ad Apoſtoli ſcopum adſequendum non ſufficiunt. Tales enim hic prærogativas afferri neceſſe eſt, quæ primum ad mortuos reſpectum habere poſſint, quæque deinde Dominum noſtrum ſupra omnes homines collocent. Tales autem ſunt, quas dixi in Salvatoris noſtri reſurrectione exſtare. Nemo enim homi-

hominum ſe unquam ipſe excitavit, nemo hominibus omnibus reſurrectionis futuræ auctor & pararius exſtitit. Placent, quæ *Salom. van Till* ad h. l. obſervat; *Hoc (ἐκ τῶν νεκρῶν) additur, ut indicetur, talem fuiſſe probatum per reſurrectionem ex mortuis. Conf. cap. I. v. 5. quaſi dicat, hic, qui ex mortuis ſuſcitatus eſt, ad principatum ſuum fundandum mortuus, & ad vitam immortalem revocatus, jam hoc ipſo opere demonſtratus, quod ſit Filius DEI Rom. I. 4. & ut πρωτότοκος Principatum ſuſceperit.*

Subtilior hic eſt, ut ſolet nonnunquam, *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 127. quando ita commentatur: *Patet, JESUM Chriſtum jure dici ἀρχὴν πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν Coloſſ. I. 18. cui geminum eſt 1 Cor. XV. v. 20. & 23. quamvis alii ipſo prius, & à Prophetis, & ab illo ipſo, tum vivente, tum moriente, ſuſcitati ſunt. Illi ſunt quaſi manipulus, ipſe, ut vera primogenita. Cumque nihil ejus primogenituræ his præmiſſis decedat, præmitti ſane eos decuit; ſic omnibus ſuis numeris typus abſolutus & impletus conſpicitur. Isque typus tam aptus eſt, ut omnes proportiones in eo emicent. Nam ſi anteriores conferas cum Chriſto, tam ei, imo magis, cedunt, quam hordeum tritico: illi ſunt præ eo ignobiles; illi immaturi, ipſe in temporis plenitudine; illi ſancti quidem, & coram DEO adducti ſunt, ut manipulus; ſed Chriſtus hoc amplius habuit, quod reſurrectionem omnibus ſua impetravit.* Crediderim equidem, eodem ſenſu Chriſtum ἀρχὴ ſeu ἀπαρχὴν κεκοιμημένων vocari reſpectu habito ad vocem ראשית quo vocatur πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν reſpectu vocis בכור, vel בכורים Nec comparari Chriſtus poteſt, aut debet cum mortuis, qui ante ipſum aliena virtute excitati ſunt; ſed præfertur mortuis vel excitatis, vel olim excitandis, quod ſua ipſe virtute reſurrexit, & aliis ejusdem muneris auctor exſtitit.

*ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων*] *ut ipſe in omnibus primas teneret.* Eadem phraſis eſt apud *Demoſthenem* Orat. Amat. in fine ἡγοῦ κράτιστον μὲν εἶναι πρωτεύειν ἐν ἅπασι. Vide *Lam. Bos* pag. 205. Exercitatt.

Verſ. 19. Ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησε πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι] Cave τὸ, ἐν αὐτῷ, referas ad εὐδόκησε, cum pertineat ad κατοικῆσαι & ſubintellige vel ὁ Πατὴρ vel τῷ Πατρί. Conf. *Matth.* III. 17. & *Luc.* XII. 32. *Rom.* XV. 26. 27. obſervante *Raphelio* in Annotationibus Polybianis pag. 572. qui ſimilem ex *Polybio* lib. II. cap. XII. pag 139. vocum ſtructuram affert. ἡ Τεῦτα διαπρεσβευσαμένη πρὸς τοὺς Ρωμαίους ποιεῖται συνθήκας, ἐν αἷς εὐδόκησε φόρους τε τοὺς διαταχθέντας οἴσειν. Ad argumentum de quo hic & v. 20. agitur, lege B. *Gothofredi Olearii* Obſervationes ad Matthæum pag. 425. & 371. De voce πλήρωμα vide ad *Epheſ.* I. 23. & infra ad II. 9. 10.

Verſ. 20. Καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι κ. τ. λ.] Illuſtrat totum comma *Alethaus* Tom. II. der Erläuterung pag. 195. ſq. Contra Socinianos urget, & vindicat *Grotius* Tom. III. Operum pag. 325. & *Theodorus le Blanc* in Princi-

 pes

pes contre les Sociniens Parte II. pag. 436. ſqq. Compara quoque *G. G. Zelneri* Hiſtoriam Crypto Socinismi Altorfini pag. 842. 976. & 1046.

*εἰς αὐτὸν* ] Ita lego cum plerisque editionibus, ut referatur ad Patrem omnia *ſibi* reconciliantem. Ita Paulus 2 *Cor.* V. 19. de eodem argumento loquens ait: *ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ.*

*τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ* ] Τὸ, *δι' αὐτοῦ* hic in Codd. nonnullis deeſt, quod propterea prorſus omiſit recens Editor N. T Græco-Anglicani. Perperam omnino. Non mirum eſt, librarios hæc poſteriore loco omiſiſſe, tanquam quibus ſuperflua videri poterant, quæ in limine commatis jam occurrerent. At data opera ea repetiit Paulus, tum, ut eo efficacius repræſentaret Chriſtum, tanquam unicum pacis ex Patris conſilio & nutu pararium, tum ut verba commatis hujus ultima, *εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε ἐν τοῖς οὐρανοῖς* adjungere reliquis poſſet. Ea enim, ratione ſenſus, pertinent ad *τὸ, ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα.* Quemadmodum itaque Paulus ibi dixit: *καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι*, ita nunc *τὸ δι' αὐτοῦ* in calce repetit, hoc ſenſu, *ut per eum*, inquam, reconciliaret omnia, nempe, quæ in terra & in cœlo ſunt. Itaque hæc adeo non ſunt ſuperflua, ut, ſi omitterentur, extrema illa verba *εἴτε τὰ* &c. locum habere vix potuiſſent. Poſſit quoque *τὸ δι' αὐτοῦ* referri ad *αἵματος* proxime antecedens. Interim, cave, ita vertas, ac ſi ſcriptum eſſet *δι' αὐτοῦ*, (quemadmodum unus *Linc.* apud *Millium* exhibet) *per ſe ipſum.* Sic enim pertineret ad Patrem, qui tamen non per ſe, ſed per filium, eumque in cruce mortuum mundum ſibi reconciliavit, quod in toto hoc commate traditur. Nulla itaque hic illarum vocum trajectione opus eſt, quemadmodum ea quoque carere poſſumus, quam *Hombergius* à nemine negari poſſe præceps exiſtimat. *Verbum enim*, inquit, *εἰρηνοποιήσας non connectendum eſt ullo modo cum verbis immediate præcedentibus: ſiquidem difficile eſt, judicare, quem ſenſum & conſtructionem tum habiturum ſit in hoc verſu. Habet autem connexionem cum præcedente v. 18. ibi Chriſtus dicitur κεφαλὴ, ἀρχὴ πρωτότοκος, & per conſequens etiam εἰρηνοποιήσας. Reliqua inſerta ſunt, quale eſt illud, ἵνα γένηται v. 18. quod occaſione, verbi πρωτότοκος dicitur, nec non totus verſus 19. ubi ratio redditur, & fundamentum ob oculos ponitur priorum omnium.* Miror, hæc in mentem venire potuiſſe *Hombergio.* Factum vero hoc inde puto, quod non perſpiceret, quomodo *τὸ, εἰρηνοποιήσας* ad Patrem referri poſſit, ad quem hic omnino pertinet. Et qui non vocaretur Pater *εἰρηνοποιήσας, pacem faciens*, qui proxime ante *ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα reconciliaſſe omnia*, dicitur, quando ſcilicet filium ſuum mediatorem inter ſe & homines non ſolum conſtituit, ſed & recepit? Propterea Pater vocatur *θεὸς εἰρήνης* Hebr. XIII. 20. qui Dominum noſtrum, ut Paſtorem ovium in ſanguine ſuo eduxerit. Itane vero egregie hæc verba ſibi cohærent? Vide vero præterea, quam male ad v. 18. & hæc ejus verba: *ὅς ἐστιν ἀρχὴ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν*, referantur. Cum his enim conjungi omnino debent, quæ ibi proxime ſequuntur: *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων.*

*τεύων.* Nam ſic ſcopus & finis indicatur, cur Chriſtus & caput Eccleſiæ & primogenitus ex mortuis ſit conſtitutus. Et quomodo dici poteſt Chriſtus *per conſequens εἰρηνοποιήσας*, quod ſit ἀρχὴ & πρωτότοκος? Abſit denique, ut dicamus, Paulum verſum 19. ceteris interjeciſſe. Ille enim cum v. 20. ita cohæret, ut ab eo divelli non poſſit, cujus rei indicium in particula καὶ ſatis eſt manifeſtum. Accipe jam totius commatis verſionem, & judica, num qua ſint hiulca aut male cohærentia: *Et per eum reconciliare omnia ſibi, pace facta per ſanguinem in cruce ejus* ( Chriſti ) *per eum*, inquam, *ſive quæ in terra ſunt ſive, quæ in cælis.*

εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ] Obſcurum eſt, quid per ea, *quæ in cælis ſunt*, tanquam reconciliata, intelligi debeat. *Hammondus* ad h. l. per ea, quæ in terra & in cœlis ſunt, nihil aliud quam *mundum*, per *mundum* autem nil niſi *homines* ſignificari putat, quo ſenſu Paulus 2 *Cor.* V. 19. dicat, *DEUM in Chriſto mundum ſibi conciliaſſe.* Sed vim phraſi, ex commemoratis antea angelicis creaturis ſatis luculentæ, ſic inferri recte obſervavit *W. Wall* in Notis Criticis Anglicanis pag. 292. Alii itaque ad perſonas divinas hæc referunt. Sed non video, quomodo divinæ perſonæ ſibi ipſis rconciliatæ dici ullo modo poſſint. Ab aliis afferuntur *Angeli*, eo quidem ſenſu, ut & ipſi hominibus ante infenſi, iiſdem nunc quidem amici redditi dicantur. At nec id ſufficit, cum ſic Angeli non DEO, de quo omnino ſermo eſt, ſed homines Angelis conciliati exiſtimari debeant, quod ut neceſſe non erat, ita nec Apoſtolum indicare voluiſſe mihi perſuadeo. Admitti id poterat, ſi phraſis εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς &c. ad εἰρηνοποιήσας referri poſſet, quod facere video *Alethæum* pag. 205. l. c. Hoc autem nec verbum εἰρηνοποιήσας patitur, nec phraſis ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα. *Wallius* quidem l. c. exiſtimat, fortaſſe aliquid amplius œconomia Redemtoris contineri, quam quod nobis adhuc ſit perſpectum. Id quod inferre videtur, fuiſſe aliquid in Angelorum ordinibus, quod efficeret, ut in ſocietatem redemtionis venirent. Hujus vero conjecturæ cum nullum exſtet in Scriptura præſidium, eam quidem amplecti non licet. De malis Angelis cogitare nefas eſt, qui in cælo eſſe nusquam dicuntur, ſicut & Incarnationis beneficium ad Angelos pertinere univerſum negatur *Hebr.* II. 16. Reſtant igitur animæ eorum, qui ut ante redemtionem Salvatoris in Domino obierunt, ita in cœlis verſabantur. Ad eas dici poteſt conciliatio cum DEO, per Chriſtum facta, in tantum referri, in quantum pro peccatis eorum olim perpetratis Dominus ſatisfecit, & DEUS reſpectu illius meriti olim præſtandi eos in gratiam recepit. Atque hæc eſt *van Tillii* ſententia ad h. l. *In cælis*, inquit, *reconciliatæ ſunt animæ beatorum, quorum ſalus in cruce Chriſti quoque ratificata fuit.* Nec aliter ex noſtratibus Rev. *G. G. Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Socinismi Altorfini p. 1048. *Mihi*, inquit, *ſi quid judico, rectius Angelis ( inter creaturas, ſed ob aliam cauſam, ante connumeratis ) probabile nunquam non fuit, ſubſtituendos eſſe* homines jam in V. T. demortuos, *quorum peccata Chriſtus non minus,*

*uti*

*uti Hebr. IX.* 15. *perſpicue docetur, quam* ſequentis ævi mortalium *expiavit, atque hos adeo ſolos intelligi oportere, eo ſenſu, quod cum* in cœlis jam ſint, non *tamen* niſi *per* καταλλαγὴν *hanc* Chriſti, *in eum ingreſſum conſequi potuerint. Quam etiam ob rem alios ſub terra, mortuos videlicet & qua corpora ſub terra adhuc abditos, videas cum iſtis, qui in cœlo ſunt, qua animam conjungi. Quam tamen ſententiam nemini obtrudimus. Si quis enim indirecte, ex conciliatione hominum atque DEI profluentem conſecutamque amicitiam Angelorum cum hominibus beatitatis conſortibus, & de mortalium quoque pœnitentia, uti Chriſtus inquit, mirum in modum lætantibus, ut fit, iſthæc interpretetur, nihil dixerit, quod fidei analogiæ adverſetur.* Prius illud præ ceteris omnibus placere mihi non diffiteor. Ita enim demum habemus etiam in cœlis *objectum* reconciliationis proprie ſic dictum, quale Angeli eſſe dici non poſſunt. Quæ enim nuper *Samuel Crellius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 447. hanc in rem dixit, cordato rerum exiſtimatori nunquam ſatisfacient. Ita vero ille: *Oſtendimus vero nos in* Defenſione *illa* Confeſſionis Unitariorum, *infra in hoc opere alleganda, Angelos omnes non ſtatim à lapſu Diaboli Angelorumque ejus, inſtauratos, & in bono, ne labi poſſint, confirmatos, ſed in Chriſto demum, ſub Evangelio id ipſis contingere, & ſic magnam in ipſo conſequi ſalutem, formationem, creationem, regenerationem, etiam à Valentinianis ipſis creditam, ac ex eorum ſententia per formationem, creationem, & regenerationem Thronorum, Poteſtatum, Deitatum, Miniſteriorum, de qua diximus, præfiguratam & adumbratam.* Bonum tamen factum, quod hanc καταλλαγὴν ad Angelos malos non refert, quibus eam vindicare poſt veteres nonnullos recentiores quidam ἀποκαταςάται etiam ex h. l. conati ſunt. Inter eos eſt *Peterſenius* in Tract. de myſterio ἀποκαταςάσεως πάντων pag. 115. contra quem lege B. *Pfeffingeri* diſſertat. de reſtitutione Diabolorum Argentor. 1708. & *Alethæum* Tom. 195. ſ. ut omittam, quæ non ita pridem contra *Gerhardum* in hoc argumento ſunt diſputata.

Verſ. 21. Καὶ ὑμᾶς ποτὲ ὄντας κ. τ. λ.] *Hombergius* recte hoc ad ἀποκαταλλαγὴν verſ. 20. refert, ut & ipſi Coloſſenſes ſpeciatim inter ea numerantur, quæ DEO per Chriſtum conciliata dicantur. Propterea nec neceſſe eſt, τὸ ϗ per *itaque* cum *Beza* vertere, ſed particula *&* adhiberi debet, hoc ſenſu: *& vos quoque nunc ſane reconciliavit. Eraſmus Schmidius* & alii, ut ſenſus verborum evaderet clarior, comma 21. claudunt verbis: τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς, & v. 22. incipiunt ab illis: νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν. Idem placet *Hombergio.*

ἀπηλλοτριωμένους καὶ ἐχθροὺς τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς] *vos, qui eratis quondam abalienati & hoſtes* DEI, *mente operibus malis* occupata. Ita *Eraſmus Schmidius*, nec aliter fere *Beza*. *Hombergius* mavult: *abalienatos mente à DEO, & hoſtes ejus in operibus malis*, ut ſic vox διανοίᾳ ad ἀπηλλοτριωμένους, & ἐν τοῖς ἔργοις τ. π. ad ἐχθροὺς referatur. Senſus, fateor, commo-

modus eſt, quem tamen alteri illi præferre nolim. Neque enim neceſſe eſt, ut ſtructuram vocum Apoſtolicam, quæ & ipſa ſenſum fundit egregium, deſeramus. Taceo *ἀπηλλοτριωμένους* longe aliud inferre, quam quod ſignificat, ſi voci *διανοίας* jungatur. Significat enim *alienos* a gratia, beneficiis & promiſſionibus divinis. Hoc ſenſu Paulus Epheſios ait *ἀπηλλοτριωμένους τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένους τῶν διαθηκῶν.* II. 12. quemadmodum IV. 18. *ἀπηλλοτριωμένους τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ* commemorat. Utrinque vides beneficia recitari, a quibus gentes ſunt alienæ. Eodem vero in loco Apoſtolus affert *ἐσκοτισμένους τῇ διανοίᾳ*, atque illis ſubjungit *τοὺς ἀπηλλοτριωμένους τῆς ζωῆς τοῦ Θεοῦ.* Commode vero etiam *ἐχθροὶ τῇ διανοίᾳ ἐν τοῖς ἔργοις πονηροῖς* dici poſſunt h. e. *hoſtes mente operibus malis intenta.* Idem enim Apoſtolus ait *Rom.* VIII. 6. *τὸ γὰρ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεόν.* *Διάνοια* ſcilicet hic mentem infert cogitationibus, non minus quam affectibus & cupiditatibus pravis occupatam, & malis operibus ſe prodentem. B. *Lutherus* vertit per Vernunfft, cui dicam ideo ſcripſit *Emſerus*, qui mavult Sinnligkeit, ipſe a *Dietenbergero*, qui Lutherum ſequitur, deſertus, nec idonea criminandi cauſa inſtructus. Vide *Raithii* Vindicias pag. 544. ſq. Comma hoc integrum illuſtratum dedit *Iſaac. Fauſtius* in Diſſertat. de ratione hominis hoſte DEI. *Argentorati* 1668.

Verſ. 22. *Νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν* ] Ab his verbis comma hoc recte complures editiones auſpicantur, quod ante diximus. *Τὸ δὲ* hic idem eſt, quod *ſane, omnino*, quo ſenſu apud *Platonem* exſtare *Beza* monuit. Compara *Glaſſii* Grammatic. Sacr. pag. 610.

*ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ* ] Phraſis eſt Hebraica : בגופו של בשר Confer *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 808.

Verſ. 23. *τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει* ] Ita juſſerat Dominus *Marc.* XVI. 15. Conf. ſupra ad v. 6. Non video, cur *Knatchbullus* in Notis ſuis Anglicanis (neque enim in Latina editione hoc legitur) p. 240. *τὸ κτίσει* verti velit per *creationem.*

*οὗ ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος διάκονος* ] *Diaconi* vocem latiore ſenſu h. l. ſumi patet. Confer *Petavii* Dogmata Theologica Tom. IV. ubi de Hierarchia Eccleſiaſtica lib. II. cap. 12. pag. 145. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri pag. 870.

Verſ. 24. *Νῦν χαίρω ἐν τοῖς παθήμασί μου ὑπὲρ ὑμῶν, κ. τ. λ.* ] Commentati in hæc ſunt ex noſtratibus *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ S. pag. 634. *Thom. Ittigius* in diſſertat. ſingulari de reſiduo paſſionum Chriſti, quod Paulus in carne ſua, Eccleſiæ cauſa, cum gaudio adimplevit, Lipſ. 1701. quæ recuſa exſtat in ejus Enneade Exercitatt. Theolog. Lipſ. 1702. 8. pag. 530. ſqq. *Pet. Brandt* in diſput. de paſſionibus corporis Chriſti myſticis, Jenæ 1701. & nuperrime D. *Jo. Caſp. Haferung*, Theologus Witteberg. de

 defecti-

defectibus adflictionum Chriſti à Paulo ſupplendis, Vitemberg. 1731. Adde *Amelii* Erörterung Part. I. pag. 213. & Part. II. pag. 94. & *Kunadi* erſte Früchte ſeiner gottgeheiligten Kirchen-Arbeit p. 476. Ex Reformatis legantur *Spanhemius* in Dubiis Evangelicis Parte III. pag. 209. 222. 223. 226. & 227. *Herman. Witſius* Tom II. Miſcellan. pag. 99. *Herman. van de Wall* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 210. ſq. *Theodor. Haſæus* ibidem pag. 219. ſqq. & *Jacobus Elsnerus* ibidem pag. 753. ſq. tum vero in Obſervatt. Sacris pag. 260. & *Campeg. Vitringa* Obſervatt. Sacr. Tom. I. pag. 198. & II. pag. 144. Ex Arminianis *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. cap. 12. Ex Pontificiis *Arnaldus* in Continuatione Defenſionis verſionis Gallicæ Montenſis p. 497.

Νῦν χαίρω ] Codices aliquot præmittunt ὃς, *qui*. Idem expreſſit *Vulg.* & retinendum cenſuit *Beza*. Eo tamen opus non eſt, cum Paulus, expoſita Coloſſenſium felicitate, quæ ad ipſos ex præconio Evangelii pervenerat, de ſe nunc pluribus loqui incipiat, facta occaſione ex eo, quod v. 23. ſe Evangelii dixerat miniſtrum. Videtur interim ὃς illud a nonnullis nexus cauſa ideo additum, quod Apoſtolum, proxime ante Evangelium commemorantem, eadem connectendi particula, οὗ ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος διάκονος, uſum viderent; ſicut v. 25. ait, ἧς (Ἐκκλησίας) ἐγενόμην ἐγὼ διάκονος. Niſi dicere malis, τὸ ὃς ex ultima ſyllaba vocis antecedentis διάκονος natum eſſe, quod in deſcribendis antiquis Codicibus facile uſu venire potuit, quos ſine commatum interpunctione exaratos fuiſſe conſtat.

ἐν παθήμασί μου ] Τὸ μου deſideratur in Codd. nonnullis ideoque *Millio* in Prolegomenis addiditium videtur, renitente recte *Whitbio* p. 70.

ὑπὲρ ὑμῶν ] *veſtri cauſa, in veſtrum commodum.* Conf. 2 *Cor.* I. 6. & alias. Neque enim *loco* Coloſſenſium, tamquam aliquid ipſis promeriturus, perpeti ſe quicquam credebat aut profitebatur Apoſtolus, qui pacem ipſis per Chriſtum conciliatam eſſe ante edixerat. Interim ex perpeſſionibus Apoſtoli hic fructus ad eos pervenire poterat, ut de veritate Evangelii, quam Paulus pertinaciter inter medias calamitates tenebat, certiores redderentur, ipſique ad ſimiles exantlandas ſuo excitarentur exemplo. Hoc malim, quam cum τῷ δεῖνα ſtatuere, Paulum Coloſſenſium cauſa adflictum ſe dicere, quod a Judæis cuſtodiæ Romanæ fuerit mancipatus, inprimis ideo, quia gentibus Evangelium ſine cerimoniis legis prædicaſſet.

καὶ ἀνταναπληρῶ ] Verbum hoc exemplo externi Scriptoris deſtitui viſum eſt pleriſque. Tale vero commode in medium attulit *Elsnerus* ll. cc. ex *Demoſthene* de Claſſibus pag. 74. Τούτων δὲ τῶν συμμοριῶν ἑκάστην διελεῖν κελεύω εἰς πέντε μέρη κατὰ δώδεκα ἄνδρας, ἀνταναπληροῦντας πρὸς τὸν εὐπορώτατον ἀεὶ τοὺς ἀπορωτάτους. *Earum porro claſſium ſingulas in quinas partes dividi jubeo duodenarias, locupletiſſimo cuique tenuiſſimis ad explendum numerum adjunctis.* Idem paulo ante ἀναπληροῦν dixerat. Produxit & alium *Dionis* locum ex lib. IV.

IV. pag. 266. *Jo. Alberti* in Periculo Critico pag. 54. præter *Demoſthenis* locum promit tres *Apollonii Alexandrini* de Syntaxi pag. 19. ἀνταναπληροῦσα τὴν θέσιν. Et pag. 330. ἀνταναπληροῦσαι τὴν ἀπόδειξιν, item pag. 255. Non dubium eſt, idem verbum alibi frequentius occurrere, quamvis Lexicographorum induſtriam effugerit. Conſtat enim, eos in colligendis verbis, quæ duas vel tres interdum præpoſitiones ſecum ferunt, negligentiores fere fuiſſe. Memini me olim ex *Curis* Caſauboni *Polybianis*, quæ in Bibliotheca Bodlejana MSS. exſtant, indicem illorum bene longum deſcribere, quem vir, ſiquis alius, induſtrius, ex *Polybio* & aliis Græciæ Scriptoribus ſecundum literarum ſeriem collegerat. Quod ad verbum noſtrum attinet, plerique particulæ ἀντὶ vel maxime rationem habendam cenſentes vertunt per *viciſſim ſuppleo*, ut *Eraſm. Schmidius*, *Beza*, alii. Illorum alii ſic ad Chriſtum reſpici putant, cujus exemplum grati animi loco Paulus imitetur: vide *Zeltneri* annotationes vernaculas ad verſionem Biblicam Lutheri. Sic *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 554. monet, *Chriſtum dici poſſe* ἀναπληρῶσαι τὰς θλίψεις, *Chriſtianis vero convenire*, τὸ ἀνταναπληροῦν, *cum & ipſis viciſſim multa propter Chriſtum perpetienda ſint*. Alii vero id ideo dici contendunt, quod, ſicut Paulus olim Eccleſiam Chriſti adflixerit, ita nunc *vice verſa* ipſe in commodum & pro Eccleſiæ cauſa multa perpetiatur, & perpeti velit inpoſterum. Hæc eſt ſententia *Clerici* l. c. & *Wallii* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. pag. 217. Ab altera parte ſunt, qui negent, τὸ ἀντὶ hic aliquid addere verbo ἀναπληροῦν, atque adeo nihil aliud inferre, quam *implementum* eorum, quæ adhuc ſint exantlanda. Hæc eſt *Elsneri* ſententia ll. cc. Rationes ita ſentiendi has habet. Paulus alibi utitur phraſi ſimplici ἀναπληροῦν ὑστέρημα eodem ſenſu, v. c. *Philip.* II. 30. & 1 *Cor.* XVI. 17. quæ phraſis & externis Scriptoribus eſt recepta. Deinde *Demoſthenes* idem quod l. c. paulo ante dixerat ἀναπληροῦν, mox, ἀνταναπληροῦν vocat. Sed nec deſunt, quæ pro priore ſententia dici poſſint. Τὸ ἀντὶ in verbis compoſitis ſæpe idem inferre, quod *viciſſim*, negari non poteſt. Teſtes ſunt voces ἀντικαλεῖν *Luc.* XIV. 12. ἀντιλοιδορέω 1 *Pet.* II. 23. His ex profanis Scriptoribus junxero ἀντιλαμβάνειν χάριν, ἀντιμαχηρεῖν, ἀντιπαρεξιέναι, ἀντεπανάγεσθαι, ἀντεπεξελαύνειν, ἀντιπαραλυπεῖν, ἀντεπεξέρχεσθαι, ἀντιπαριέναι, quæ, primis duobus exceptis, ex *Thucydide* potiſſimum attulit *Caſaubonus* Indice verborum hujusmodi decompoſitorum modo commemorato. Objverti his poteſt, vim & notionem propriam præpoſitionibus ejusmodi verborum in uſu Scriptorum non ſemper conſtare. Reſpondero autem, advocanda tum eſſe ἀνερχόμενα, & formalem ſignificatum tenendum, ſi ab illis vel poſtuletur, vel ſaltem admittatur. Ejusmodi vero aliquid in hac ſermonis Paulini ſerie occurrere ex ſuperioribus patet, ſive ad Chriſti perpeſſiones, quod malim, ſive ad antecedentes vexationes, quibus Paulus in Chriſtianorum cœtum olim graſſatus erat, mentem convertas. His accedit, quod Apoſtolus alibi verbo ſimplici ἀναπληρῶ aliquoties utatur. Ex quo probabile fit, cum h. l. per alterum illud ἀνταναπληρῶ aliquid amplius indicatum voluiſſe. Video denique, *Chryſo-*

*ſtonium* quoque particulæ ἀντὶ rationem habendam cenſuiſſe, quamvis aliam illi ſignificationem tribuat. Τοῦτο θέλων εἰπεῖν, ὅτι οὐχ ὑμῖν χαρίζομαι, ἀλλὰ τῷ Χριστῷ. ἃ γὰρ ἐκεῖνον ἔδει παθεῖν, ἐγὼ πάσχω ἀντ' αὐτοῦ.

Quæ de variis compenſationibus reſpectu *rerum* & *temporis*, tanquam Pauli tempore inter Judæos receptis, ad illuſtrandam verbi ἀνταναπληρῶ notionem ex *Triglandii* ſententia in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. pag. 210. ſq. afferuntur, ea longius petita exiſtimo.

τὰ ὑστερήματα] ὑστερήματα inferunt *reliquias* ſeu *defectus* calamitatum ex parte quidem toleratarum, ſed ita tantum, ut ſupplemento adhuc opus ſit & plures exantlandæ ſuperſint. Hæc vocis notio eſt *Philip.* II. 30. 1 *Cor.* XVI. 17. & alias. Conf. Biblioth. Bremenſ. l. c. pag. 214. & pag. 754. ubi *Elsnerus* recte oſtendit, eam h. l. non eſſe *agoniſticam*, qua *defectus curſus, ut propoſitam metam non attingas, & tarditas adventus indicetur.*

τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ] i. e. afflictionum, quas Paulus propter Chriſtum ſubire adhuc debebat. Hoc ſenſu Joannes *Apocal.* I. 9. ſe συγκοινωνὸν appellat ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ, καὶ ὑπομονῇ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Conf. Bibl. Brem. l. c. pag. 212. & pag. 753. & *Elsneri* Obſervat. pag. 260. Abſit itaque, ut cum Pontificiis hinc exſculpamus, deeſſe aliquid ipſius Chriſti perpeſſionibus, quod ad negotium ſalutis perficiendum pertineat. Error hic palmarius & in dignitatem ſatisfactionis, à Chriſto præſtitæ, injurius, ab *Ittigio* inprimis in diſſertatione ante laudata eſt profligatus. Mihi ſuffecerit ex ipſis Pontificiis aliquem ceteris opponere. Is vero eſt *Arnaldus* in Defenſione continuata verſionis Gallicæ Montenſis pag. 497. ſqq. ubi fuſe contra *Malletum* oſtendit, θλίψεις has non ad Chriſtum ipſum, ſed ad corpus ejus myſticum atque adeo Paulum, & ejus calamitates inpoſterum exantlandas pertinere. Id vero tum ex Patribus, tum aliis argumentis evincit. Cetera, quæ hanc in rem dici poterant, ab aliis pridem ſunt occupata. *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. II. pag. 144. inter ὑστερήματα illa inprimis *mortem corporis* refert. *Pertinet itaque*, inquit, mors corporis *ad τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ Χριστοῦ*, reliquias paſſionum Chriſti *Coloſſ.* I. 24. *Quando enim* paſſus eſt *Chriſtus, nondum paſſus eſt omnia, quæ ipſum oportuit pati, alias enim nullum eſſet* ὑστέρημα reliquum *paſſionum ejus. Scilicet paſſus eſt omnia, quæ ad ſolutionem pro noſtris peccatis & noſtri conſummationem plenam pertinent; ſed reſtabant adhuc Eccleſiæ ſuperandæ afflictiones, ipſi à DEO decretæ, inter quas merito etiam ponimus mortem, maxime ſi extraordinaria eſt, & ad veritatis confirmationem facit. Hæ vero ſunt paſſiones Chriſti, quia Eccleſia ipſius eſt corpus, in quo ipſe eſt, habitat, vivit, ergo & patitur.* Subtilior hic eſt *Colomeſius*, quando ad temperandam phraſin, quam Chriſtianorum auribus duriorem putat, τὰ ὑστερήματα non per *reliquias* (*reſtes*) ſed per *ſequelas* (*ſuites*) reddi cupit. Vide Obſervationes ejus pag. 154.

Verſ.

Verſ. 25. κατὰ τὴν οἰκονομίαν τῦ Θεῦ ] i. e. κήρυγμα οἰκονομίας prædicatio diſpenſationis, ſecundum *Theodoretum* & *Theophylactum*. Vide *Svicerum* Tom. II. p. 458. Conf. *Epheſ.* III. 2.

πληρῶσαι τὸν λόγον τῦ Θεῦ ] Vide dicta ad *Rom.* XV. 19.

Verſ. 26. Τὸ μυςήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ] Vide ad *Rom.* XVI. 25. Cabbaliſtæ alias : סוד נשגב נעלם *myſterium ſublime & abſconditum.* Ita *Sepher Raſiel haggadol* fol. 24. 2. apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 808. De re ipſa lege *Gothofredi Olearii* Obſervationes ad Matthæum pag. 325. 354. & 371. Quomodo hoc aſſertum Paulinum cum venditatis illis Sibyllarum, Triſmegiſti & ſimilibus oraculis conciliari poſſit, disquirit *Joan. Dougtæus* in Analectis Sacris Tom. II. p. 130. ſq.

Verſ. 27. τίς ὁ πλῦτος ] Codices nonnulli habent : τί τὸ πλῦτος, idque in contextum recepit recens editor N. T. Græco-Anglicani, id non facturus, ſi recogitaſſet, πλῦτον nec in Sacris nec in externis Scriptoribus unquam in genere neutro occurrere. Librarii, qui ita ſcripſerunt, de voce πλῆθος cogitaſſe videntur.

ὅς ἐςι Χριςὸς ἐν ὑμῖν ] Τὸ ὅς ad πλῦτον refert cum *Knatchbullo Hombergius*, nec aliter ex noſtratibus *Saubertus* in Operibus Poſthumis pag. 28. & *Franckius* in Continuatione Obſervationum Biblicarum vernacularum pag. 317. Alii malunt pertinere ad vocem μυςηρίυ. Hinc factum eſt, ut codices pauci exhibeant ὅ, quos ſecutus iſt idem editor N. T. Græco-Anglicani, præcipiti conſilio, ut ſolet, uſus. Nam etiamſi τὸ, ὅς ad *myſterium* referatur, quod rectum puto, vel ſic ſibi conſtabit ſtructuræ & generis ratio. *Sæpe enim relativum in genere convenit cum ſequente ſubſtantivo, ut in illo ;* Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur. *In MS. hic eſt ὅ ἐςι, quæ non vera lectio, ſed vera lectionis interpretamentum.* Ita recte *Lamb. Bos* in Exercitationibus pag. 260.

Χριςὸς ἐν ὑμῖν ] Quid hæc ſibi velint, B. *Jo. Fechtius* copioſe enarravit in ſingulari diſſertat. *de Chriſto in nobis*, Roſtochii 1705. abuſum phraſeos, inter Fanaticos admodum frequentatum, diligenter amolitus. Confer Vener. *Valentini Erneſti Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte V. pag. 196.

ἡ ἐλπὶς τῆς δόξης ] tanquam in quoglorioſa ſalus ſperanda ſit. Vide Patres apud *Svicerum* Tom. I. p. 1095.

Verſ. 28. Νυθετῦντες πάντα ἄνθρωπον, καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ] Poſtremas duas voces omittunt Codd. nonnulli, ideo procul dubio, quod ſuperfluæ viderentur, tanquam proxime ante allatæ. Eos ſequitur recens editor N. T. Græco-Anglicani, temere omnino. Ex toto enim commate patet, Apoſtolum has voces, δεινότητος & ἐμφάσεως cauſa, data opera repetiiſſe. Ideo enim easdem repetit, ἵνα παραςήσωμεν πάντα ἄνθρωπον, ſicut ante πᾶσαν σοφίαν commemorat, & v. 23. Evangelium ait prædicari πάσῃ τῇ κτίσει. Id

quod ideo factum puto, ut rectius intelligatur, nemini hominum niſi in Chriſto, & ex doctrina ſalutari ſalutem unquam eſſe ſperandam.

*ἵνα παραςήσωμεν*] Ad ſacrificia, DEO repræſentata, alludi hic putat *Herman. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 976. Conf. ad *Rom.* XII. 1. & ad *Epheſ.* V. 27.

*πάντα ἄνθρωπον τέλειον ἐν Χριςῷ Ἰησοῦ*] De illa hominis in Chriſto perfectione lege Bibl. Bremenſ. l. c. pag. 961. Conf. nos ad 1 *Cor.* II. 6. & *Philip.* III. 15.

Verſ. 29. *κατὰ τὴν ἐνέργειαν* &c. ] Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 1115.

# CAPUT II.

VErſ. 1. *Θέλω γὰρ* ] Codex unus à *Millio* allatus & verſiones quædam habent *δὲ*, quod & *Lutherus* expreſſit. Sed præſtat *γάρ*. Apoſtolus enim rationem nunc & exemplum ſuppeditat: quo conſtare illis poſſit ſua in munere obeundo induſtria, qui ſpeciatim de illis ſit ſolicitus, quos præſens nunquam conſpexerit.

*ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω* ] Frivole agit *Emſerus*, Lutherum carpens, qui *τὸν ἀγῶνα* per Kampf expreſſerit, cum Sorgfältigkeit vel Bekümmerniß præſtitiſſet. Lutherus ſcilicet nihil aliud voluit, ſed id ipſum non efficacius ſignificari poſſe merito cenſuit, quam ſi ipſa voce Paulina uteretur. Confer *Raithii* Vindicias p. 546.

Verſ. 2. & 3. *Ἵνα παρακληθῶσιν αἱ καρδίαι αὐτῶν, κ.τ.λ.* ] *A. Blackwall* Vol. II. Claſſicorum Sacrorum pag. 140. recte utrumque hoc comma in exemplum eloquéntiæ ſingularis & efficaciſſimæ affert.

*συμβιβασθέντων* ] Pauci aliquot codices habent *συμβιβασθέντες*. Id mavult *Millius* in Prolegomenis §. 635. alterum illud ad ſtructuram juvandam poſtliminio advocatum opinatus. Audientem quoque ſibi habuit recentem editorem N. T. Græco-Anglicani, adeo, ut in contextum receperit. Perperam id vero factum eſt. Cum enim vox *καρδίαι* proxime antecedat, ſaltem poni debebat *συμβιβασθεῖσαι*. Conſtat quidem ex exemplis alias allatis, Græcos participia non ſemper in caſibus illis ponere, quos ſtructura vocum requirere videbatur; ſed in ejusmodi ſermonis ſerie, qualis hic eſt, idem uſu venire, nunquam probaveris. Indicantur vero hic illi, qui *concinne coagmentati* erant & *conjuncti, conſiliis omnibus ad conſociandas voluntates & fovendam mutuam benevolentiam relatis.* Vide *Raphelii* Annott. Herodoteas p. 555. Conf. *Act.* XVI. 10. & lege *Suicerum* Tom. II. p. 1080.

*εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυςηρίου τοῦ Θεοῦ, καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριςοῦ* ] *Jo. d' Outrein* tum in Commentario ad hanc epiſt. Belgico, tum in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. p. 468. ſqq. ita hæc accipi vult, ut vox *Θεοῦ*, *DEI*, explicetur per duas

ſequen-

ſequentes, *& Patris & Chriſti*, atque adeo hæ ipſæ parentheſi vel duobus commatibus a voce Θεοῦ diſtinguantur, ſenſusque adeo ſit: *in cognitionem myſterii DEI, qui & Pater & Chriſtus eſt*, vel, *in cognitionem myſterii DEI, nempe Patris & Chriſti.* Hanc autem τοῦ, καὶ ſignificationem paſſim exſtare probat ex *Rom.* XI. 33. *Matth.* X. 28. XII. 22. *Marc.* VI. 30. *Joh.* IV. 36. &c. Eandem interpretationem adoptavit ex noſtratibus M. *Chriſtoph. Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra p. 48. ſq. averſatus vero eſt *Erduinus Herman. Polemannus* in Exercitat. Programmatica XII. Stadæ 1725. edita, p. 16. exiſtimans, tres SS. Trinitatis perſonas atque adeo per Θεὸν *Spiritum S.* intelligi debere, cum in perſonis illis appellandis ordo non ſemper obſervari ſoleat. Enimvero prætulerim & ego priorem illam, inprimis ideo, quod Paulus alias *DEI* nomini illud *Patris* ad primam perſonam indicandam jungere conſueverit. Ita *Rom.* I. 7. *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ* Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Adde 1 *Cor.* I. 3. & 2 *Cor.* I. 2. 3. ubi Θεὸς hinc *πατὴρ ἡμῶν πατὴρ* τοῦ Κυρίου *ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* appellatur. Nec nova hæc eſt expoſitio, ſed *Grocio* ante approbata, quam *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtr. amplectitur. Is enim notat, quando Apoſtolus *interpoſita copula DEI & Patris & Chriſti myſterium* dicit, doceri, *& Patrem & Chriſtum eſſe eundem verum DEUM. Si enim*, inquit, *vox* Θεοῦ *ſolam Patris perſonam ſpectaret, omittenda fuiſſet copula poſt vocem* Θεοῦ, *& dicendum in agnitione DEI & Chriſti. Neque Chriſtum à DEO magis alium eſſe indicat, quam Patrem, ſed Patrem & Chriſtum unum eundemque DEUM eſſe prædicat. Conjungit autem cum Patre Chriſtum, tum quia Pater per Filium revelavit myſterium, tum quia nec Pater abſque Filio, nec Filius abſque Patre cognoſci poteſt. Pater enim eſt in Filio, & Filius in Patre, Joh. XIV. Solus Pater revelat Filium, & Chriſtus Patrem. Matth. XVI.* 17. *XI.* 27. 1 *Joh. I.* 18. Spiritus Sancti ſpeciatim hic non fit mentio, quamvis interim & ipſe ad hoc myſterium pertineat, quia ipſe eſt, qui per verbum & divinam ſuam virtutem myſterium illud, atque adeo & ſe ipſum ad homines *perfert*, ipſisque perſpiciendum ſiſtit. Vide etiam *Jo. Melchioris* Opera Tom. I. pag. 523.

Verſ. 3. *ἐν ᾧ εἰσι*] Commodo quidem ſenſu *τὸ, ᾧ* ad myſterium referri poteſt; præſtat tamen de *Chriſto* accipere. Nam hujus mentio proxime ante facta eſt, & idem cap. I. v. 27. myſterium illud, tanquam potior ejus pars diſerte vocatur, *τοῦ μυστηρίου τούτου ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὅς ἐστι* Χριστὸς *ἐν ὑμῖν.* Pro hac ſententia vide quæ à *Calovio* & *Alethæo* in der Erläuterung Tom. I. p. 139. ſqq. ſunt allata. Adde *Petavii* Dogmata Theologica Tom. V. ubi de Incarnatione lib. VII. cap. 11. §. 2. ſq. & lib. VIII. cap. 12. §. 17. tum lib. XII. cap. 17. §. 3.

*πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι* ] De voce *θησαυρὸς* lege *Svicerum* Tom. I. pag. 1401. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theologico-Philologic. pag. 88. *Pindarum θησαυρὸς ὕμνων, Plutarchum* vero

ro θησαυρὴς λόγων dicere doctiſſimus *W. E. Trillerus* in notis MSS. monet. Vox ἀπόκρυφος explanatur ab eodem *Svicero* pag. 457. Jam quidem theſauri illi abſconditi dicuntur in Chriſto, tanquam a quo uno cognitio eorum petenda ſit, & in quo plus lateat, quam cogitando unquam adſequi homo poſſit. In hanc ſententiam *Chryſoſtomus* ad h. l. αὐτὸς πάντα οἶδεν· ἀπόκρυφοι, μὴ γὰρ δὴ νομίσητε ἤδη τὸ πᾶν ἔχειν· ἀπόκρυφοί εἰσι καὶ ἀπὸ ἀγγέλων, οὐκ ἀφ' ὑμῶν μόνον, ὥστε παρ' αὐτοῦ δεῖ πάντα αἰτεῖν· αὐτὸς δίδωσι σοφίαν καὶ γνῶσιν: *Ipſe novit omnia.* Abſconditi. *Neque enim exiſtimetis, vos habere univerſum. Sunt enim abſconditi etiam ab Angelis, non a vobis ſolis. Quamobrem ſunt ab eo omnia petenda. Ipſe dat ſapientiam & cognitionem.* Sunt tamen, qui theſauros illos in Chriſto abſconditos dici exiſtimant, eo ſenſu, ut theſauri *olim abſconditi* per Chriſtum jam expromti dicantur. Ita *Alex. Morus* in Axiomatibus Theolog. pag. 426. & in Notis ad h. l. pag. 174. *Non facile*, inquit, *mihi perſuaſerim, à Paulo dici, abſconditos in Chriſto theſauros ſapientiæ: dixiſſet enim* ἀποκεκρυμμένοι εἰσί. *Jam vero dixit*, ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας οἱ ἀπόκρυφοι. *Nam ita ſupplendus eſt articulus, ut alibi non raro*: in quo (*Chriſto*) *ſunt jam expromti & expoſiti palam, & aperte revelati* theſauri ſapientiæ abſconditi *olim, ſub lege veteri. Patent jam exhibiti, qui latebant hactenus quaſi prohibiti.* Hoc ſenſu ait cap. I. v. 26. 27. τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον abſconditum dici ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νῦν δὲ φανερωθὲν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. Hæc ſe probarunt *Alethao* l. c. Ego malim in prioribus acquieſcere. *Vitringa* ſententiam ad Arcam Fœderis alludi exiſtimantis, infra ad v. 9. exponam. De argumento hujus commatis lege *Iſaaci Fauſti* diſſert. de communicata JESU Chriſto ſecundum humanam naturam ſapientia & ſcientia divina. Argentorati 1688. & *Feuſtkingii* diſſertat. de Theologia unionis in Chriſto. Witteb. 1703.

Verſ. 4. τοῦτο δὲ λέγω, ἵνα μή τις ὑμᾶς παραλογίζηται] παραλογίζεσθαι eſt *arte & dolis verborumque lenociniis decipere*, ut *Jac.* I. 22. Hanc notionem Cl. *Elsnerus* pag. 261. probat ex *Æſchine* in Timarchum p. 186. *Arrian.* Epictet. lib. II. cap. 20. & *Polybio* lib. I. cap. 10. aliis. *Arrianus* l. c. ait: οἱ δὲ τὰ ἕτερα λέγοντες ἐξαπατῶσι ὑμᾶς καὶ παραλογίζονται. Ex Patribus verbum hoc illuſtrat *Svicerus* Tom. I. pag. 587.

ἐν πιθανολογίᾳ] *verbis blandis*, ſive, *ſermonis blanditia, ut ſit idem fere, quod Apoſtolus Rom.* XVI. 18. *ait* διὰ χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῆσαι. *quanquam & ad dictionis elegantiam & artificium rhetoricum referri poſſit: de quo* Baſilius *in Hexaëm. Orat.* III. Vulg. *Interpres reddidit*, ſermone blando, *Bud.* fuco ſpecioſo rationis humanæ. *Vatabl.* ſermonis probabilitate, *Leo Jud.* & *Beza*; *quibus non repugnaverim prorſus, quia* πληροφορία συνέσεως v. 2. *præceſſerat. Malim tamen*, ſermone plauſibili, *aut* perſuaſibili. Ita *Gatakerus* ad Antoninum lib. III. §. 2. pag. 88. ad verba hæc: οὐ παντὶ πιθανὰ *non cuivis credibilia*, vel potius, *grata. Suavitatem ſermonis* indicari putat

*Els-*

*Elsnerus* l. c. *Raphelius* autem in Annotatt. Polybianis pag. 573. confert cum ἀπάτῃ de qua v. 8. & hunc Polybii locum ex p. 197. promit: ἐπειδήπερ ἐν ἐκείνοις μὲν ἡγεῖται τὸ πιθανὸν, κἂν ᾖ ψεῦδος, διὰ τὴν ἀπάτην τῶν θεωμένων. Vocis vim recte aſſecutus videtur *Balthaſ. Raithius* in vindiciis Verſionis Biblicæ Lutheri pag. 547. *in perſuaſorio ſermone, in ſpecioſo fuco rationis humanæ, in artificioſa & ſophiſtica oratione, quæ in ſpeciem probabilis ad perſuadendum & fallendum ſit comparata & compoſita.* Atque hoc ſibi voluit Lutherus, quando vertit vernünftige Reden h. e. ſermonibus ejusmodi, in quibus abuſus rationis more hominum ſibi relictorum, & divinæ veritatis ignarorum, dominatur. Compara denique *Amelium* Tom. I. der Erörterung pag. 635.

Verſ. 5. Εἰ γὰρ καὶ τῇ σαρκὶ ἄπειμι ] *Quamvis enim corpore abſim*, quod Paulus 1 *Cor.* V. 3. ait: Ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι. Conf. *Suicerum* Tom. II. pag. 936. Per Hebraiſmum σάρκα ita adhiberi *Jo. Vorſtius* exiſtimat Philologiæ Sacræ Part. I. pag. 102. ſed vide tu *Pſochenium* de Stilo Novi Teſtamenti §. 56.

ἀλλὰ τῷ πνεύματι σὺν ὑμῖν εἰμι ] *mente tamen vobiscum ſum.* Τὸ ἀλλὰ poſt εἰ vel εἰ καὶ poſitum, ſæpe ſignificat *tamen.* Conf. 2 *Corinth.* XI. 6. & XIII. v. 4. Ita *Xenophon* Cyropæd. VIII. pag. 183. εἰ δὲ τοῦτο ψεύδονται, ἀλλ᾽ ὅτι γε τῶν ἀνθρωπίνων πεζῇ πορειῶν αὕτη ταχίστη, τοῦτο εὔδηλον. *Quod ſi vere non dicant: tamen hoc manifeſtum eſt, omnium inter homines pedeſtrium itinerum hoc velociſſimum eſſe.* Obſervavit locum *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis pag. 270. cui alios *Herodoti* addit in Herodoteis pag. 556. Confer *Hutchinſonum* ad Cyropædiam pag. 643. & *A. Blackwallum* Tom. II. Claſſicorum Sacrorum pag. 54.

χαίρων καὶ βλέπων ] i. e. *gaudeo dum video*, ut idem ſit, quod χαίρω βλέπων, vel χαίρω, ὅταν βλέπω, *gaudeo, quando intelligo.* Ita *Joh.* XX. 20. de diſcipulis Chriſti: ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τὸν Κύριον. Vide *Lambertum Bos* in Obſervationibus Criticis pag. 81. qui appoſitum *Joſephi* locum ex lib. III. de Bello Jud. cap 33. affert: Προθυμίας μὲν ὑμᾶς εἰς τὸ φανερὸν εὖ ἔχοντας χαίρω καὶ βλέπω. *Alacres aperte vos ſatis eſſe gaudeo, dum video.* Confer *Amelium* Parte I. pag. 500. Dici quoque alias poſſit, τὸ, βλέπειν hic inferre frequentem recognitionem & conſiderationem boni ordinis inter Coloſſenſes, quam Paulus ideo ingredi ſoleat, quod ſingularem ex eo, ſibi ab Epaphra relato, voluptatem percipiat. Malim tamen prius.

τὴν τάξιν καὶ τὸ στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ὑμῶν ] i. e. dum intelligo, *vos omnia decenter & ordine agere, firmiterque perſtare in fide & doctrina Chriſtiana*; quæ παράφρασις eſt *Lambert. Boſſii* loc. cit. Idem convenienter monet, τάξιν eſſe vocem militarem, Tacticosque docere, nihil eſſe melius tutiusque, quam *μένειν ἐν τάξει, ordines ſervare;* nihil contra pejus & pernicioſius, quam eos *ſolvere & deſerere;* quemadmodum ſimili tralatione ἄτακτοι vocentur, qui Chriſti & Apoſtolorum præceptis audientes non erant, 1 *Theſſalon.*

*ſalon* V. 14. & 2 *Theſſalon.* III. 6. Titus apud *Joſephum* Bello Judaico III. cap. 33. milites laudaturus ait: Τὰ δὲ τῆς ὑμετέρας ἐμπειρίας καὶ τάξεως τί καὶ λέγειν δεῖ.

Τὸ στερέωμα ] Vide *Svicerum* Tom II. pag. 733.

Verſ. 6. Ὡς οὖν παρελάβετε ] Vid. ad 1 *Corinth.* XI. 23.

Verſ. 7. Ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ] *In voce* priore *eſt translatio ab arboribus bene radicatis; in* poſteriore *ab ædificiis vel ſtructuris, quæ fundamento poſito ſuperſtruuntur, & in* πεπληρωμένοι ( verſ. 10. ) *eſt metaphora à plena & juſta corporis ſtatura.* Ita *Lambertus Bos* in Obſervationibus Miſcellaneis pag. 123.

Verſ. 8. Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, κ. τ. λ. ] Comma hoc ſingularibus diſſertationibus perſecuti ſunt ex noſtratibus *Tobias Eckhardus* de *Fonte hæreſium*, Wittebergæ 1691. *Adamus Rechenbergius*: an hæreticorum Patriarchæ Philoſophi? Lipſiæ 1705. *Paulus Antonius* de ſtricturis hiſtorico-Theologicis in varia Naturaliſmi & Rationaliſmi capita, Halæ 1708. *Martinus Chladenius* de Spolio Seductorum in fideles commiſſo, Wittebergæ 1717. *Joannes Fridericus Weiſſenborn* de Philoſophia Seductrice, Lipſiæ 1722. Adde *Henrici Muhlii* συζήτησιν Epiſtolicam, Kilonii 1695. 4to. *Jo. Georgii Walchii* Obſervationes Philologicas Part. I. pag. 97. ſqq. *Jo. Laurent. Moſheimium* in Diſſertationibus de Theologo non contentioſo. M. *Chriſtoph Wolle* in Regulis XXX. ad illuſtrationem Novi Teſtamenti ex auctoribus profanis pag. 39. ſq. & in Commentatione de Eccleſia Chriſtiana & Phariſaica pag. 132. ſq. & *Alethæum* Tom. I. der Erläuterung pag 24. ſq. Ex Reformatis *Gerhard. Jo. Voſſius* Tom. V. Operum pag. 125. b. *Braunius* in Selectis Sacris I. 8. pag. 93. & *Henr. Jac. van Baſſhuyſen* in Exercitio Pietatis XII. Serveſtæ 1719. edito, ſunt conſulendi. Ex Pontificiis *Jo. Stephanus Menochius* in *Trattenimenti Eruditi* Parte III. pag. 663.

ἔσαι ὁ συλαγωγῶν ] *Non, ut interpretes, verbum eſt militare, quod ſignificet prædam abigere: hoc eſt enim* λεηλατεῖν: *nec* λαφυραγωγεῖν, *id enim eſt, ſpolia detrahere poſt prælium; ſed, ut ex his manifeſtum eſt, à prædonibus ſumtum. Demoſth.* καὶ φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο. *Æſchines*: κατῆγον δὲ τὰ πλοῖα, καὶ τοὺς Ἕλληνας ἐκ τῆς κοινῆς θαλάττης. *Prædones exceptabant, at quos homines? Græcos; unde? è mari, quod commune eſt omnibus, duæ indignitates. Ita Andreas Dounæus* in Prælectionibus in Demoſthenis Philippicam de Pace pag. 185. Lege etiam de voce σύλας & συλάω *Valeſium* ad Harpocration. Hoc ſenſu *Guſſetius* verbum συλάω ex Hebr. שלל derivat in Commentariis L. Hebraicæ. Senſus itaque eſt, caveant Coloſſenſes, ne in prædam cedant prædonibus, perniciem eorum quærentibus. Egregie Lutherus: Daß euch nicht jemand beraube, quam verſionem ab *Emſeri* criminatione vindicat *Raithius* pag. 547. Nolim hæc cum viro quodam docto referre ad ſpolia per Chriſtum parta, v. c. libertatem à jugo ceremoniarum Leviticarum, quæ detrahi ſibi, pati non debeant Coloſſenſes.

διὰ

διὰ τῆς φιλοσοφίας ] De ſignificatu vocis hujus lege *Ægidium Menagium* ad Diogenem Laërtium pag. 8. & 352. *Schefferum* de Philoſophia Italica pag. 34. *Richardum Bentley* in Diſſertatione Anglicana de Epiſtolis Phalaridis pag. 221. ſqq. *Jacobum Thomaſium* de Originibus Philoſophicis, & *Heumannum* in Actis Philoſophorum Part. I. cap. 2. pag. 74. Nomen ipſum in ſe nihil vitioſi habere vel ex eo apparet, quod veteribus etiam de religione Chriſtiana frequentatum ſit. Vide *Chriſtianum Kortholtum* de Philoſophia Barbarica, *Jonſium* de Scriptoribus Hiſtor. Philoſ. pag. 227. *Salmaſium* ad Tertullianum de Pallio pag. 66. & *Rittershuſium* ad Salvianum pag. 480. *Theodoretus* in Therapeuticis pag. 105. εὐαγγελικὴν φιλοσοφίαν appellat. Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 1437. *Philo* quoque lib. III. de Vita Moſis pag. 685. de Judæis: ἀφ' οὗ καὶ εἰσέτι νῦν φιλοσοφοῦσι ταῖς ἑβδόμαις Ἰουδαῖοι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν τὸν χρόνον ἀναθέντες ἐπιστήμῃ καὶ θεωρίᾳ τῶν περὶ φύσιν. *Joſephus* quoque Antt. XVIII. cap. 1. §. 1. *Judæ* & *Sadduco* ἀσύνηθες φιλοσοφίας *inſolitum philoſophandi genus* inter Judæos tribuit. B. Lutherus retinuit vocem in verſione tanquam ſatis tunc temporis cognitam, & forte ideo, ut homines ſibi caverent ab ea philoſophandi ratione, quæ ea ætate apud pleroſque ad ineptias fere erat redacta. Hodie plerumque redditur per Welt-Weißheit, in qua quid notandum ſit, oſtenditur in Bibliotheca Nova, vernacule Halis edita, Parte XXVII. num. 2. Pravam philoſophandi rationem hic indicari ex adjecta κενῆ ἀπάτη ſatis apparet. Germanum alioquin & ſobrium philoſophiæ ſtudium religioni adeo non obeſſe, ut illi potius in multis partibus velificetur, & veteris Eccleſiæ doctores contra Philoſophos Gentilium diſputantes, & noſtra quoque ætate complures ſuo exemplo docuerunt. Ex recentiſſimis lege de hoc argumento diſputantem *Chriſt. Gottlieb. Jacherum* in Tractatu de Philoſophia hæreſium obice. Lipſiæ 1732. 4to. Nec omitte Rev. *Jo. Guſtavi Reinbeckii* præfationem ad Partem II. Conſiderationum Auguſtanæ Confeſſionis hoc anno vernacule editam, ubi de uſu rationis & Philoſophiæ in Theologia erudite commentatur. Tempero mihi ab aliis adferendis, qui in eodem argumento fuerunt occupati, inter quos eſt M. *Gottlob Vollſack* in Diſputationibus 2. Witebergæ 1719. habitis de eo, quod Philoſophia nec pernicioſa, nec Scripturæ Sacræ contraria ſit.

καὶ κενῆς ἀπάτης ] Τὸ, καὶ hic pleriſque explanandi vim habere videtur, ut idem ſit, quod *nempe*: vide ad verſ. 2. Vel ſecundum alios, τὸ ἓν διὰ δυοῖν, probatiſſimis Scriptoribus receptum, locum habebit, ac ſi ſcriptum eſſet, διὰ τῆς κενῆς ἀπάτης τῆς διὰ φιλοσοφίας, quæ *Grotii* & *Raithii* eſt ſententia l. c. Alterum tamen momentum ab altero, ut diverſum innui ſibi perſuadet Cl. *Erdwin. Erdmann Polemann* in Exercitat. Programmat XV. Stadæ 1728. edita, pag. 21. Eadem eſt *van Tillii* ſententia ad h. l. qui utrique huic momento in ſequentibus reſpondere putat hinc παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, hinc τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Per philoſophiam ait Paulum intelligere *ſententiam eorum, qui ut Philoſophi celebrantur, quorum themata & dogmata ſub ſpecioſo*

*Philoſophiæ nomine contaminabant : per κενὴν ἀπάτην* autem *artificium Pſeudapoſtolorum Judaizantium.* Atque id quidem non puto contemnendum.

*κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων* ] Philoſophiam traditionariam intelligit *Sal. van Tillius*, quam Philoſophi Græci & ſpeciatim Platonici de Theogoniis, aliisque myſteriis à Perſarum Magis, Chaldæis, Ægyptiis &c. acceptam venditabant.

*κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου* ] Per *elementa mundi* commodiſſime ritus & inſtituta legis cerimonialis intelligi ad *Galat.* IV. 3. oſtenſum eſt. Hæc vero Pſeudapoſtolos Judaizantes inprimis urſiſſe ex eadem epiſtola conſtat. Illa autem vere poterant vocari, obſervante *Tillio*, *κενὴ ἀπάτη*, tanquam in quibus ſit *κενότης* ſeu *vanitas*, poſtquam res ipſa fuerat repræſentata. *Schœtgenius* tamen *articulos fundamentales antiqui fœderis*, quos □יסורים appellarint Judæi, intelligi cupit ad h. l. & ad *Galat.* IV. 3.

Ex his æſtimare nunc licet, à quo Paulus Coloſſenſes cavere ſibi velit, nempe partim ab impuris illis Philoſophorum Gentilium commentis, partim à Phariſaicis Judaizantium doctrinis. Utrumque enim momentum apud Coloſſenſes dominari poterat. Verſabantur illi inter Gentiles, & ex Gentilibus ex parte orti erant; quemadmodum alii, & forte plures ex Judæis ad Chriſtum pervenerant. Non aliter hic rem inſtituit Rev. *Zeltnerus* in Annotationibus ad verſionem Lutheri Biblicam pag. 202. Itaque non puto neceſſe, ut definiatur, quæ potiſſimum philoſophandi ratio hic ſubindicetur, cum, quæcunque ea ætate viguit, vitiis inſignibus laboraverit. Fuerunt tamen, qui nunc hoc, nunc illud philoſophiæ genus notari à Paulo arbitrarentur, ex quibus recentiores tantum afferam. Inter hos *Braunius* in Selectis Sacris pag. 93. ſeq. per Philoſophiam traditiones Judæorum, ſpeciatimque *Cabbalam*, vi vocis *παράδοσις*, ſicut per *elementa mundi* præcepta carnalia Legis cerimonialis, tanquam levem ad veram ſapientiam manuductionem, intelligit. Nec aliter ante eum *Jo. Walliſius* Tom. IV. Operum pag. 418. Sectam Phariſaicam ſeu Traditionariorum ſolam hic intelligi vult Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 810. *Eſſæi* ſpeciatim *Muhlio* in *συζητήσει* ante laudata, *Cabbaliſtæ* autem ſpurii *Buddeo* in Obſervationis Hallenſibus Tom. I. pag. 19. notari videntur. *Platonicos* potiſſimum peti, *quorum philoſophia μετεωρίζουσα plurimos* tum temporis admiratores habuerit, *Ruarus* exiſtimat Centuria Epiſtol. I. ep. C. pag. 362. edit. Zeltnerianæ; quod ipſum copioſius adſerere conatus eſt Rev. *Walchius* loc. cit. & M. *Chriſtophorus Wolle* in Regulis XXX. ad illuſtrationem Novi Teſtamenti ex Scriptoribus profanis pag. 39. ſq. Philoſophiæ Platonicæ dogma de Angelis, tanquam inter DEOS & homines mediatoribus, reſpici ſibi perſuadet *Joſephus Mede* in Operibus Anglice editis, pag. 627. ſq. Idem viſum eſt *Alethæo* Tom. I. pag. 27. ſq.

Verſ.

Verſ. 9. *Ὅτι ἐν ἀυτῷ κατοικεῖ τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς* ] Diſſertationes ſingulares, quæ à noſtratibus ad hoc comma relatæ ſunt, diligenter enarratas videbis a M. *Jac. Friderico Wildeshauſen* in Bibliotheca Diſputationum Theologico-Philologicarum. Illis nunc adde *Georg. Gvil. Kirchmaieri* Hypomnemata ad N. T. recte interpretandum, Vitemberg. 1707. & *Abrahami Wolfii*, Theologi quondam Regiomontani, diſſert. de plenitudine Chriſtianorum ex plenitudine Chriſti derivanda, Regiomonti 1725. qua comma hoc nonum una cum ſequenti explicatur. His junge *Balthaſ. Menzeri*, Senioris epiſtolam de v. 8. & 9. ſcriptam, quæ exſtat in Antiquis & Novis Theologicis an. 1702. pag. 453. *Philip. Jacobi Speneri* Tractat. vernaculum pro Deitate Chriſti pag. 588. ſqq. & *Franc. Julii Lutkenii* Collegium Biblicum pag. 144. Ex Reformatis huc ſpectant *Samuel Bochartus* in epiſtola ſingulari Tom. II. Operum pag. 1039. *Vitringa* Tom. I. Obſſ. Sacrar. pag. 155. *Jo. Crojus* in Specimine Conjecturarum pag. 133. & *Joannes Cloppenburgius* Tom. I. Operum pag. 881.

*κατοικεῖ* ] Reſpondet hoc verbum Hebraico שכן, quod de DEO, templum Hieroſolymitanum inhabitante, adhibetur. Sunt, qui Apoſtolum Chriſtum, ut שכינה repræſentaſſe exiſtimant, in qua Hebræi veteres *omnes virtutes divinas habitare*, & cum ea *immutabili modo unitas* eſſe aſſeruerunt, ut ſic de divina Chriſti natura, λόγος τοῦ Θεοῦ in humana, veluti σκηνῇ, habitare indicetur. Inter hos eſt *Campeg. Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacrar. cap. 11. pag. 155. *Non poſſum profecto*, inquit, *aliter exiſtimare, quam alludere hic Paulum ad arcam fœderis, quæ σύμβολον quondam τῆς* שכינה *fuit illuſtre. Sane ſi verſum tertium inſpiciamus, videtur jam Paulus noſter de illa ſermonem inſtituiſſe:* In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & cognitionis abſconditi. *Nihil enim magis reſpondet τῇ κιβωτῷ* arcæ, *quam quod res aliqua in illa* abſcondita ſit. *Nihil certe Hebræi omni ætate ſanctius arca habuerunt. Ad illam preces fuſuri ſe convertebant. Ibi Majeſtatem divinam venerabantur. Illam religionis ſuæ μυστήριον maximum eſſe crediderunt. At vero omnem illam ſpem fidemque, quam quondam in Arca repoſitam habebant, translatam vult divus Apoſtolus in Meſſiam noſtrum, in quo myſteria omnia intelligi poſſunt veritatem ſuam nacta eſſe. Confirmat vero hoc ſuum dictamen exinde, quia* omnis Deitatis πλήρωμα in Chriſto habitat, quod quondam creditum eſt habitare in Arca. *Videlicet Arca ſedes erat Majeſtatis divinæ in Tabernaculo & Templo.* &c. Et pag. 160. *Concludimus igitur ipſiſſimam* Arcam *σύμβολον fuiſſe divinæ præſentiæ, &* Schechinam *habitaculum Filii DEI, præſignificaſſe, atque ideo adſerere* Paulum Apoſtolum *in ſua ad* Coloſſenſes *diſſertatione, quod ἐν αὐτῷ* in ipſo, *h. e. Chriſto, vel humana ejus natura*, habitat omnis plenitudo Deitatis.

*πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος* ] i. e. *omnis plenitudo Deitatis;* ſicut *πᾶσα γραφὴ tota Scriptura* ſeu totum Scripturæ Syſtema, divinitus inſpiratum



Digitized by Google

& utile eſſe dicitur *2 Tim.* III. 16. Vide B. *Glaſſii* Rhetoricam Sacram pag. 454. Vox πλήρωμα judice *Vitringa* l. c. pag. 160. *reſpicit ad loquendi rationem*, à Moſe & ceteris Scriptoribus uſitatam. *Cum enim DEUS in utriusque domicilii ſui, Tabernaculi atque Templi, inauguratione nubem adeſſe voluiſſet, extraordinarium præſentiæ atque glorioſæ Majeſtatis ſuæ* teſtimonium, dicitur: כבוד יהוה מלא את המשכן: Gloria Jehovæ IMPLEVIT tabernaculum. *Quod idem de templo repetitur.* Deitas igitur *perfecta*, & *abſoluta* indicatur, quemadmodum πλήρωμα τοῦ χρόνου *tempus abſolutum* & *conſummatum* indicat *Galat.* IV. judice *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 812.

σωματικῶς] Non habent *Irenæus* lib. I. c. 1. *Archelaus* in diſputat. cum Manete §. 25. & *Cyprian.* de Bono Patientiæ: agnoſcunt vero ex Græcis Patres reliqui omnes, ex Latinis autem *Hilarius*, *Auguſtinus*, alii. Vid. *J. E. Grabii* notas ad Irenæum pag. 18. Tres ſunt potiſſimum hanc vocem interpretandi rationes. Duas earum exhibet *Auguſtinus* epiſt. 57. ad Dardan. &c. 19. *de præſentia DEI: Non ideo*, inquit, *corporaliter, quia corporeus eſt DEUS, ſed aut verbo translato uſus eſt, tanquam in templo manufacto non corporaliter ſed umbratiliter habitaverit, i. e. præfigurantibus ſignis; nam illas omnes obſervationes umbras futurorum vocat Apoſtolus ipſo etiam translato vocabulo; aut certe corporaliter dictum eſt, quia in Chriſti corpore, quod aſſumſit ex Virgine, tanquam in templo habitat DEUS.* Itaque τὸ σωματικῶς verti poteſt vel *corporaliter*, ut corpus Chriſti tanquam *ſubjectum* inhabitationis ſignificetur; vel *vere*, ut *modus* inhabitationis indicetur. Accedit tertia eorum, qui per οὐσιωδῶς h. e. *ſubſtantialiter* interpretantur. Primam Interpretationem veterum nonnulli amplexi ſunt. Sic *Theodoretus* ad h. l. ait: σωματικῶς τουτέστιν ὡς ἐν ἰδίῳ σώματι. *Oecumenius*: οὐ σχετικῶς ἀλλ᾽ οὐσιωδῶς ὡς ψυχὴ οὐ ψυχὴ γινόμενος τῷ σώματι, ἀλλ᾽ ἐν σώματι ἐμψυχωμένῳ ἑνωθεὶς ὃν τρόπον ἑνοῦται ψυχὴ σώματι i. e. *non relative, ſed eſſentialiter, ut anima in corpore, non quod ſermo factus ſit anima corpori, ſed in corpore animato unitus, quemadmodum anima corpori unitur.* Hanc expoſitionem noſtrates tantum non omnes ſequuntur, eo ſenſu, *quod in corpore Chriſti, tanquam in templo humanitatis Chriſti habitet ipſa divinitatis plenitudo non umbratiliter amplius ſed σωματικῶς, corporaliter, i. e.* in corpore, vel ratione corporis ejus. Habes *Calovii* verba in Bibliis Illuſtratis ad h. l. ubi plura vide.

Ex ſecunda interpretatione alii malunt vertere per *vere, realiter.* Inter hos ex noſtratibus eſt B. *Glaſſius* in Rhetorica Sacra pag. 119. σωματικῶς, *corporaliter*, h. e. vere, perfectiſſime, ſolidiſſime, non typice & umbratiliter, ſicut in V. T. DEUS ſe manifeſtavit. Conf. pag. 420. Ita quoque *Hackſpanius* pag. 360. Miſcellan. Sacror. Reformati Doctores idem maximam partem amplectuntur, eo quidem ſenſu, ut umbris V. T. opponatur. Vide v. c. *Conſtantin. Lempereur* ad Kimchii Grammaticam pag. 22. & *Melchior. Leydeckerum* ad Maimonidem de Regibus Hebræorum Tom. IX. Faſciculorum Hiſtori-

corum

corum & Philologic pag. 124. Sic & *Vitringa* Obſſ. Sacrar. lib. I. p. 160. *Illa igitur* PLENITUDO *divinæ Majeſtatis, quæ quondam in templo & tabernaculo reperta eſt, ſedem nunc elegit ſuam* carnem *Chriſti, in qua demum eſt* σωματικῶς, vere, *cum cetera illa ſtructura omnes fuerint* σκιαὶ τῶν μελλόντων.

Denique tertio loco alii τὸ σωματικῶς per οὐσιωδῶς i. e. *ſubſtantialiter*, convertunt. Inter hos multi ſunt veterum Doctorum, quorum locos attulerunt *Suicerus* Tom. II. pag. 1217. & *Petavius* Tom. V. Dogmatum Theologicorum lib. VII. cap. 11. pag. 361. Sic *Theophylactus* pag. 649. Σωματικῶς, τουτέστιν, οὐκ ἔστιν ἐνέργειά τις, ἀλλὰ οὐσία, καὶ ὡς σωματωθεὶς καὶ μία ὑπόστασις ὢν μετὰ προσλήμματος. Η καὶ οὕτω, κατὰ τὸν ἅγιον Κύριλλον, ὡς ἂν ἐν σώματι ἐνοικήσῃ ψυχὴ. ἐνοικεῖ δὲ αὐτῃ σώματι οὐσιωδῶς, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀφύρτως. Atque hæc ſe probavit *Suicero* l. c. qui inter reliqua ait: σωματικῶς *ſignificat* ſubſtantialiter, *ſeu* perſonaliter. *Quia, ut nunc* perſonam *dicimus, ita veteres Græci* σώματα *dicebant, ut in voce* σῶμα *num II. 1. pluribus docuimus.* Hanc ſententiam præ ceteris ornare aggreſſus eſt *Sam. Bochardus* Tom. II. Operum pag. 1040. epiſtola ſingulari. Is enim priores duas interpretationes his verbis amolitur: *Neutra interpretatio ſatisfacit. Non prima, quia non typice tantum, ſed & vere habitavit in Templo Hieroſolymitano, & glorioſæ præſentiæ ſuæ ſigna edidit in Cherubinos. Itaque nihil hic vel parum dixerit Apoſtolus. Nec placet poſterior; nam ut concedamus, Chriſti corpus eſſe veluti Deitatis Templum; tamen in eo dici non poteſt DEUS habitare corporaliter; uti neque anima in corpoce corporaliter eſſe dicitur. Id enim reſpicit habitationis modum, non locum.* His ita expoſitis *Hebraiſmum hic deprehendit, quo ſignificetur, DEUM ipſum, quoad* eſſentiam *ſuam habitare in Chriſto: quo ſenſu Hebræi non raro corpus tribuant etiam rebus incorporeis. Centies,* ita pergit, *in Scriptura reperies* בעצם היום הזה in corpore ejus diei, *pro eo, quod diximus,* in illa ipſa die. *Exempla habes* Geneſ. VIII. 13. & XVII. 23. Exod. XII. 17. Levit. XXIII. 14. &c. *Quare & Apoſtolus quandoque corporis ſui nomine ſe ipſum innuit ut* Phil. I. 20. & Gal. VI. 17. - - - *Eadem plane ratione DEUS dicitur habitare in Chriſto* σωματικῶς *i. e.* Ipſe in eſſentia ſua, *ita ut eſſentialis unio intercedat inter Patrem & Filium, quomodo in ſolo Chriſto habitat.* In hac ſententia id inprimis juſta animadverſione dignum eſt, quod vox Θεὸς de *Patre* accipitur, quam de λόγῳ ſeu natura Chriſti divina humanæ arctiſſime juncta accipi fas eſt. Hoc vero ſenſu vocem Θεὸς adhiberi patet ex 2 *Corinth.* V. 19. ubi nos vide, & ex 1 *Tim.* III. 16. Deinde vox σωματικῶς minus adpoſite confertur cum Hebræo עצם, quæ, ſi ad Hebraiſmum recipere nos velimus, rectius comparatur cum voce גוף i. e. *corpus.* Accipe hanc in rem Cl. *Schœtgenii* verba in Horis Hebraicis ad h. l. pag. 812. *Hebrais,* inquit, גוף *inter alia notat* ipſam rei ſubſtantiam; *ut ſupra ad Rom.* VIII. 24. *notatum eſt.* Σωματικῶς *ergo idem eſt ac* vere, *&* realiter, *Hebr.* בגופיה *Contrarium*

huic

*huic eſt τυπικῶς, quemadmodum in Sacerdotibus Summis & Prophetis V. T. DEUS & Spiritus S. habitavit.*

Mihi quidem tres illæ interpretationes, modo vox Θεὸς de natura Chriſti divina accipiatur, adeo ſibi non adverſari videntur, ut altera potius alteram nunc præſtruat, nunc conſequatur. Divina Chriſti natura ſeu ὁ λόγος dicitur *habitare*. Si hoc, neceſſe eſt, ut præſtruatur *ſubjectum*, quod inhabitare poſſit. Hoc vero eſt *corpus* ſeu humana Chriſti natura. Illam inhabitat λόγος non per *umbram*, ſpeciem & figuram quaſi quandam, ſed *vere* & *præſentiſſime.* Si vero hoc; non ἐνεργητικῶς tantum & *effective*, ſed *ſubſtantialiter* & eſſentialiter. Negat *Bochartus*, inhabitationem hanc σωματικῶς ſeu vere factam, illi inhabitationi Templi Hieroſolymitani, tanquam *typicæ* oppoſitam, dici poſſe, quia DEUS Templum illud *vere* inhabitarit, & præſentiæ ſuæ ſigna ediderit. At ipſe facile largitur, inſigne inter utrumque habitationis genus diſcrimen intercedere. Prior enim illa ut perpetuo locum non habebat, ita cum excidio templi finem eſt ſortita. Hæc autem τοῦ λόγου inhabitatio ut perpetua fuit & nunquam interrupta, ita nec unquam finem ſortietur. Recte *van Till* ad h. l. *Fateor quidem & veram Deitatem habitaſſe in templo, quod opponit doctiſſimus* Camero; *attamen modus habitationis fuit, manifeſtare præſentiam ſuam in umbra* corporis *Chriſti & ibi modo umbratili; nunc vero in ipſo* corpore *Chriſti, & quidem modo directo.*

Verſ. 10. Καὶ ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι] *Et eſtis in illo repleti. Lamberto Bos* in Obſervatt. Miſcellan. pag. 122. hæc rectius *imperandi*, non *indicandi* ſenſu ita vertenda eſſe videntur: *& eſte in ipſo completi* h. e. in ipſo ad juſtam menſuram, ad plenam & adultam ſtaturam corporis ſpiritualis, apti ſerviendo Chriſto, capiti ſuo, perveniatis. Rationes has affert. Si prius illud voluiſſet Paulus, ſcripturus erat: ἐν ᾧ ἐστὲ πεπληρωμένοι, vel καὶ ἐν αὐτῷ ὑμεῖς ἐστὲ πεπληρωμένοι. Præterea pendere hoc comma putat à v. 6. ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Κύριον, ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε (ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ &c.) καὶ ἐστὲ ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι h. e. *ſicut amplexati eſtis Chriſtum; ita in ipſo ambulate, & eſte in ipſo completi.* Idem fere ante placuit *Grotio.* Ἐστὲ inquit, *hic ſume, ut modo βλέπετε in ſenſu precativo.* Itaque referri hoc vult ad v. 8. Cave, audias alterutrum. Poterat quidem Paulus ita, ut *Boſius* ait, ſcribere, ſed quando aliter ſcripſit, cum certe ſenſum, quem idem vult, non indicavit. Compara præſentem Pauli φράσιν cum illa *Rom.* VI. 14. ἁμαρτία γὰρ ὑμῶν οὐ κυριεύσει. οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ᾽ ὑπὸ χάριν & cum 1 *Corinth.* III. 9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί· Θεοῦ γεώργιον, Θεοῦ οἰκοδομή ἐστε. Imo, quod plus valet, verbum ἐστὲ nunquam in Novo Teſtamento ſenſu *imperandi* adhibitum invenio, v. c. ἐστὲ οἰκτίρμονες, *eſtote miſericordes*, ſed potius γίνεσθε, v. c. 1 *Corinth.* X. 32. ἀπρόσκοποι γίνεσθε. XI. 1. μιμηταί μου γίνεσθε. XV. 58. ἑδραῖοι γίνεσθε. Conf. *Epheſ.* IV. 32. V. 1. 7. 17. &c. Itaque ſi Paulus imperare hoc loco quicquam voluiſſet, ſcripturus potius erat: καὶ γίνεσθε

ἐν

ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι. Et quantum, quæſo, foret hyperbaton, ſi τὸ ἐστε πεπληρωμένοι referre ad antecedens v. 6. περιπατεῖτε, & reliqua omnia parentheſeos notis ſeparare velimus. Quomodo v. 8. Βλέπετε &c. cohæret cum v. 7.? Quam egregie vero v. 10. καὶ ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι connectitur cum v. 9. quo πλήρωμα τῆς θεότητος κατοικεῖν dicitur ἐν Χριστῷ. Nonne illa inhabitatio plenitudinis in Chriſto ut fundamentum affertur plenitudinis illorum, qui per fidem ſint in Chriſto, & cum eo inſtar membrorum cum capite connexi. Porro non poterat Apoſtolus cohortari *Coloſſenſes*, ut *repleti eſſent in Chriſto*. Hoc enim non ex ipſis pendebat, ſed ex Chriſti gratia. Itaque nec eſt *officium* eorum, quale τὸ περιπατεῖν in Chriſto, ad quod excitari debebant, ſed *beneficium* potius, quod in ipſos conferebatur. Hinc quotieſcumque πληρώματος illius alias mentio fit, toties vel ut beneficium jam collatum repræſentatur, vel ut magis magiſque conferendum à Deo expetitur & ſperari jubetur. Denique non minus hic beneficium innuitur, quam v. 11. proxime ſequente: ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε. Eadem ex parte contra *Grotium* militant, qui nec in eo vim verbi πεπληρωμένοι exhaurit, quod reddit *contenti*. Hoc enim ut ex *plenitudine* conſequitur, ita principium fructus hujus, nempe *plenitudinem* ipſam, indicari, vel ideo exiſtimari debet, quod in aliis Scripturæ locis eadem ratione adhibeatur. Atque hæc cauſa eſt, cur nec Cl. *Schœtgenio* aſſentiar, in Horis Hebraicis p. 813. ita vertenti: *vos per ipſum eſtis edocti*, & quidem *perfecte*, ut proinde ad dogmata Magiſtrorum Pſeudo-Judaico-Philoſophorum recurrere debeatis. Provocat vir doctus ad ſignificationem verbi Hebr. גמר i. e. *implere*, Talmudicam, quæ *doctrinam* inferat, ut *Matth.* V. 17. Sed vide tu, quæ ad illum locum diximus. Ponamus, hunc verbi ſignificatum Domini noſtri & Apoſtolorum ætate receptum fuiſſe, quod nondum puto evictum, ampliorem tamen ejus notionem eſſe, inprimis ubi de credentibus in Chriſtum ſermo eſt, ex illis locis patet, in quibus exſtat. Vide v c. *Eph.* III. 19. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ Θεοῦ & V. 18. πληροῦσθε ἐν πνεύματι. Largior lubens, illa *plenitudine* etiam innui pleniſſimam doctrinæ ſalutaris cognitionem, quemadmodum Romani dicuntur πεπληρωμένοι πάσης γνώσεως XV. 14. Quid vero obſtat, quo minus alia & complura gratiæ momenta hic indicari exiſtimemus, ea ſcilicet, de quibus *Johannes* I. 16. καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος.

ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας] Ad *Angelos* hic reſpicitur, ut cap. I. 16. ubi nos vide. Compara *Petavium* Tom. V. Dogmatum lib. XII. cap. 17. §. 4. ſeqq. & *Suicerum* Tom. II. p. 95. Nolim itaque hæc referre cum viro docto l. c. p. 814. cum נשיאים i. e. *Principibus*, ſeu Præfectis Synedrii Judaici, quaſi innuere Paulus voluerit, Chriſtum eſſe *caput h. e. Regem ac Dominum omnium Judaicorum Doctorum*.

Verſ. 11. 12. Ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε κ. τ. λ.] Spectant huc *Sebaſt. Schmidii* diſſertatio, de Circumciſione ſpirituali, & *Philippi Jac. Speneri* Reſponſa



Digitized by Google

Theologica Germanica Tom. IV. pag. 690. tum vero *Frid. Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 91. ſqq.

περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ] circumciſionem manufactam, atque adeo externam & corpoream, quæ Judæorum eſt, tacite hic Apoſtolus deprimit, opponens illi ſpiritualem, ideo inprimis, quod Judæi de priore illa inſigniter gloriabantur, τῇ σαρκὶ inniti ſoliti.

ἐν τῇ ἀπεκδύσει τοῦ σώματος τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς] Pauci Codd. verſiones item ali quot, & Patres vocem ἁμαρτιῶν omittunt, quam ideo pro ſcholio habet *Millius* in Prolegomenis §. 636. recens vero editor N. T. Græco-Anglicani, more ſuo, h. e. temere, ex contextu prorſus expunxit. Conf. *Rich. Simonis* Hiſtoriam Criticam Verſionum N. T. pag. 477. Vide tu *Whitbium* pag. 71. & obſerva Paulum alias *Rom.* VI. 6. σῶμα τῆς ἁμαρτίας commemorare, ubi per illud *peccatum* ipſum indicari oſtendi, quod & Cl. *Schœtgenius* ad eundem locum in Horis Hebraicis obſervavit. Sic vero ſimul patebit, cur Paulus Phraſi iſti vocem τῆς σαρκὸς junxerit. Ἀπέκδυσιν illam ſpiritualem veteres ſubindicabant, quando nudi ſacro lavacro tingi ſe faciebant. Lege huc, ut alios omittam, *Suicerum* Tom. I. pag. 429. Nec Judæos circumciſionis hujus ſpiritualis, tanquam neceſſariæ, ignaros fuiſſe, eamque in depoſitione voluptatum & concupiſcentiarum collocaſſe oſtendit *Schœtgenius* l. c. pag. 815. & *Eiſenmengerus* in *Judaiſmo detecto*, qui vernacula lingua proſtat, Parte I. p. 687. ſq. Appoſitus inprimis locus eſt R. *Bechai* ad *Deuteron.* XXX. 6. *Et circumcidet Dominus cor tuum. Scripſit*, inquit, *R. Moſes filius Nachman*, *quod Deus ablaturus ſit ab ipſis præputium cordis : nam voluptas & reliquæ concupiſcentiæ ſunt præputium cordis ; & qui concupiſcit & ad voluptates inclinat, ille dicitur* ערל præputiatus *q. d. Jerem.* IX. 26. Et omnis domus Iſrael præputiati ſunt corde. *Quicunque vero nec voluptates nec concupiſcentias ſectatur, is dicitur* מול circumciſus carne.

ἐν τῇ περιτομῇ τοῦ Χριστοῦ] *Circumciſio Chriſti* dicitur vel ea, cui Chriſtus ipſe ſe ſubjecit, cujusque vis & efficacia ad Coloſſenſes in circumciſionem ſpiritualem pervenerit, ut nulla amplius carnis circumciſione opus ſit, præcipue cum baptiſmus illi ſit ſurrogatus; quæ ſententia eſt, cum aliis *Schœtgenii* l. c. Vel etiam accipi poteſt de baptiſmo, tanquam à Chriſto præcepto & inſtituto, ut proinde idem ſit, ac *baptiſmus Chriſtianus*. Ita ex Anglis ſentiunt *W. Wall* in Hiſtoria Pædobaptiſmi Anglice edita cap. II. pag. 10. ſeqq. edit. ſecundæ, & *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 189. Malim fere prius, cum *baptiſmatis* paulo poſt mentio fiat, tanquam medii, per quod vis circumciſionis Chriſti in ipſos ſit derivata.

Verſ. 12. Συνταφέντες αὐτῷ κ. τ. λ.] Inſpice *Chriſtoph. Sonntagii* diſput. de Pædobaptiſmo 1689. & ex Anglis *Robertum Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag 336-350. Alluditur hic ad ſubmerſionem in baptiſandis olim receptam, de quo ritu ſatis dictum eſt ad *Rom.* VI. 4.

ἐν

*ἐν ᾧ καὶ συνηγέρθητε*] *In quo* i.e. Chriſto. Sicut enim v. 11. dictum eſt de Chriſto, *ἐν ᾧ καὶ περιετμήθητε*, ita non minus h. l. excitatio Coloſſenſium ad Chriſtum tanquam principium & fontem ejus refertur. Res clarior evadit, ſi verba *συνταφέντες α. ἐ. γ. β.* commati antecedenti extremo jungantur, quod in editionibus quibusdam fieri video. Propterea non probo *Gellum*, qui l. c. in medio relinquit, utrum ad baptiſmum, an ad Chriſtum *τὸ συνεγερθῆναι* pertineat.

*διὰ τῆς πίστεως τῆς ἐνεργείας τοῦ Θεοῦ*] *per fidem operationis Dei*, i.e. per fidem, quam Deus operatur. Acumine critico abuſus eſt Cl. *Samuel Battierius*, quando in Muſeo Bremenſi Vol. II. Part. II pag. 181. ſeq. *τῆς ἐνεργείας* mutari vult in *τῇ ἐνεργείᾳ*, ut ſenſus ſit: *in quo ſuſcitati eſtis per fidem operatione Dei.* Recepta lectio in omnibus, qui inſpecti adhuc ſunt, Codicibus exſtat, nec naſci facile, quod idem ſibi perſuadet, potuit ex more veterum *τὸ* I (jota) in dandi caſu voci figurâ ſuâ jungendi, quod hodie puncto innui ſolet. Ponamus enim, ſcriptum fuiſſe ΤΗΙ ΕΝΕΡΓΕΙΑΙ num adeo facilis eſt incuria, ut inde formetur ΤΗΣ ΕΝΕΡΓΕΙΑΣ? Quanta, quæſo, differentia inter *τὸ* I & Σ intercedit! Merito itaque hæc conjectura in notis l. c. Auctori ſuo relinquitur. Interim ipſa illa *ἐνέργεια* non *objectum* infert, in quod fides feratur, tanquam qua factum ſit, ut Chriſtus ex mortuis reſuſcitaretur. Ita poſt *Grotium* & *Gellum* l. c. exiſtimare video *Hombergium* in Parergis ad h. l. Sed ea infertur *efficacia* & *virtus* Dei, quæ fidem in Coloſſenſibus procrearit, ſimilis illi, qua Chriſtum excitavit ex mortuis. Compara *Eph.* I. 19. ubi commemorantur *πιστεύοντες κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ*. Adde ibidem II. 8.

Verſ. 13. *Καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν*] Nolim *præputium* illud *carnis* referre ad defectum circumciſionis carnalis apud Coloſſenſes, cum Rev. *Oedero* pag. 671. Syntagmatis. Neque enim Paulus ad eos tantum ſcribebat, qui olim fuerant Gentiles, ſed ad eos etiam, & hos vel maxime, qui fuerant Judæi. Recte itaque *Theodoretus* ad h. l. *Ἀκροβυστίαν τῆς σαρκὸς τὴν πονηρίαν ἐκάλεσε, διδάσκων, ὡς ἡ μὲν τοῦ σώματος ἀκροβυστία οὐδὲν λωβᾶται τοὺς ἔχουσιν, ἡ δὲ τῆς ψυχῆς τῷ σώματι λυμαίνεται καὶ τῇ ψυχῇ.* Præputium itaque hic eſt *τὸ σῶμα τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκὸς*, de quo v. 11. Hoc vero præputii genus & in Judæos circumciſos & in Gentiles non circumciſos cadebat. Vide *Jerem.* IX. 26.

Verſ. 14. 15. *Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφον κ. τ. λ.*] Ex noſtratibus velim inſpici diſputationes *Iſaaci Fauſti* de chirographo, quod adverſus nos erat, Argentorati 1690. *Gerhardi Mejeri* de peccatorum ſyngrapha per Chriſti ſanguinem deleta, Quedlinb. 1700. *Salom. Deylingii* de Chirographi & Principum legalium abolitione Lipſ. 1722. & *Jac. Frider. Heſſi* de *χειρογράφῳ* Hafniæ 1732. Adde *Amelii* Erörterung Tom. II. pag. 843. ſeq. Ex Reformatis legantur *Jo. Braunius* in Selectis Sacris pag. 99. ſeqq. *le Moyne* in Notis ad Var. Sac. pag. 508. *Lydius* in Florum Sparſione pag. 285. & Aucto-

res Biblioth. Bremenſis Claſſ. III. p. 201. ſq. Ex Anglis *Henr. Morus* pag. 451. Operum Theologic. & *Jo. Pearſonus* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 371. verſionis Latinæ. Inprimis hic tenendum eſt, abolitionem illam chirographi non Chriſto, de quo hic Interpretes, quos vidi, omnes cogitant, ſed Patri per Chriſtum tribui. De eodem enim hic ſermo eſt, de quo v. 13. Paulus ait: *καὶ ἡμᾶς συνεζωποίησε σὺν αὐτῷ* ſc. Χριςῷ, *χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπλώματα.* Hic vero omnino eſt Pater Domini noſtri. Atque idem adeo proxime v. 14. dicitur *ἐξαλείψας τὸ χειρόγραφον*, & v. 15. *ἀπεκδυσάμενος*. Niſi igitur hæc participia *ἐξαλείψας* & *ἀπεκδυσάμενος* extra orationis ſeriem poſita cenſeas, ad *τὸ; σὺν αὐτῷ*, nempe *Chriſto*, v. 13. referri omnino non poſſunt. Evicit hoc S. Rev. *Erdmannus Neumeiſterus*, Collega conjunctiſſimus, in ſingulari concione, quæ in Appendice ad *Chriſtum* Patientem pag. 125. legitur, & ex h. l. Patrem ſiſtit, ut Salvatorem noſtrum in perpeſſione Chriſti. Plura in hanc ſententiam lege apud *Ruardum Andala* in Exegeſi illuſtrium locorum Exercit. III. quæ de *typo ſerpentis ænei* exponit, *Herman. Wall* in Bibl. Bremenſ. l. c. & *Deylingium* diſp. citata §. XI. cum quo tamen *τὸ καὶ* ante *αὐτὸ ἦρκεν* non putem eſſe trajectum, & ſuo loco ante *ἐξαλείψας* reſtituendum, ut cum voce *χαρισάμενος* quæ a verbo *συνεζωποίησε* pendeat, conjungatur. Quemadmodum enim verſ. 15. *ἀπεκδυσάμενος* & *θριαμβεύσας* ſine addito verbo quodam ſubjungitur eadem ſerie participio *προσηλώσας*; ita non video, cur idem de participio *ἐξαλείψας* v. 14. reſpectu antecedentis *χαρισάμενος* factum eſſe dubitandum ſit.

*ἐξαλείψας τὸ καθ᾽ ἡμῶν χειρόγραφον*] Hebræi dicunt נמחק שטר *abolitum eſt chirographum*, & נבטל הכתב in *Bava Batra* fol. 168. 1. & *Tanchuma* fol. 44. 2. Loca habes apud Cl. *Schœtgenium* pag. 817. Τὸ *καθ᾽ ἡμῶν χειρόγραφον* dicitur, ſicut *Demoſthenes*, obſervante *Caſaubono*, *κατὰ σεαυτοῦ κειμένην συγγραφὴν* dixit. *Χειρόγραφον*, quam vocem exponit *J. C. Dietericus* in Antiquitatt. Biblic. Nov. Teſt. p. 253. ut aliorum ſententias taceam, Rev. *J. Jac. Quandt* in diſſertat. de atramentis Hebræorum §. 24. de ſchedula adulteræ prælecta & maledictis plena accipit, de qua *Num.* V. 23. quemadmodum *Hombergius* pag. 313. Parergorum de *clauſula maledictionis legi ſubjecta* exponit. Plerique inter noſtrates inprimis de *lege morali* interpretantur, in quantum illa & poſtulatis ſuis & maledictionibus hominibus gravis incubuerit. Alii vero *legem ceremonialem* indicari putant. Inter hos ſunt ex noſtratibus *Deylingius*, *Amelius, Schœttgenius* & *Heiſius* ll. cc. In hanc ſententiam Reformati inprimis Doctores & Interpretes multa dixerunt. Lege poſt *Crocium, Altingium, Braunium, Wallium*, ll. cc. *van Tillium* & *Morum* ad h. l. & alios. Non repetam hic eorum argumenta, quæ à *Deylingio* inprimis ſunt expoſita. Mihi idem perſuaſum eſt ex voce *δόγμασι*, de qua alias diximus, & ex eo quoque, quod Apoſtolus v. 16. ejuſmodi capita commemorat, quæ non ad legem moralem, ſed ceremonialem ſpectant. Id enim argumento eſt, de eadem ante ſermonem fuiſſe.

Acce-

Accedit, quod lex illa ejuſmodi officia in ſacrificiis inprimis, quotidie & certa occaſione offerendis, injunxerit, quæ, dum præſtarent Judæi, ſimul profitebantur, *peccatorum* reatum & pœnam è medio eſſe ſublatam. Accipe hanc in rem *Vitringæ* cogitata in Obſervationibus Sacris lib. II. cap. XI. pag. 192. *Affirmat*, inquit, *Apoſtolus*, *primo*, χειρόγραφον τοῖς δόγμασι chirographum, quod in ritibus conſiſtebat, affixum fuiſſe cruci. *Per illud intelligit Paulus ipſa* δόγματα (חקים) *Legis Moſaicæ, in quantum ea ſignificabant, peccatum adhuc exſtare, & Iſraëlitas cogebant ad id* manu *&* ore ſuo *obſignandum, quod utrumque in* ſacrificiis pro peccato *locum habebat.* χειρόγραφον *hic igitur nihil aliud eſt, quam* שטר חוב *tabula debiti*, ein Schuld-Brief; *confeſſio exſtantis & nondum ſoluti debiti.* Similiter *Altingius* Tom. V. Operum in Heptade Diſſertatt. pag. 24. *Chirographum non eſt, niſi quod ab ipſo debitore ſcriptum eſt, & eſt adverſus ſcribentem, qui debitum ſuum eo pacto profitetur. Conſiſtebat illud chirographum in ritibus, adeoque ſolorum Iſraëlitarum fuit, quibus iſti ritus proprii fuerunt, ex voluntate Dei inſtituti. Etenim quoties Iſraëlitæ pro peccato vel reatu adduxerunt victimam, confitebantur debitum ſuum, atque illud quaſi ſanguine ſcribebant.*

*τοῖς δόγμασιν*] i. e. *ἐν δόγμασι ὂν* vel *κείμενον inſtitutis*, comprehenſum. Abſit, ut cum *Grotio* doctrinam à Chriſto promulgatam hic intelligamus, quod ab aliis eſt profligatum. Nec ſatis faciet legenti *Arnaldus*, quando in Continuata Defenſione verſionis Montenſis p. 126. ſeqq. hanc interpretationem adſtruere conatur. Δόγματα enim hæc *ritus* Judaicos inferre ex *Epheſ.* II. 15. patet, ubi vide quæ ſcripſimus.

*ὃ ἦν ὑπεναντίον*] *Eraſmus Schmidius*, poſt *Bezam* vertit: *quod erat occulte contrarium nobis*, & in Notis explicat per *ſubcontrarium*, h. e. tale: *quod contrarium fuerit, nobis non animadvertentibus.* Emolliendi itaque vim illi voci tribuunt, quo ſenſu *Altingius* loc. cit. vertit *ex parte contrarium, quoniam*, ita pergit, *ita ſe ſcribebant reos* (Judæi) *ut tamen non promitterent, ſemet ipſos facturos ſolutionem, ſed per vicarium, hoſtiam videlicit, cujus capiti confeſſa peccata imponebant, eamque ſibi ſubſtituebant, ſimul etiam ſanguine typicæ hoſtiæ, quæ expiare nequibat, rationibus Sponſoris Chriſti adſcribentes, qui proinde chirographum deleviſſe & ſuſtuliſſe dicitur.* Accedit illis Rev. *Deylingius* loc. cit. §. XIV. ideo, *quod lex ritualis præter luculenta iræ juſtitiæque divinæ, peccatis læſæ, argumenta, contractique reatus ſignificationes, gratiæ divinæ præconium, & elegantiſſimas Meſſiæ & beneficiorum ejus imagines contineret.* Convenienter hæc dici videri poſſunt, cum tralatitium ſit τὸ ὑπὸ in compoſitis ſæpe minuere ſignificatum. Cum vero eadem particula alias etiam verbi notionem intendat, quod de verbo ὑποδεικνύναι oſtendit *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 26. ac præterea vox ὑπεναντίος à Scriptoribus Græcis ita adhibeatur, ut *contrarium* ſimpliciter inferat, non exiſtimem, h. l. aliter eſſe accipiendam. Oſtendit rem idoneis & pluribus exemplis *Jo.*

*Alberti* in Obſervationibus Sacris pag. 381. addens etiam: *nullum ſibi exemplum occurriſſe, ubi pro* ſubcontrario *ſumatur, neque argumentari ex etymo licere, ſi vocis uſus obſtet.* Cape exempla aliquot. *Lucian.* Icaromenipp. pag. 190. *μαχόμενα πάντα καὶ ὑπεναντία. Æſchines* Dialogo III. Sect. IV. *καὶ σεαυτῷ ὑπεναντία καὶ ποιεῖς καὶ λέγεις.* Sic *Hebr.* X. 27. *ὑπεναντίοι adverſarii* vocantur. Accedit ſimilis apud τοὺς LXX. uſus, quemadmodum *Heſychius ὑπεναντίον* per *ἐχθρὸν* interpretatur. Itaque recte *Vulg.* reddidit *contrarium*, quod & B. *Lutherus* noſter expreſſit. Neque porro veriſimile eſt, Paulum legis ritualis difficultatem & gravitatem hic emollire voluiſſe, qui hinc in prædicanda Dei gratia, illius abolitione demonſtrata, hinc in avocandis ab ea Chriſtianorum animis verſaretur. Propterea *Epheſ.* II. 14. *ἔχθρας*, *inimicitiæ*, ſimpliciter meminit, habito etiam ad hanc legem reſpectu. Non nego, eandem legem gratiæ quoque divinæ indicia ſecum tuliſſe; ad illa vero Paulus per argumentum, in quo erat, reſpexiſſe credi non poteſt.

*ἦρκεν ἐκ τοῦ μέσου*] Codices alii habent *ἦρεν* eodem ſenſu. *Τὸ ἀνελεῖν ἐκ μέσου Demoſtheni* & aliis Scriptoribus Atticis admodum frequentatur, de re vel perſona penitus oculis ſubducta. Fieri poteſt, ut Paulus hic reſpexerit ad *μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ*, quod Dominus *λύσας* dicitur *Epheſ.* II. 14.

*προσηλώσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ*] De chirographis, adacto clavo abolitis, poſt *Grotium* ad h. l. *le Moyne* ad Varia Sacra pag. 508. & *Pearſonus* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 371. verſionis Latinæ monuerunt, qui mos quantopere ad crucifixionem Chriſti quadret, quivis per ſe intelligit. *Vitringa* loc. cit. p. 192. chirographum hoc cruci ait eſſe affixum, *in quantum in Chriſto, à cruce pendente, validiſſimum argumentum erat, peccata hactenus exſtitiſſe atque etiamnum exſtare, per ſe expianda. Sane, qui Chriſtum in cruce hærentem, ut decet, contemplabatur, ille hanc tenebatur collectionem facere: Ergo peccata hactenus expiata non fuerunt. Ille quaſi tabulam debiti legebat omnium ſubſignatione confirmatam, ſe debere, neque tamen debito ſuo ſolvendo pares eſſe. Idem igitur illud χειρόγραφον, quod dabatur omni die in ceremoniis legis, nunc dabatur in ipſo Dei Filio, licet modo diverſo. Quin, quod magis eſt, hoc χειρόγραφον nunc transferebatur à dogmatibus Legis ad ipſum Chriſtum, hoc eſt, nunc edebatur in Chriſto, quod in tot ceremoniis quondam editum fuerat.*

Verſ. 15. *Ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς, κ. τ. λ,*] Legendi varietates in hoc commate obvias poſt *Cotelerium* Tom. I. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 787. *Millius* exhibet.

*ἀπεκδυσάμενος* Pater dicitur, ſicut verſ. 14. *ἐξαλείψας*, ceu modo oſtendimus. Ex hac obſervatione judicium ferri poteſt de interpretatione quorundam, qui vocem illam de Chriſto non *tranſitive* reſpectu aliorum, ſed *reciproce* tanquam in ipſum accipiendam putant. Sententiam eorum *Franciſcus*

*Combe-*

*Combeſiſius* in Auctario Noviſſimo Bibliothecæ Græcorum Patrum Tom. I. pag. 477. ita ediſſeruit : *Hanc vocem plerique tranſitive exponunt, non ſatis ad mentem Apoſtoli, quaſi velit ſic exſpoliatos nudatosque Principatus ac Poteſtates traduxiſſe; non quod ipſe potius ad certamen exutus, poſita ſcilicet per mortem carne, vel etiam, ut Chryſoſtomus exponit, ipſa eorum labe, eaque in ſe depulſa ab humana natura (qui mos eſt luctatorum) ſic magnifice de illis triumphaverit, ac exemplum eos fecerit. Sic certe Syrus Interpres :* Et per exſpoliationem corporis ſui diffamavit Principatus & Poteſtates. *Sua nimirum morte, qua velut indumentum corpus exuit. Eodem modo* Auguſtinus C. *de Agone Chriſti* cap. II. & XVI. *adverſus Fauſtum* cap. XXIX. & l. *&* *de Peccat. merit. & remiſſ.* cap. XXVII. Exuens ſe carnem. *Quia &* Hilarius *lib.* IX. *de Trinit.* Exutus carnem, & Poteſtates oſtentui eſſe fecit. *Hoc nempe inſinuantes, reciproce accipiendam eam vocem; utrovis tandem modo intelligatur ea reciprocatio.* Hactenus *Combeſiſius.* Velificatur huic interpretationi Codex Bœrnerianus Græc. Lat. qui in *Græco* habet ἀπεκδυσάμεν☉ τὴν σάρκα, in *Latino* autem : *exutus carnem.* Nec minus *Novatianus* de Trinitate cap. 16. apud *Millium* in Prolegom. §. 715. Idem rectum viſum eſt ex recentioribus *Coccejo* ad h. l. & *Hombergio* p. 313. Parergorum, *pro locutione metaphorica* habenti, *qua Chriſtus dicatur luctatorum more, nudus quaſi cum adverſariis pugnaſſe illosque viciſſe, ut triumphator,* Adplaudit *Gerhardus Outhovius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. pag. 950. eo quidem ſenſu, ut *Chriſtus dicatur, Magiſtratus & Principes ſub Vet. Teſtam. quaſi veſtem induiſſe, quia per illos, quaſi per Principes vicarios populum Iſraëliticum rexerit, quam veſtem jam ſub Nov. Teſtam. depoſuerit ac exuerit, ut ſic ſolus jam regnaret.* Urgent illi inprimis ſignificatum verborum mediorum, qui plerumque ſit reciprocus, & actionem cum paſſione mixtam involvat, ut proinde ἀπεκδύσασθαι ſit, *ſe ipſum exuere.* Non dicam ego nunc, illam verborum mediorum notionem & vim non eſſe perpetuam, aut frequentiorem; nec alia afferam, quæ opponi valide poſſint. Sufficit, expoſitionem hanc mole ſua ruere, cum de *Patre* hic ſermo ſit, in quem *executio* illa reciproca ſive carnis adſumtæ, ſive aliorum momentorum reſpectu, cadere nequaquam poteſt. Ratum igitur ſit ἀπέκδυσιν illam tranſitive ad exſpoliationem hoſtium devictorum ſpectare, quod poſt *Grotium* erudite oſtendit *Jacobus Perizonius* in Notis ad Æliani Varias Hiſtorias lib. II. cap. 30. pag. 123. Ipſa hac phraſi uſum videmus in ſimili negotio *Heſiodum* Aſpide verſ. 447.

Ου γάρ τοι θέμις ἐςὶν ἀπὸ κλυτὰ τεύχεα δῦσαι.
*Neque enim tibi fas eſt inclyta arma detrahere* (Herculi.)

τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξυσίας] Per Principatus hos & Poteſtates veteres Interpretes omnes, & ex recentioribus plerique, intelligunt malum Dæmonem cum ſuo ſatellitio. Noſtra vero memoria non pauci Patres Synedrii Judaici & Doctores in cathedra Moſis ſedentes indicari exiſtimant. Inter hos præ ceteris

ris

ris hanc cauſam egit *Braunius* in Selectis Sacris loc. cit. ex noſtratibus vero Rev. *Deylingius* in laudata aliquoties diſſertatione §. XX. ſq. Compara quoque *Amelii* Erörterung Tom. I. p. 96. & *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tom. I. p. 840. ſq. Non aliter, credo, *Hombergius* p. 314. *Videndum, an non ad Patres carnis referenda ſint, quod probatur ex verſu antecedente, ubi ſit mentio chirographi rituum* &c. Ab altera parte *Jo. Marckius*, Dæmonum Exercitum hic triumphatum ſiſti oſtendit in Exercitat. Exeget. XLIII. p. 689. ſqq. Eandem ſententiam tuetur etiam *Stephanus Charnock* in Operibus Anglice editis Tom. II. p. 839. ſq. Prior illa interpretatio inſignem habet ſpeciem, ſed nec alteri deſunt, quæ eam dubiam facere poſſint. Longius argumentum eſt, quam ut in eo nunc detineri poſſim. Interim acquieſco ego in *Vitringæ* verbis, lib. II. Obſervationum Sacrarum p. 193. ita conceptis: *Convenit phraſi Paulinæ, ut per ἀρχὰς ϗ τὰς ἐξουσίας primo loco Angelos intelligamus, & quia boni hic intelligi nequeunt, Angelos malos, Diabolum cum omni ſua cohorte. Ita acceperat hanc ῥῆσιν cap. I. 16. & II. 10. Sed quia id pati poteſt Pauli aſſertio, & fidei analogia id idem ſlagitat, per τὰς ἀρχὰς & ἐξουσίας amplius illam poteſtatem intelligimus, quæ eſt vi exſtantis & nondum aboliti peccati. Id vero ex ἀναλογίᾳ ſcripturarum dici poteſt de poteſtate illa, quam Principes & Præfecti populi Judaici in Eccleſiam Veteris Teſtamenti exercuerunt. Neque enim dignum Deo fuiſſet, Eccleſiam Veteris Teſtamenti hominibus eorumque præfecturæ ſubmittere, ſi peccatum in mundo non fuiſſet. Unicum adſcribam locum ex Luc. XII. 11. ὅταν δὲ προσφέρωσιν ὑμᾶς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ϗ τὰς ἐξουσίας: ubi Præfecti populi intelliguntur. Apoſtolus vero aſſerit, cum Diabolos, tum omnes etiam alios poteſtatem exercentes, quæ ſit vi peccati & maledictionis nondum abolitæ, cum Chriſto Domino crucifixos eſſe.* Confer ejusdem *Vitringæ* Commentar. in Jeſaiam Tom. I. p. 240. & 659. edit. Belgic. Ita ut ſtatuam, eo inprimis adducor, quod voces ἀρχὴ & ἐξουσία in Nov. Teſtamento tantum non ſemper latius pateant, & aliud quicquam, quam Magiſtratus aut primores Judæorum inferant. Deinde, quod, ubi de fructu & efficacia crucis Chriſti ſermo eſt, frequentiſſime dejectæ poteſtatis infernalis mentio fiat. Porro, quod Paulus, qui h. l. de redemtionis opere tam efficaciter loquitur, & remiſſionis peccatorum ſpeciatim meminit, credi vix poſſit, Præſidum & Doctorum Judaicorum mentionem feciſſe, tanquam ejusmodi hoſtium, à quibus ſibi non amplius timere debeant credentes. Levioris armaturæ milites eſſe merito videntur, non autem tales, quorum abolitio hic tantopere prædicari potuerit. Nec obſtat, quod in antecedentibus & conſequentibus commatibus ritus Judaici commemorentur, qui effecerint, ut Apoſtolus illorum ſuaſores & vindices in ſcenam producat. Quemadmodum enim ipſi illi ritus *peccatorum* erant indices, & iræ juſtitiæque divinæ nondum ſopitæ præcones, ita pœnas quoque & inter has poteſtatem infernalem, cui obnoxii homines erant, in memoriam revocabant. Hinc factum eſt, ut Apoſtolus poteſtatem illarum ἀρχῶν & ἐξουσιῶν tanquam per cru-

cem

cem Chriſti depreſſam & è medio ſublatam celebraret. Hoc ſenſu Paulus *Hebr.* II. 14. Chriſtum ait: *διὰ τοῦ θανάτου καταργῆσαι τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου, τουτέστι τὸν διάβολον, καὶ ἀπαλλάξαι τούτους, ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ παντὸς τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας.* Quod ſi vero illæ ἀρχαὶ deſtructæ ſunt, quid de ἀρχαῖς longe inferioribus ſtatuendum fuerit? Recte proinde Rev. *Deylingius* in calce diſſertationis laudatæ ait: *Ubi tamen negare nolimus, emphaticis hiſce verbis ſimul contineri ac deſcribi triumphum de Diabolo, adverſariorum maximo, ac univerſa coborte inferorum; certe ad hanc devictionem alludi, ac indicari, quam certo cacodæmones à Chriſto ſint devicti, & exſpoliati in cruce, tam certo etiam devictos, & priſtina poteſtate exutos eſſe Judaicos conſcientiarum dominatores, Principes ac magiſtros.*

Mireris interim, fuiſſe, qui ἀρχὰς illas de bonis Angelis acciperent. Inter hos eſt ex Anglis *Jac. Peirce* in notis ad hanc epiſtolam, quo judice Deus Pater principatus & poteſtates Angelicas exuit auctoritate & dominio, quale antea in regiones & nationes univerſi mundi obtinuerint, eosque Chriſto ſubjecit, & exemplum eorum voluntariæ Chriſto ſubjectionis publice propoſuit, dum eos in Chriſto triumphare fecit. Ita mentem ejus repræſentat & approbat *L.M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Johannis reſtituto pag. 595. ſq. & p. 451. Scilicet nonnulli vigilantes ſomniare didicerunt.

*ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ θριαμβεύσας* ] Has phraſes non minus quam antecedentem *ἀπεκδυσάμενος* ad victoriam reportatam & triumphum de hoſtibus actum reſpicere nemo non intelligit. Ex ritibus veterum in hac cauſa receptis eas explanant *Jacobus Lydius* in diatriba ſingulari ad h. l. de triumpho Jeſu Chriſti in cruce, quæ cum ejus Florum Sparſione prodiit pag. 285. ſeqq. Adde eundem in Syntagmate de re militari lib. VI. cap. 3. & *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tom. I. pag. 843. ſeqq. nec omitte *Joannis Schmidii* diſputat. de victoria Chriſti glorioſa, Lipſiæ 1685. & Programma Paſchale Regiomontanum an. 1726.

*θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ* ] Ita editi fere omnes, quam lectionem illi Patres ſecuti cenſendi ſunt, qui pro verbis *ἐν αὐτῷ* habent *ἐν σταυρῷ* vel *ἐν ξύλῳ*. Vide hanc in rem *Cotelerii* notas ad Tom. I. Monumentorum Eccleſ. Græc. p. 787. & *Millium* hunc in loc. item in Prolegomenis §. 754. MSS. fere omnes habent *ἐν αὑτῷ* vel *ἐν ἑαυτῷ*, quos poſt *Stephanum* ſecutus eſt *Millius*, quemadmodum ita quoque B. *Lutherus* cum *Vulgato* expreſſit. Non dubito ego, τὸ, *ἐν αὐτῷ* germanum eſſe, atque ita quidem, ut ad *Chriſtum* pertineat, in quo Pater triumphum de poteſtatibus illis & principatibus egiſſe dicitur, quem ſenſum orationis ſeries omnino requirit. Compara quæſo cap. I. verſ. 20. ubi de Patre Domini noſtri ita: *καὶ δι' αὐτοῦ (Χριστοῦ) ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ.* Nihil agit *Jo. Bapt. Ottius*, quando in Annotationibus in Flavium Joſephum Tomo II.

edit. Havercampianæ pag. 316. triumphum Chriſti ſuper Principatus & poteſtates habitum, & extremam chirographi deletionem factam ait per ſervos ejus Veſpaſianum & Titum, quæ à Joſepho fuſe deſcribatur Belli Judaici lib. VII. cap. 24. pag. 977. cum pag. 979. ubi τῆς πομπῆς τὸ τέλος delineetur Simonis Gioræ ad Templum Jovis Capitolini deductio atque cæſio, πεπομπευκὼς ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις. *Eo enim*, ita pergit, *actu arbitror centrum, ſummumque finem ſepulturæ ceremoniali ſolenniter impoſitum, quem mire illuſtrat, & confirmat numus cum Inſcriptione:* TRIUMP. AUG. *qui in Tabula noſtra IV. conſpicitur primus.* Ex ſuperioribus apparet, auguſtiorem triumphum à Paulo celebrari, quam qui tunc demum ſummum apicem ſit conſecutus.

Verſ. 16. Μὴ ἔν τις ὑμᾶς κρινέτω] *Ne quis igitur vos damnet*, ut *Beza* vertit. Hanc enim ſignificationem verbum hoc paſſim habet v. c. *Joh.* III. v. 17. & alias, ceu in Vol. I. Curarum paſſim oſtendi. B. *Lutherus* convenientiſſime reddidit: So laſſet euch nun niemand ein Gewiſſen machen, id eſt, ne rationem habeatis eorum, qui in vos tanquam prave agentes animadvertere audeant.

ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει] de abſtinentia à certo cibi potusque genere Chriſtianis non incumbente lege *Suicerum* Tom. I. pag. 716.

ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς, ἢ νεμηνίας, ἢ σαββάτων] Lege huc præter *Scaligerum* de Emendatione Temporum pag. 290. & in Elencho Trihæreſii cap. 27. pag. 213. *Friderici Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 205. & 564. ſqq. *Joannem Dougtæum* in Analectis Novi Teſtamenti pag. 132. *Stephanum le Moyne* Obſervationibus ad Varia Sacra pag. 23. *Joannem Henricum Majum* in Obſervationibus Sacris lib. I. pag. 145. edit. prioris & pag. 193. poſterioris repetitæ, *Petrum Zornium* in Opuſculis Sacris pag. 82. ſq. *Cloppenburgium* Tom. II. Operum pag. 1000. *Spencerum* de Legibus Hebr. ritualibus pag. 84. & 214 edit. Tubingenſis. *Joannem Buxtorfium* in Catalectis pag. 64. *Hombergium* pag. 314. & *Joannem Vriemoet* in epiſtola ſingulari, Obſervationibus ejus in Matth. pag. 158. ſubjuncta. Diſputatur hic inprimis, quid ſibi velit τὸ, ἐν μέρει. Ubi non audiendus eſt *le Moyne*, qui loc. cit. ad ſectiones & capita פרשות & פרקים in Synagogis prælegi ſolita reſpici exiſtimat. Res enim, quarum rationem haberi non vult Apoſtolus, non tales erant, quæ ex adjunctis & περικειμένοις aliquot, ſed potius totæ, quantæ erant, caveri vel ſaltem non ſuperſtitioſe obſervari debebant. Propter eandem rationem nec *Majum*, τὸν μακαρίτην, audierim, *partes* aliquas *antecedentis* aut *ſubſequentis* diei, quas Judæi ad feſtivitates trahere conſueverint, nomine תוספות, ſeu *acceſſionum* & *additionum* appellatas, innui loc. cit. exiſtimantem. Vix quoque ſatisfecerit *Scaliger*, quem *Buxtorfius* loc. cit. ita ſtatuiſſe præter rem dubitat, & cum eo ſentiens *Caſaubonus* pag. 234. Epiſtolarum ab *Almeloveenio* editarum, qui ita vertit: *nemo de veſtra pietate ſtatuat è tractatu Magiſtrorum*

*ſtrorum ſuper obſervatione feſtorum.* Μέρος ille de חלק vel פרק accipit, eo quod minores *partes* Talmudis à Magiſtris פרקים vocentur. Apoſtoli certe ætate Miſchnica illa traditionum farrago in literas nondum erat relata, dubiumque adeo eſt, an hæc appellatio τῶν פרקים jam fuerit recepta: nec rationem præterea video, cur Paulus τὸ, ἐν μέρει non præmiſerit βρώσει & πόσει antecedentibus, de quibus non minus, quam de ceteris illis capitibus à Magiſtris præcipitur. M. *Jo. Fridericus Mickelius* in Obſervationibus Sacris, Darmſtadii per Programmata aliquot editis, ſenſum eſſe vult: *ne participes evadatis feſti alicujus*, aut in ſocietatem ejus veniatis. Vide Collectionem Novantiquorum Theologicorum Anno 1730. pag. 136. Simpliciſſimus procul dubio & veriſſimus ſenſus is eſt, ut τὸ, ἐν μέρει idem eſſe putetur, quod Latine dixeris *reſpectu*. Ita recte vertit olim *Beza*. Ita quoque accepit B. *Lutherus*, qui ſimpliciter ac τὸ ἐν antecedens ἐν βρώσει interpretatus eſt über. Hunc autem phraſeos ſenſum eſſe patet ex 2 *Corinth.* III. 9. & IX. 3. inprimis, vero ex 1 *Petr.* IV. 16. Conf. *Buxtorfium* loc. cit. & *Hombergium* in Parergis, qui obſervat, *Ælianum* Var. Hiſtor. VIII. 3. eodem ſenſu dixiſſe, κρίνοντες ἕκαςον ἐν τῷ μέρει φόνου, *judicantes ſingulos quoad* vel *propter cædem*, quemadmodum *Diogenes Laërtius* pag. 145. edit. Wetſten. ἐν σκώμματος μέρει, & pag. 203. ἐν εἰκόνος μέρει dixit. Poſteriores duo loci convenienter adferuntur, primum autem *Æliani* huc non pertinere patebit ex iis, quæ *Perizonius* ad illum locum & *Uriemoetius* loc. cit. attulerunt. Nam phraſis ἐν μέρει ibi non ad vocem φόνου ſpectat, ſed ſibi relictum idem eſt, quod *ſeparatim*, *ordine*, *per vices*. Item *Uriemoetius* Pindarum producit, Pythiorum Ode IV. pag. 352. γηραιὸν μέρος ἁλικίας, *ſenilem ætatem* appellantem. Scilicet vox μέρος h. l. fere abundat, ſicut alibi omittitur, quod *Lambertus Bos* de Ellipſi Græc. Lingu. oſtendit.

De *Neomeniis* lege, quos excitat *Joannes Albertus Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria pag 312. edit. prioris. Quæ de *Sabbati* Chriſtiani moralitate in Belgio ex hoc quoque loco diſputata ſunt, conſtant. Lege *Franciſcum Burmannum* in Apologia de moralitate Sabbati cap. V. toto pag. 98-- 112. qui pag. 126. eos etiam confutat, quibus de anno Sabbatico non vero hebdomadario h. l. ſermo eſſe videtur. Optandum interim erat, ut noſtratium nonnulli ad illorum exemplum Sabbati Chriſtiani moralitatem nunquam in dubium vocaſſent, otiumque ſuum rebus & commentationibos proficuis potius & πρὸς οἰκοδομὴν aptis, quam talibus impendiſſent, quæ ut rerum argumentis deſtituuntur, ita bonos offendunt, malos autem cultus divini negligentiores reddunt.

Verſ. 17. Ἅ ἐςι σκιὰ τῶν μελλόντων, τὸ δὲ σῶμα τοῦ χριςοῦ] *Quæ umbra ſunt futurorum, corpus vero, Chriſti*, ſc. ἐςὶ eſt; h. e. ea quæ inſtitutis illis ceremonialibus adumbrantur, ea vere ſunt in Chriſto, & ab ipſo repræſentata. Eodem ſenſu ſupra v. 9. plenitudo divinitatis in Chriſto σωματικῶς, i.e. vere,

non typice ſeu per umbram habitare dicitur, quamvis eadem voce ibi etiam aliquid amplius indicetur, quod ibi diximus. Senſum non cepit auctor Obſervationis XIII. quæ Tom. VI. Obſervationum Hallenſium p. 114. exſtat. Is enim repeti vult vocem σῶμα, hoc ſenſu: *Olim ſub Nov. Teſtam. novilunia, & ſabbata hominum libertatem adſtringebant, ut ex eorum præſcripto vivere eos oporteret: at hodie, cum Chriſtus libertati nos vindicavit, ea tantum veluti umbra ſunt, quæ à corpore Chriſti, i. e. eccleſia dependent.* Si hæc inſtituta pendent ab Eccleſia Chriſti, conſequitur, in poteſtate ejus poſitum eſſe, illa vel abrogare, vel retinere. Hoc vero non eſt ejus. cum à Chriſto jam ſint ſublata. Hoc ſane ſibi vult Apoſtolus, nempe, illa inſtituta jam prorſus evanuiſſe, eorumque rationem non haberi, poſtquam corpus ipſum apparuerit. Simile aliquid in verbis his videre ſibi viſus eſt *Jo. Spencerus* de Legibus Hebr. ritualibus lib. I. Sect. II. cap. XV. pag. 214. edit. Tubingenſ. *Corpus* enim de Chriſto, ejusque *religione* intelligi cupit, *quæ ſit res ſolida & perpetua, utpote naturis (non moribus) hominum accommodata.* Ad hanc interpretationem firmandam *Iſychio* utitur, qui ad Levit. XV. *corpus Chriſti* per *verbum doctrinale*, h. e. *Chriſti doctrinam*, *è ſolidis præceptis & doctrinis conflatam, interpretetur.* Facile patet, quo hæc tendant, ne ſcilicet inſtituta illa Moſaica Chriſtum, Dominum noſtrum, reſpexiſſe exiſtimentur. Quod quam alienum ſit a divino conſilio, vel ſola epiſtola ad Hebræos commonſtrat. Taceo, quæ illi quod ad h. l. oppoſuit *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 836. Ceterum phraſis hæc non eſt inſueta Scriptoribus aliis. Similiter enim *Lucianus* Hermotim. pag. 566. obſervante *Joanne Alberti* p. 381. ὀρθῶς τις φαίη σκιὰν ὑμᾶς θηρεύειν ἐάσαντας τὸ σῶμα. *Recte quis dixerit, vos relicto corpore umbram venari.* Et *Joſephus* de Bello Judaico lib. II. cap. II. de *Archelao*, qui poteſtatem Regiam ſine Regis titulo, quem petebat, olim geſſiſſet: ἥκει παρὰ τοῦ δεσπότου σκιὰν αἰτησόμενος, ἧς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶμα. *Venit à Domino* (Cæſare) *umbram petiturus, cujus corpus ſibi rapuiſſet.* De umbra illa rituali compara Patrum dicta apud *Suicerum* Tom. II. pag. 920. & 1215. Conferri præterea *Braunius* poterit in epiſt. ad Hebr. pag. 604.

Verſ. 18. *Μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω κ. τ. λ.*] Illuſtrant hoc comma ex noſtratibus B. *Joannes Georgius Neumannus* in diſputatione de palma ab Angelicis non intervertenda, Wittebergæ 1693. M. *Joannes Georgius Schulze* de cultu Angelorum, Lipſ. 1703. *Daniel Pfeffingerus* de eodem Argumento, Argentorati 1708. *Michaël Siricius* in Oſtenſione Abominationum Papatus p. 208. ſeqq. Auctor Obſervationum Miſcellanearum vernacula lingua editarum Tom. II. p. 368. *Stolbergius* in Exercitt. Græc. Lat. cap. 21. p. 102. *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris p. 198. ſq. *Walchius* in Obſervationibus Philologicis in Nov. Teſt. Parte I. p. 103. ſeq. *Cleſſelius* in Bibliotheca Lubecenſi Tom. IV. p. 655. & *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 424. & Parte II. pag. 229. ſqq. Adde *Scaligerum* in Elencho Trihæreſii Serariani

pag.

pag. 212. ſeq. collato *Nicolai Serarii* Minervali cap. XXX. pag. 213. *Braunium* in Selectis Sacris pag. 128. ſeq. *G. J. Voſſium* Tom. V. Operum pag. 25. b. *Carolum le Cene* in Conatu novæ verſionis pag. 619. *Lambertum Bos* in Exercitationibus p. 216. *Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico paſſim. *Alexandr. Morum* in Notis ad Novum Teſtamentum pag. 176. *Hombergium* in Parergis p. 314. & *Jac. Elsnerum* p. 262. ſq. Ex Anglis inſpici poſſunt *Henr. Morus* in Opp. Latinis pag. 118. *Joſ. Medus* in Fragmentis Sacris Tomo X. Faſciculorum p. 241. & noviſſime *Leonh. Twells* in Examine Critico N. T. Græco - Anglicani Part. I. pag. 18. ſqq.

Primo loco hic tenendum eſt, fuiſſe inter veteres, qui extrema verba commatis 17. τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ connecterent cum ſequenti v. 18. μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, quod poſt *Chryſoſtomum* alii Interpretes Græci monuerunt, teſtantibus etiam Cod. *Alexandrino* & nonnullis aliis, approbante quoque *Auguſtino* in epiſt. ad Paulinum. Perperam vero id factum eſſe manifeſtum facit diſerta oppoſitio, quæ inter σκιὰν & σῶμα τοῦ Χριστοῦ ita intercedit, ut hæc à ſe invicem ſeparari non poſſint. Deinde non inveneris, verbum καταβραβεύειν cum accuſativo *rei* conjunctam, ſed cum *perſonæ* illo. Græci non dicunt καταβραβεύειν τὶ ſed τινά. Denique, ſicut Paulus v. 16. ab admonitione illa incepit: μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω, ita & novam hanc admonitionem ſimpliciter per μή τις ὑμᾶς καταβραβευέτω inchoaſſe merito exiſtimatur.

Quod ad verbum καταβραβεύειν attinet, illud quidem à Ciliciſmi ſuſpicione, qua ab *Hieronymo* oneratum eſt, *Stolbergius* l. c. & poſt eum alii, productis idoneis veterum locis, liberavit. *Euſtathius* ſane ad Homeri Iliad. α v. 39. verbo hoc utitur, tanquam veteribus frequentato. Ἀλλὰ καταβραβεύει αὐτὸν, ὥς φασιν οἱ παλαιοὶ τοῦ φυσικοῦ δεσμοῦ προθέμενος τὸ δίκαιον. *Sed καταβραβεύει ipſum quemadmodum veteres loquuntur, naturali obligationi id quod juſtum præponens. Fuit igitur*, ita *Stolbergius* loc. cit. p. 109. colligit, *antiqui juris verbum, quo quis contra alterum ſententiam pronunciat, atque ab hoc aufert, quod alteri addicit.* Abſit à me, ut omnes veterum vel recentiorum expoſitiones colligam, aut examini ſubjiciam. Illas leges apud *Suicerum* Tom. II. pag. 48. has vero apud Interpretes alios, quibus jungi poſſunt *Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 146. *Gublingii* diſputatio de locutionibus Pauli ex palæſtra veterum pag. 7. ſqq. *Henr. Stephani* diſſertatio de Stylo N. T. p. 10. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicæ N. T. pag. 422. Dicam, quid mihi veriſimillimum videatur, & quidem *Stolbergii* noſtri verbis pag. 110. Adduxerat is *Demoſthenis* ex oratione contra Midiam verba iſta: καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπιστάμεθα Στράτωνα ὑπὸ Μειδίου καταβραβευθέντα καὶ παρὰ πάντα τὰ δίκαια ἀτιμωθέντα. *Ob hanc cauſam ſcimus Stratonem à Midia inſidioſe circumventum, & contra omne jus & æquitatem ignominia notatum eſſe.* Ex his ita argumentatur *Stolbergius*: *Quare hoc verbum proprie notat* in judiciis inſidio-

ſe circumvenire atque opprimere : *deinde transfertur ad quamvis* deceptionem *ac* fraudationem. *Quæ ſignificatio ad hoc dictum maxime videtur quadrare. Bene* Vulgatus, *qui non temere rejiciendus*: nemo vos ſupplantet. *Cum quibus facile conciliari poteſt* B. Lutherus : Laſſet euch niemand das Ziel verrücken. *Hoc enim inſigni cum fraude fit.* Hoc ipſum plerisque Interpretibus video placuiſſe. Hinc *Beza* & *Eraſmus Schmidius: nemo adverſus vos judicis partes ſibi ſumat.* Knatchbullus : *nemo vos ſubdola argumentatione fallat.* Nec aliter *Hombergius* pag. 314. recentiſſime autem *Elsnerus*, allato *Demoſthenis* loco inprimis nixus, & καταβραβεύειν *pervertere* interpretatus, ut nempe indicetur *perverſum judicium arrogantis revera hominis, ſed modeſtiam prætendentis.* Hæc ut uſui vocis egregie reſpondent, ita etiam quadrant ad antecedentem Apoſtoli phraſin v. 16. Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω. Hic factum quoque eſt, ut *Heſychius*, & *Suidas* τὸ καταβραβεύειν per κατακρίνειν, quemadmodum *Phavorinus* per παραλογίζεσθαι exponerent. Alteri illi interpretationi, quæ ad *brabeum* interverſum reſpicit, id inprimis obſtat, *quod* τὸ βραβεύειν *nunquam adhibeatur de* certantibus, *ſed de* judicibus, *ſacris ludis præſidentibus, i. e. de* βραβευταῖς, *& proprie ſignificet in genere* dirigere, moderari, præeſſe alicui rei, *unde translatum eſt ad judices, certamina* βραβεύοντας, *moderantes; ut proinde* καταβραβεύειν *idem ſit, quod* pervertere: *ſeu, ita rem judiciumve ſive artibus, ſive vi gubernare, ut contra alium feratur ſententia.* Hæc recte monet *Elsnerus* l. c. Interim non negaverim, ex his conſequi, ut is, qui ex perverſo illo judicio pendeat, vel pendere debeat, ipſius brabei jacturam faciat. Pro *Lutheri* verſione vide *Raithii* Vindicias pag. 549. ſeq.

θέλων] *Jo. Clericus* ad *Hammondum*, convenienter legi poſſe cenſet, θέλγων *alliciens*, ſi codicum accederet auctoritas, qua tamen deſtitutus nihil mutandum cenſet. Recte quidem, cum, etiamſi unus alterve codex ita legeret, aliis de cauſis receptior illa deſeri non deberet Abſit etiam, ut cum *Hombergio* pag. 315. explicemus per *quivis*. Recte *Jo. Alberti* pag. 87. quærit: Quid eſt *nemo quivis*? Latini quidem dicunt *nemo unus*, i. e. *ſolus*; ſed alteram illam φράσιν fruſtra in Græcia & Latio quæſiveris. Taceo, loca veterum, ab ipſo allata, θέλοντα vel βουλόμενον non ſimpliciter *quemlibet*, ſed talem, qui hoc vel illud *quærat* & *cupiat*, dicere. Senſus verbi h. l. varius eſt, prout vel proxime ad τὸ καταβραβευέτω, vel ad ſequens ἐν ταπεινοφροσύνῃ, refertur. Si enim ad prius, inferet *ultro*, quod propterea adhibuerunt *Beza* & *Eraſmus Schmidius*. Sin ad poſterius; *delectationem* ſignificabit, ut idem ſit, quod εὐδοκῶν, *acquieſcens*, *delectatus* humilitate. Ita *Heſychius* & *Phavorinus* τὸ θέλω exponit per εὐδοκῶ, ſicut οἱ LXX. Pſalm. CXVI. 2. οὐκ ἐν τῇ δυναστείᾳ τοῦ ἵππου θελήσει. Poſterius hoc alteri præferunt plerique, *Vatablus*, *Caſtellio*, *Cappellus*, *Caſaubonus*, *Heinſius*, ex recentioribus vero *le Cene* l. c. Interpretes Galli *Beauſobrius* & *Infantius*, *Elsnerus* & *Alberti*. Malim ego prius, quod & B. *Lutherus* noſter, nach eigner Wahl, expreſſit, ad quem proxime

me accedit *Scaliger* in Elencho Trihæreſii cap. XXVII. pag. 214. Id eſt inquit, ἐθελοταπεινόφρων & ἐθελόθρησκος, *voluntarie ſeu ſpontanee humilis, ſpontanee religioſus. - - - Θέλων igitur apud Apoſtolum abſolute ponitur, tanquam nomen* ἐθελοντὴς, ἑκουσιαζόμενος. Eodem ſenſu *Herodotus* lib. IX. cap. XIV. pag. 513. obſervante *Elsnero* ait, πυθόμενος δὲ ταῦτα ἐβουλεύετο θέλων, εἴκως τούτους πρῶτον ἕλοι, *eo audito conſultabat, ſi quo pacto hos primum capere poſſet.* Hic παρέλκειν fere videtur τὸ θέλων, quod alias quoque in Græcis uſu venire oſtendit *Gatakerus* ad Antonin. lib. X. §. 8. p. 356. edit. in 4. Apoſtolus vero h. l. ſignificanter addit, ut vel ſic intelligatur, ea, quæ falſarii oſtentent, ad animum revocari non debere, cum ex ipſorum arbitrio & optione, non vero præcepto aut inſtituto divino proficiſcantur. Similiter *Jac.* I. 18. βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς. His poſitis ſimul patet, τὸ ἐν idem hic eſſe, quod διὰ, ut affectata illa humilitas & ſuperſtitio tanquam inſtrumentum indicetur, quo illi quidem ad circumveniendos alios utantur. Firmantur hæc v. 23. ubi ἐθελοθρησκεία & ταπεινοφροσύνη iterum commemorantur. Ex his vero præterea conſequitur, phraſin ἐν ταπεινοφροσύνη καὶ θρησκείᾳ non pertinere ad ſequentia, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, quod vult *Hombergius.* Neque enim ἐμβατεύω cum præpoſitione ἐν, ſed vel cum εἰς, vel ſimpliciter ponitur, quod mox videbimus.

καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων] Verti hæc poſſunt: *& cultu angelorum*, qui ſcilicet illis exhibeatur; vel, *& cultu Angelico*, h. e. tali cultu & habitu, quo Angeli inſtructi ſint, & qui Angelos præferat & mentiatur. Hoc ſenſu accipiendam credo B. Lutheri verſionem, qui vertit in Geiſtlichkeit der Engel, h. e. habitu, Angelos decente. Ita etiam *G. G. Zeltnerus* in notis ad verſionem Biblicam Germanicam pag. 207. wenn er gleich eine Engliſche Heiligkeit und Demuth an ſich hätte. Nec aliter noviſſime Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 818. *Notat*, inquit, *talem cultum, reverentiam & modeſtiam, quali Angeli ornati & inſtructi eſſe ſolent. Additur enim ταπεινοφροσύνη, quæ idem notat. Inde Apoſtolus Pſeudapoſtolos cavendos dicit, etiamſi Angelicam fere modeſtiam & humilitatem præ ſe ferant.* Non diffiteor hunc ſenſum & mihi verbis Apoſtoli accommodatiſſimum videri. Conſtat variis Scripturæ locis, id, quod ut præclarum repræſentatur, cum Angelis conferri ſolere. *Actor*, VI. 15. Stephani vultus Synedrii Judaici aſſeſſoribus ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου apparuiſſe dicitur. *Luc.* XX. 36. beati futuri dicuntur ἰσάγγελοι &c. Quidni igitur θρησκεία ἀγγέλων ea dicatur, quæ in Angelos cadat, quæ Angelos deceat? Præterea vocem θρησκεία nusquam video adhiberi cum voce v. c. θεοῦ aut alia, quæ *objectum* inferat, in quod *cultus* tendat, ſed ſimpliciter de religioſo cultu, nunc quidem *vero*, nunc *ſuperſtitioſo* ponitur. Id probatum dedit *Suicerus* Tom. I. pag. 1405. & *Elsnerus* pag. 263. Ita Paulus Act. XXVI. 5. ait: κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας ἔζησα Φαρισαῖος, & Jac I. 27. legis: θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὕτη ἐστί. Hinc colligo, non magis θρησκείαν τοῦ Θεοῦ vel τῶν ἀγγέλων tanquam illorum, in quos cul-

cultus feratur, dici poſſe, quam vox εὐσέβεια itidem admittit. Ab altera vero parte θρησκεία jungitur *ſubjecto*, in quo cultus religioſus deprehenditur. Sic *Jac.* I. 26. τούτου μάταιος ἡ θρησκεία, *hujus*, ſcilicet hominis, *cultus vanus eſt.* Propterea Paulus v. 23. hujus capitis ἐθελοθρησκείαν una cum ταπεινοφροσύνῃ ſimpliciter ſine addita voce ἀγγέλων commemorat, atque hac ratione non obſcure ſignificat, ſe in antecedentibus de ſingulari & *affectata* quadam religionis ſpecie loqui, quæ humanam aliquam & ordinariam ſimplicioribus excedere videri poſſit. Taceo, quod Apoſtolus v. 21. in exemplum rei afferat præceptum aliquod, ab ejusmodi hominibus δογματίζουσι v. 20. & καταβραβεύουσι, h. e. præſcriptis ſuis fallacibus in homines dominatum & judicium exercentibus, profectum: μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς. Hoc enim eo pertinebat, ut omnia alia religioni poſtponere, nec ipſi corpori valetudinique parcere viderentur. Imo abſtinentia ejusmodi incautos eo adducere poterat, ut humana conditione majores eſſe crederentur, quemadmodum alias conſtat, fraudulentos mentitis jejuniis, vel parciſſimo ciborum uſu aliis imponere conſueviſſe. Denique non ſatis intelligo, qui Apoſtolus pro ſcopo illo, quem quærebat, cultus, Angelis præſtari ſoliti, mentionem hic facere ſpeciatim potuerit, qui potius in eo eſſet, ut ab inſtitutis ceremonialibus Coloſſenſium animos avocaret. Proinde vix dubito, θρησκείαν τῶν ἀγγέλων nihil aliud eſſe, quam ἐθελοθρησκείαν & ταπεινοφροσύνην talem, quæ conſueta major ſit, & Angelicum aliquem habitum inferre infrunitis poſſit.

Si hoc ponamus, ſuperſedere nunc quidem poſſumus opera inquirendi, quem Angelorum cultum, vel inter Judæos, vel inter Gentiles, vel inter Chriſtianos receptum Apoſtolus hic notarit. Ita de *Eſſenis*, Judæorum ſecta, quidam cogitant, inter quos eſt *Scaliger* l. c. & poſt *Joſ. Aldrich* recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ad h. l. Contra illum lege *Serarium* in Minervali l. c. contra hunc *Leonhard. Twells* in Examine illius p. 18. ſqq. qui ſpeciatim oſtendit *Joſephi* ex lib. de Bello Judaico II. 8. allatum huc non pertinere. Nec veriſimile eſt, Paulum Eſſenorum hic meminiſſe, tanquam quorum ratio ab ipſis Judæis vix habebatur, unde nec in Novo Teſt. eorum fit mentio. Nihilominus tamen ad eosdem reſpici putat *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 231. Alii propius ad ſcopum accedere videntur, qui in Judæos animadverti ſtatuunt, tanquam Angelis nimium tribuentes, eosque mediatores inter Deum & homines ſtatuentes. Sane ſi conſtaret, Judæos illius ætatis illa vel ſimili precandi formula uſos eſſe, quam *Elieſeri Hakkalir* adſcribunt, aut Magicam excantandi rationem adhibuiſſe, a qua hodie ſibi non temperant, res confecta foret. In illa enim Elieſeris precatione Angelorum nomina ordine recitant, iisque ſupplicant ut pro ſe apud Deum intercedant. Lege eam apud *Bartoloccium* Tom. I. Biblioth. Rabbinicæ pag. 192. Enimvero non puto uſum ejus tam antiquum eſſe. Certe ex *Philonis* locis, quos *Whitbius* ad h. l. attulit, nihil aliud colligas, quam, quod Judæi illius ætatis Angelis in adminiſtran-

niſtrandis hujus mundi rebus multum tribuerint, quod & ab *Eiſenmengero* in Judaismo detecto Part. I. variis locis probatur. Ex eo vero non ſequitur, quod religioſo cultu eosdem ſint proſecuti, eorumque opem apud Deum precibus implorarint. *Platonicum* itaque dæmonum S. Angelorum cultum, à quibusdam tunc receptum, reſpici nonnulli putant. Inter hos eſt *Henr. Morus* in Opp. Latinis pag. 118. & ex recentioribus *Alex. Morus* ad h. l. *Joſ. Medus* in Fragm. Sacris Tom. X. Faſciculorum pag. 241. *Jo. Georg. Walchius* in Obſervatt. Philolog. in N. T. pag. 104. *Cleſſelius* item in Biblioth. Lubecenſ. Tom. IV. pag. 667. Inter Pſeudo Chriſtianos de *Simonianis* cogitant nonnulli, quibus tamen ſe opponit *Whitbius* l. c. & *Tillemontius* in Memoriis Eccleſiaſt. de quo v. Acta Erudit. Lipſienſ. Tom. III. Supplement. 89. De *Cerinthianis* alii, interque hos fere B. *Ittigius* de Hæreſiarchis Aevi Apoſtolici pag. 44. De *Gnoſticis* alii, nominatim *Salom. van Till* ad h. l. quos ſcilicet æonas ſuos, de quibus multa *Irenæus*, h. e. emanationes ſeu Angelos pro diverſo ordine diverſa cultus ratione proſecutos eſſe conſtat. Intrim nihil horum locum hic habere poſſe ultro largietur, qui, quam attulimus, interpretationem admiſerit. Minime vero omnium ſcopum ferire exiſtimabitur *Braunius* in Selectis Sacris pag. 128. qui per Angelos intelligit legatos, ſive primores miniſtros, principes illius Seculi, qui vel à magno Synedrio, vel à quolibet cœtu ad gubernandam קהל ſive *congregationem* conſtituti fuerint, ut Patrum traditiones ipſis exponerent. Hos enim putat à Judæis veneratione ſingulari exceptos eſſe. Eandem ſententiam amplexus eſt *Amelius* Tom. II. der Erörterung p. 424. ſq. quem tamen Tomo II. pag. 231. aliam adoptaſſe ex ſuperioribus conſtat. Innititur illa iſti hypotheſi, quod per ἀρχὰς & ἐξουσίας v. 15. Præſides & Doctores Judæorum tantum intelligantur. Quod ut nondum confectum eſt, ita illa vocis ἄγγελοι ſignificatio à N. T. omnino exulat, quod alibi oſtendi

ἃ μὴ ἑώρακεν] Τὸ μὴ abeſt a nonnullis Codicibus & Patrum allegationibus, de quibus *Millius* exponit, recte tamen in Prolegom. §. 766. affirmans, illud ex mera loci obſcuritate omiſſum eſſe. Compara *Whitbii* Examen p. 71. Opus illo eſſe, vel ex eo conſtat, quod alioquin Apoſtolus inſtitutum illorum hominum commendaſſe potius, quam reprehendiſſe cenſeri debeat, qui ſcilicet ea culpet, quæ illi tamen habeant comperta. Hæc enim verbi ὁρᾶν in ejusmodi argumentis ſignificatio eſt.

ἐμβατεύων] *Curcellæus* in varietatibus ad h. l. obſervat, eſſe qui conjiciant, hæc ita eſſe legenda: θέλων ἐν τ. καὶ θρησκείᾳ τ. ἀγ. ἃ μὴ ἑώρακε κενεμβατεύων. Nullus mihi hujus conjecturæ interpres alias occurrit, nec *Millio* quoque, ad Curcellæum tantum provocanti. Itaque crediderim, Curcellæo ipſi eam ſubnatam eſſe, niſi eum exiſtimes reſpexiſſe ad *Alex. Mori* notas h. l. pag. 179. ita commentantem: *Legi poſſet κενεμβατεύων, ſi fas eſſet in his libris uti conjectura: nam ſæpe contingit, cum vox præcedens in eandem ſyllabam exit, à qua ſequens incipit, ut altera excidat. Sed melius*, ita pergit

*dicam, ἐμβατεύειν Paulo poſitum pro κενεμβατεύειν. Voce Platonica utitur contra eos, qui Platonicis opinionibus indulgebant, quos hic tangit.* Platonicam vocem eſſe probat ex *Damaſcii* libro περὶ ἀρχῶν adhuc inedito, ex quo ſpecimen ſuppeditavi Tom. III. Anecdotorum Græcorum p. 195. Hic vero alicubi ita: μηδέποτε γὰρ κενεμβατοῦμεν εἰς αὐτὸ τὸ οὐδὲν ἀνατεινόμενοι. Et ſic alibi. Itaque κενεμβατεῖν Damaſcii idem vult eſſe, quod Pauli ἐμβατεύων εἰκῆ: hanc enim vocem verbo illi, non autem ſequenti φυσιούμενος, proxime junctam cupit. Non dicam de conjectura, *Curcellæo* allata, tanquam longius petita, nec ulla ex parte ab ullo Codice firmata. Recte etiam *Morus* τὸ ἐμβατεύειν retinendum cenſuit. Verbum enim illud Scriptoribus frequentatiſſimum eſt, quemadmodum ab altera parte τὸ κενεμβατεῖν, a *Suida* tamen allatum, & per εἰς κενὰ βαίνειν, κενὰ ἐπιχειρεῖν expoſitum, rarius occurrit, & ratione ſignificatus ab altero illo nonnihil videtur diſtinctum. Parum referet, quo τὸ εἰκῆ referas. Rectius tamen ad φυσιούμενος quadrare videtur. De verbi ipſius notione multi multa dixerunt. Patrum ſententias habes apud *Suicerum* Tom. I. pag. 1097. Aliorum apud *Bezam* ad h. l. *Petitum* lib. I. Var. Lect. cap. 9. *Jo. Conr. Dietericum* in Antt. Biblic. N. T. pag. 294. *Stollbergium* l. c. p. 111. *Lambert. Bos* in Exercitatt. pag. 206. *Raphelium* in Notis Xenophonteis ad h. l. *Wolfburgium* in Obſervationibus pag. 198. ſq. & *Elsnerum* p. 264. Hos conſulat, cui libuerit. Mihi quidem placent illi, qui cum ἐμβατεύειν dici putant; qui aggreditur, ſcrutatur & penetrat ſe in ea, quæ non vidit, i. e. quæ arcana ſunt, de quibus ipſi nihil eſt revelatum. Ita *Boſius* & *Raphelius* l. c. Prior *Heſychium* affert, qui ἐμβατεύσας interpretatur per ζητήσας, poſterior vero *Xenophontis* quodam loco in Conviv. p. 698. firmat. Pro *Lutheri*, Vulgatum ſecuti, verſione lege *Raithii* Vindicias pag. 550.

Verſ. 19. Καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ] Vox κεφαλὴ antecedens requirere videbatur ἐξ ἧς. Paulus autem alterum ſapienter elegit, ut indicaret, non intelligi hic caput proprie dictum, ſed myſticum, h. e. *principem, rectorem, Servatorem, virium ſpiritualium auctorem datoremque.* Ita recte Cl. *Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 82. adductis ante veterum bonæ notæ Scriptorum exemplis ſimilibus.

πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον.] Vide ad Eph. IV. 16. *Suicerum* item Tom. II. p. 1080. *Petavium* in Dogmatibus Theologic. Tom. V. lib. XII. cap. 17. §. 8. ſqq. & *Henr. Morum* Opp. Latin. pag. 532.

Verſ. 20-22. illuſtrat *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 351. ſqq.

Verſ. 20. Εἰ οὖν ἀπεθάνετε] Τὸ οὖν deeſt in Codd. aliquot, omiſſum ideo à recente editore N. T. Græco-Anglicani, præter rem, cum eo pertineat, ut hoc, inſtar conſectarii, ex ſuperioribus duci exiſtimetur. Conf. III. 1.

ἀπὸ

ἀπὸ τῶν ϛοιχείων τοῦ κόσμου] inſtituta ceremonialia hic ſignificari vel ex v. 8. patet. Conf. *Galat.* IV. 3. & quæ ibi ſcripta ſunt. Adde *Spencerum* de Legibus Hebr. ritualibus pag. 661. edit. Tubingenſ. & *Pet. Zornii* Phraſeologiam Dogmaticam pag. 24.

δογματίζεσθε] i. e. *ritibus oneramini*, ut *Beza* & *Eraſmus Schmidius*: δογματίζειν quidem, obſervante Hombergio ex *Diogene Laërtio* in vita Platonis, generatim idem eſt, quod δόγματα τιθέναι, hic tamen ex ſerie ſermonis ad cerimonalia illa inſtituta transferri recte exiſtimatur.

Verſ. 21. Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς] Conſimiles Magiſtrorum locutiones affert *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 819. Tria hæc verba in ciborum negotio apud *Xenophontem* lib. I. Cyropæd. pag. 7. occurrere obſervavit *Lamb. Bos* ad h. l. confer *Raphelium* pag. 272. ſq. qui & alia ex eodem loca affert, ubi τὸ ἅπτεσθαι de cibis ſummendis adhibetur; nec omitte *Th. Hutchinſonum* pag. 22. ad l. c. & *Gatakerum* de Stylo N. T. cap. XL. initio. Obſervandum hoc eſt, ne cum *Hombergio* pag. 317. credamus τὸ ἅψῃ ad *matrimonia*, τὸ γεύσῃ vero ad *cibos*, referri. Notandus hic eſt locus R. *Eliæ*, Karæi, quem ex *Adderet Elijahu* affert *Triglandius* in Diatriba de Secta Karæorum pag. 162. *Ideo*, inquit, *non decet hominem, ut ſibi interdicat ullius rei uſum, ultra eas, quas vetuit Legislator: exceptis namque his nullum illi erit emolumentum. Ac de ſimilibus dixit Salomo:* Ne eſto nimium juſtus, nec nimis ſapias tibi, cur enim deſolaberis?

Verſ. 22. Α ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει] Patres nonnullos legere ἀποχρίσει tradit *Rob. Gell* l. c. pag. 352. non appellatis eorum nominibus. Nihil varietatis hic attulit *Millius*; itaque de hac obſervatione merito dubitandum, niſi id à librariis, ι cum η frequenter permutantibus, profectum cenſeas. Quod enim *Gellus* monet, ἀπόχρισιν Latine *egeſtionem* ſcil. excrementorum inferre, in eo fallitur. Id Græci dicunt ἀπόκρισιν per κ. Ita *Diog. Laërtius* lib. I. §. 114. *Demetrio* auctore, tradit, *Epimenidem* accipere ſolitum à nymphis ἔδεσμά τι, προσφερόμενόν τε καὶ ὀλίγον μηδεμιᾷ κενοῦσθαι ἀποκρίσει. h. e. *cibi aliquid, paulatimque inde ſumentem nulla egeſtione indiguiſſe.* Atque inde puto factum, ut aliquis, monente hic *Curcellæo*, legendum cenſuerit ἀποκρίσει i. e. *excretione*, vel, (quod idem ſit) ἀποχωρήσει. *Grotius* Oecumenium & Theophylactum ita legiſſe tradit, atque ex hac lectione verba interpreratur. Evolvi loca utriusque, ſed nihil tale deprehendi. *Theophyl.* pag. 657. ed. Londin. ita: ἀλλ εἰς φθορὰν καταλήγει τοῖς χρωμένοις. Itaque ſervavit ille lectionem receptam ἀποχρήσει. At idem φθορὰν explicaturus pergit: φθειρόμενα γὰρ ἐν τῇ γαστρὶ διὰ τοῦ ἀφεδρῶνος ὑπορρεῖ. Atque ita quoque eſt capiendus *Oecumenius*, φθορὰν enim explicaturus ait: φθορὰ γὰρ ὑπόκειται ἐν τῷ ἀφεδρῶνι. Ex hac expoſitione vero non conſequitur, cum pro ἀποχρήσει legiſſe ἀποκρίσει. Cave igitur, quicquam mutandum putes, quemadmodum etiam *Gellus* ipſe in

recepta lectione acquieſcit. Dubium interim eſt, utrum *ἀπόχρησις* per *uſum* an *abuſum* verti debeat. Prius malunt plerique, Ita B. *Lutherus*: Welches ſich doch alles unter Händen verzehret. Et ſic *Beza*: *quæ omnia ipſo uſu pereunt.* Poſterius placet *Eraſmo Schmidio*: *quæ omnia pereunt abuſu* eo ſenſu, ut, quamvis lex certo fine à quorundam guſtu abſtinere jubeat, ſi tamen ultra extendantur, in abuſum contra legis mentem trahi exiſtimentur. Ita quoque Gellus. De *uſu* ciborum ipſo loqui Apoſtolum non dubito. Neque enim in eo erat, ut ab *abuſu* tantum cavere juberet ſuos, qui ritus ejusmodi omnes penitus intercidiſſe ante tradiderat. Neque vero inſolens eſt Græcis & Latinis Scriptoribus, ut verbum *ἀποχράομαι* ad ſimplicem rei *uſum* inferendum adhibeant. Lege loca ejusmodi apud *Suicerum* Tom. I. pag. 489. Sic *Chryſoſtomus* Orat. in prodigum, citante *Photio* in Biblioth. Cod. 277. *πατρικὴ ἡ ὀσία ἀλλ᾽ ὁ μὲν καλῶς αὐτῇ, ὁ δὲ κακῶς ἀπεχρήσατο. Paterna ſubſtantia: ſed alter ea bene, alter vero male uſus eſt.* Cicero lib. II. de Natura Deorum ait: *nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram abutimur.* Itaque ſenſus verborum Apoſtoli hic eſſe poteſt, quod res illæ, circa quæ precepta ante commemorata verſentur, uſu ipſo pereant, atque adeo illorum præceptorum ratio haberi non debeat. Neque tamen negaverim, ita etiam verba accipi poſſe, ut ipſi illi actus *non tangendi*, *non guſtandi* &c. ſi ex arbitrio hominum, illos etiam cum exſpectando ſalutis diſpendio vetantium, omittantur, in perniciem eorum, qui his præceptis utuntur, vergere dicantur.

Verſ. 23. *Ἅτινά ἐςι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας*] *Quæ ſpeciem quidem habent ſapientiæ.* *Λόγος* *ſpeciem* hic infert ſecundum *Chryſoſtomum*: *λόγον φησὶν, ὀ δύναμιν, ἄρα ὐκ ἀλήθειαν. Speciem*, inquit, *non virtutem*, *ergo nec veritatem.* Hunc voci ſignificatum idoneis veterum locis vindicarunt plures, nominatim *Lambertus Bos* p. 207. *Jacobus Elsnerus* p. 265. & *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 557. Appoſitus inprimis *Iſocratis* locus eſt in Nicocle pag. 76. ab *Elsnero* allatus: *τῷ βασιλέως τῷ μὲν λόγῳ διηλλαγμένῳ, τῇ δ᾽ ἀληθείᾳ τραχέως ἔχοντος. Perſarum Rege verbo quidem reconciliato, revera infenſo.* Idem monet, *Cornelium Nepotem* in Phocione cap. III. dicere: *Cauſam apud Philippum regem verbo, reipſa quidem apud Polyperchontem juſſus eſt dicere.*

*ἐν ἐθελοθρησκείᾳ*) Vide, quæ pro verſione B. *Lutheri*, ſelbſt erwehlte Geiſtlichkeit, dicit *Raithius* p. 549. Cum Apoſtolus ſpeciem ſapientiæ in hujusmodi inſtitutis agnoſcat, neceſſe videtur, ut *ἐθελοθρησκείαν* illam de voluntario & ſpontaneo cultu accipiamus, qui in ſe conſideratus ſpeciem pietatis & ſapientiæ præferat, quamvis Deo, quippe non præceptus, & meriti præterea loco habitus diſpliceat. Hanc vocis notionem *Eraſmus Schmidius* ſimilibus Græcorum verbis ſatis mihi adſtruxiſſe videtur. *Grotius* confert cum Judæorum נדבות in Vet. Teſtam. quem & in Voto pro Pace Eccleſiaſtica Tom. III. Operum pag. 667. b. videbis, collato *Spencero* de Legibus Hebræorum rituali-

tualibus pag. 769. edit. Tubingenſis. Quod ad rem attinet, ipſi quoque Gentiles præceperunt, Deum non arbitratu cujusque, ſed ſecundum leges colendum eſſe. Vide loca eorum allata à *Marcilio* ad Aurea Carmina pag. 330. edit. Needhamianæ, *νόμῳ ὡς διάκειν7αι.*

*ὐκ ἐν τιμῇ τινι πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς*] *ſine honore carnis ad ſaturationem.* Ita *Eraſmus Schmidius*, ſicut & *Lutherus*: und dem Fleiſche nicht ſeine Ehre thun zu ſeiner Nothdurfft. Adſtruxit hæc noviſſime *Elſnerus* pag. 265. Vertit enim: *non in honore aliquo*, ſcilicet *σώματος*, cujus mentio proxime anteceſſit, *ad ſatietatem carnis.* Τιμὴν vero τῦ σώματος ait eſſe *victum neceſſarium* ex *Rom.* XIII. 14. & *πλησμονὴν ſatietatem*, quæ famen ſitimque expleat. Illam vero ſignificationem adſtruit *Exod.* XVI. 3. *κὶ ἠσθίομεν ἄρτυς εἰς πλησμονὴν*, & aliis profanorum locis. Paulus *Schmidio* pleniori hac voce uſus videtur ad taxandos hypocritas, qui corpora nimium fraudabant. Hæc, puto, ſatisfacient intelligenti præ illis, quæ *Bezæ*, *Heinſio*, & aliis probantur. Hi enim *τὸ ἐνταλματα*, ut *nullius pretii* repræſentari exiſtimant, tanquam ſpectantia ad illa, quibus farciatur caro. Ad illos ex parte accedit *Hombergius* pag. 317. exiſtimans tanquam ex Apoſtoli mente, *dogmata hæc non eſſe in aliquo honore ad impletionem carnis, ſed εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει*, hoc eſt, *in perniciem & interitum ipſius fruitionis ſeu uſus vergere.* Vult itaque hæc referri ad verſ. 22. *ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει.* At ſi hoc voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus erat: *ὐκ εἰς τιμήν τινα πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός.* Nec idem eſt, dicere: *εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει*, & *εἰς φθορὰν τῆς ἀποχρήσεως.* Longius à mente Apoſtoli recedit *Zieroldus* in Illuſtratione locorum quorundam Scripturæ vernacule edita pag. 1490. quando vertit: Sie erweiſen niemand Ehre, zur Erfüllung des Fleiſches. Nec ſcopum ferit *Vockeroditus*, culpoſam corporis impletionem hic caſtigari exiſtimans. Vide Relationes innoxias de Novantiquis Theologicis anno 1713. pag. 377.

# CAPUT III.

VErſ. 1. *Εἰ ὖν συνηγέρθητε τῷ Χριστῷ, κ.τ.λ.*] Vide huc Programma ſingulare, quod recuſum eſt in Collectione Programmatum Gabr. Terne pag. 753. & Helmſtadienſe aliud *Cornel. Dieter. Kochii*, de quo exponunt Annales Acad. Juliæ Semeſtri VIII. pag. 168. item *Robertii Gelli* Reliquias Anglice editas, Tom. II. pag. 355--372.

*Εἰ* idem hic ſignificare poteſt, quod *ὅτι*, *quoniam*, ut *Philipp.* II. 1. & IV. 8. item *Actor.* XXVI. 3. quos locos in hanc ſignificationem adducit *Robert. Gell* loc. cit.

τὰ ἄνω ζητεῖτε] Similia Gentilium effata, quæ ſuperna conſectari, ſenſu tamen longe inferiore, ſuadent, lege apud *Gatakerum* ad Antonini VII. §. 47. Sic *Seneca* epiſt. 79. *Surſum vocant illum* (animum) *initia ſua: erit autem illic etiam antequam hac cuſtodia exſolvatur, cum vitia disjecerit; purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit.* Judæi dicunt: למעלה. Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 819.

ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος] Lege *Iſaaci Fauſtii* diſputationem de Ieſu ad dextram Dei ſedente. Argentor. 1673.

Verſ. 2. τὰ ἄνω φρονεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς] Verba *Euripidis* Cyclop. v. 210. à *Jo. Alberti* obſervata, his ſunt ſimilia:

- - - βλέπετ' ἄνω, καὶ μὴ κάτω.
*Spectate ſurſum, & non deorſum.*

*Ariſtophanis* in Nubibus Act. I. Scen. II. Ζητοῦσιν οὗτοι τὰ κατὰ γῆς.

Verſ. 3. Ἀπεθάνετε γὰρ, καὶ ἡ ζωὴ κ. τ. λ.] Commati huic una cum priore lucem accendit *Alethæus* Tom. II. der Erläuterung pag. 211. ſq. & *Ludovicus Capellus* in Diatriba de Statu animorum poſt mortem, in Operibus pag. 245. b. Cave, audias *Picinellum*, qui vitam fidelium abſconditam refert ad virtuoſas vitæ prærogativas, & opera bona, quæ, ſublata omni jactantia, oculis mundi ſubtrahere curarint. Vide Lumina Reflexa pag. 714. b. Rectiora & ſublimiora hic nemo non Interpretum cogitare jubet. Lege vero etiam B. *Gothofr. Olearii* diſputationem de morte & vita fidelium cum Chriſto, Lipſiæ 1710. qua v. 3. & 4. explicantur.

Verſ. 4. ἡ ζωὴ ἡμῶν] Codices nonnulli legunt ὑμῶν, procul dubio ideo, quod verſ. 3. eadem phraſis occurrit. Enimvero Apoſtolus ſæpe phraſes à ſecunda perſona ad primam transfert, & ſe ipſum cum ceteris fidelibus conjungit. Itaque nihil mutandum.

σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε] Scilicet in reſurrectione, & ultimo Chriſti adventu. Confer Patrum dicta apud *Suicerum* Tom. I. pag. 448.

Verſ. 5. Νεκρώσατε οὖν τὰ μέλη ὑμῶν] Phraſin ex Patribus illuſtrat idem Tom. II. pag. 793. rem vero ipſam & totum comma explicat B. *Hector Gothofredus Maſius* in Diſputatione ſingulari de mortificatione membrorum terreſtrium, Hafniæ 1695. primum edita, hinc Anno. 1709. ac denique Tomo II. Diſputationum ejus, Hamburgi junctim editarum, pag. 251. ſeqq. recuſa.

πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία] Patrum ſententias lege apud *Suicerum* Tom. II. pag. 749. ſqq. & compara, quæ ad Epheſ. V. 3. 5. dicta ſunt. Longius abit *Joſ. Maria Suareſius*, quando pag. 13. de Numiſmat. contendit, avaritiam cum idololatria conferri, ideo, quod Imperatorum facies in numis

mis adoraretur. Rationes comparationis hujus proprius ſe oſtendunt, avaritiam ipſam & ejus conſectaria conſideranti. Inſpice huc *Joannis Buxtorfii* Catalecta pag. 25.

Verſ. 6. *ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας* ] Vide ad *Epheſ.* II. 2. & *Suicerum* Tom II. pag. 1357. *Amelius* Tom. II. der Erörterung pag. 29. cum *Whitbio*, Anglo, exiſtimat, Coloſſenſes reſpectu priſtini paganiſmi, vel potius alios in eo adhuc hærentes, hoc nomine appellari, quod, in Phrygia majore quippe habitantes, & Baccho & Matri Deum ſacra fecerint, & procul dubio omni luxuriæ generi, in Aſia Minore recepto, indulſerint.

Verſ. 7. *ὅτε ἐζῆτε ἐν αὐτοῖς* ] Vivere in aliqua re dicitur is, qui rem aliquam cum voluptate & frequenter tractat. Obſervat hoc *Lambertus Bos*, & probat ex *Æliano* Var. Hiſtor. III. 13, *ὅτι φιλοινότατον ἔθνος τὸ τῶν Ταπύρων, τοσοῦτον, ὥστε ζῆν αὐτοὺς ἐν οἴνῳ, καὶ τὸ πλεῖστον τοῦ βίου ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμιλίᾳ καταναλίσκειν.*

Verſ. 8. *Νυνὶ δὲ ἀπόθεσθε καὶ ὑμεῖς τὰ πάντα* ] Ita editi omnes hanc phraſin à ſequentibus vocibus, *ὀργὴν, θυμὸν* &c. diſtinguunt, tanquam genus, quod varia momenta complectatur. At *Samuel Baſtierius* in Muſeo Bremenſi Vol. II. Parte II. pag. 183. ſq. vult conjungi, ut *τὰ πάντα* idem ſit, quod *πάντως* ſeu *omnino*. Non nego, hanc vocis ſignificationem apud Auctores exſtare. Ita *Homerus*, quem affert, Od. ς. v. 165.

*Παιδὶ δέ κεν εἴποιμι ἔπος, τό κε κέρδιον εἴη*
*Μὴ πάντα μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισιν ὁμιλεῖν.*

Quoties vero hanc notionem vox habet, toties elliptice uſurpatur, ut ſubintelligatur *κατά*. Sic infra plene verſ. 20. Paulus: *τὰ τέκνα ὑπακούετε τοῖς γονεῦσι κατὰ πάντα*, i. e. *πάντως*. Id vero h. l. fieri vix poteſt, cum ſequantur res illæ omnes, vel ſaltem potiores, à quibus cavere ſibi debeant Coloſſenſes. Itaque rectius vox *τὰ πάντα* generatim vitia indicare cenſetur, ex quibus nonnulla mox ſpeciatim recitantur. Per *πάντα* vero reſpicitur ad *μέλη*, de quibus verſ. 5. Hæc *παλαιὸν ἄνθρωπον* conſtituunt, quem omnem *ἀποθέσθαι* jubentur Epheſii IV. 22. Hæc *μέλη* ſunt *ὄγκος*, quem *πάντα ἀποθέσθαι* mandat *Hebr.* XII. 1. Porro in omnibus illis locis, quos vir doctus pro ſua interpretatione affert, non invenio unum, in quo poſt vocem *πάντα* momenta quædam ſpeciatim commemorentur. Quæ cauſa eſt, cur ad noſtrum locum accommodari non poſſint.

*ὀργὴν, θυμὸν* ] Vid. ad *Epheſ.* IV. 31.
*βλασφημίαν* ] Lege *Suicerum* Tom. II. pag. 696.
*αἰσχρολογίαν* ] Conf. ad *Epheſ.* V. 4. & *Joannis Conradi Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. pag. 62. item *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 573.

Verſ.

Verſ. 9. ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ] Vide *Sebaſtiani Schmidii* Tractatum de Imagine Dei pag. 246. ſqq. & quæ ſcripta ſunt ad *Epheſ.* IV. 22. Cum phraſi hac illam Magiſtrorum confert *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 820. qua dicunt: חלש דעתיה, *exuit mentem ſuam*, & חלש ליביה, *exuit cor ſuum.* Vide Codicem *Taanith* fol. 24. b. Ita ἐκδῦναι τὸν ἄνθρωπον, *exuere hominem*, eſt apud *Diogenem Laërtium* de Vitis Philoſoph. IX. 66. Vide ibi *Menagii* notas pag. 427. b. Nec παλαιὸς ἄνθρωπος ignotus eſt Judæis. Saltem referri huc poteſt: מלך זקן, *Rex ſenex*, *Eccleſ.* IV. 13. quem Interpretes eorum, quamvis minus convenienter, de יצר הרע, *figmento pravo*, id eſt, peccato originali accipiunt, in *Midraſch Cohelet*, obſervante *Vitringa* lib. III. Obſervationum Sacrarum cap. VIII. in calce.

Verſ. 10. Καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον, κ. τ. λ. ] Lege eundem *Schmidium* loc. cit. cap. XIII. toto, & alibi, item *Jo. Guil. Baieri* Analyſin Dictorum pag. 125. *Joannis Joachimi Zentgravii* diſputationem de novo homine, Argentorati 1700. tum vero *Dionyſii Andreæ Roellii* diſſertationem Theologicam de Imagine Dei in homine, Harderovici an. 1717. 4. editam, cujus ſummam habes in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 335. ſq.

εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος αὐτόν ] Inſpice *Dionyſii Petavii* Dogmata Theologica Tom. V. lib. VII. cap. I. Recte *Beza*: *Qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit.* Quem neſcio cur deſeruerit *Hombergius* pag. 318. ita vertens: *Qui renovatur ad imaginem ejus, qui fecit eum, ad cognitionem ejus.* Cl. *Schœtgenius* pag. 820. advocat huc R. *Tanchum* in מדרש הנעלם, fol. 17. 1. ita præcipientem: *Redeamus ad id, quod principio in nobis habitavit.* Vide eundem ad 1 *Corinth.* II. verſ. 13.

Verſ. 11. Ὅπου οὐκ ἔνι Ἕλλην ] Codices aliquot ante vocem Ἕλλην habent: ἄρσεν καὶ θῆλυ, quemadmodum & nonnulla Vulgati Interpretis exempla, quæ *Emſerus* & *Dietenbergerus* a Luthero perperam omiſſa eſſe falſi ipſi criminantur. Vide B. *Raithii* Vindicias pag. 552. *Millius*, ſed dubius, ex *Gal.* III. 28. huc relata ſuſpicatur.

Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος ] Vid. ad *Gal.* I. c.

Βάρβαρος, Σκύθης ] Pauci aliquot codices conjungunt hæc, addita vocula καὶ, quam iidem fere etiam agnoſcunt in ſequentibus: δοῦλος, ἐλεύθερος. Cum vero & Codices & verſiones pleræque aliter agant, cauſam idoneam non habuit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, cur τὸ καὶ utroque in loco in contextum reciperet. Schema hic eſt Rhetoricum, quod ἀσύνδετον Græci vocant, quoque Rhetores, ſpeciatim *Demetrius Phalereus*, elegantiorem fieri orationem præcipiunt. Lege *Adriani Relandi* obſervata in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. pag. 262. ſqq. Impeditior eſt diſputatio, *an & quo ſenſu*

*ſenſu* Barbaro opponatur Scytha. Eam ingreſſi ſunt multi, quos appellare intereſt. Sunt illi *Henricus Trierenbergius*, cujus diſputatio recuſa exſtat in Theſauro Theolologico-Philologico f. 620. *Joanes Jacobaus* in diſput. de Scythæ præ Barbaro prærogativa Hafniæ 1704. *Eraſmus Vindingius* in Σκέψει φιλολογικῇ ibidem edita §. V. *Alex. Morus* in Annotatt. ad h. l. p. 180. ſq. noviſſime autem *Adrianus Relandus* in ſingulari diſſertatione de Barbaris & Scythis, Ultrajecti 1717. & in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. p. 253. ſqq. recuſa, tum *Theodor. Haſæus* in Analectis ad illam eruditis, ibid. p. 270. ſq. porro Rev. *Conradus Ikenius* ibid. p. 767. ſq. ac denique doctiſſimus *Jacobus Elsnerus* in Obſervationibus Sacris p. 266. ſq. Diſputatorum ſumma hæc fere eſt. *Relandus Barbaros* à *Scythis* exiſtimat diſtingui, quod poſteriores illi eſſent numeroſiſſimi, porro extra Romanum Imperium poſiti, ac denique parum humanitatis habere crederentur. Scythas itaque hic commemorari putat, tanquam primum inter barbaros locum tuentes. Eadem fere tuetur *Haſæus* in Analectis ad hæc ſuis, qui tamen in excutienda vocum *Barbarus* & *Scytha* notione, ac Interprete Syro ad h. l. illuſtrando inprimis ſedulum ſe præſtat. Ab utroque abit *Ikenius*, Scytham Barbaro æque ac ἐλεύθερον δούλῳ opponi exiſtimans, & per Barbarum Phrygem intelligens, tanquam ad δουλείαν natum, per Scytham autem hominem libertatis ſtudioſum, ut ſic Apoſtolus vocem δοῦλος ad βάρβαρον, ἐλεύθερος autem ad Scytham retuliſſe cenſeatur. Arbitrum ſe denique utrique parti interpoſuit Cl. *Elsnerus*, *Relandi* & *Haſæi* ſententiam amplexus, & ita rem tandem definiens, ut Barbari à Scythis h. l. eo tantum nomine diſtingui exiſtimentur, quod maxime ſint *Barbari* & *Barbarorum Barbari*. Id quod locis aliquot veterum, quales antea à viris laudatis allati erant, firmat. Novi, Rev. *Ikenium* ſententiæ ſuæ vindicias parare, quas juxta mecum libenter exſpectaverit harum rerum ſtudioſus. Id ego tantum addam, *A. Blackwallum* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 58. itidem *gradationem* h. l. agnoſcere atque in hanc rem uti eodem, quem *Elsnerus* attulit, ex *Ciceronis* Orat. in Piſonem loco cap. VIII. *O noſter miſericors, quid facis? Quod nullus in Barbaria quiſquam tyrannus. Quis hoc facit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret?* De barbaris his Scytharum moribus exponit etiam *Joannes Boëmus*, Aubanus, lib. II. cap. 9. de moribus & ritibus gentium, quem dum *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tomo I. pag. 761. ſqq. recitat, ipſe quoque de hoc Pauli loco diſſerit, & in ſententia *Heideggeri* Part. II. Hiſt. Patriarch. Exerc. I. §. 31. quam *G. J. Voſſii* quoque eſſe ex Tomo V. Operum pag. 7. conſtat, acquieſcit, Scytham hic non opponi Barbaro, ut minus Barbarum, ſed, ut maxime Barbarum, exiſtimantis. Idem video probari *Eraſmo Vindingio* loc. cit. *Nulla hic*, inquienti, *quærenda oppoſitio, ſed exiſtimandum*, τὸ Σκύθης, *ad amplificationem*, τοῦ βάρβαρος, *additum eſſe.* Affert is in hanc ſententiam *Joſephum* contra Appionem lib. II. & *Plinium* Hiſtor. Natur. VI. cap. 17. Prior ita; Σκύθαι δὲ φόνοις χαίροντες ἀνθρώπων, καὶ βραχὺ τῶν θηρίων διαφέροντες. Nec aliter ſenſit *Wandalinus*

*linus* in Expoſitione hujus oraculi, quam *Jacobus Jacobæus* loc. cit. pag. 6. affert, cui tamen *Salmaſii* potius placet ſententia, Scythas Barbaris ut ſapientiores & cultiores opponi cenſentis. Singularis eſt interpretatio vocis Σκύθης, quam in Verſione S. Codicis Sorabica, Budiſſæ 1728. edita, inveneris. Ibi enim voces Βάρβαρος, Σκύθης vertuntur: *ani Njemz ani Suerb*, id eſt: *neque Germanus, neque Scytha.* Placet judicium, quod in Actis Eruditorum Lipſienſ. An. 1729. pag. 529. ubi verſionem illam enarrari video, ita fertur: *Procul omni dubio pia intentione id factum eſt, ut ſcilicet populares ſuos hac ratione erigerent, nullam inter ipſos, ſi Chriſtum ſectarentur, & Germanos eſſe differentiam: quamvis alias in rebus humanis Sorabi deterioris conditionis, quam Germani, habeantur. Non enim credimus, ipſos (Interpretes) hoc aſſerere, Sorabos Scytharum eſſe progeniem, quod contra fidem hiſtoricam eſt.*

ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός] h. e. Chriſtus *omnia*, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, & *omnibus*, cujuscunque ſint gentis & conditionis præſtat. Conf. *Trierenbergii* diſſertationem laudatam §. 10. & *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 204.

Verſ. 12-17. Sectionem epiſtolicam conſtituunt, quæ cœtibus noſtris pro concione explicari ſolet. Eam hoc nomine illuſtravit *Franciſcus Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. I. pag. 213.

Verſ. 12. Ἐνδύσασθε οὖν, ὡς ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ, κ. τ. λ.] In hoc commate explicando occupatur *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis, Tomo II. pag. 373. ſqq.

σπλάγχνα οἰκτιρμῶν] οἰκτιρμοῦ habent Codices quidam, quod rectum putat *Millius* in Prolegom. recte renitente *Whitbio* pag. 71, In Novo Fœdere vox hæc non niſi in plurium numero adhibita invenitur. De phraſi ipſa lege *Suicerum* Tom. II. pag. 997.

Verſ. 13. Ἀνεχόμενοι ἀλλήλων κ. τ. λ.) Vide ad *Epheſ.* IV. 32.

Verſ. 14. ἥτις ἐστι σύνδεσμος τῆς τελειότητος] Amorem *vinculum perfectionis* hic appellari contendit *Theodoretus*, quod ſit τῶν ἄλλων ἐντολῶν φύλαξ καὶ σύνεργος, *reliquorum mandatorum cuſtos & adjutrix.* Recte quidem, ſed rectius idem dixeris eſſe, quod *vinculum perfectiſſimum.* Simili loquendi ratione utuntur Hebræi, quod tralatitium eſt. Notari vero meretur locus in *Sohar* fol. 60. ubi *David* dicitur *ſtuduiſſe aſcendere in cœlum, ibique coronari, cumque eo copula perfecta copulari.* לאתקשרא שמן קשורא שלום□. Locum hunc debeo Clariſſ. *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 821.

Verſ. 15. Καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ] Codices pauci legunt τοῦ Χριστοῦ, quod propterea in contextum recepit recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani.

cani. Ego non dubito, lectionem hanc natam eſſe ex eo, quod verſ. 16. ſequitur : *ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ.* Præterea non video unquam in Nov. Teſtam. *εἰρήνην τοῦ Χριστοῦ* appellari in voto, quod pro fidelibus ſuſcipitur. Frequenter autem Θεὸς τῆς εἰρήνης, vel εἰρήνη Θεοῦ commemoratur, vel εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ optatur. Vide v. c. *Rom.* XV. 33. XVI. 20. 1 *Corinth.* I. 3. 2 *Corinth.* I. 2. *Galat.* I. 2 *Philipp.* IV. 7. & 9. &c.

*βραβευέτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν*] *Imperium habeat*, vel *imperet in cordibus veſtris.* Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, nec minus *Lutherus.* Aliorum interpretationes lege apud *Stolbergium* in Exercitationibus Græc. Lingu. de Solœciſmis Novi Teſtamenti pag. 104. ſq. Patres fere pro verbo agoniſtico habuerunt, ita quidem ut ad præmii ſeu brabei largitionem reſpiciatur. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 707. & adde *Gublingii* diſputationem de Locutionibus Pauli ex palæſtra Græcorum pag. 4. Quod ut non prorſus inconveniens eſt, ita non minus conſtat, latius patere hoc verbum, &, quemodmodum de illis adhibetur, qui certaminibus ſacris præerant, ita idem alias eſſe, quod Latini *moderari* ſeu *dirigere* rem aut negotium quodcunque dicunt. Ita *Heſychius* τὸ βραβευέτω exponit per *μεσιτευέτω, μηνυσάτω, ἰθυνέσθω· intercedat, indicet, moderetur.* Poſtremam hanc ſignificationem varia *Polybii* loca ſiſtunt, quæ *Raphelius* attulit pag. 574. ſq. Sic v. c. pag. 170. ait : *διὰ τὸ μὴ τὸ πλεῖον, ἀλλὰ συλλήβδην ἅπαν τὸ γινόμενον ὑπὸ τῶν Γαλατῶν θυμῷ μᾶλλον ἢ λογισμῷ βραβεύεσθαι. Quoniam non pleraque, ſed omnes prorſus actiones Gallorum ira magis & impetu, quam conſilio, reguntur.* Similes aliorum locos habes apud *Elſnerum* pag. 270. Lege in eandem ſententiam *Suicerum* l. c. *Joannem Conradum Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis pag. 190. & *Joannem Alberti* in Addendis ad Obſervationes Sacras pag. 510. Quamvis enim hic pag. 382. *reconciliationem* inferri ſtatuiſſet, quam *pax Dei* inſtar *ſequeſtri* parare poſſit loco *Angelorum*, quos II. 18. pro intercesſoribus habuiſſe dicantur, in Addendis tamen illis recte monet : *Si quis tamen malit βραβεύειν per* gubernare, *vel* præeſſe *vertere, fundamento non deſtituetur.* Quam quidem in rem *Heliodorum* affert VII. pag. 309. *τύχην τινα τ' ἀνθρώπεια βραβεύουσαν, fortunam quandam, quæ res humanas gubernet,* laudantem. Hanc ſententiam priori illi præferendam non dubito. Supra enim mihi oſtendiſſe videor, θρησκείαν illam ἀγγέλων alio ſpectare, nec cultum Angelorum, tanquam qui pro *μεσίταις*, vel ſequeſtris habiti ſint, inferre. Præterea liquidior hic ſenſus eſt, ſi pax Dei, à Chriſto parta, in animis credentium principatum ita obtinere dicatur, ut ad eam ſemper reſpiciant, illamque conſervandi ſtudio inprimis ducantur. Hinc ſtatim additur : *εἰς ἣν καὶ ἐκλήθητε.* Eodem ſenſu Paulus ad *Philippenſes* IV. 7. *καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν καὶ τὰ νοήματα ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ιησοῦ.* Ex his intelligis, quid ſit *βραβεύειν ἐν ταῖς καρδίαις*, nempe *φρουρεῖν τὰς καρδίας καὶ τὰ νοήματα.* Video tamen etiam *Lambertum Bos* in Obſervationibus Criticis Miſcel-

laneis pag. 160. vertere: *Pax Dei reconciliet animos veſtros*, atque hanc in rem afferre Scholiaſtem *Euripidis* in Phœniſſ. v. 452. vocem *βραβείας* per *διαλύσεις* exponentem.

*καὶ εὐχάριστοι γίνεσθε* ] *& grati eſtote*, ſeu *gratias agite*. Ita plerique omnes vertunt, quos ſecutus etiam eſt Rev. *Albertus Meno Verpoortennius* in Programmate ſingulari Coburgi 1725. edito, quo grati animi virtutem ex ſacris literis & profanorum quoque Scriptorum monimentis prædicat. Recte quidem hæc dicuntur: interim dubium videri poteſt, an iſta vocis, *ἅπαξ λεγομένης*, notio h. l. obtineat. Primo enim Apoſtolus paulo poſt ad gratias Deo agendas Coloſſenſes cohortatur verſ. 17. unde probabile fit, de alia re, quam gratiarum actione, in hoc commate ſermonem eſſe. Deinde exſtat hujus vocis ſignificatio ejusmodi, quæ ab h. l, non eſt aliena. Denotat enim hominem *comem*, *liberalem*, *beneficum*. Hoc ſenſu occurrit *Proverb.* XI. 16. *Γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν*, *mulier gratioſa parit marito gloriam*. In Hebræo eſt: אשת חן. Lutherus reddit: ein holdſeelig Weib. Exemplum aliud occurrit apud *Joſephum* Antiqq. XVI. 6. 2. pag. 800. ubi Auguſti hoc decretum exſtat: *ἐπειδὴ τὸ ἔθνος τὸ τῶν Ἰουδαίων εὐχάριστον εὑρέθη οὐ μόνον ἐν τῷ ἐνεστῶτι καιρῷ ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ προγεγενημένῳ, κ. τ. λ.* *Quandoquidem gens Judaica non modo hoc tempore, ſed ſuperiore quoque gratiam & benignitatem declaravit* &c. Nec minus apud *Diodorum Siculum* Bibliothec. XVIII. pag. 610. *Οἱ μὲν γὰρ ἄνθρωπον διὰ τὸ τῆς ψυχῆς εὐχάριστον καὶ μεγαλόψυχον συνέτρεχον πάντοθεν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν.* *Homines enim propter liberalitatem naturæ ejus & magnificentiam undique Alexandriam confluebant* &c, Debes hæc loca eruditæ induſtriæ *J. C. Schwarzii* in commentat. de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 67. qui ex hoc ſignificatu Pauli verba interpretatur. Atque id fieri poſſe præterea ex eo putem, quod Apoſtolus paulo ante verſ. 13. *τὸ χαρίζεσθαι ἑαυτοῖς, καθὼς καὶ ὁ Χριστὸς ἐχαρίσατο*, præcepit. Quod ut ad condonanda peccata ſpeciatim pertinet, ita *τὸ εὐχάριστον* omnia humanitatis officia hic complectitur. Video, Paulum *Epheſ.* IV. 32. ubi Epheſios *χαριζομένους ἑαυτοῖς* itidem eſſe jubet, eosdem *χρηστοὺς εἰς ἀλλήλους* ſe præſtare cupere. Qui ibi *χρηστοὶ* vocantur, hic ſunt *εὐχάριστοι*. Ipſa denique vocis origine hic ſenſus confirmatur. *Χάρις* enim non ſolum *gratiam*, quæ agitur, ſed & *jucunditatem* & comitatem infert, Sunt qui propterea vocem *εὐχαριστία* Epheſ. V. 4. eodem ſenſu accipiant. Obverti non poteſt, *εὐχαρίστους*, eo ſenſu acceptos, parum quadrare ad pacem Dei, quæ in Coloſſenſium animis ex Pauli voto imperare debeat. Contrarium enim facile oſtendero. Fierine enim poteſt, ut qui illius pacis imperium ſentiat & ſequatur, in alios non ſit humanus, benignus, comis, quando recogitat, quot bonis ipſe à Deo ſit cumulatus, & quam gratum Deo ſit, aliis id ſuo modulo præſtare, quod à Deo acceperis? Hæc interpretatio probavit ſe eruditis Interpretibus Gallis Novi Teſtamenti *Beauſobrio* & *Infantio*. Vertunt enim: *Soyez gracieux*

*&*

*& bien faiſans.* Si cui tamen in frequentiore ſignificatu, qui *gratiarum actionem* infert, etiam hic acquieſcere lubeat, de ea ſaltem non cogitabit, quæ Deo præſtetur ex v. 17. ſed quæ hominibus, à quibus beneficia acceperis. Ita *Crocius* olim, & cum eo *Calovius* noſter.

Verſ. 16. Ὁ λόγος τοῦ Χριστοῦ] Codd. pauci hic habent τοῦ Θεοῦ. Vide ad v. 15.

*ἐνοικείτω ἐν ὑμῖν πλουσίως*] Phraſis Judæorum Magiſtris recepta. Sic in *Tanchuma* fol. 24. 3. Deus introducitur ita loquens: *Sed ego ducam ipſos* (Iſraelitas) *per deſertum, ut comedant Man, & bibant aquas de fonte* ותורה מתיישבת בגופן *& lex ſedem figat in medio ipſorum.* Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 821. Similis locus occurrit in libro: ראשית חכמה Part. I. p. 2. כי התורה לא תשרה מפי רוחינותה *quod lex non habitat propter ſpiritualitatem ſuam niſi in anima pura.* Conf. *Vitringæ* Archiſynagog. pag. 215. Phraſeos δεινότητα aperit *Amelius* Tomo II. pag. 769. ſqq. Græcis Scriptoribus Philoſophorum diſciplinæ ἐνοικίζειν vel ἐνῳκισθῆναι dicuntur. Vide *Jamblichum* de vita Pythag. cap. V. apud *Lamb. Bos* pag. 209. Exercitatt. De argumento ipſo exponit *Jo. Georg. Jochius*, Theologus quondam Wittebergenſis, in Diſput. ſingalari de ſtudio verbi divini, Witteberg. 1727.

*πλουσίως ἐν πάσῃ σοφίᾳ*] *opulenter, cum,* vel, *in omni ſapientia.* Tria poſtrema verba ad ſequentia διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες, ſublata interpunctione, referre mavult *Lamb. Bos* & cum eo *Amelius* l. c. Provocant illi ad cap. I. 28. ubi νουθετοῦντες πάντα ἄνθρωπον καὶ διδάσκοντες πάντα ἄνθρωπον ἐν πάσῃ σοφίᾳ commemorantur. Senſus omnino commodus eſt; ſed nec minus conveniens, quam recepta interpunctio ſecum fert. Ita ſupra I. 9. ἐπίγνωσις τοῦ θελήματος (τοῦ Θεοῦ) ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ ſimili loquendi ratione laudatur, & *Epheſ.* I. 8. ἡ χάρις Θεοῦ περισσεῦσαι dicitur εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει. Itaque malim τὸ, ἐν πάσῃ σοφίᾳ ad verbum ἐνοικείτω πλουσίως referre, hoc magis quod ſic explicetur, in quo πλοῦτος ille conſiſtat. Accedit, quod, ſi alterum illud voluiſſet Paulus, ſcripturus potius fuiſſe videatur: διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες ἑαυτοὺς ἐν πάσῃ σοφίᾳ.

Ceterum τὸ, διδάσκοντες καὶ νουθετοῦντες non videtur quadrare ad antecedens, ἐν ὑμῖν, quod potius requirit διδάσκουσι καὶ νουθετοῦσι. Alii itaque ἀνακόλουθον hic ſtatuunt, ſed ab omni σολοικισμοῦ labe liberum, cum hujusmodi ſtructuræ ratio optimis quibusque Scriptoribus ſit recepta. Vide ſupra ad 2 *Cor.* I. 7. καὶ ἡ ἐλπὶς ἡμῶν βεβαία ὑπὲρ ὑμῶν· εἰδότες &c. Hæc eſt *Gatakeri* ad Antoninum III. 4. pag. 92. & *Boſii* ſententia, quæ & mihi ſimpliciſſima videtur. Sunt tamen alii, qui, facta parentheſi inde à verbis v. 15. Καὶ ἡ εἰρήνη usque ad ἐν πάσῃ σοφίᾳ, ſequentia participia διδάσκοντες pendere volunt à verbo ἐνδύσασθε v. 12. & participio ἀνεχόμενοι. Ita *Eraſmus Schmidius* in ſuam editionem & verſionem hanc παρενθέσεως notam recepit; quemadmodum alii pro-

pius ad phraſin εὐχάριστοι v. 15. referunt, verbis ſequentibus ὁ λόγος — σοφία tantum per parentheſin interceptis. Ita agit *Schwarzius* l. c. pag. 120. & M. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra pag. 137. qui tamen in notis monet, commode etiam participia illa v. 16. διδάσκοντες &c. connecti poſſe cum verbo ποιεῖτε ex v. 17. ἀπὸ κοινοῦ repetendo. Hanc interpretandi rationem iniit Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Germanic. Mihi impeditiora hæc, prius autem, quod dixi, ſimplicius videtur.

ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς] Vide ad *Epheſ.* V. 19. Adde vero præter ibi citatos *Sebaſt. Schmidii* diſſertat. de Muſica Argentorati 1673. & *Abrah. Calovii* Trigam diſſertatt. ſelectarum, tum *Conradi Ritterſhuſii* Sacras Lectiones pag. 212.

ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν] Codd. quidam habent ἐν ταῖς καρδίαις, quod recens Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit, qui, ſi conſtare ſibi voluiſſet, *Epheſ.* V. 19. ubi non minus, quam hic legitur, ἐν τῇ καρδίᾳ iisdem codd. ἐν ταῖς καρδίαις exhibentibus, hanc, quam h. l. ingerit, lectionem adhibere debuiſſet. Utriusque enim loci eadem eſt ratio.

Verſ. 17. Καὶ πᾶν ὅ τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ κ. τ. λ.] Vide ad 1 *Cor.* X. 31. Adde B. *Pauli Antonii* diſſert. de genuino principio actionum Chriſtianarum, Halæ 1706. *Urſinum* in Analectis Tom. I. pag. 5. & *Amelium* Parte II. pag. 132. qui poſt Patres nonnullos cum *Whitbio* exiſtimat, hæc ideo dici, ut venditata illa Angelorum interceſſio ex credentium animis ſubmoveretur.

ἐν ὀνόματι] *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. cap. XX. pag. 327. idem hoc eſſe vult, quod Hebræi dicunt לשם i. e. *in gloriam*, εἰς ὄνομα, quæ phraſis exſtat *Matth.* X. 41. At Interpretes alii recte obſervant, phraſeos hujus notionem latius patere.

Κυρίου Ἰησοῦ] Alii legunt Ἰησοῦ Χριστοῦ, unus autem *Vulgatus* vertit, ac ſi legiſſet Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, recte ideo notatus a *Leonardo Twells* in Examine Critico Part. I. p. 40.

Verſ. 18. Αἱ γυναῖκες ὑποτάσσεσθε τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι] Vide ad *Epheſ.* V. 22. Idem Editor Anglus τὸ ἰδίοις ex contextu expunxit in gratiam Codicum aliquot & verſionum, in quibus tamen omnibus in laudato ad *Epheſios* loco legitur. Idem cum paucis aliquot poſt ἀνδράσι, addit ὑμῶν. Ceterum Sectio epiſtolica, quæ ab hoc commate usque ad IV. 1. profertur, illuſtratur à *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte ultima p. 224. ſqq.

Verſ. 20. τοῦτο γάρ ἐστιν εὐάρεστον] ſcilicet ἐπιτήδευμα, quam vocem *Xenophon* VIII. p. 226. C. & p. 227. D. ſupplet, obſervante *J. C. Schwarzio* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 124.

τῷ

Digitized by Google

τῷ Κυρίῳ] Multi Codices hic habent ἐν τῷ Κυρίῳ, unde *Millius* in Prolegom. §. 931. ſuſpicatur τὸ ἐν poſtliminio extruſum eſſe, quod vox illa haud ſemel alias apud Apoſtolum dativo juncta legatur. Imo vero, cum Apoſtolus nunquam alias præpoſitionem ἐν addiderit, merito nec h. l. eam adhibuiſſe cenſeatur. Taceo, ſi addendam cenſeamus, ſaltem ſubintelligendum eſſe aliquem, cui εὐάρεστον dicatur. Nihilominus in contextum recepit Editor Anglus Novi Teſtamenti.

Verſ. 21. μὴ ἐρεθίζετε] Codd. aliquot legunt παροργίζετε, verbum, ex *Epheſ.* VI. 4. procul dubio deſumtum, vel ſaltem ex interpretamento marginali natum, cum alterum illud obſcurius videretur. Quam apte vero ad hoc argumentum, in quo Paulus eſt, quadret, ex *Achille Tatio* patet, qui pag. 389. εἰς ὀργὴν ἐρεθίζεται dixit. Hoc vero eſt, ac ſi dictum fuiſſet παροργίζεται. Locum hunc promſit *Elſnerus* pag. 270. qui & ibidem alios affert, quibus conſtare poſſit, ἐρεθίζειν eſſe *irritare aliquem*, vel *ad iram provocare*. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas, pag. 575. ubi *Epicteti* locus eſt ex Enchiridio cap. 21. quo τὸ ἐρεθίζειν ſubjungitur verbis λοιδορεῖν, *conviciari*, & τύπτειν, *verberare*, tanquam modis, quibus aliquis poſſit ἐρεθίζεσθαι. Itaque Parentes, in his modum frequenter excedentes, à moroſitate & ſævitia avocantur. *Plutarchus* περὶ παιδαγωγίας pueros ad liberalia ſtudia verbis & adhortationibus, non *verberibus* aut *contumeliis* adduci jubet. Conf. *Picinellum* pag. 715. *Suidas* per παρορμᾷν & παραθήγειν exponit.

ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν] *ne animum deſpondeant*. Ita *Beza*, *Schmidius*, & *Dietericus* in Antiqq. Biblicis Tom. I. pag. 53. hac addita παραφράσει, ne ſe ad meliorem frugem pervenire deſperent, atque ſtudium ſpemque omnem in melius progrediendi prorſus abjiciant. Vide ibidem externorum Scriptorum locos, quales etiam promit *Elsnerus* pag. 71.

Verſ. 22. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα Κυρίοις] *Aethiops* unus vertit, ac ſi legiſſet: Οἱ δ. ὑπακούετε τοῖς Κυρίοις, quod rectum cenſet *Millius* à *VVhitbio* pag. 71. recte notatus. De ceteris hujus commatis lege ad *Epheſ.* VI. 22. item *Suicerum* Tom. I. pag. 436. & 438. ut & Tom. II. pag. 534.

Verſ. 23. Καὶ πᾶν ὅ, τι ἐὰν ποιῆτε] Editor N. T. Angl. in contextu exhibet: ὃ ἐὰν ποιῆτε, ideo, quod *Alex. Vulg.* & *Syrus* ita legerunt. Horum vero auctoritatem tot aliis vel libris vel verſionibus prave præferri recte tradit *Leonardus Twells* in Examine Critico illius editionis Parte I. 41. addens etiam, Interpretem Syrum aliquid habere, quod voci πᾶν reſpondeat.

Verſ. 24. Εἰδότες, ὅτι ἀπὸ Κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν] Vox ἀνταπόδοσις exſtat apud *Polybium* in Excerptis de vit. & virtut. pag. 1460. & in Excerptis Legat. pag. 228. item alias, obſervante *Elſnero* pag. 271.

Τῆς

Τῆς κληρονομίας. τῷ γὰρ Κυρίῳ χριϛῷ δυλεύετε] Editor N. T. Anglus exhibet τῆς κληρονομίας τȣ̃ Κυρίȣ χριϛȣ̃, ᾧ δȣλεύετε. Perperam: cum iſta legendi ratio tantum in libris quibusdam Latinis & Pſeud-Ambroſio occurrat atque à *Millio* ideo in Prolegom. §. 786. ſit rejecta. Taceo, κληρονομίαν nusquam in N. T. dici τȣ̃ Χριϛȣ̃, ſed potius Patris, ut *Epheſ.* I. 18. tanquam à Chriſto nobis partam, à Patre autem, cujus filii per fidem in Chriſtum reddimur, tribuendam.

Verſ. 25. Ο δὲ ἀδικῶν) Codices quidam legunt: ὁ γὰρ, quod idem, quem ſæpius dixi, Editor in contextum recepit, qui cogitare debebat, hoc commate adeo non reddi rationem eorum, quæ in antecedenti ſunt expoſita, ut ὁ ἀδικῶν potius reſpectu mercedis opponatur illis, qui v. 24. dicuntur mercedem hereditatis recepturi.

# CAPUT IV.

VErſ. 2. γρηγορȣ̃ντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριϛίᾳ) Vid. ad *Epheſ.* VI. 18. Poſteriores duas voces, tanquam in aliquot Codd. non exſtantes, ex cap. II. 7. vel *Philipp.* IV. 6. huc relatas putat *Millius* in Prolegom. §. 487. Enimvero cum Paulus gratiarum actionem alias frequentiſſime inculcet, nulla eſt ratio, cur de illa hic cogitaſſe negemus.

Verſ. 3. Θύραν τȣ̃ λόγȣ) Poſterior vox deeſt apud *Clementem Alexandr.* & *Theophylactum*, atque hinc non germana videtur *Millio*, recte contra nitente *Whitbio* pag. 71. Vide nos ad 1 *Cor.* XVI. 9. & *Suicerum* Tomo I. pag. 1415.

Verſ. 5. τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι) Vide ad *Epheſ.* V. 16. & *Urſini* Analecta Part. II. pag. 60. item *Picinellum* pag. 715. qui *Senecam* affert ep. 1. præcipientem: *Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerva.*

Verſ. 6. Ο λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος] In his explicandis verſatur *Thomas Crenius* in Animadverſionibus Hiſtorico-Philolog. Part. VIII. pag. 237. & *Jo. Melchior* in Oratione ſingulari de condimento ſermonis, quæ legitur Tomo II. Operum ejus pag. 654. ſqq. Non omittendum puto *Franc. Vavaſſorem* de ludicra dictione in Operibus p. 53. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. I. pag. 182. & *Picinellum* pag. 715. ad externos quoque Scriptores provocantem. Adde B. *Samuel Bened. Carpzovii* Societatem frugiferam Parte II. pag. 674.

Verſ. 7. Τυχικὸς, ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς] Vid. ad *Epheſ.* VI. 21.

Verſ. 8. ἵνα γνῷ τὰ περὶ ὑμῶν] Ad *Epheſ.* I. c. legitur: ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν, quod etiam nonnulli Codd. hic exhibent.

Verſ.

Verſ. 10. *ὁ συναιχμάλωτός μου*] Deeſt apud *Æthiopem*, ideoque ex ep. ad Philemonem v. 23. translatum huc videtur *Millio* in Prolegom. Hoc autem nemo ſibi perſuaſerit, qui eo loco vocem hanc non *Ariſtarcho*, ſed *Epaphræ* viderit junctam. Ex eo tamen non rectius conjecturam fecit *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 295. alterutro in loco Scribam aliquem erraſſe. Enimvero nec hoc credi poteſt, cum omnes codices utroque in loco conſentiant. Unde ipſe recte addit: *niſi forte uterque fuerint captivi.* Ex noſtratibus *Seb. Schmidius* hinc ſuſpicatus eſt, epiſtolas has ad *Coloſſenſes* & *Philemonem* non eodem tempore eſſe exaratas. At vide tu *Oederum* in Syntagmate Obſervatt. Sacrar. p. 661.

*ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα*] Vide *Raphelii* Annott. Herodoteas p. 557. oſtendentis, *ἀνεψιὸς* dici fratris & ſororis, tum vero etiam fratrum liberos.

Verſ. 11. *Καὶ Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦστος*] De *Jeſu Juſto* hoc lege Acta Sanctorum menſis Junii Tom. IV. p. 67.

Verſ. 12. *ἵνα στῆτε τέλειοι*] Hic verbum *στῆναι Hermanno Reiners* in Bibliotheca Bremenſ. Claſſ. IV. p. 978. deſumtum videtur à luctatoribus, qui ſtantes luctati ſint, in lucta, *ὀρθοπάλη* alias dicta.

*πεπληρωμένοι*] Alia exempla habent *πεπληροφορημένοι*. Atque hoc rectum putat *Millius* in Prolegom. §. 1292. & 1354. & cum altero illo ab illis pemutatum cenſet, qui non perpenderint ſenſum hujus vocis in LXX. & N. T. obvium. Propterea & Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit. Cum neuter inficiari poſſit, utramque vocem a Scriptoribus Sacris frequentari, præſtat ſane, eam lectionem tenere, quæ plurium Codicum auctoritate conſtat.

Verſ. 14. *Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς*] Ex h. l. *Hieronymus* in Catal. Scriptorum Eccleſ. cap. 7. aliique contendunt, Lucam Evangeliſtam Medicum fuiſſe, ex quo tamen ipſo contrarium confici poſſe videtur *Heumanno* in Poeciles Tom. II. pag. 519. *Si enim*, inquit, *iſto loco Paulus innuiſſet comitem ſuum, omnibus notum, Lucam Evangeliſtam, ſimpliciter vocaſſet Lucam, uti fecit* 2 Tim. IV. 11. *At ut ſignificaret, ſe de alio Luca loqui, diſcriminis cauſa addit ὁ ἰατρός.*

*καὶ Δημᾶς*] In Pandectis Talmudicis frequens eſt nomen רב דימי *Rab Dimi*, quod hic cum terminatione Græca per *Δημᾶς* efferri cenſet *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 821. De hoc habeo cur dubitem. *Demæ* nomen *Grotius* ad h. l. ex illo *Demetrii* ad exemplum aliorum ejusmodi, (de quibus idem ad initium Evangelii Lucæ) decurtatum recte arbitratur. Præterea Demas non videtur gente Judæus fuiſſe, atque adeo nec Judaicum nomen unquam habuiſſe. Paulus enim v. 11. ait, eos, quos antea appellaverat, *ex circumciſione* h. e. Judæos ortu eſſe. Talis igitur non fuit *Demas*, & ceteri, quorum nomina deinde recitat.

Verſ. 15. Καὶ τὴν κατ᾽ οἶκον αὐτῦ ἐκκλησίαν] Vide ad *Rom.* XVI. 5.

Verſ. 16. καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα ϗ ὑμεῖς ἀναγνῶτε] Mirum eſt, *Grotium* hic tam confidenter aſſeveraſſe, legendum eſſe τὴν Λαοδικείας, cum codd. omnino omnes in recepta lectione conſentiant. Ex ea vero itidem nunquam effeceris, ut Paulus ad Laodicenſes quicquam ſcripſiſſe exiſtimetur. Innuetur igitur epiſtola vel ex urbe Laodicenſium ſcripta à Paulo, vel a Laodicenſibus ad Paulum data. Prius dici non poteſt, cum Paulus, hanc epiſtolam ſcribens, nec Coloſſenſes nec Laodicenſes præſens ante viderit, quod patet ex cap. II. 1. Itaque poſterius fuerit hactenus veriſimillimum. Plura hanc in rem commentatur diligentiſſimus *Fabricius* noſter Tom. II. Codicis Apocryphi N. T. pag. 853. ſqq. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 575 *Jo. Clerici* Bibliothec. Selectam Tom. XVI. pag. 299. ſq. & Tom. XXI. Parte I. p. 104. *Ittigium* de Pſeudepigraphis c. 6. & in Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. pag. 7. ſqq. *Bernhardi Elſingii* diſſert. de Pſeudepigraphis Pauli Apoſtoli pag. 7. ſq. *Kiliani Rudrauſii* diſſ. de hac epiſt. ſingularem Gieſſ. 1680. *Iſaac. Fauſtii* de eadem Argentor. 1671. *Severini Ancherſenii* Hafn. 1721. & *Witſii* Meletemata Leidenſia pag. 243. ſq. Ex Pontificiis *Mich. Mauduit*, Oratorii Presbyter, Tomo II. Analyſeos ſuæ epiſtolarum Pauli, Gallice editæ, pag. 559. ſqq. ſubnexuit diſſertationem de hac Laodicenſium epiſtola ſingularem, in qua, recitatis & rejectis aliorum ſententiis pag. 562. ſuam ita exponit: *Quicquid hujus erit, & quamcunque ſententiam amplectaris, fieri non poteſt, quin Apoſtolum ad Laodicenſes ſcripſiſſe credamus. Si enim ipſorum ad Paulum epiſtola reſponſoria eſt, praſtruitur, ipſum priorem ad eos ſcripſiſſe. Si vero ipſi ſcripſerunt priores, veri ſimile non eſt, Paulum ipſis non reſpondiſſe, qui prior tot literas ad Eccleſias dederit, à quibus nullum accepit reſponſum. Imo neceſſe eſt, ut reſponderit, ſi ponamus, Laodicenſes ſuam epiſtolam ad Coloſſenſes miſiſſe. Neceſſe, inquam, eſt, Apoſtolum ad illos ſcripſiſſe, ut ſcilicet illis hoc ipſum injungeret; alioquin enim de eo non cogitaſſent: aut ſi vel ſic etiam non juſſi feciſſent, non opus fuiſſet, ut Coloſſenſes juberet legere epiſtolam ad illos jam ante miſſam. De eo enim moneri non debebant. Hæc omnia evincunt, quicquid tandem heic ſtatuas, Paulum ad Laodicenſes ſcripſiſſe credi debere. Numquis vero perſuadere ſibi poteſt, Apoſtolum, qui illam Laodicenſium Coloſſenſibus legendam commendaverat, ſuam quoque ad ipſos non legi feciſſe, quæ ob res, quas tradebat, iis longe utilior eſſe debebat.* At non videtur mihi effeciſſe *Mauduitius*, quod cupiebat. Ex phraſi enim, τὴν ἐκ Λαοδικείας confici non poteſt, epiſtolam hanc ad aliquam Pauli priorem reſponſi loco eſſe datam. Neque ſequitur, ſi ipſi ſcripſerint priores, Paulum omnino reſpondiſſe, quia nondum conſtat, ad quod argumentum ſpectarit. Illud enim ita comparatum eſſe potuit, ut reſponſione ſingulari non eſſet opus. Paulus ad alios Chriſti cœtus ſcripſit, ſed ex ejuſmodi occaſione, quam ex epiſtolis ipſis colligere licet. Quod ſi jam talem nec a Laodicenſibus ipſis in epiſtola ſua, nec aliunde nactus eſt, nihil fuit, cur vel

prior

prior ipſe ſcriberet, vel reſponderet. Porro epiſtolam, τὴν ἐκ Λαοδικείας, Coloſſenſes non à Laodicenſibus ipſis, ſed copiam ejus à Paulo cum hac, quæ ipſis erat inſcripta, accipiebant. Niſi dicere malis, Coloſſenſes hic excitari, ut ipſi alteram illam à Laodicenſibus requirerent, ubi illam Pauli ad ſe legendam miſiſſent. Itaque non neceſſe eſt, ut Laodicenſes à Paulo id facere juſſos eſſe credamus. Imo vero magis in promtu eſt, ſtatuere, Apoſtolum literas ſuas, Coloſſenſibus miſſas, à Laodicenſibus ideo legi voluiſſe, ut his reſponſi loco inſerviret. Niſi enim ponamus, Loadicenſes de ſingulari quodam momento, quod ad ipſos ſpeciatim pertineret, edoceri à Paulo voluiſſe, quod ſane non conſtat, quid obſtat, quo minus utrisque, Coloſſenſibus nempe & Laodicenſibus, inſervire & ſufficere potuiſſe exiſtimetur? Ceterum commentitia illa ad Laodicenſes epiſtola, præmiſſis veterum & recentiorum judiciis, exhibetur à *Fabricio* l. c. pag. 873. ſqq. quem etiam vide ſis in Tom. III. Codicis illius Apocryphi pag. 710.

Verſ. 17. Βλέπε τὴν διακονίαν, ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, ἵνα αὐτὴν πληροῖς.] Structura hæc eſt: βλέπε, ἵνα τὴν διάκον. ἣν παρέλ. ε. Κ. πληροῖς. Vide 1 *Theſſal.* II. 1. & *Act.* XVI. 3. ibi vero Annotatt. Raphelii Polybianas, & ad h. l. *Elsnerum* pag. 272. qui præterea oſtendit, τὸ βλέπειν idem eſſe, quod *operam dare*, ut 1 *Cor.* XVI. 10. *Cavendi* itaque ſignificatio hinc exulat, quamvis eam Patres quidam adoptarint. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 703. quem & de verbo πληροῦν leges Tom. II. pag. 753. Ita *Epictetus* Enchirid. c. 31. ἐὰν ἕκαστος ἐπληρώσῃ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον obſervante *Lamb. Bos* pag. 210. Exercitt. & *Raphelio* Annot. Polybian. pag. 576. Male itaque *Grotius* de Hebraiſmo cogitavit, quem Græcorum & Latinorum ſimili loquendi ratione in viam revocat *Elſnerus* l. c. & *Jo. Alberti* pag. 383. ſq. Lege etiam de hoc loco *Cloppenburgium* Tom. I. pag. 719.

Verſ. 18. Μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν] Vide Rev. *Bernhardi Raupach* Decadem II. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis Obſerv. VII.

Ἡ χάρις μεθ' ὑμῶν. Ἀμήν.] B. Lutherus hæc ſine additamento, ex Latinis aliquot codd. à nonnullis petito, exhibens criminationem *Emſeri* & Dietenbergii effugere non potuit, quam amotam vide à *Raithio* pag. 552. Vindiciarum.

Πρὸς Κολοσσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης] Lege Prolegomena noſtra.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAS AD THESSALONICENSES.

THeſſalonicenſes principem, maritimam, & illuſtrem commerciis Macedoniæ civitatem incolebant. De ea exponunt Interpretes ad *Actor.* XVII. 1. ſqq. & eruditiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* noſter in Luce Evangelii toti orbi exoriente cap. V. pag. 92. cum quo Rev. *Urbani Godfridi Siberi* promiſſum de Theſſalonicæ antiquitatibus opus cupide exſpectamus. Apoſtolus in eam delatus ex Judæis paucos, ex Proſelytis autem, atque adeo ortu Gentilibus, permultos ad Chriſtum perduxerat, ringentibus & cœlum terra miſcentibus Judæis. quod ex Actor. l. c. v. 4. & 5. apparet. Hinc per varias urbes alias *Athenas* profectus, conſultum putavit, Timotheum ad Theſſalonicenſes mittere, qui eorum animos in veritate agnita confirmaret, ſeque de eorundem conditione certum faceret. 1 *Theſſal.* 3. 1. Hic itaque cum lætiſſimo nuncio de fide & amore adhuc probatis, ſtudio item in Paulum, reverſus, *occaſionem* Paulo, *Corinthi* tunc verſanti, fecit, literas has ad eos mittendi. Vide ibid. v. 6. Ad Ex-Judæos inprimis ſpectare contendit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. cap. IX. rectius vero ad Ex Gentiles refert Cl. *Chriſt. Schœtgenius* pag. 522. Horarum Hebraicarum, cum ex prioribus illis paucos converſos fuiſſe, ex illis, quæ modo diximus, & ex cap. II. 15. 16. intelligatur.

*Tempus* ſcriptionis *Henr. Dodwellus* de Jure Laicorum pag. 232. in A. C. 49. *Sandhagenius* noſtras in annum *Claudii* ultimum, *Pearſonus*, *Millius* in Prolegom. §. 4. & plerique alii in A. C. 52. collocant, primamque adeo omnium, quas Paulus ſcripſerit, conſtituunt. Neque enim audiendus eſt *Grotius* quando in lib. de Antichriſto & in Notis ad epiſtolæ hujus limen eam, quæ hodie poſterior vocatur, priorem eſſe vult. Vide, quæ contra eum dixerunt *Henricus Morus* in Opp. Theologic. pag. 756. *Sam. Basnage* in Annalibus ad A. C. LI. n. 74. & *Fabricius* in Bibliotheca Græca lib. IV. cap. 5. pag. 156. Confer *Guilielm. Cave*, in Vita Pauli Sect. IV. n. 2. & *Heideggeri* Hieromnemonic. Biblicum pag. 908.

*Athenis* ſcriptam eſſe ſubſcriptio, in qua codd. omnes conſentiunt, & *Euthalius* pag. 656. apud *Zacagnium* in Monumentis teſtatur, procul dubio ex eo, quod Apoſtolus epiſtolæ hujus cap. III. 1. profitetur, ſe, miſſo Timotheo, *Athenis* hæſiſſe. Sed falſi illi ſunt conjectura ſua. *Nihil* enim *clarius*, *quam* Corinthi *ſcriptam fuiſſe. Cum enim Apoſtolus Athenas perveniſſet, atque illuc ad ſe Timotheum è Beroea Macedoniæ accerſiviſſet*, Actor. *XVII.* 15. *ſolicitus ac metuens Theſſalonicenſibus, ne propter afflictiones, quas poſt ipſius diſceſſum ab adverſariis fidei patiebantur, animo conciderent, ad eos rurſus, Athenis adhuc agens, Timotheum miſit, ut eos in fide confirmaret, atque in tribulationibus*

*conſo-*

*conſolaretur, ut apparet ex hujus epiſtolæ cap. III. 1. Porro Timotheus non Athenas, ſed Corinthum e Theſſalonica ad eum reddiit una cum Sila Act. XVIII. 5. Atqui ſtatim poſt Timothei ad eum reditum, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, ex capite ejus tertio conſtat; adeoque &* Corinthi, *ubi per annum & ſex menſes commoratus eſt.* Ita recte *Millius* in notis ad illam ὑπογραφήν. Confer in eandem ſententiam M. *Sam. Theodor. Schœnlandium* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. VII. pag. 95. ſqq. & M. *Herzorgii* diſputat. de Subſcriptionibus Paulinis §. 7.

Quæ de priori epiſtola adhuc dicta ſunt, eadem maximam partem ad poſteriorem quoque pertinent. Cum enim Apoſtolus *Corinthi* per unum annum & ſex menſes moram duceret, (*Act.* XVIII. 11.) ibidem non multo poſt priorem tempore alteram illam exaraſſe merito cenſetur, quoniam intellexerat, Theſſalonicenſes nonnulla ſuperioris epiſtolæ, v. c. de Chriſti adventu minus recte accepiſſe. Vide II. 6. & 15. Itaque neceſſe putabat, ut & mentem ſuam clarius exponeret, & erroribus diſcordiisque, facile alioquin augendis, viam præcluderet.

Ad utramque *Millio* in Prolegomenis §. 5. & 6. reſpexiſſe *Petrus* Apoſtolus videtur, quando 2 Epiſt. III. 16. apud Paulum δυσνόητα quædam occurrere pronunciat, imo quando eodum fere modo ſuam epiſtolam finit, quo priorem Paulus, & eadem phraſi ſubitaneum Domini adventum indicat. Vide 2 *Petr.* III. 10. & 1 *Theſſal.* V. 2.

Interpretes utriusque epiſtolæ generales & ſpeciales diligenter recitant *Schwindelius* & *Wendlerus*; quos alias in Prolegomenis meis laudare memini.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος καὶ Σιλουανὸς] De *Silvano* lege ad 2 *Corinth.* I. v. 18.

τῇ Ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων] Vide Prolegomena.

ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ] Omittit hæc Codex unus à *Millio* appellatus, nec exprimunt *Vulg.* & *Syrus. Eſtius* ex ſimilibus aliarum epiſtolarum Pauli inſcriptionibus à librario repetita præceps opinatur, ſicut *Emſerus* Lutherum, eadem ſiſtentem, criminatur. Vide B. *Raithii* Vindicias p. 553. Fraudi illis fuit, quod, quæ hic dicuntur, eadem in antecedentibus: ἐν Θεῷ Πατρὶ καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, jam dicta videantur. At aliter res habet. Aliud enim eſt, dicere, eſſe aliquem in Deo Patre & Chriſto, h. e. in gratiam & υἱότητα per fidem eſſe receptum, quod prior phraſis Theſſalonicenſibus ſignificat; aliud vero, ejusmodi hominibus, in eam conditionem perlatis, gratiam & pacem uberrimam à Deo adprecari.

Verſ. 2. Ευχαριςῦμεν τῷ Θεῷ πάντοτε κ. τ. λ.] Vide ad *Rom.* I. 8. 9. *Epheſ.* I. 16. & alias.

Verſ. 3. Ἀδιαλείπτως μνημονεύοντες ὑμῶν τῦ ἔργυ τῆς πίςεως.] Τὸ ὑμῶν non pertinet proxime ad vocem μνημονεύοντες, ſed ad πίςεως. Recte *Eraſmus Schmidius : memoria repetentes opus fidei veſtræ.* Confer *Hombergium* pag. 319.

τῦ ἔργυ τῆς πίςεως] Ἔργον τῆς πίςεως hic videtur idem eſſe, quod πίςις, *fides ipſa, quam operatur in nobis Spiritus Sanctus, quia fides eſt opus Dei*, Joh. VI. 29. Ita *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Hoc modo fides à Deo donata jungeretur hic *amori* & *ſpei* æque ac 1 *Corinth.* XIII. 13. Νυνὶ δὲ μένει πίςις, ἐλπὶς, ἀγάπη. Sic *Roman.* II. 15. ἔργον τῦ νόμυ ſimpliciter eſt νόμος, ubi vide quæ ſcripſimus. Similiter *Epheſ.* IV. 12. ἔργον διακονίας eſt διακονία. Nec alio ſenſu infra 2 epiſt. I. 11. optat Paulus, ut Deus in illis impleat, i. e. perficiat ἔργον τῆς πίςεως ἐν δυνάμει. Conf. in hanc ſententiam *Joannem Vorſtium* in Philologia Sacra Parte I. pag. 209. Neque tamen penitius improbandi ſunt, qui *fidem efficacem* hic innui cenſent, ut idem ſit, quod πίςις ἐνεργὴς, ſicut *charitas laborioſa* & ſpes patiens h. l. commemoratur. Atque hoc priori præfert *Calovius.* Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 488. & *Gatakerum* de Stylo Novi Teſtamenti adverſus *Pſochenii* Sect. XLII. *Hypallagen* ſcilicet Hebræis receptam hic agnoſcit, contra quam vide, quæ diſputat *Vorſtius* loc. cit. eadem opera oſtendens, niſi prima, quam attuli, interpretatio admittatur, rectius dici, ἔργον πίςεως idem hic eſſe, quod *opus, quod veram fidem in homine jam exiſtentem conſequitur.* Quod ad rem ipſam ſpectat, *Gatakerus* & *Vorſtius* non differunt. Cl. *Elſnerus* mavult indicari *opus difficile, cum moleſtia inſigni & periculo conjunctum, quale ſit κόπος & ὑπομονὴ ſubjuncta, cum Theſſalonicenſes multa ob fidem eſſent perpeſſi*, ſecundum verſ. 6. Quam in rem aliquot Græcorum & Latinorum loca affert, in quibus hæc vocis ἔργον notio occurrat. Video *Chryſoſtomum* idem voluiſſe, quando phraſin ita exponit: Τῦτο γὰρ ἔργον πίςεως, εἰ πιςεύεις, πάντα πάσχε. εἰ δὲ μὴ πάσχεις, ὐ πιςεύεις. *Hoc enim eſt* opus fidei. *Si credis, omnia patere; ſi autem non pateris, non credis. Theodoretus* ſimiliter exponit per τὸ ἐν κινδύνοις βέβαιον. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 1206. & quæ ipſe hic commentatur, ultimo loco hæc tradens: *Poteſt tamen* ἔργον πίςεως *improprie notare* fidem, *quam Deus in nobis operatur.*

καὶ τῦ κόπυ τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος] Vide *Feſſelium* & *Vorſtium* ll. cc.

Verſ. 4. Εἰδότες] *Ut qui ſciamus.* Ita *Beza, Schmidius*, & Interpretes tantum non omnes. *Eraſmus* tamen referre maluit ad *Theſſalonicenſes*, qui ipſi cognitum habeant, quod à Deo ſint electi. Adplaudit illi *Hombergius* p. 319. contra *Bezam*, qui ſtructuram vocis Grammaticam obſtare aſſeveraverat, quæ potius requireret εἰδότων ex antecedente ὑμῶν. Jam negari quidem

non

Digitized by Google

non poteſt, dari ejusmodi ἀνακόλουθα inprimis in Participiorum uſu apud ſacros & externos Scriptores. Vide ſupra ad *Coloſſ.* III. 16. Neque tamen ad illud recurrendum eſt, ubi alia ſunt in promtu. Ad Paulum, Silvanum & Timotheum non minus τὸ εἰδότες ſpectat, quam μνημονεύοντες verſ. 3. & ratio redditur, cur Theſſalonicenſium memoria in animis ipſorum perpetuo hæreat, nempe, quod fidem cum fructibus ſuis in illis deprehendant, atque hinc colligant, eos inter electos eſſe numerandos. Non juvat *Hombergium*, quod verſ. 5. dicatur: Καθὼς οἴδατε, οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. Imo vero id potius infert, Paulum in antecedentibus de Theſſalonicenſibus eorumque notitia non eſſe locutum. Commate enim quarto exponit, quid ſibi de Theſſalonicenſibus ſit cognitum, nempe electionem ipſorum, ejusque indicia v. 5. repetit ex Evangelio, pleniſſima perſuaſione & Spiritus Sancti efficacia ab iis recepto; denique vero per καθὼς οἴδατε in memoriam illis revocat, quales ſe Apoſtolus, Silvanus & Timotheus *inter ipſos*, hoc eſt, in prædicando Evangelio præſtiterint, nempe, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, 1 *Corinth.* II. 4. Itaque nec opus eſt, ut poſt εἰδότες ſuppleatur ἐστὲ, id eſt, *noſtis*, atque ſic novum orationis argumentum inchoetur, quod vult *Hombergius*. Commata enim hæc ita arcte & probe cohærent, ut ſeparari à ſe invicem non poſſint.

ἀδελφοὶ, ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ] Duplex in editis interpunctio hic occurrit. Alii enim diſtinguunt poſt ἠγαπημένοι, ut *Curcellaus*, alii & quidem plerique poſt ὑπὸ Θεοῦ, à quo ſcilicet Theſſalonicenſes ſint dilecti; quemadmodum priores illi *electionem* eorum à Deo factam dici contendunt. Uterque ſenſus verus eſt in ſe: ſed præſtat poſterior interpunctio, quam & *Lutherus* noſter eſt ſecutus. Sic enim 2 *Theſſal.* II. 13. ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, *fratres dilecti à Domino*. *Hombergius* loc. cit. pro priore diſputans, verti vult: *Scitis, fratres dilecti, à Deo eſſe vocationem veſtram*, addita hac ratione: *Quod enim illa à Deo ſit, non hominibus, id unice demonſtrat Apoſtolus in hoc capite, cum verſu ſequente dicat:* τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. At nonne idem infertur, ſi ſtatuamus, Paulum Theſſalonicenſes hic repræſentare, ut *dilectos à Deo*? Hic enim *amor Dei* primus erat fons, ex quo omnia beneficia, ad ſalutem ipſorum pertinentia, in eos defluxerant. Vide, quomodo idem Apoſtolus 2 *Theſſal.* II. 13. ſed aliis verbis, exprimat: ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίστει ἀληθείας. Hinc ſane electio illa proxime ſubjicitur amori divino in Theſſalonicenſes probato. Si Paulus id proxime hic dicere voluiſſet, quod *Hombergius* quærit, ſcripturus erat: τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν ἀπὸ Θεοῦ. Video, Anonymum im frey-willigen Heb-Opfer, Tom. I. pag. 415. eandem vocum ſtructuram adoptaſſe, quando verti vult, ſubintellecto verbo εἶναι: *Scimus, electionem veſtram eſſe à Deo,*

pius ad phraſin εὐχάριστοι v. 15. referunt, verbis ſequentibus ὁ λόγος — σοφίᾳ tantum per parentheſin interceptis. Ita agit *Schwarzius* l. c. pag. 120. & M. *Chriſtoph. Wolle* de Parentheſi Sacra pag. 137. qui tamen in notis monet, commode etiam participia illa v. 16. διδάσκοντες &c. connecti poſſe cum verbo ποιεῖτε ex v. 17. ἀπὸ κοινοῦ repetendo. Hanc interpretandi rationem iniit Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem Germanic. Mihi impeditiora hæc, prius autem, quod dixi, ſimplicius videtur.

Ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς] Vide ad *Epheſ.* V. 19. Adde vero præter ibi citatos *Sebaſt. Schmidii* diſſertat. de Muſica Argentorati 1673. & *Abrah. Calovii* Trigam diſſertatt. ſelectarum, tum *Conradi Rittershuſii* Sacras Lectiones pag. 212.

ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν] Codd. quidam habent ἐν ταῖς καρδίαις, quod recens Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit, qui, ſi conſtare ſibi voluiſſet, *Epheſ.* V. 19. ubi non minus, quam heic legitur, ἐν τῇ καρδίᾳ iisdem codd. ἐν ταῖς καρδίαις exhibentibus, hanc, quam h. l. ingerit, lectionem adhibere debuiſſet. Utriusque enim loci eadem eſt ratio.

Verſ. 17. Καὶ πᾶν ὅ τι ἂν ποιῆτε ἐν λόγῳ ἢ ἐν ἔργῳ κ. τ. λ.] Vide ad 1 *Cor.* X. 31. Adde B. *Pauli Antonii* diſſert. de genuino principio actionum Chriſtianarum, Halæ 1706. *Urſinum* in Analectis Tom. I. pag. 5. & *Amelium* Parte II. pag. 132. qui poſt Patres nonnullos cum *Whitbio* exiſtimat, hæc ideo dici, ut venditata illa Angelorum interceſſio ex credentium animis ſubmoveretur.

ἐν ὀνόματι] *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. cap. XX. pag. 327. idem hoc eſſe vult, quod Hebræi dicunt לשם i. e. *in gloriam*, εἰς ὄνομα, quæ phraſis exſtat *Matth.* X. 41. At Interpretes alii recte obſervant, phraſeos hujus notionem latius patere.

Κυρίου Ἰησοῦ] Alii legunt Ἰησοῦ Χριστοῦ, unus autem *Vulgatus* vertit, ac ſi legiſſet Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, recte ideo notatus a *Leonardo Twells* in Examine Critico Part. I. p. 40.

Verſ. 18. Αἱ γυναῖκες ὑποτάσσεσθε τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι] Vide ad *Epheſ.* V. 22. Idem Editor Anglus τὸ ἰδίοις ex contextu expunxit in gratiam Codicum aliquot & verſionum, in quibus tamen omnibus in laudato ad *Epheſios* loco legitur. Idem cum paucis aliquot poſt ἀνδράσι, addit ὑμῶν. Ceterum Sectio epiſtolica, quæ ab hoc commate usque ad IV. 1. profertur, illuſtratur à *Franc. Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte ultima p. 224. ſqq.

Verſ. 20. τοῦτο γάρ ἐστιν εὐάρεστον] ſcilicet ἐπιτήδευμα, quam vocem *Xenophon* VIII. p. 226. C. & p. 227. D. ſupplet, obſervante *J. C. Schwarzio* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 124.

τῷ

τῷ Κυρίῳ] Multi Codices hic habent ἐν τῷ Κυρίῳ, unde *Millius* in Prolegom. §. 931. ſuſpicatur τὸ ἐν poſtliminio extruſum eſſe, quod vox illa haud ſemel alias apud Apoſtolum dativo juncta legatur. Imo vero, cum Apoſtolus nunquam alias præpoſitionem ἐν addiderit, merito nec h. l. eam adhibuiſſe cenſeatur. Taceo, ſi addendam cenſeamus, ſaltem ſubintelligendum eſſe aliquem, cui εὐάρεστον dicatur. Nihilominus in contextum recepit Editor Anglus Novi Teſtamenti.

Verſ. 21. μὴ ἐρεθίζετε] Codd. aliquot legunt παροργίζετε, verbum, ex *Epheſ.* VI. 4. procul dubio deſumtum, vel ſaltem ex interpretamento marginali natum, cum alterum illud obſcurius videretur. Quam apte vero ad hoc argumentum, in quo Paulus eſt, quadret, ex *Achille Tatio* patet, qui pag. 389. εἰς ὀργὴν ἐρεθίζεται dixit. Hoc vero eſt, ac ſi dictum fuiſſet παροργίζεται. Locum hunc promſit *Elſnerus* pag. 270. qui & ibidem alios affert, quibus conſtare poſſit, ἐρεθίζειν eſſe *irritare aliquem*, vel *ad iram provocare*. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas, pag. 575. ubi *Epicteti* locus eſt ex Enchiridio cap. 21. quo τὸ ἐρεθίζειν ſubjungitur verbis λοιδορεῖν, *conviciari*, & τύπτειν, *verberare*, tanquam modis, quibus aliquis poſſit ἐρεθίζεσθαι. Itaque Parentes, in his modum frequenter excedentes, à moroſitate & ſævitia avocantur. *Plutarchus* περὶ παιδαγωγίας pueros ad liberalia ſtudia verbis & adhortationibus, non *verberibus* aut *contumeliis* adduci jubet. Conf. *Picinellum* pag. 715. *Suidas* per παρορμᾶν & παραθήγειν exponit.

ἵνα μὴ ἀθυμῶσιν] *ne animum deſpondeant.* Ita *Beza*, *Schmidius*, & *Dietericus* in Antiqq. Biblicis Tom. I. pag. 53. hac addita παραφράσει, ne ſe ad meliorem frugem pervenire deſperent, atque ſtudium ſpemque omnem in melius progrediendi prorſus abjiciant. Vide ibidem externorum Scriptorum locos, quales etiam promit *Elſnerus* pag. 71.

Verſ. 22. Οἱ δοῦλοι ὑπακούετε κατὰ πάντα τοῖς κατὰ σάρκα Κυρίοις] *Aethiops* unus vertit, ac ſi legiſſet: Οἱ δ. ὑπακούετε τοῖς Κυρίοις, quod rectum cenſet *Millius* à *Whitbio* pag. 71. recte notatus. De ceteris hujus commatis lege ad *Epheſ.* VI. 22. item *Suicerum* Tom. I. pag. 436. & 438. ut & Tom. II. pag. 534.

Verſ. 23. Καὶ πᾶν ὅ, τι ἐὰν ποιῆτε] Editor N. T. Angl. in contextu exhibet: ὃ ἐὰν ποιῆτε, ideo, quod *Alex. Vulg.* & *Syrus* ita legerunt. Horum vero auctoritatem tot aliis vel libris vel verſionibus prave præferri recte tradit *Leonardus Twells* in Examine Critico illius editionis Parte I. 41. addens etiam, Interpretem Syrum aliquid habere, quod voci πᾶν reſpondeat.

Verſ. 24. Εἰδότες, ὅτι ἀπὸ Κυρίου ἀπολήψεσθε τὴν ἀνταπόδοσιν] Vox ἀνταπόδοσις exſtat apud *Polybium* in Excerptis de vit. & virtut. pag. 1460. & in Excerptis Legat. pag. 228. item alias, obſervante *Elſnero* pag. 271.

Τῆς

Digitized by Google

*Τῆς κληρονομίας. τῷ γὰρ Κυρίῳ χριςῷ δȣλεύετε*] Editor N. T. Anglus exhibet *τῆς κληρονομίας τȣ̃ Κυρίȣ χριςȣ̃, ᾧ δȣλεύετε.* Perperam: cum iſta legendi ratio tantum in libris quibusdam Latinis & Pſeud-Ambroſio occurrat atque à *Millio* ideo in Prolegom. §. 786. ſit rejecta. Taceo, *κληρονομίαν* nusquam in N. T. dici *τȣ̃ Χριςȣ̃*, ſed potius Patris, ut *Epheſ.* I. 18. tanquam à Chriſto nobis partam, à Patre autem, cujus filii per fidem in Chriſtum reddimur, tribuendam.

Verſ. 25. Ο *δὲ ἀδικῶν*) Codices quidam legunt: *ὁ γὰρ*, quod idem, quem ſæpius dixi, Editor in contextum recepit, qui cogitare debebat, hoc commate adeo non reddi rationem eorum, quæ in antecedenti ſunt expoſita, ut *ὁ ἀδικῶν* potius reſpectu mercedis opponatur illis, qui v. 24. dicuntur mercedem hereditatis recepturi.

# CAPUT IV.

VErſ. 2. *γρηγορȣ̃ντες ἐν αὐτῇ ἐν εὐχαριςίᾳ*) Vid. ad *Epheſ.* VI. 18. Poſteriores duas voces, tanquam in aliquot Codd. non exſtantes, ex cap. II. 7. vel *Philipp.* IV. 6. huc relatas putat *Millius* in Prolegom. §. 487. Enimvero cum Paulus gratiarum actionem alias frequentiſſime inculcet, nulla eſt ratio, cur de illa hic cogitaſſe negemus.

Verſ. 3. *Θύραν τȣ̃ λόγȣ*) Poſterior vox deeſt apud *Clementem Alexandr.* & *Theophylactum*, atque hinc non germana videtur *Millio*, recte contra nitente *Whitbio* pag. 71. Vide nos ad 1 *Cor.* XVI. 9. & *Suicerum* Tomo I. pag. 1415.

Verſ. 5. *τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι*) Vide ad *Epheſ.* V. 16. & *Urſini* Analecta Part. II. pag. 60. item *Picinellum* pag. 715. qui *Senecam* affert ep. 1. præcipientem: *Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige & ſerva.*

Verſ. 6. Ο *λόγος ὑμῶν πάντοτε ἐν χάριτι ἅλατι ἠρτυμένος*] In his explicandis verſatur *Thomas Crenius* in Animadverſionibus Hiſtorico-Philolog. Part. VIII. pag. 237. & *Jo. Melchior* in Oratione ſingulari de condimento ſermonis, quæ legitur Tomo II. Operum ejus pag. 654. ſqq. Non omittendum puto *Franc. Vavaſſorem* de ludicra dictione in Operibus p. 53. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. I. pag. 182. & *Picinellum* pag. 715. ad externos quoque Scriptores provocantem. Adde B. *Samuel Bened. Carpzovii* Societatem frugiferam Parte II. pag. 674.

Verſ. 7. *Τυχικὸς, ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς*] Vid. ad *Epheſ.* VI. 21.

Verſ. 8. *ἵνα γνῷ τὰ περὶ ὑμῶν*] Ad *Epheſ.* I. c. legitur: *ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν*, quod etiam nonnulli Codd. hic exhibent.

Verſ.

Verſ. 10. *ὁ συναιχμάλωτός μου*] Deeſt apud *Æthiopem*, ideoque ex ep. ad Philemonem v. 23. translatum huc videtur *Millio* in Prolegom. Hoc autem nemo ſibi perſuaſerit, qui eo loco vocem hanc non *Ariſtarcho*, ſed *Epaphræ* viderit junctam. Ex eo tamen non rectius conjecturam fecit *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 295. alterutro in loco Scribam aliquem erraſſe. Enimvero nec hoc credi poteſt, cum omnes codices utroque in loco conſentiant. Unde ipſe recte addit: *niſi forte uterque fuerint captivi.* Ex noſtratibus *Seb. Schmidius* hinc ſuſpicatus eſt, epiſtolas has ad *Coloſſenſes* & *Philemonem* non eodem tempore eſſe exaratas. At vide tu *Oederum* in Syntagmate Obſervatt. Sacrar. p. 661.

*ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα*] Vide *Raphelii* Annott. Herodoteas p. 557. oſtendentis, *ἀνεψιὸς* dici fratris & ſororis, tum vero etiam fratrum liberos.

Verſ. 11. *Καὶ Ἰησοῦς ὁ λεγόμενος Ἰοῦστος*] De *Jeſu Juſto* hoc lege Acta Sanctorum menſis Junii Tom. IV. p. 67.

Verſ. 12. *ἵνα στῆτε τέλειοι*] Hic verbum *στῆναι Hermanno Reiners* in Bibliotheca Bremenſ. Claſſ. IV. p. 978. deſumtum videtur à luctatoribus, qui ſtantes luctati ſint, in lucta, *ὀρθοπάλη* alias dicta.

*πεπληρωμένοι*] Alia exempla habent *πεπληροφορημένοι*. Atque hoc rectum putat *Millius* in Prolegom. §. 1292. & 1354. & cum altero illo ab illis permutatum cenſet, qui non perpenderint ſenſum hujus vocis in LXX. & N. T. obvium. Propterea & Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit. Cum neuter inficiari poſſit, utramque vocem a Scriptoribus Sacris frequentari, præſtat ſane, eam lectionem tenere, quæ plurium Codicum auctoritate conſtat.

Verſ. 14. *Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς*] Ex h. l. *Hieronymus* in Catal. Scriptorum Eccleſ. cap. 7. aliique contendunt, Lucam Evangeliſtam Medicum fuiſſe, ex quo tamen ipſo contrarium confici poſſe videtur *Heumanno* in Poeciles Tom. II. pag. 519. *Si enim*, inquit, *iſto loco Paulus innuiſſet comitem ſuum, omnibus notum, Lucam Evangeliſtam, ſimpliciter vocaſſet Lucam, uti fecit* 2 Tim. IV. 11. *At ut ſignificaret, ſe de alio Luca loqui, diſcriminis cauſa addit ὁ ἰατρός.*

*καὶ Δημᾶς*] In Pandectis Talmudicis frequens eſt nomen רב דימי *Rab Dimi*, quod hic cum terminatione Græca per *Δημᾶς* efferri cenſet *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 821. De hoc habeo cur dubitem. *Dema* nomen *Grotius* ad h. l. ex illo *Demetrii* ad exemplum aliorum ejusmodi, (de quibus idem ad initium Evangelii Lucæ) decurtatum recte arbitratur. Præterea Demas non videtur gente Judæus fuiſſe, atque adeo nec Judaicum nomen unquam habuiſſe. Paulus enim v. 11. ait, eos, quos antea appellaverat, *ex circumciſione* h. e. Judæos ortu eſſe. Talis igitur non fuit *Demas*, & ceteri, quorum nomina deinde recitat.

Verſ. 15. *Καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτοῦ ἐκκλησίαν*] Vide ad *Rom.* XVI. 5.

Verſ. 16. *καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας ἵνα ϗ ὑμεῖς ἀναγνῶτε*] Mirum eſt, *Grotium* hic tam confidenter aſſeveraſſe, legendum eſſe *τὴν Λαοδικείας*, cum codd. omnino omnes in recepta lectione conſentiant. Ex ea vero itidem nunquam effeceris, ut Paulus ad Laodicenſes quicquam ſcripſiſſe exiſtimetur. Innuetur igitur epiſtola vel ex urbe Laodicenſium ſcripta à Paulo, vel a Laodicenſibus ad Paulum data. Prius dici non poteſt, cum Paulus, hanc epiſtolam ſcribens, nec Coloſſenſes nec Laodicenſes præſens ante viderit, quod patet ex cap. II. 1. Itaque poſterius fuerit hactenus veriſimillimum. Plura hanc in rem commentatur diligentiſſimus *Fabricius* noſter Tom. II. Codicis Apocryphi N. T. pag. 853. ſqq. Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian, pag. 575 *Jo. Clerici* Bibliothec. Selectam Tom. XVI. pag. 299. ſq. & Tom. XXI. Parte I. p. 104. *Ittigium* de Pſeudepigraphis c. 6. & in Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. pag. 7. ſqq. *Bernhardi Elſingii* diſſert. de Pſeudepigraphis Pauli Apoſtoli pag. 7. ſq. *Kiliani Rudrauſii* diſſ. de hac epiſt. ſingularem Gieſſ. 1680. *Iſaac. Fauſtii* de eadem Argentor. 1671. *Severini Ancherſenii* Hafn. 1721. & *Witſii* Meletemata Leidenſia pag. 243. ſq. Ex Pontificiis *Mich. Mauduit*, Oratorii Presbyter, Tomo II. Analyſeos ſuæ epiſtolarum Pauli, Gallice editæ, pag. 559. ſqq. ſubnexuit diſſertationem de hac Laodicenſium epiſtola ſingularem, in qua, recitatis & rejectis aliorum ſententiis pag. 562. ſuam ita exponit: *Quicquid hujus erit, & quamcunque ſententiam amplectaris, fieri non poteſt, quin Apoſtolum ad Laodicenſes ſcripſiſſe credamus. Si enim ipſorum ad Paulum epiſtola reſponſoria eſt, praſtruitur, ipſum priorem ad eos ſcripſiſſe. Si vero ipſi ſcripſerunt priores, veri ſimile non eſt, Paulum ipſis non reſpondiſſe, qui prior tot literas ad Eccleſias dederit, à quibus nullum accepit reſponſum. Imo neceſſe eſt, ut reſponderit, ſi ponamus, Laodicenſes ſuam epiſtolam ad Coloſſenſes miſiſſe. Neceſſe, inquam, eſt, Apoſtolum ad illos ſcripſiſſe, ut ſcilicet illis hoc ipſum injungeret; alioquin enim de eo non cogitaſſent: aut ſi vel ſic etiam non juſſi feciſſent, non opus fuiſſet, ut Coloſſenſes juberet legere epiſtolam ad illos jam ante miſſam. De eo enim moneri non debebant. Hæc omnia evincunt, quicquid tandem heic ſtatuas, Paulum ad Laodicenſes ſcripſiſſe credi debere. Numquis vero perſuadere ſibi poteſt, Apoſtolum, qui illam Laodicenſium Coloſſenſibus legendam commendaverat, ſuam quoque ad ipſos non legi feciſſe, quæ ob res, quas tradebat, iis longe utilior eſſe debebat.* At non videtur mihi effeciſſe *Mauduitius*, quod cupiebat. Ex phraſi enim, *τὴν ἐκ Λαοδικείας* confici non poteſt, epiſtolam hanc ad aliquam Pauli priorem reſponſi loco eſſe datam. Neque ſequitur, ſi ipſi ſcripſerint priores, Paulum omnino reſpondiſſe, quia nondum conſtat, ad quod argumentum ſpectarit. Illud enim ita comparatum eſſe potuit, ut reſponſione ſingulari non eſſet opus. Paulus ad alios Chriſti cœtus ſcripſit, ſed ex ejusmodi occaſione, quam ex epiſtolis ipſis colligere licet. Quod ſi jam talem nec a Laodicenſibus ipſis in epiſtola ſua, nec aliunde nactus eſt, nihil fuit, cur vel

prior

Digitized by Google

prior ipſe ſcriberet, vel reſponderet. Porro epiſtolam, τὴν ἐκ Λαοδικείας, Coloſſenſes non à Laodicenſibus ipſis, ſed copiam ejus à Paulo cum hac, quæ ipſis erat inſcripta, accipiebant. Niſi dicere malis, Coloſſenſes hic excitari, ut ipſi alteram illam à Laodicenſibus requirerent, ubi illam Pauli ad ſe legendam miſiſſent. Itaque non neceſſe eſt, ut Laodicenſes à Paulo id facere juſſos eſſe credamus. Imo vero magis in promtu eſt, ſtatuere, Apoſtolum literas ſuas, Coloſſenſibus miſſas, à Laodicenſibus ideo legi voluiſſe, ut his reſponſi loco inſerviret. Niſi enim ponamus, Loadicenſes de ſingulari quodam momento, quod ad ipſos ſpeciatim pertineret, edoceri à Paulo voluiſſe, quod ſane non conſtat, quid obſtat, quo minus utrisque, Coloſſenſibus nempe & Laodicenſibus, inſervire & ſufficere potuiſſe exiſtimetur? Ceterum commentitia illa ad Laodicenſes epiſtola, præmiſſis veterum & recentiorum judiciis, exhibetur à *Fabricio* l. c. pag. 873. ſqq. quem etiam vide ſis in Tom. III. Codicis illius Apocryphi pag. 710.

Verſ. 17. Βλέπε τὴν διακονίαν, ἣν παρέλαβες ἐν Κυρίῳ, ἵνα αὐτὴν πληροῖς.] Structura hæc eſt: βλέπε, ἵνα τὴν διάκον. ἣν παρέλ. ε. K. πληροῖς. Vide 1 *Theſſal.* II. 1. & *Act.* XVI. 3. ibi vero Annotatt. Raphelii Polybianas, & ad h. l. *Elsnerum* pag. 272. qui præterea oſtendit, τὸ βλέπειν idem eſſe, quod *operam dare*, ut 1 *Cor.* XVI. 10. *Cavendi* itaque ſignificatio hinc exulat, quamvis eam Patres quidam adoptarint. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 703. quem & de verbo πληροῦν leges Tom. II. pag. 753. Ita *Epictetus* Enchirid. c. 31. ἐὰν ἕκαστος ἐπληρώσῃ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον obſervante *Lamb. Bos* pag. 210. Exercitt. & *Raphelio* Annot. Polybian. pag. 576. Male itaque *Grotius* de Hebraiſmo cogitavit, quem Græcorum & Latinorum ſimili loquendi ratione in viam revocat *Elſnerus* l. c. & *Jo. Alberti* pag. 383. ſq. Lege etiam de hoc loco *Cloppenburgium* Tom. I. pag. 719.

Verſ. 18. Μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν] Vide Rev. *Bernhardi Raupach* Decadem II. Obſervationum Sacrarum ex Patribus Apoſtolicis Obſerv. VII.

Ἡ χάρις μεθ᾽ ὑμῶν. Ἀμήν.] B. Lutherus hæc ſine additamento, ex Latinis aliquot codd. à nonnullis petito, exhibens criminationem *Emſeri* & Dietenbergii effugere non potuit, quam amotam vide à *Raithio* pag. 552. Vindiciarum.

Πρὸς Κολοσσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης] Lege Prolegomena noſtra.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAS AD THESSALONICENSES.

THeſſalonicenſes principem, maritimam, & illuſtrem commerciis Macedoniæ civitatem incolebant. De ea exponunt Interpretes ad *Actor.* XVII. 1. ſqq. & eruditiſſimus *Jo. Albertus Fabricius* noſter in Luce Evangelii toti orbi exoriente cap. V. pag. 92. cum quo Rev. *Urbani Godfridi Siberi* promiſſum de Theſſalonicæ antiquitatibus opus cupide exſpectamus. Apoſtolus in eam delatus ex Judæis paucos, ex Proſelytis autem, atque adeo ortu Gentilibus, permultos ad Chriſtum perduxerat, ringentibus & cœlum terra miſcentibus Judæis. quod ex Actor. l. c. v. 4. & 5. apparet. Hinc per varias urbes alias *Athenas* profectus, conſultum putavit, Timotheum ad Theſſalonicenſes mittere, qui eorum animos in veritate agnita confirmaret, ſeque de eorundem conditione certum faceret. 1 *Theſſal.* 3. 1. Hic itaque cum lætiſſimo nuncio de fide & amore adhuc probatis, ſtudio item in Paulum, reverſus, *occaſionem* Paulo, *Corinthi* tunc verſanti, fecit, literas has ad eos mittendi. Vide ibid. v. 6. Ad Ex-Judæos inprimis ſpectare contendit *Jo. Braunius* in Selectis Sacris lib. I. cap. IX. rectius vero ad Ex Gentiles refert Cl. *Chriſt. Schœtgenius* pag. 522. Horarum Hebraicarum, cum ex prioribus illis paucos converſos fuiſſe, ex illis, quæ modo diximus, & ex cap. II. 15. 16. intelligatur.

*Tempus* ſcriptionis *Henr. Dodwellus* de Jure Laicorum pag. 232. in A. C. 49. *Sandhagenius* noſtras in annum *Claudii* ultimum, *Pearſonus*, *Millius* in Prolegom. §. 4. & plerique alii in A. C. 52. collocant, primamque adeo omnium, quas Paulus ſcripſerit, conſtituunt. Neque enim audiendus eſt *Grotius* quando in lib. de Antichriſto & in Notis ad epiſtolæ hujus limen eam, quæ hodie poſterior vocatur, priorem eſſe vult. Vide, quæ contra eum dixerunt *Henricus Morus* in Opp. Theologic. pag. 756. *Sam. Basnage* in Annalibus ad A. C. LI. n. 74. & *Fabricius* in Bibliotheca Græca lib. IV. cap 5. pag. 156. Confer *Guilielm. Cave*, in Vita Pauli Sect. IV. n. 2. & *Heideggeri* Hieromnemonic. Biblicum pag. 908.

*Athenis* ſcriptam eſſe ſubſcriptio, in qua codd. omnes conſentiunt, & *Euthalius* pag. 656. apud *Zacagnium* in Monumentis teſtatur, procul dubio ex eo, quod Apoſtolus epiſtolæ hujus cap. III. 1. profitetur, ſe, miſſo Timotheo, *Athenis* hæſiſſe. Sed falſi illi ſunt conjectura ſua. *Nihil* enim *clarius*, *quam* Corinthi *ſcriptam fuiſſe. Cum enim Apoſtolus Athenas perveniſſet, atque illuc ad ſe Timotheum è Beroea Macedoniæ accerſiviſſet*, Actor. *XVII.* 15. *ſolicitus ac metuens Theſſalonicenſibus, ne propter afflictiones, quas poſt ipſius diſceſſum ab adverſariis fidei patiebantur, animo conciderent, ad eos rurſus, Athenis adhuc agens, Timotheum miſit, ut eos in fide confirmaret, atque in tribulationibus*

*conſolaretur, ut apparet ex hujus epiſtolæ cap. III. 1. Porro Timotheus non Athenas, ſed Corinthum e Theſſalonica ad eum reddiit una cum Sila Act. XVIII. 5. Atqui ſtatim poſt Timothei ad eum reditum, ſcriptam eſſe hanc epiſtolam, ex capite ejus tertio conſtat; adeoque &* Corinthi, *ubi per annum & ſex menſes commoratus eſt.* Ita recte *Millius* in notis ad illam ὑπογραφήν. Confer in eandem ſententiam M. *Sam. Theodor. Schœnlandium* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. VII. pag. 95. ſqq. & M. *Herzorgii* diſputat. de Subſcriptionibus Paulinis §. 7.

Quæ de priori epiſtola adhuc dicta ſunt, eadem maximam partem ad poſteriorem quoque pertinent. Cum enim Apoſtolus *Corinthi* per unum annum & ſex menſes moram duceret, (*Act.* XVIII. 11.) ibidem non multo poſt priorem tempore alteram illam exaraſſe merito cenſetur, quoniam intellexerat, Theſſalonicenſes nonnulla ſuperioris epiſtolæ, v. c. de Chriſti adventu minus recte accepiſſe. Vide II. 6. & 15. Itaque neceſſe putabat, ut & mentem ſuam clarius exponeret, & erroribus diſcordiiſque, facile alioquin augendis, viam præcluderet.

Ad utramque *Millio* in Prolegomenis §. 5. & 6. reſpexiſſe *Petrus* Apoſtolus videtur, quando 2 Epiſt. III. 16. apud Paulum δυσνόητα quædam occurrere pronunciat, imo quando eodum fere modo ſuam epiſtolam finit, quo priorem Paulus, & eadem phraſi ſubitaneum Domini adventum indicat. Vide 2 *Petr.* III. 10. & 1 *Theſſal.* V. 2.

Interpretes utriusque epiſtolæ generales & ſpeciales diligenter recitant *Schwindelius* & *Wendlerus*; quos alias in Prolegomenis meis laudare memini.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος καὶ Σιλουανὸς] De *Silvano* lege ad 2 *Corinth.* I. v. 18.

τῇ Ἐκκλησίᾳ Θεσσαλονικέων] Vide Prolegomena.

ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ] Omittit hæc Codex unus à *Millio* appellatus, nec exprimunt *Vulg.* & *Syrus*. *Eſtius* ex ſimilibus aliarum epiſtolarum Pauli inſcriptionibus à librario repetita præceps opinatur, ſicut *Emſerus* Lutherum, eadem ſiſtentem, criminatur. Vide B. *Raithii* Vindicias p. 553. Fraudi illis fuit, quod, quæ hic dicuntur, eadem in antecedentibus: ἐν Θεῷ Πατρὶ καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, jam dicta videantur. At aliter res habet. Aliud enim eſt, dicere, eſſe aliquem in Deo Patre & Chriſto, h. e. in gratiam & υἱότητα per fidem eſſe receptum, quod prior phraſis Theſſalonicenſibus ſignificat; aliud vero, ejusmodi hominibus, in eam conditionem perlatis, gratiam & pacem uberrimam à Deo adprecari.

Verſ. 2. Ευχαριςῦμεν τῷ Θεῷ πάντοτε κ. τ. λ.] Vide ad *Rom.* I. 8. 9. *Epheſ.* I. 16. & alias.

Verſ. 3. Αδιαλείπτως μνημονεύοντες ὑμῶν τῦ ἔργυ τῆς πίςεως.] Τὸ ὑμῶν non pertinet proxime ad vocem μνημονεύοντες, ſed ad πίςεως. Recte *Eraſmus Schmidius : memoria repetentes opus fidei veſtræ.* Confer *Hombergium* pag. 319.

τῦ ἔργυ τῆς πίςεως] Εργον τῆς πίςεως hic videtur idem eſſe, quod πίςις, *fides ipſa, quam operatur in nobis Spiritus Sanctus, quia fides eſt opus Dei,* Joh. VI. 29. Ita *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Hoc modo fides à Deo donata jungeretur hic *amori* & *ſpei* æque ac 1 *Corinth.* XIII. 13. Νυνὶ δὲ μένει πίςις, ἐλπὶς, ἀγάπη. Sic *Roman.* II. 15. ἔργον τῦ νόμυ ſimpliciter eſt νόμος, ubi vide quæ ſcripſimus. Similiter *Epheſ.* IV. 12. ἔργον διακονίας eſt διακονία. Nec alio ſenſu infra 2 epiſt. I. 11. optat Paulus, ut Deus in illis impleat, i. e. perficiat ἔργον τῆς πίςεως ἐν δυνάμει. Conf. in hanc ſententiam *Joannem Vorſtium* in Philologia Sacra Parte I. pag. 209. Neque tamen penitius improbandi ſunt, qui *fidem efficacem* hic innui cenſent, ut idem ſit, quod πίςις ἐνεργὴς, ſicut *charitas laborioſa* & ſpes patiens h. l. commemoratur. Atque hoc priori præfert *Calovius.* Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 488. & *Gatakerum* de Stylo Novi Teſtamenti adverſus *Pſochenii* Sect. XLII. *Hypallagen* ſcilicet Hebræis receptam hic agnoſcit, contra quam vide, quæ diſputat *Vorſtius* loc. cit. eadem opera oſtendens, niſi prima, quam attuli, interpretatio admittatur, rectius dici, ἔργον πίςεως idem hic eſſe, quod *opus, quod veram fidem in homine jam exiſtentem conſequitur.* Quod ad rem ipſam ſpectat, *Gatakerus* & *Vorſtius* non differunt. Cl. *Elſnerus* mavult indicari *opus difficile, cum moleſtia inſigni & periculo conjunctum, quale ſit κόπος & ὑπομονὴ ſubjuncta, cum Theſſalonicenſes multa ob fidem eſſent perpeſſi,* ſecundum verſ. 6. Quam in rem aliquot Græcorum & Latinorum loca affert, in quibus hæc vocis ἔργον notio occurrat. Video *Chryſoſtomum* idem voluiſſe, quando phraſin ita exponit: Τῦτο γὰρ ἔργον πίςεως, εἰ πιςεύεις, πάντα πάσχε. εἰ δὲ μὴ πάσχεις, ὐ πιςεύεις. *Hoc enim eſt* opus fidei. *Si credis, omnia patere; ſi autem non pateris, non credis. Theodoretus* ſimiliter exponit per τὸ ἐν κινδύνοις βέβαιον. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 1206. & quæ ipſe hic commentatur, ultimo loco hæc tradens: *Poteſt tamen* ἔργον πίςεως *improprie notare* fidem, *quam Deus in nobis operatur.*

καὶ τῦ κόπυ τῆς ἀγάπης, καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος] Vide *Feſſelium* & *Vorſtium* ll. cc.

Verſ. 4. Εἰδότες] *Ut qui ſciamus.* Ita *Beza, Schmidius,* & Interpretes tantum non omnes. *Eraſmus* tamen referre maluit ad *Theſſalonicenſes,* qui ipſi cognitum habeant, quod à Deo ſint electi. Adplaudit illi *Hombergius* p. 319. contra *Bezam,* qui ſtructuram vocis Grammaticam obſtare aſſeveraverat, quæ potius requireret εἰδότων ex antecedente ὑμῶν. Jam negari quidem non

non poteſt dari ejusmodi ἀνακόλυθα inprimis in Participiorum uſu apud ſacros & externos Scriptores. Vide ſupra ad *Coloſſ.* III. 16. Neque tamen ad illud recurrendum eſt, ubi alia ſunt in promtu. Ad Paulum, Silvanum & Timotheum non minus τὸ εἰδότες ſpectat, quam μνημονεύοντες verſ. 3. & ratio redditur, cur Theſſalonicenſium memoria in animis ipſorum perpetuo hæreat, nempe, quod fidem cum fructibus ſuis in illis deprehendant, atque hinc colligant, eos inter electos eſſe numerandos. Non juvat *Hombergium*, quod verſ. 5. dicatur: Καθὼς οἴδατε, οἷοι ἐγενήθημεν ἐν ὑμῖν δι' ὑμᾶς. Imo vero id potius infert, Paulum in antecedentibus de Theſſalonicenſibus eorumque notitia non eſſe locutum. Commate enim quarto exponit, quid ſibi de Theſſalonicenſibus ſit cognitum, nempe electionem ipſorum, ejusque indicia v. 5. repetit ex Evangelio, pleniſſima perſuaſione & Spiritus Sancti efficacia ab iis recepto; denique vero per καθὼς οἴδατε in memoriam illis revocat, quales ſe Apoſtolus, Silvanus & Timotheus *inter ipſos*, hoc eſt, in prædicando Evangelio præſtiterint, nempe, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, 1 *Corinth.* II. 4. Itaque nec opus eſt, ut poſt εἰδότες ſuppleatur ἐςὲ, id eſt, *noſtis*, atque ſic novum orationis argumentum inchoetur, quod vult *Hombergius.* Commata enim hæc ita arcte & probe cohærent, ut ſeparari à ſe invicem non poſſint.

ἀδελφοὶ, ἠγαπημένοι ὑπὸ Θεοῦ] Duplex in editis interpunctio hic occurrit. Alii enim diſtinguunt poſt ἠγαπημένοι, ut *Curcellæus*, alii & quidem plerique poſt ὑπὸ Θεοῦ, à quo ſcilicet Theſſalonicenſes ſint dilecti; quemadmodum priores illi *electionem* eorum à Deo factam dici contendunt. Uterque ſenſus verus eſt in ſe: ſed præſtat poſterior interpunctio, quam & *Lutherus* noſter eſt ſecutus. Sic enim 2 *Theſſal.* II. 13. ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, *fratres dilecti à Domino.* *Hombergius* loc. cit. pro priore diſputans, verti vult: *Scitis, fratres dilecti, à Deo eſſe vocationem veſtram*, addita hac ratione: *Quod enim illa à Deo ſit, non hominibus, id unice demonſtrat Apoſtolus in hoc capite, cum verſu ſequente dicat:* τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν οὐκ ἐγενήθη ἐν λόγῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν δυνάμει, καὶ ἐν πνεύματι ἁγίῳ. At nonne idem infertur, ſi ſtatuamus, Paulum Theſſalonicenſes hic repræſentare, ut *dilectos à Deo?* Hic enim *amor Dei* primus erat fons, ex quo omnia beneficia, ad ſalutem ipſorum pertinentia, in eos defluxerant. Vide, quomodo idem Apoſtolus 2 *Theſſal.* II. 13. ſed aliis verbis, exprimat: ἡμεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριςεῖν τῷ Θεῷ πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἀδελφοὶ ἠγαπημένοι ὑπὸ Κυρίου, ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ἀπ' ἀρχῆς εἰς σωτηρίαν ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος καὶ πίςει ἀληθείας. Hinc ſane electio illa proxime ſubjicitur amori divino in Theſſalonicenſes probato. Si Paulus id proxime hic dicere voluiſſet, quod *Hombergius* quærit, ſcripturus erat: τὴν ἐκλογὴν ὑμῶν ἀπὸ Θεοῦ. Video, Anonymum im freywilligen Heb-Opfer, Tom. I. pag. 415. eandem vocum ſtructuram adoptaſſe, quando verti vult, ſubintellecto verbo εἶναι: *Scimus, electionem veſtram eſſe à*

*Deo,*

*Deo*, eo nempe fine, ut evincat, Paulum h. l. non de *electione ad vitam æternam* immutabili, à Deo facta, ſed de *converſione* potius, tanquam divina & *non imaginaria*, loqui. Priorem illam addit ignotam fuiſſe Paulo, de poſteriore vero certos eos facere potuiſſe & certos eſſe juſſiſſe, tanquam divina, cum hoc ipſum in ſolatium inſigne ipſis cedere potuerit. Mihi quidem videtur Paulus Theſſalonicenſes de electione potius ipſorum ad ſalutem facta, quam de vera & *non imaginaria* converſione certos facere potuiſſe, cum utraque ex illis indiciis, quæ Apoſtolus affert, conſtet, nec diſcrimen aliud intercedat, quam quod ad electionis ſpem certam perſeverantia in illis indiciis, quæ apud Theſſalonicenſes ſe prodebant, requiratur. Atque ad hoc ipſum excitat eos Apoſtolus, ut alias, ita cap. IV. 1. Τὸ λοιπὸν οὖν, ἀδελφοὶ, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ, καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν, τὸ πῶς δεῖ ὑμᾶς περιπατεῖν καὶ ἀρέσκειν Θεῷ, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον.

Verſ. 5. καὶ ἐν πληροφορίᾳ πολλῇ] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 753. Verſio Gallica *Montenſis* recte reddit: *d'une pleine & entiére peſuaſion*, quam præter rem caſtigat *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti pag. 478. in gratiam *Vulgati*, qui vertit: *in plenitudine multa.* Ipſi *Grotius* placet, ſtatuens: ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πληροφορίᾳ πολλῇ, idem eſſe, ac ſi ſcriptum ſit: *in plenitudine multa Spiritus Sancti.* Enimvero tria hic Paulus commemorat, nempe δύναμιν, Πνεῦμα ἅγιον & πληροφορίαν. *Efficacia* illa reſpicit Evangelium efficaciter prædicatum, *Spiritus Sancti* originem & cauſam primariam, ex qua vocatio, converſio, regeneratio &c. ad Theſſalonicenſes per verbum pervenerit; *certitudo* denique pleniſſimam perſuaſionem & convictionem etiam cum gaudio verſ. 6. conjunctam, quæ in ipſorum animis ſe exſeruerit. Spiritus Sanctus inter utrumque momentum medius collocatur, tanquam à quo utrumque ſit profectum. Propterea & verſ. 6. χαρὰ Πνεύματος ἁγίου prædicatur.

Verſ. 6. δεξάμενοι τὸν λόγον ἐν θλίψει πολλῇ] Calamitatum harum initia commemorantur *Actor.* XVII. nec dubitari poteſt, easdem poſt abitum Pauli incrementa ſumſiſſe per rabiem Judæorum, omnia ibi miſcentium, quibus & alii ex Gentilibus ſocias operas præſtabant. Vide infra II. 14.

Verſ. 7. Ὥστε γενέσθαι ὑμᾶς τύπους] Alii Codices legunt τύπον. Scilicet ſacri Scriptores de pluribus, tanquam qui exemplo ſint, loquentes, nunc τύπον nunc τύπους commemorant. Vide *Philipp.* III. 17. 2 *Theſſal.* III. 9. 1 *Petr.* V. 3. De ſignificatu vocis lege *Suicerum* Tom. II. pag. 1340. & nos Vol. II. Curarum pag. 94.

Verſ. 9. Ἀφ' ὑμῶν γὰρ ἐξήχηται κ. τ. λ.] Lege *Martianai* Conatum novæ verſionis pag. 374.

ὥστε

Digitized by Google

*ὥστε μὴ χρείαν ἡμᾶς ἔχειν λαλεῖν τι*] Pro *ἡμᾶς* Eraſmi editio prima & Aldin. habent *ὑμᾶς*. Sed præſtat omnino altera. Paulus id vult, non neceſſe eſſe, ut ipſe & collegæ ſui id aliis ſignificent, quibus res ipſa ita ſit cognita, ut de ea ſermones faciant. Hinc verſ. 9. *αὐτοὶ γὰρ περὶ ἡμῶν ἀπαγγέλλουσιν.*

Verſ. 9. *ὁποίαν εἴσοδον ἔχομεν πρὸς ὑμᾶς*] Multi Codices legunt *ἔσχομεν*, quod etiam *Chryſoſtomus* in Commentar. & *Theodoretus*, tum vero *Vulg.* & cum eo Lutherus exhibent. Exſtat etiam in editionibus quibusdam, v. c. *Eraſmi Schmidii* illa, & noviſſime in Græco-Anglicana. Nec dubium eſt, ſenſum id requirere, cum Paulus de initiis prædicati olim à ſe Evangelii apud Theſſalonicenſes loquatur. Sic cap. II. 1. de *εἰσόδῳ* illa dicitur, *ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν.* Itaque vel enallagen temporum hic ſtatui, vel alteram illam lectionem adoptari, neceſſe eſt. De voce *εἴσοδος* lege *Suicerum* Tom. I. pag. 1042.

*δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ*] *Ἀληθινὸν* dici ſolet id, quod *natura* & revera id eſt, quod eſſe dicitur, & opponitur fictitio, ſive ei, quod ſpeciem tantum rei habet. Conf. 1 Joh. V. 20. 21. & adde *Lambert. Bos* p. 211. Exercitatt. qui idoneo *Luciani* loco in *Aſino* p. 86. & 88. hunc vocis uſum firmat.

Verſ. 10. *ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς ἐρχομένης*] Eadem phraſi utuntur Judæorum Magiſtri. Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad *Matth.* III. 7.

# CAPUT II.

VErſ. 1. *Αὐτοὶ γὰρ οἴδατε, ἀδελφοὶ, τὴν εἴσοδον ἡμῶν τὴν πρὸς ὑμᾶς, ὅτι οὐ κενὴ γέγονεν.*] Structura hæc eſt: *οἴδατε, ὅτι ἡ εἴσοδος ἡμῶν, ἡ πρὸς ὑμᾶς, οὐ κενὴ γέγονεν.* Vide huc *Raphelium* in Annotationibus Polybianis pag. 577. & quæ ad *Coloſſ.* IV. 17. ſcripta ſunt.

Verſ. 2. *Ἀλλὰ καὶ προπαθόντες*] *Imo vero paulo ante gravia perpeſſi.* Reſpiciunt hæc dura illa, quibus obnoxii Paulus & collegæ ejus fuerunt Philippis ſecundum *Actor.* XVI. 22. inde ſtatim ad Theſſalonicenſes profecti. Id itaque ſignificatur, quod non habita ratione calamitatum, *paulo ante* toleratarum, non veriti ſint novis ſe periculis Theſſalonicæ ſubjicere, & eadem, qua antea, animi fiducia uti.

*ἐν πολλῷ ἀγῶνι*] i. e. *in multis periculis*, eeu *Chryſoſtomus* exponit. Ita Arrianus de expedit. Alexand. III. 15. 1. *ὅτι ἐν ἀγῶνι ξυνέχεται τὸ κατὰ σφᾶς, καὶ βοηθεῖν δεῖ.* *Quod agmen in diſcrimine verſetur, & auxilio opus ſit.* B. *Lutherus* vertit: mit groſſen Kämpfen, recte & efficaciter, pro quo lege *Raithii* Vindicias pag. 554.

Verſ. 3. *ὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας*] *ἀκαθαρσία* hic *τῇ πλάνῃ* proxime jungitur. *Raphelius* in Annotationibus Arrianis pag. 577. meminit hic Epicteti, qui lib. IV. cap. 11. pag. 507. *ψυχῆς ἀκαθαρσίαν δόγματα πονηρὰ*, hoc eſt *animæ impuritatem dogmata mala*, ſeu pravas opiniones de rebus bonis & malis appellet. Interim pravos animi affectus hic ſignificari non dubito, qui in *dolum* collineent. Tales vero ſunt *placendi hominibus* & plura *habendi*, ac denique *honoris* cupidines. Id patet ex verſ. 5. & 6. Hinc nolim cum *W. VVall* in Notis Criticis Anglicanis in N. Teſtam. pag. 149. de libidine & impuris voluptatibus, quæ per *ἀκαθαρσίαν* & *πλεονεξίαν* innuantur, cogitare, quales eo tempore nonnulli, v. c. *Nicolaitæ*, & alii *Gnoſticis* ſimiles, præconio Evangelii ſuo texerint. Hæc *Hammondi* alias eſt ſententia, quam nimis frequenter inculcat. Taceo *πλεονεξίαν* verſ. 5. *avaritiam* inferre.

Verſ. 4. *πιςευθῆναι τὸ ἐυαγγέλιον*] Vide ad *Roman.* III. v. 7. & *Galat.* II. verſ. 10.

Verſ. 5. *Ουτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν*] *Heinſius*, *Hammondus* & *Clericus* hoc ita accipiunt, ac ſi diceretur, nunquam ſe adulationis calumnia aut ſuſpicione aliorum ſermonibus oneratos fuiſſe. Vereor autem, ut Græci ita loquantur. Nec ſufficit, quod *λόγος rumorem* Græcis denotet, aut quod *Ariſtoteles* dixerit, *ἐν λόγοις ἐιναι*, *hominum ſermonibus celebrari*. Afferendus potius erat locus, ubi genitivus voci *λόγος* junctus, ſermonis materiam inferret. Simplicius & rectius *λόγος κολακείας* de *ſermone aſſentatorio* accipitur, ſicut eadem loquendi ratione Paulus 2 *Corinth.* VI. 7. *ἐν λόγῳ ἀληθείας* eſſet jubet.

*ὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας*] *nec avaritiæ cauſa quicquam prætexuimus.* Ita *Beza*. *Criminationem avaritiæ* ab aliis profectam indicari putat *Heinſius* & *Hammondus*, ad Phavorinum ſpeciatim provocans, quem tamen huc non pertinere oſtendit *Clericus* in animadverſionibus ad illum ſuis. Hic itaque *occaſionem avaritiæ* ſignificari vult, quam ita evitarit Apoſtolus, ut avaritiæ nunquam inſimulari potuerit. Interpretes Galli Novi Teſtamenti, *Beauſobrius* & *Infantius*, itidem *accuſationem ſpecioſam* hic inferri cenſent, quo ſenſu *Philo* de vita contemplativa pag. 616. Therapeutas dixerit precantes manus ſuas in cœlum ſuſtuliſſe, tanquam nulla turpis lucri ſpecie contaminatas. Locus Græce ita habet: *καὶ τάς τε ὄψεις καὶ τὰς χεῖρας εἰς ὐρανὸν ἀνατείναντες, τὰς μὲν, ἐπειδὴ τὰ θέας ἄξια καθορᾶν ἐπαιδεύθησαν, τὰς δὲ, ὅτι καθαραὶ λημμάτων εἰσὶν, ὑπ᾽ ὐδεμιᾶς προφάσεως τῶν εἰς πορισμὸν μιαινόμεναι.* Mihi quidem *πρόφασις* hic *ſpeciem* inferre videtur, à qua Apoſtolus alienum ſemper ſe fuiſſe profitetur. Non ad hominum judicia vel rumores, ſed Pauli mentem conſciam hic reſpici, apparet ex eo, quod Apoſtolus ad *Deum teſtem* provocat. Πλεονεξία non *libidinem* aut *impuritatem* ſignificat, quæ *Wallii* ſententia eſt cum *Hammondo*, ſed *avaritiam*. Vide ad *Epheſ.* IV. 19. & V. 3.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 6. *Δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι, ὡς Χριςῦ Απόςολοι*] Editiones plures hæc referunt ad verſ. 6. aliæ autem, v. c. *Eraſmi Schmidii* illa, comma ſeptimum ab his verbis inchoant, illisque proxime jungunt ſequentia: *ἀλλ ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν*. Atque his Paulus *τῷ βάρει* opponere videtur *τὴν ἠπιότητα*, hoc ſenſu: *Licet potuiſſemus vobis oneroſi eſſe, tanquam Apoſtoli Chriſti, fuimus tamen placidi inter vos.* Conf. *Schmidium* ad loc. & *Zeltnerum* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam. A diverſa hac interpunctione diverſa pendet phraſeos *ἐν βάρει εἶναι* interpretatio, quæ cauſa eſt, cur ejus meminerim. Qui ad verſ. 6. referunt, eam ita exponunt: *cum gloriam, exiſtimationem gravitatemque Apoſtolicam, quærere potuiſſemus*, non quæſivimus tamen ex hominibus gloriam. Hanc ſententiam præ aliis ornavit *Vitringa* lib. III. Obſervationum Sacrarum cap. 25. toto, pag. 354. ſqq. *Obſervandum eſt*, inquit, *ad capitis hujus univerſi intelligentiam, quod Apoſtolus hoc in commate* (nempe quinto: *Οὔτε γάρ ποτε ἐν λόγῳ κολακείας ἐγενήθημεν, καθὼς οἴδατε, οὔτε ἐν προφάσει πλεονεξίας*) duplicem *proponat* ſententiam, *quam in ſequentibus probandam illuſtrandamque ſibi ſumit* —— *Primo dicit Apoſtolus*, ſe nunquam uſum ſermone aſſentatorio, *ſecundo*, ſe nihil quicquam avaritiæ cauſa prætexuiſſe. *Prius probat in commate* 6. & 7. quia gloriam nullam ab hominibus quæſiverit *δυνάμενος ἐν βάρει εἶναι*, *ſed* placidus *fuerit*. *Poſterius probat verſibus* 8. & 9. quod nullum ipſe gravaverit, ſed noctes diesque fuerit operatus. *Ubi occurrit vocabulum ἐπιβαρῆσαι*, gravare, *quod ad τὴν πλεονεξίαν, ante memoratam, reſpicit, & omnino ἀπὸ τῦ ἐν βάρει εἶναι diſtinguendum eſt, ne Apoſtoli oratio enervetur, & unius rei eadem in voce in ſermone brevi repetitionem non neceſſariam fieri dicamus.* His ex orationis ſerie ita diſputatis, confutat eos, qui phraſin illam reddunt per *oneroſi* vel *oneri eſſe*, obſervans, id per eam ſignificari non poſſe, ſed potius in hac ſtructura idem eſſe, quod *oneratum* vel *gravatum eſſe*, ſicut *ἐν τιμῇ εἶναι honoratum eſſe*, ſignificat. Hoc vero nemo admiſerit. Si alterum illud indicare voluiſſet Paulus, ſcripturus erat: *εἰς* vel *πρὸς βάρος εἶναι*, quemadmodum v. c. *Rom.* XV. 2. dicitur: *ἕκαςος ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομήν*, Conf. 2 *Corinth.* I. 20. & *Philipp.* I. 11. 12. Imo & vox *ὑμῖν* addi debuiſſet, quæ tamen in Græco non exſtat. His poſitis tandem pag. 357. ſq. copioſe oſtendit *τὸ, ἐν βάρει εἶναι* commodiſſime verti: *in honore & exiſtimatione eſſe*. Scilicet vox Græca *βάρος* reſpondet Hebræo כבוד, quod ratione originis ex כבד *pondus* & gravitatem infert, quamvis uſu obtinuerit, ut Hebræi per eam omnem rei alicujus præſtantiam & eminentiam expreſſerint, atque adeo de *gloria* ſeu *δόξα* adhibuerint. Utramque vocem conjunxit Paulus 2 *Corinth.* IV. 17. *αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν*. Similiter à *Salmaſio* ad *Trebellii Pollionis* Triginta Tyrannos obſervatum eſt cap. IV. tam Latinum *Pondus*, quam Græcum *βάρος* pro *gravitate* ſive potius *honore* imo, &, quæ ex nimia de ſe ſuisque virtutibus opinione ſequitur, *arrogantia* ſumi. *Pollio* ait: *Lolliani privata virtute clari, non nobilitatis pondere vixerunt.* Ex his itaque pag. 359. conficit,



Digitized by Google

ſenſum phraſeos hunc eſſe: *Potuiſſemus nos graviter, ſevere, & quaſi arroganter geſſiſſe*, pro Apoſtolica ſcilicet auctoritate. Quemadmodum igitur vox βάρος ſibi relicta notionem hanc admittit, ita phraſis integra reſpondet modo loquendi Scriptorum Sacrorum. Sic 2 *Corinth.* III. 7. ἐγενήθη ἐν δόξῃ, *fuit in gloria*, id eſt, glorioſum, & *Coloſſ.* III. 4. ὑμεῖς σὺν αὐτῷ φανερωθήσεσθε ἐν δόξῃ.

Eximiam, fateor, expoſitio hæc ſpeciem habet, quam etiam ex noſtratibus amplexi ſunt *Amelius* Parte I. pag. 90. & *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 824. Malim tamen eos ſequi, qui, ſignificatum vocis βάρος ex Græco βαρὺς, non Hebræo כבוד repetentes, de *gravitate* ſeu *auctoritate* Apoſtolica accipiunt. Ita *Pagninus*, *Arias Montanus*, *Beza*, *Piſcator*, &c. quemadmodum ipſe *Vitringa* huc tandem rem revocat pag. 359. Hic ſignificatus reſpondet phraſi Paulinæ 2 Corinth. X. 10. ὅτι αἱ μὲν ἐπιστολαὶ, φησὶ, βαρεῖαι καὶ ἰσχυραὶ *graves & validæ*, quibus ſcilicet pro auctoritate hoc vel illud juſſum aut reprehenſum fuerat. Reſpondet etiam dignitati Apoſtolicæ, quæ hic inprimis urgetur. Reſpondet uſui Scriptorum, inter quos Phalaris epiſt. 148. βαρέα τινὶ εἶναι dixit. Reſpondet denique oppoſitæ ἠπιότητι, ſeu placido agendi modo, quo ſe uſum eſſe Apoſtolus profitetur. Germani dicerent: Wir hätten euch können hart oder ſchwer fallen. Concedit in hanc ſententiam *Wolffburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 33. Ceterum pro altera illa interpretatione, qua *moleſtia* & *onus* reſpectu alterius infertur, lege *Heinſium* ad h. l. & *le Cene* in conatu novæ verſionis pag. 628. Utramque interpretationem apud veteres obtinuiſſe, apparet ex *Oecumenio*, qui obſervat: τὸ ἐν βάρει εἶναι, eſſe, vel ἐν τιμῇ καὶ δόξῃ εἶναι, vel λαμβάνειν, καὶ τρέφεσθαι. At de poſteriori hoc loquitur Apoſtolus verſ. 9. per ἐπιβαρῆσαι. Atque id quidem contextui egregie reſpondet. Paulus enim ſe comparaverat cum nutrice liberos fovente, nec à liberis quicquam recipiente, ad cujus exemplum ipſe quoque doctrinam ſalutarem ipſis inſtillet, nullo commodo ab iiſdem viciſſim auctus. Quemadmodum igitur verſ. 6. ambitionis vitium, vel *adulatione*, vel pleno *auctoritatis* Apoſtolicæ uſu proditum, à ſe amolitur; ita verſ. 8. & 9. *avaritiæ* ſuſpicionem in ſe cadere non poſſe oſtendit.

Verſ. 7. Ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι] Νήπιοι *infantes* legunt aliquot Codices, quod & *Vulgatus*, tum vero *Coptus* & *Aethiops* expreſſerunt. Vide *David Wilkinſii* Prolegomena ad N. T. Copticum pag. 36. Lectio hæc procul dubio ex eo nata eſt, quod τὸ ν in voce antecedente proxime anteceſſit. Hoc enim in veteribus Codd. inprimis illis, qui uncialibus literis ſine interpunctionibus, aut vocum diſcrimine ſolicite obſervato, exarati ſunt, ſæpe effecit, ut vox prorſus aliena inveheretur. Νηπίους ſe & Collegas non poterat dicere Apoſtolus, qui ſe ſtatim cum nutrice ſeu τροφῷ τῶν τέκνων conferret. Confer *Ritterſhuſii* Lectiones Sacras pag. 239. & *Pfaffii* diſſertationem de Variantibus Lectionibus

onibus N. T. pag. 144. item *Whitbii* Examen pag. 71. Ἤπιον *mitem*, *lenem*, *placidum* inferre tralatitium eſt, & egregie τῷ βαρεῖ opponitur. Bene etiam convenit cum eo, quod ſequitur, ὡς ἂν τροφός. Parentibus enim hoc nomen tribuitur. Sic apud *Homerum*: πατὴρ ὡς ἤπιος ἦεν, *benignus pater*. Et apud *Herodotum* pag. 225. Λέγουσι Πέρσαι, ὡς Κῦρος ἦν πατὴρ ὅτι ἤπιος. Verba habes *Raphelii* in Annotatt. Herodoteis pag. 558. Verſio Gallica *Montenſis* recte expreſſit: *avec toute ſorte de douceur*, quæ à *Malleto* hoc nomine prave reprehenſa vindicatur ab *Arnaldo* in Defenſione ejus continuata pag. 490.

ὡς ἂν τροφὸς θάλπῃ τὰ ἑαυτῆς τέκνα.] Qui verba: δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι ad v. 7. referunt, iidem verſum 8. ab his verbis inchoant, ut ſic ſimilitudo ipſa cum applicatione arctius connectatur. De ſimili hoc lege *Andreæ Schotti* Adagialia Sacra pag. 132.

Verſ. 8. Οὕτως ἱμειρόμενοι ὑμῶν] ὁμειρόμενοι, legunt Codices aliquot, idque rectius putat *Millius* in Prolegom. §. 990. & tale, quod a librariis, ſuffecto altero illo uſitatiori, extruſum ſit. Propterea Editor Anglus nuperus, more ſuo, in contextum recepit. Fallitur vero *Millius*, quando τὸ ἱμειρόμενοι uſitatius cenſuit, quod *Grotio* poëticum viſum eſt. Sed & hic fallitur, quandoquidem apud unum *Herodotum* aliquoties legitur. v. c. lib. III. pag. 227. VI. pag. 426. & VII. pag. 456. quæ loca *Raphelius* attulit pag. 558. monens præterea: vel hinc patere, quod non adeo rarum ſit hoc verbum, quod *Nyſſenum* tradidiſſe *Beza* ad h. l. obſervet. Idem in Polybianis Annott. pag. 578. hunc *Polybii* locum ex pag. 469. affert: πᾶν ὑπομένομεν ἱμείροντες τῆς εἰρήνης μεταχεῖν. Adde *Jo. Alberti* p. 384.

εὐδοκοῦμεν μεταδοῦναι] Verbum εὐδοκεῖν apud LXX. tantum Interpretes infinitivo jungi *Grotius* præceps dixit. Nam & apud *Polybium* eadem ſtructura pag. 603. 109. & 1073. legi oſtendit *Raphelius* ad h. l. & ad *Matth.* III. 17. Primo enim loco habes: εὐδόκουν εἰσφέρειν.

ἀλλὰ καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς] Ita *Clemens Alexandr.* Protrept. pag. 75. καὶ λόγον χαρίζομαι ὑμῖν, τὴν γνῶσιν τοῦ Θεοῦ, τέλειον ἐμαυτὸν χαρίζομαι.

Verſ. 9. πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαί τινα ὑμῶν] Vide ad 2 *Cor.* XI. 9. & XII. 13.

Verſ. 10-12. efficaciſſimos eſſe & ſublimem ſenſum fundere, modo a ſe invicem per interpunctionem commatum non disjungantur, exiſtimat *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Tom. II. p. 137.

ὡς ὁσίως καὶ δικαίως] Ita *Polybius*, obſervante *Raphelio*, pag. 1185. παραβῆναι καὶ τὰ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους δίκαια καὶ τὰ πρὸς τοὺς Θεοὺς ὅσια. Alterum igitur eorum ad homines proprie, alterum ad Deum ſpectat. Sic etiam Apoſtolus hic ad *Coloſſenſes* ipſos, tanquam oculatos vitæ actæ teſtes, & ad



Digitized by Google

*Deum* provocat. Infelix & intempeſtive dicax Auctor libri חזוק אמונה Parte II. cap. 96. mordet Apoſtolum, qui Deum parum reverens, Theſſalonicenſes primum, deinde Deum in hoc commate teſtes appellet. Retudit hominis inſolentiam *Guſſetius* in Confutatione ejus pag. 444. recte obſervans, Apoſtolum hic primum provocaſſe ad Theſſalonicenſes, quos v. 9. jam appellaverat tanquam *μνημονεύοντας*; eandem quoque ordinis rationem occurrere *Eccleſiaſtæ* VIII. 2. imo ipſos Judæorum Magiſtros in *Sota* cap. I. §. 47. Gemaræ primum arcam Joſephi, hinc arcam *Schechinæ* ſeu præſentiæ Dei commemorare.

Verſ. 11. *Καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ, παρακαλοῦντες*] Pendet hic oratio, cui *Beza* putavit conſulendum, ſubintellecto verbo *ἦμεν*. Diſplicet hoc *Jo. Erico Oſtermanno* in Poſitionibus Philolog. Græcum N. T. contextum concernentibus Diſp. III. §. 8. Hic enim poſt vocem *ἑαυτοῦ*, ſubintelligi mavult *ἠγαπήσαμεν dileximus*, a quo deinceps participia ſequentia pendeant. Idem verbum *Eraſmus Schmidius* quoque in verſione ſua expreſſit. At neutro putem opus eſſe. Repetendum ex v. 10. eſt verbum *ἐγενήθημεν* hoc modo: *καθάπερ οἴδατε, ὡς ἕνα ἕκαστον ὑμῶν, ὡς πατὴρ τέκνα ἑαυτοῦ ἐγενήθημεν ὑμᾶς* &c. Non erat quoque, cur *Beza* vocem *ὑμᾶς* ex Hebræorum more hic redundare crederet poſt *ἕνα ἕκαστον*. Idem enim probatiſſimis Græciæ Scriptoribus eſt receptum. Exempla lege apud *Blackwallum* in Claſſicis Sacris Tom. I. pag. 66. & II. p. 138. ubi hic affertur *Euripidis* locus ex Phœniſſ. v. 510. & 511.

*Ἐμοὶ μὲν, εἰ καὶ μὴ καθ' Ἑλλήνων χθονὰ*
*Τεθράμμεθ', ἀλλ' οὖν ξυνετά μοι δοκεῖς λέγειν.*

*παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι*] *παρακαλεῖν* generatim ſignificat *verbis aliquem impellere*: in ſpecie vero tria notat *rogare*, *exhortari*, *conſolari*. Ex his medium h. l. inprimis obtinet, cum proxime ſequatur *παραμυθούμενοι ſolandi* ſenſu. Atque hæc duo frequenter ſolent conjungi, ſicut *παράκλησις* & *παραμυθία* 1 *Cor.* XIV. 3. ſicut & *Heſychius* alteram vocem per alteram explicat. Hæc ſumma eſt eorum, quæ Cl. *Alberti* affert p. 385. ſq.

Verſ. 12. *εἰς τὸ περιπατῆσαι ὑμᾶς ἀξίως τοῦ Θεοῦ*] Phraſis ſimilis illi M. *Antonini* XII. §. 1. *ἄξιος τοῦ γεννήσαντος κόσμου dignus mundo, qui te genuit.* Lege ibi Gatakerum pag. 418.

Verſ. 13. *ὅτι παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ Θεοῦ, ἐδέξασθε*) Inter *παραλαμβάνειν* & *δέχεσθαι* hoc intercedit diſcrimen, ut illud quidem *receptionem* inferat eorum, quæ audiuntur, hoc autem *approbationem* & *retentionem*. Sic ablatam pecuniam *accipimus*, acceptam autem *recondimus*. Obſervavit hoc *Beza*, firmat vero *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 559. Is enim lib. 2. pag. 167. ita: *ἀκοῇ παραλαβόντες λέγομεν, dicimus, quæ auri-*

*bus*

*bus*, vel fama, *accepimus*: quemadmodum lib. II. pag. 164. ait: ἐδέχοντο τὺς λόγυς, *admiſerunt orationem*, h. e. *aſſenſerunt petitioni*. De phraſi λόγος ἀκοῆς lege *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. pag. 52. & *Suicer*. Tom. I. pag. 158. Alludi hic ad *Jeſ*. LIII. 1. מי האמין לשמעתנו perſuaſum ſibi habet *Alexand. Morus* in commentatione ad illud Prophetæ caput, pag. 5.

λόγον Θεῦ, ὃς ϰ̀ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν] Τὸ ὃς referri poteſt, vel ad vocem λόγ☉, vel ad Θεός. Malim equidem prius, ut ſic indicetur, quam promtos Theſſalonicenſes ſe præſtiterint ad verbum Dei *audiendum*, quam diligentes in eo *ſervando*, tam efficax idem in eorum animis fuiſſe. Idem video placere *Zeltnero* ad h. l. Τὸ ἐνεργεῖται hic *activam* non paſſivam notionem obtinere oſtendi contra nonneminem ad Roman. VII. 5. Argumentum, de quo hic agitur, ſingulari diſſertat. de ſumma Scripturæ auctoritate excuſſit *Jo. Cothmannus* Roſtoch. 1648.

Verſ 14. ὅτι ταὐτὰ ἐπάθετε ϰ̀ ὑμεῖς ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν] Συμφυλέτης *tribulem* infert, & vox proba eſt, gratisque à *Joachimo Camerario* & *Heinſio* barbariſmi poſtulata, eo quod Attici πολίτης, δημότης, φυλέτης ſine σὺν dicere ſoleant. Ita ſcilicet præcepit *Thomas Magiſter* de Vocibus Atticis, ipſe rectiora docendus. *Iſocrates* enim in Panathenaic. ita: περὶ τὺς αὐτὺς χρόνυς καθίςησαν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, τὺς προκριθέντας ὑπὸ τῶν συμφυλετῶν ϰ̀ τῶν δημοτῶν. *Circa eadem tempora magiſtratus creabant eos, qui à tribulibus & popularibus delecti erant*. Confer *Balthaſaris Stolbergii* Exercitationes Græcas pag. 86. *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 189. & *Rechenbergii* Exercitatt. in N. T. pag. 8. Dubium hic eſt, utrum per συμφυλέτας Theſſalonicenſium intelligantur gentiles, an Judæi. Poſterius mavult *Braunius* in Selectis Sacris lib. I. cap. 9. pag. 135. ideo, quod iis proprie conveniat vox συμφυλέτης, cum fieri poſſit, ut Judæi unius tribus, v. c. *Judæ* aut *Benjaminis* ibi fuerint. Hæc vero ratio parum effecerit. Vocem enim illam etiam à Gentilibus, φυλέτης & συμφυλέτης i. e. ὁμοεθνὴς, ut *Heſychius* & *Suidas* exponunt, adhibitam eſſe ex dictis conſtat. Ita intelligi h. l. poſſunt Gentiles, in Theſſalonicenſes, ad Chriſtum converſos, injurii. Atque id ſibi voluiſſe Paulum vix dubito. Comparat enim Theſſalonicenſes cum Eccleſiis in Judæa, Chriſto collectis, & propterea adflictis. Hæ enim erant ex Judæis, cum Judæa Gentilibus non abundaret. Hæ vexabantur itaque à tribulibus ſuis, i. e. Judæis. Idem uſu veniebat Theſſalonicenſibus à civibus ſuis, h. e. gentilibus, cum Judæorum qui ibi erant, tanta non videatur fuiſſe poteſtas aut copia, ut ægre illis admodum facere potuerint. Hunc ſenſum firmat addita vox ἴδι☉, & ſequens phraſis: καθὼς ϰ̀ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ιυδαίων. Dum enim hic Judæos diſerte appellat, manifeſtum eſt, illos Theſſalonicenſium adverſarios gentiles fuiſſe.

καθὼς

Digitized by Google

*καθὼς καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων*] Τὸ αὐτοὶ plerique referunt ad *ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὰς οὔσας ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ*, pronomine non tam ad vocem quam ad perſonas ſignificatas relato. Alii vero malunt ad Paulum & collegas ejus referre, ut *Eraſmus Schmidius*. Sed præſtat prius.

Verſ. 15. *Τῶν καὶ τὸν Κύριον ἀποκτεινάντων Ἰησοῦν, καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας*] *Ἰδίους* omittunt pauci codices, & verſiones aliquot, cumque iis editio Græco Anglicana nupera, quam tamen vocem efficacia orationis Paulinæ requirit. Conf. *Whitbii* Examen pag. 71.

*καὶ Θεῷ μὴ ἀρεσκόντων, καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐναντίων*] Vide *Elſnerum* pag. 274. ſq. qui utrumque hoc momentum ex *Joſepho* & aliis ſcriptoribus probat. *Joſephus* enim lib. VI. de B. Jud. extremo Judæos nunquam moribus efferatiores fuiſſe teſtatur, quam illo tempore, & *Apollonium* lib. II. contra Appion. pag. 1069. introducit Judæos *ἀθέους καὶ μισανθρώπους καὶ ἀφυεστάτους τῶν βαρβάρων* appellantem. *Tacitus* vero lib. V. Hiſtor. init. iisdem *odium adverſus omnes alios hoſtile* tribuit. Confer Acta Erudit. Lipſienſ. Tom. IX. Supplementor. pag. 394. & *Schœtgenii* Horas Hebr. pag. 824.

Verſ. 16. *ἔφθασε δὲ*] Τὸ δὲ hic pro *γὰρ* poſitum videtur. Ita accepit B. *Lutherus* & *Beza*. Hunc autem ſignificatum alias obtinere *Xenophontis* locis aliquot oſtendit *Raphelius* pag. 273. Verſio Gall. *Montenſis* verbum *ἔφθασε* expreſſit per: *eſt tombeé ſur eux pour les accabler*, quæ vindicatur ab *Arnaldo* contra *Malletum* in Defenſione continuata pag. 87. ſq.

*εἰς τέλος*] *Schmidius* idem credit eſſe, quod *τελέως*, *penitus*. Et ſic *Hombergius* accipit pag. 320. quem & vide pag. 145. Videtur tamen reſpici ad ſubverſionem Reipublicæ ipſorum imminentem, quemadmodum *Dan.* IX. 26. dicitur deſolatio futura עד קץ. Vide *Vitringam* in Jeſaiam pag. 231. not. b. & *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 824.

Verſ. 17. *ἀπορφανισθέντες ἀφ' ὑμῶν*] *orbati vobis, tanquam Parentes liberis*. Phraſis eſt efficaciſſima, qua ſuum illorum deſiderium tale eſſe ſignificat, quale cadat in Parentes liberis orbatos, vel in liberos Parentibus deſtitutos. Poſterius hoc mavult *Theodoretus* & *Theophylactus* apud *Suicerum* I. pag. 471.

*πρὸς καιρὸν ὥρας*] id eſt, *πρὸς ὀλίγον*, ut *Theodoretus* recte exprimit.

Verſ. 18. *καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς.*] Illuſtrat locum *Vechnerus* in Tractatu de Palo Pauli, pag. 181.

Verſ. 19. *ἔμπροσθεν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*] Hæc parentheſi includi vult *Hombergius*, tanquam quæ ad priora, nempe *στέφανος καυχήσεως*, pertineant. Enimvero Paulus id potius ſignificat, gaudium ſuum & gloriationem de Theſſalonicenſibus, tanquam muneris ſui Apoſtolici ſigillis, ſub adventum Chriſti extremum inprimis apparituram, quando recepturus ſit illud præmium, quod *Daniel* doctoribus fidis pollicetur XII. 3. Conf. infra III. 13.

Vox

Vox Χριστοῦ a codicibus aliquot abeſt, ideoque ab editore N. T. Gr. Anglicani parentheſi includitur.

Verſ. 20. Ὑμεῖς γάρ ἐστε ἡ δόξα ἡμῶν] Vide hic iterum tenerrimum Pauli in Theſſalonicenſes affectum. Gloriam ſuam interpretatur, quod, ut decebat ipſos, ita & ſibi laudi ducere debebant, nempe dictis ejus eſſe audientes. Ita Judæi in *Siphra* fol. 153. a. *Gloria eſt diſcipulo, ſi præcepta Magiſtri ſui obſervat. Gloria eſt filiis Aaronis, quod præcepta Moſis obſervarunt*, &c. Lege *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 824.

# CAPUT III.

VErſ. 1. Διὸ μηκέτι στέγοντες] *Propterea non amplius ferentes*, vel, *occultantes*, ſcilicet deſiderium veſtri, quod ex ſermonis ſerie intelligitur. Verbum enim στέγειν utramque hanc notionem in Novo Fœdere & alias habet. Conf. v. 5.

Verſ. 2. καὶ συνεργὸν ἡμῶν] Deſunt in uno Cod. Alexandr. & verſionibus aliquot. Ideo ex Rom. XVI. 21. repetita videntur *Millio* ad h. l. & in Prolegom. §. 1207. *Whitbius* in Examine p. 72. monet, Millium hic ſibi non conſtare, qui ad locum ipſum *omnia recte habere, & nihil mutandum* dixerit, at in Prolegom. omnia alia docuerit. Ego vero in edit. Amſtelodamenſi Operis Milliani utroque loco idem lego. In editione Græco-Anglicana eædem voces parentheſi incluſæ, tanquam quarum fides dubia ſit & ſuſpecta, ſcilicet ex illa Cod. *Alex.* fide.

Verſ. 3. Τῷ μηδένα σαίνεσθαι] *Heſychius* ita: σαίνει, κολακεύει, προσηνεύεται, τινάσσει, ἀσπάζεται, θωπεύει (σαίνεται, id enim hic ponendum erat) κινεῖται, σαλεύεται, ταράττεται. Duplicem itaque notionem illi verbo tribuit, alteram *adulationis*, & *blanditionis*, alteram *turbationis* & *commotionis*. Poſteriorem hic plerique Interpretes Latini tuentur, & nonnulli veterum Græcorum, quos appellat *Suicerus*, ipſe illis ὁμόψηφος, Tom. II. pag. 923. Confer *Caſauboniana* mea pag. 79. De canibus, cauda blandientibus, proprie dici, oſtendit inter alios *Bochartus* Part. I. Hierozoici pag. 681. Hinc blandiendi ſeu pelliciendi ſignificatu ad alia transfertur. Ita *Oppianus* Halieutic. I. v. 36. ἐλπὶς σαίνει φρένα, *ſpes blanditur animo*, & alii ſimiliter, quorum loca affert *Elsnerus* p. 275. exiſtimans, Apoſtolum velle, *ne Theſſalonicenſes in ſuis ob religionem Chriſtianam calamitatibus pellicerentur jucundioris vitæ promiſſis ad amplectendam priſtinam Judaicam*, (vel Gentilem) *Chriſtiana abjecta*. Recte hæc dici mihi videntur. Idem etiam credo voluiſſe B. Lutherum, quando vertit: daß nicht jemand weich würde. Τὸ κινεῖσθαι, quod unus alterque Codex habet, procul dubio ex interpretamento natum eſt.

Verſ. 5. *μήπως*] *Henr. Stephanus* in diſſ. de Stilo N. T. p. 20. hic ſubintelligi vult *φοβῆμαι.*

*ἐπείρασεν ὑμᾶς ὁ Σατανᾶς*] Quomodo hoc cum *ἐκλογῇ*, de qua I. 4. conciliari poſſit, oſtendit *Zeltnerus* in notis ad *Ruari* epiſtolas, ab ipſo una cum Hiſtoria Crypto-Socinifmi Altorfini recuſas, pag. 417. Cur Interpretes Galli Berolinenſes impoſtores tanquam Satanæ miniſtros hic, ut & II. 18. intelligi velint, non admodum video. Poterat ſane Satanas iis uti, poterat vero etiam alio modo iis inſidari.

*καὶ εἰς κενὸν γένηται ὁ κόπος ἡμῶν*] *Εἰς κενὸν* Latini dicunt, *in caſſum.* Ito ſæpe *οἱ* LXX. Sic & Paulus *Phil* II. 16. &c. *Heliodorus ἀλλὰ μάτην ὑμῖν ἔφη, καὶ εἰς κενὸν ἡ σπουδὴ*, obſervante *Lamb. Bos* p. 312. Exercitatt.

Verſ. 6. *καθάπερ καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς*] ſcilicet *ἰδεῖν ἐπιποθῦμεν*, cujusmodi ellipſis etiam infra v. 12. & alias occurrit. Simile exemplum ex *Arriani* Expedit. Alex. VII. 1. 1. affert *Raphelius* p. 578.

Verſ. 7. *ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει καὶ ἀνάγκῃ ὑμῶν*] V. *Suicer.* Tom. I. p. 246.

Verſ. 10. *Νυκτὸς καὶ ἡμέρας ὑπερεκπερισσῦ δεόμενοι*] *Clericus τὸ ὑπὲρ ἐκ περισσῦ* referri voluit ad *τὸ ἰδεῖν*, ut viſio vultus inſtar cumuli lætitiæ Pauli accedere ſignificetur. At recte docuit *Lamb. Bos* pag. 213. pertinere ad verbum *δέομαι*, idemque eſſe, quod *περισσοτέρως*, *vehementius*, quod eſt apud *Marcum* XV. 14.

*καὶ καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα*] Inſpice *Suicerum* Tom. II. p. 59.

Verſ. 12. *Ὑμᾶς δὲ ὁ Κύριος πλεονάσαι*] Per *Κύριον* hic Spiritum S. intelligit *Baſilius*, ſicut & 2 *Theſſ.* 3. 5. adplaudente *Pearſono* ad Symbolum Apoſtol. p. 560. verſionis Latinæ.

*καὶ περισσεύσαι*] *& exuberare faciat*, ſenſu *μεταβατικῷ*, ut 2 *Cor.* IX. 8. Confer hic *Eraſmum Schmidium.*

*καθάπερ καὶ ἡμεῖς εἰς ὑμᾶς*] ſcilicet *περισσεύσαι*, *abundare nos in vos faciat.* Vide ad verſ. 6. Hoc malim, pro eo, quod *Schmidius* intelligi vult: *τῇ ἀγάπῃ περισσεύομεν.* Non minus enim Apoſtoli pro ſe ipſis, quam pro fidelibus, vota ad Deum facere debebant, quemadmodum id a fidelibus pro ſe fieri cupiebant.

Verſ. 13. *ἐν ἁγιωσύνῃ*] *in ſanctimonia*, ſeu ſtudio pietatis. Recte ad h. l. *Theodoretus*: *ἁγιωσύνη κυρίως λέγεται ἡ σωφροσύνη* —— *Καθολικῶς δὲ πᾶσα ἀρετὴ ἁγιωσύνη. Sanctitas proprie dicitur continentia, in univerſum autem omnis virtus eſt ſanctitas.* Atque hanc notionem generalem non dubito h. l. tenendam eſſe, ſicut 2 *Cor.* VII. 1. *καθαρίσωμεν ἑαυτὴς ἀπὸ παντὸς μολυσμῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος, ἐπιτελῦντες ἁγιωσύνην ἐν φόβῳ Θεῦ.* Nolim igitur cum Interpretibus Gallis Berolinenſibus ad *charitatem* mutuam ſigillatim referre. Hujus enim abundantiam a Divino Numine Paulus illis v. 12. precatus erat, tanquam cujus ratio & efficacia in virtutis ſtudio ſe inprimis exſerat; huic

Digitized by Google

huic vero deinde ſubjungit ἁγιωσύνην, quæ omne virtutum genus complectatur. Eadem ratione Paulus agit *Coloſſ.* III. Poſtquam enim v. 12. 13. varias virtutes, Chriſtiano homine dignas, inducere juſſiſſet, ſubjungit v. 14. Ἐπί πᾶσι δὲ τούτοις, τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶ σύνδεσμος τῆς τελειότητος. Hoc loco, inverſo ordine procedens, primum amorem mutuum, deinde certerarum virtutum genus omne i. e. ἁγιωσύνην urget.

μετὰ πάντων τῶν ἁγίων ἑαυτοῦ] i. e. *cum omnibus Angelis ſuis.* Vide 2 *Theſſ.* I. 7. & 1 *Theſſ.* IV. 16.

# CAPUT IV.

VErſ. 1. Τὸ λοιπὸν οὖν, ἀδελφοὶ, ἐρωτῶμεν ὑμᾶς κ. τ. λ.] In hoc commate illuſtrando occupatur *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 379-387. Cumque usque ad verſ. 7. legatur Sectio Epiſtolica, quæ pro concione explicari ſoleat, illam omnem perſequitur *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Part. I. pag. 122 ſqq. Pertinet quoque ad hæc commata *Iſaaci Fauſtii* diſſ. de Sanctificatione Argentor. 1685.

καθὼς παρελάβετε παρ' ἡμῶν] Vid. ad II. 13.

καὶ ἀρέσκειν τῷ Θεῷ] Poſt hæc pauci Codd. & verſiones nonnullæ addunt, καθὼς καὶ περιπατεῖτε. Videntur hæc petita ex c. V. 11. καὶ οἰκοδομεῖτε εἷς τὸν ἕνα, καθὼς καὶ ποιεῖτε. Conf. *Eſtium* & *Millium.*

ἵνα περισσεύητε μᾶλλον] Pendent hæc à verbis ἐρωτῶμεν καὶ παρακαλοῦμεν. Sic infra v. 10. παρακαλοῦμεν ὑμᾶς περισσεύειν μᾶλλον.

Verſ. 3. ὁ ἁγιασμὸς ὑμῶν] *ſanctificatio veſtri.* *Baſilius* Reg. brev. Interrogat. LIII. ἁγιασμός ἐστι, τὸ ἀνακεῖσθαι τῷ ἁγίῳ Θεῷ ἐξ ὁλοκλήρου καὶ ἀδιαστάτως ἐν παντὶ καιρῷ. *Sanctificatio eſt, Deo ex toto continenter dedicatum adhærere.* Et *Oecumenius* ad 1 Theſſ. III. 13. τοῦτο ἀληθῶς ἁγιασμὸς, τὸ παντὸς ῥύπου καθαρὸν εἶναι. Illi itaque univerſum ſanctitatis ſtudium indicari exiſtimant. Atque ſic, τὸ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας, quod ſtatim ſequitur, ſpeciale officium, quod ſanctitatem illam præter alia conſtituat, indicare crederetur. Atque hoc rectum puto, præcipue cum deinceps aliud officium, nempe μὴ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι, injungatur. Conſtat alioquin, Judæorum Magiſtros ſanctitatem de continentia & abſtinentia ab impura venere interpretari. Vide loca apud Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 885. ſpeciatim ex *Jalkut Rubeni* f. 125 2. *Quando Deus ſanctificat Iſraëlitas? Reſp. quando ſtatuta ejus obſervant. Et quanam ſunt ſtatuta ejus? Reſp. de fugienda impuritate: nam de hac ſtatim ſequitur v.* 20. (Levit. XX. 7.) Vir qui mœchatur &c. Conf. *Wagenſeilium* ad *Sota* pag. 386.

ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας] Hæc à Luthero in verſione ſua omiſſa eſſe malo animo tradunt, ſed non minus falſo, *Emſerus* & *Dietenbergerus.* Nullum enim exemplum, quod quidem viderim (in plura autem, & antiquiſſima quidem, inquiſivi) verbis eorum fidem facit. Conf. *Raithii* Vindicias pag. 555.

Verſ. 4. Εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι] Vocis σκεῦος tres diverſas ab Interpretibus ſignificationes video afferri. Alii enim de *uxore* cujusque accipiunt, alii de *corpore*, alii de ea corporis *parte*, quæ honeſte nominari nequit. Priores duas expoſitiones commemoravit *Theodoretus* ad h. l. Τινὲς τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος τὴν ὁμόζυγα ἡρμήνευσαν. Ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ ἑκάστου σῶμα —— οὕτως αὐτὸν κεκληκέναι. Οὐ γὰρ τοῖς γεγαμηκόσι μόνοις τὴν νομοθεσίαν προσφέρει. *Nonnulli interpretati ſunt* vas ſuum *de conjuge. Ego autem exiſtimo, eum ſic vocaſſe ſuum cujusque* corpus. *Non enim iis tantum fert legem, qui matrimonio juncti ſunt. Uxorem* ex veteribus intelligendam cenſuit *Auguſtinus* lib. I. de myſteriis cap. 8. & lib. IV. contra Julian. cap. X. item lib. III. contra duas epiſtol. Pelagii, & recentiores nonnulli, interque hos *Picinell.* in Luminibus Reflexis pag. 716. Illis adplauſit *Heinſius* ad h. l. recte confutatus à *Salmaſio* de Fœnore Trapezitico pag. 156. ſqq. *Stephano le Moyne* ad Varia Sacra pag. 628. *Jo. Vorſtio* Parte I. Philolog. Sac. pag. 25. & *Suicero* Tom. II. pag. 971. Audi *Salmaſium.* Heinſius dixerat: *Atqui σκεῦος ἴδιον eſt uxor, cum qua vivendum ſancte & continenter.* Regerit *Salmaſius*: *Non dixit Apoſtolus σκεῦος ἴδιον, ſed quod majorem habet emphaſin, de ſuo cujusque corpore ἑαυτοῦ σκεῦος. Sed cur σκεῦος hic uxor eſt? Quia Petrus σκεῦος ἀσθενέστερον uxorem dixit. Atqui, ſi uxor σκεῦος ἀσθενὲς appellatur Apoſtolo, non inde ſequitur, proprie σκεῦος de uxore dici. Sic enim vir dici poteſt σκεῦος, ſed ἰσχυρότερον, quia mulier σκεῦος eſt ἀσθενέστερον. Sed nec, quod è Magiſtris affert, quibus femina dicitur* vas non perfectum, *quidquam eum juverit. Illud nempe hoc ex illoram dicto colligitur, virum* vas *eſſe* perfectum. *Addit deinde*: Neque mirum, τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος ab Apoſtolo hic dici, cum certum ſit, ſuam cuique uxorem tanquam inſtrumentum quoddam proprium & ſuum à Deo aſſignatam? *Quis hoc dixit, uxorem unicuique viro tanquam inſtrumentum eſſe datam?* Omitto cetera copioſius in ipſum recte diſputata. Interim negari non poteſt, Judæos uxorem כלי i. e. vas appellare. Locos affert ex *Megilla* fol. 12. 2. & *Sohar* Levit. fol. 38. col. 152. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 827. qui & ipſe hanc interpretationem adoptat.

Rectius utique agere mihi videntur, qui de proprio cujusque *corpore* puro conſervando, interpretantur. Audi *Salmaſium* l. c. pag. 159. ita ſcribentem: *Σκεῦος hic proprie eſt cujusque* corpus. *Ita Græci Philoſophi σκῆνος uſurpant, quæ vox etiam σκεῦος ſignificat, Et ſi hunc Apoſtoli locum interpretati ſunt ex vetuſtioribus Patribus* Tertullianus & Theodoretus. *Ex recentiori-*

*tioribus* Oecumenius & Theophylactus. *Nec conjugatis hoc tantum Apoſtolus præcipit, ut vas ſuum in bonore & ſanctimonia tractent, ſed etiam innuptis.* Lege ibidem reliqua. Rationem quam *Salmaſius* ultimo loco affert, recte etiam *Theodoretus* urſit, & rem conficere videtur. Conſtat vero etiam, כלי σκεῦος de corpore adhiberi 1 *Sam.* XXI. 4. 5. quo loco utitur *le Moyne* loc. cit. Compara, quæ ſcripſi ad 2 *Cor.* IV. 7. quem nonnulli huc, quamvis non ſatis accomodate, advocant.

Tertium denique ſignificatum de verenda corporis parte adoptavit B. *Joannes Henricus Majus* lib. III. Obſervationum Sacrarum pag. 75. apud quem lege eos, qui illum ex Græciæ & Latii Scriptoribus probatum dederunt. Nec diſſentiunt *Schomerus* in Exegeſi hujus epiſtolæ, Anonymus in Obſervationibus Miſcellaneis Germanice editis Tom. II. p. 743. *Wokenius* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 123. & Cl. *Trillerus* in Notis MSS. *Eraſmus Schmidius* in Notis ad h. l. itidem *ſuum vas* exponit per ſuum corpus, in ſpecie ſua membra, quibus ad ἀκαθαρσίαν homo abuti poteſt, eadem opera monens, Germanicum Faß quo uſus eſt B. *Lutherus*, apud nonnullos extra Germaniam in obſcœnis haberi.

Ab omnibus his abit *Andreas Schottus* in Adagialibus Sacris pag. 133. qui phraſin plus venuſtatis habituram exiſtimat, ſi longiuſcule trahatur. *Vas*, inquit, *Apoſtolus vocat* corpus, *quo Spiritus continetur, ac per hoc non inſcite & corporis & animi vitia ſimul vetat, ut* Plato σῶμα, σῆμα *vocavit, & Paulus* vas electionis *dictus* Actor. IX. 15. *Sic* Geneſ. XLIX. 5. *Simeon & Levi dicuntur vaſa iniquitatis.*

ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ] Similes Magiſtrorum Judaicorum phraſes habes apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 828. R. *Menachem Recanatenſis* in Jalkut Rubeni ait: בטהורה ובקרושה ובצניעות.

Verſ. 5. Μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας] Vide *Martini Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 171.

Verſ. 6. Τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν] Nonnulli veterum Patrum utrumque verbum ad adulterium referunt, quos appellatos vide à *Suicero* Tom. I. p. 747. & 1376. & *Raphelio* in Annotationibus Polybianis p. 579. Eadem eſt *Heinſii* ſententia, *Caroli le Cene* in Conatu novæ verſionis p. 684. Interpretum Gallorum Berolinenſium & *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis in Nov. Teſtam. pag. 150. Ex noſtratibus vero *Schomeri* in Exegeſi ad h. l. *Sebaſtiani Schmidii*, *Amelii* Parte I. der Erörterung p. 5. *Henrici Benedicti Starkii* in Notis Selectis in loca dubia Novi Teſtamenti p. 151. & *G. G. Zeltneri* in Notis ad verſionem Lutheri Biblicam p. 207. Provocant illi in primis ad ſeriem ſermonis, quam inde à verſ. 4. ἀπέχεσθαι usque ad verſ. 7. de eodem impuritatis vetitæ negotio produci, & ἀκαθαρσίᾳ finiri exiſtimant. Ab altera vero parte alii v. 6. vitium à priore diverſum, quod fraude & quæſtu turpi in mercimoniis contineatur, caſtigari cenſent. Inter hos ſunt ex Latinis Patribus multi, ex recentioribus autem noſtratium plerique, ex quibus ap-

pellabo tantum *Wokenium* loc. cit. pag. 123. *Rittershuſium* in Lectionibus Sacris pag. 540. & *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 829. Prior illa expoſitio inſignem, fateor, ſpeciem habet. Nonnulla tamen obſtant, quo minus eam amplectar. Nondum video allatum ex veteribus locum, quo verbis *ὑπερβαίνειν* & *πλεονεκτεῖν* notio ejusmodi vindicetur. *Ὑπερβαίνειν* ſane *ὕβριν* ſive injuriam, *πλεονεκτεῖν* vero circumventionem ſeu dolum, vel plura habendi ſtudio vel alio conſilio exercitum, infert, atque hoc ſenſu aliquoties in epiſtolis Paulinis occurrit. Sed ex ſermonis nexu utriusque verbi ſignificationem finiendam ajunt viri docti. At nec hunc ſuppetias ferre exiſtimem. Probabilius enim videtur, Apoſtolum his commatibus diverſa ingerere præcepta ad *ἁγιασμὸν*, de quo verſ. 3. pertinentia. Eorum unum eſt *ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῆς πορνείας*, quod retulerim ad adulterium; alterum, *εἰδέναι ἕκαστον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι*, quod de venere vaga innupti interpreter; tertium denique, *τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν*, quod de fraude & dolo in negotiis aliis & inprimis mercimoniis accipiendum putem. Ad diverſa momenta hæc omnia ab Apoſtolo referri ex eo conficio, quod verſ. 6. ait: *διότι ἔκδικος ὁ Κύριος περὶ πάντων τούτων*, *nam ultor eſt dominus omnium iſtorum.* Neque vero inconveniens *defraudationis* juxta cum impuritate mentio videri debet. Sic enim *Epheſ.* IV. 19. *ἐργασία ἀκαθαρσίας πάσης*, cum *πλεονεξίᾳ avaritia*, conjungitur. Vide, quæ ibi ſcripſi.

*Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 148. de adulterio hic agi inficiatus, aliam non magis veriſimilem promit pag. 150. *De cinædis & impudicis, legisque naturæ violatoribus ac transgreſſoribus, tam his qui patiuntur, quam qui committunt, ſeu mulieres, ſeu viri ſint*, Apoſtolum loqui exiſtimans. Et pag. 126. *De maſculorum*, inquit, *concubitoribus potius eum intelligerem, quatenus & ὑπερβαίνουσι leges naturæ, & πλεονεκτοῦσι τὸν ἀδελφὸν, dum ὑβρίζουσι. Nam omnis cum maſculo coitus ὕβρις etiam Græcis dicitur.*

Ab omnibus his abiit Cl. *Jo. Alberti* in Obſervationibus Sacris pag. 386. ſeq. Comma enim hoc ſextum *παρενθετικῶς* à reliquis ſeparatum putat hoc ſenſu: *Ne quis fratrem ſuum imperioſius opprimat, & in aliqua actione vel negotio immoderatius tractet, tanquam avarus exactor.* Hóc eſt, (ut ſententiam ſuam in præfat. ad Periculum Criticum occaſione eorum, quæ in Actis Eruditorum Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum p. 15. contra hæc erant admonita, clarius explicat) *ne quis alterum pro imperio damnet, tanquam hominem impurum. Ἐν τῷ πράγματι tum*, ita pergit, *intelligi deberet de quavis actione vel caſu unde ſuſpicio τῆς πορνείας moveri poſſet, ut ſunt familiares adſpectus, blandi ſermones &c. quæ honeſta poſſunt eſſe, neque ſtatim in deteriorem partem amplectenda.* Equidem non crediderim, hanc Pauli mentem fuiſſe, quemadmodum & ipſe vir doctus cuique hic liberum eſſe judicium cupit. Nec magis mihi perſuadeo, id innui, quod Cl. *Oederus* vult in Syntagmate Obſervatt. I. pag. 757. *Nefas autem eſt, longius progredi, majusque opus*

*fra-*

*fratri, ad cœlibatum, cui non eſt aptus, perducendo imponere, quod ſi fiat, impune eſſe non poterit.*

ἐν τῷ πράγματι ] *Rittershuſius* in Lectionibus Sacris pag. 540. mavult legere ἔν τῳ ſine accentu, quod idem ſit atque ἔν τινι, quemadmodum *Chryſoſtomus* 1 *Corinth.* XV. 8. pro ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι legerit ὡσπερεί τῳ. Idem viſum eſt B. *Polyc. Leyſero* in diſſertatione de noviter adornanda Novi Teſtamenti Græci editione pag. 12. At vide, quæ ad h. l ipſe ſcripſi. Hæc vero eo ſcopo ab iis dicuntur, ut phraſis ἔν τῳ πράγματι ex Atticorum more idem inferat, quod *in ulla*, vel, *aliqua re*, cum alioquin, prout cummuniter ſcribitur, articulus τῷ pro emphatico haberi & ad illud, de quo ante ſermo fuerat, negotium, venereæ ſcilicet impuritatis, referri debeat, quod fiat 2 *Corinth.* VII. v. 11. Enimvero nec ibi ad rem veneream ſimpliciter referri, quamvis articulus ſit emphaticus, ad locum illum oſtendi. Præterea vero articulum ὁ, ἡ, τὸ, non ſemper eſſe emphaticum conſtat. Denique non erraverit, qui numerum ſingularem pro plurali poſitum eſſe ſtatuat, ut idem ſit, quod ἐν τοῖς πράγμασι. Itaque nec audio illos, qui τὸ πρᾶγμα ſpeciatim de re venerea interpretantur, quamvis hoc ſenſu alias apud externos venire non negem, ceu ad 2 *Corinth.* VII. 11. ex aliis oſtenſum eſt. Ceterum τὸ πρᾶγμα de *uxore* etiam hic accipi poſſe *Xenophonteo* quodam & aliquot *Arriani* locis oſtendit Rev. *Raphelius* pag. 274. ſq. & p. 579. ſq. nihil tamen ipſe quod ad locum noſtrum definiens. Clariſſ. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 829. recte ita: *Quamvis τὸ πρᾶγμα de negotio* (Venereo) *à Scriptoribus Græcis uſurpetur, h. l. tamen denotat* פרקמטיא, *πραγματείαν, negotium mercatorium, de qua notione vide quæ dicentur ad* 2 Timoth. *II.* 4. *Theſſalonicenſibus autem hoc præcipue commendat Apoſtolus, quia urbs ipſorum erat maritima & mercimoniis aptiſſima, quibus etiam floruiſſe non ſine cauſa credimus.*

καθὼς καὶ προείπαμεν ὑμῖν, καὶ διεμαρτυράμεθα ] Ita *Polybius* p. 1238. eodem obſervante dixit: ἐντειλάμενος λέγειν τῇ συγκλήτῳ καὶ διαμαρτύρασθαι.

Verſ. 7. Οὐ γὰρ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ ] i. e. *Eraſmo* interprete, non vocavit nos hac lege, hac conditione, ut eſſemus immundi, ſed ut eſſemus ſancti. Hanc obſervationem uſu veterum Scriptorum munivit *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 560 qui tamen τὸ ἐπὶ cauſam finalem potius h. l. inferre recte ſtatuit, ſicut *Epheſ.* II. 10. Ita *Herodotus* lib. II. p. II. p. 172. *Quidam, ei à tergo ſtans, galeam circumdat,* καὶ περιθεὶς ἔφη ἐπὶ βασιληΐῃ περιτιθέναι, *eaque circumdata inquit, ſe illam ob regnum impoſuiſſe*, i. e. propterea, ut ipſe poſthac regnaret. Confer *Arrianum* de Expedit. Alexandri I. 24. 3. & I. 3. 8. &c. Itaque nolim cum *Wokenio* Parte I. Stromatum Apoſtol. pag. 124. vertere per *propter*. Ἀκαθαρσία non ſimpliciter impuritatem veneream reſpicit, quod multis perſuaſum eſt, ſed omne immunditiei genus, cujus aliquot capita à Paulo ante erant commemorata. Ita ſupra II. 3. Paulus de ſe: ἡ γὰρ παράκλησις ἡμῶν οὐκ ἐκ πλάνης; οὐδὲ ἐξ ἀκαθαρσίας, οὔτε ἐν δόλῳ, ubi

ubi vocem *ἀκαθαρσία*, *impuram mentem* inferre adjecta *πλάνη* & *δόλος* evincunt.

*ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ*] Paulus commutat hic præpoſitionem *ἐπὶ* antecedentem cum *ἐν*, quamvis idem utrinque ſignificetur. Ita vero etiam *Arrianus* de Fxpedit. Alexandri II. 18. 9. *ἅτε καὶ ἐπ' ἐργασίᾳ μᾶλλόν τι ἢ ὡς ἐς μάχην ἀκριβῶς ἐςαλμένοι*, *quia instructi non tam ad pugnam, quam ad opus erant.* Vide *Raphelium* loc. cit. ſimul oſtendentem, *τὸ, ἐν ἁγιασμῷ* idem eſſe quod *εἰς ἁγιασμόν.* Ita *Zoſimus* lib. I. p. 640. *ἔςειλαν ἐν Ῥώμῃ πρέσβεις*, *miſerunt Romam legatos*, & alibi.

Verſ. 8. *Τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ κ. τ. λ.*] Vide *Jo. Vorſtii* Diſſertationes Sacras lib. I. 1. p. 291. & *Jo. Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 562. ed. Lat.

*τὸν καὶ δόντα τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον εἰς ἡμᾶς*] Plerique Codices habent *εἰς ἡμᾶς*, & paucos una cum verſionibus aliquot afferre potuit, *Millius*, qui legant *εἰς ὑμᾶς*, *in vos*, ut ſermo ad Theſſalonicenſes referatur. Et præſtat ſane lectio receptior, quam B. *Lutherus* quoque in prima ſua verſione Germanica, & Latina Anni 1529. expreſſit, non minus in Bibliis *Wormatienſibus* & *Tigurinis* legendam. Vide Rev. *Jo. Melch. Kraftii* Emendanda & corrigenda in Hiſtor. verſ. German. Lutheri pag. 52. Hodie vero in omnibus, quas inſpexi, editionibus, legitur in euch (*εἰς ὑμᾶς*) ſenſu quidem non prorſus inconveniente, ſed alteri tamen illi merito poſtponendo. Paulus ſe repræſentaverat verſ. 6. ut doctorem, qui præceperit vitare crimina ante commemorata. Hoc vero fecerat, non ut homo ſibi relictus, ſed ut homo Spiritu Dei actus. Ex eo conſequitur, quod qui hæc monentem & præcipientem rejiciat & adſpernetur, non hominem rejiciat, ſed Deum, quippe qui Spiritum Sanctum & ſibi & collegis ſuis dederit, cujus impetu & ductu iſta omnia præceperit. Conf. *Actor.* V. 4. Lege in hanc ſententiam *Eraſmum Schmidium* in h. l. *Henricum Benedictum Starckium* in Notis Selectis ad dubia loca Novi Teſtamenti p. 151. & *Zeltnerum* in gloſſa ad verſionem Biblicam Lutheri German. Video nunc D. *Joachimum Langium* lectionem in uns recepiſſe & vindicaſſe in opere, quod vocat: Apoſtoliſches Licht und Recht. Ceterum *τὸ εἰς ἡμᾶς* idem eſt, quod *ἡμῖν* Hebr. לנו.

Verſ. 9. *Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν*] Nonnulli Codices hic habent *ἔχομεν* pro *ἔχετε*, atque hoc alteri illi poſtliminio ſubſtitutum ſuſpicatur *Millius* in Prolegomenis §. 885 ex eo, quod ſequitur *ἐςε* & *ποιεῖτε* in perſona ſecunda. Recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Quod ad rem nihil differt: itaque nec in receptiore lectione quicquam mutandum. Video Apoſtolum utraque loquendi ratione in hac ipſa epiſtola uti Ita cap I. 8. ait: *ὥςε μὴ χρείαν ἡμᾶς ἔχειν λαλεῖν τι.* & cap. V. 1 *οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι.* B. *Lutherus* egregie: iſt nicht noth, euch zu ſchreiben. Utramque enim lectionem comprehendit.

αὐτοὶ

αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε ] Vide *Vorſtii* Philologiam Sacram Part. I. cap. 18. *Svicerum* Tom. I. pag. 900. & *Gatakerum* ad M. Antonin. pag. 321. Ad *Jeſaiæ* II. 4. hic reſpexiſſe Apoſtolum *Vitringa* in Commentario exiſtimat pag. 74. a. ubi & de Φιλαδελφίᾳ ipſa, tanquam officio, Chriſtianis digno, commentatur. Judæorum loca, quibus in ſæculo futuro, i. e. temporibus Novi Teſtamenti homines à Deo ipſo docendos tradunt, lege in *Schœtgenii* Horis Hebraicis pag. 829. Provocant illi ad *Jeſ.* XI. 9. & *Jerem.* XXXI. 33. Sic in *Bereſchith Rabba* Sect. XCV. fol. 93. 1. Dixit DEUS S. B. ad Abrahamum: *Tu docuiſti filios tuos legem ſæculo hoc; ſed ſæculo futuro* (i. e. tempore Novi Teſtamenti) *ego in gloria mea docebo ipſos legem*, *q. d. Jeſ.* LIV. 13. Et omnes filii tui à DEO docti erunt.

Verſ. 11. Καὶ φιλοτιμεῖσθαι ἡσυχάζειν ] Verbum φιλοτιμεῖσθαι de omni ſtudio intenſo, quod ambitio alias excitare ſolet, adhibetur. Ita *Ælian.* Var. Hiſtor. IX. 29. Ἐφιλοτιμήσατο Ἀλκιβιάδης δῶρα πολλὰ πέμψαι Σωκράτει. *Studioſe affectabat, ut multa dona mitteret Cæſari.* Vide ibi *Perizonium* & Cl. *Jo. Alberti* ad h. l. pag. 388. Obſervationum Sacrarum.

καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν ] Vocem ἰδίαις Codices quidam omittunt, nec *Vulgatus* expreſſit. Hinc *Emſerus* & *Dietenbergerus* à Luthero quoque omiſſam volebant, contra quos lege *Raithii* Vindicias p. 555. *Millius* ex 1 *Corinth.* IV. 12. ἐργαζόμενοι ταῖς ἰδίαις χερσὶ huc relatum putat. Cave, credas. Apoſtolus amat hac voce uti. Sic in hoc commate πράσσειν τὰ ἴδια. Supra II. 14. ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν, & verſ. 15. καὶ τοὺς ἰδίους προφήτας. Mihi quidem vox ἰδίαις à nonnullis, intempeſtive ſedulis, omiſſa h. l. videtur, quod per vocem ὑμῶν ſuperflua haberetur. Ita vero Paulus *Tit.* I. 12. ἴδιον αὐτῶν προφήτην appellat. Verbum ἐργάζεσθαι alias de quovis opere dicitur, itaque ad opera manuaria accommodandum erat, addito, ταῖς ἰδίαις χερσίν. Sic *Herodotus* in Vita Homeri pag. 638. ἐργασίαν χειρῶν appellat, obſervante *Raphelio* p. 564.

Verſ. 11. καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχετε ] Τὸ μηδενὸς referri poteſt vel ad *rem*, vel ad *perſonam*. Præſtat poſterius, quod & B. *Lutherus* expreſſit. Μηδεὶς pertinet ad τοὺς ἔξω proxime ante commemoratos: itaque vult Paulus, ita rerum ſuarum ſatagant, rebusque ſuis proſpiciant, ut ipſorum ope & liberalitate, ſtipem v. c. petentes, non indigeant, alioquin ſcilicet vel contumeliæ vel ſeductionis periculo futuri obnoxii. Confer *Wilh. Wall* Notas Criticas in Novum Teſtamentum Anglice editas p. 151. & ex noſtratibus *Eraſmum Schmidium.*

Verſ. 13-18. Pericopen epiſtolicam, pro concione exponi ſolitam, complectuntur & illuſtrantur à *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte II. pag. 184. ſqq.



Digitized by Google

Verſ. 13. Οὐ θέλω ] Multi Codices & Verſiones quoque, inter quas eſt *Vulg.* exhibent οὐ θέλομεν, quod & B. *Lutherus* habet: Wir wollen euch aber nicht verhalten. Non dubito ita eſſe legendum. In tota hac epiſtola Paulus ſemper plurium nomine, nempe ſuo, Timothei & Sylvani, etiam in limine appellatorum, Theſſalonicenſes alloquitur, nihilque adeo eſt, cur h. l. aliter egiſſe credi poſſit. Probo igitur *Millium* in Prolegomenis §. 683. ſuſpicantem, τὸ θέλω ex eo natum eſſe, quod Paulus alibi paſſim dicat: οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν. Editor Græco-Anglicanus conſulto in contextum recepit. Verbum ἀγνοεῖν *Hombergius* pag. 321. non vult ἀμέσως ſpectare ad, περὶ τῶν κεκοιμημένων, ſed connecti cum verſ. 15. τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν, ut ſic reliqua per parentheſin ſejungantur, hoc ſenſu: *Nolo vos ignorare* (*ne vos doleatis vicem eorum, qui obdormierunt &c.*) *dicimus*, inquam, *vobis, quod nos qui vivimus* &c. Hæc phraſeos ſeparatio à verbis proximis mori ſcribendi Apoſtolico prorſus repugnat. Sic 1 *Corinth.* XII. 1. Περὶ δὲ τῶν πνευματικῶν, ἀδελφοὶ, οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, & 2 *Corinth.* I. 8. Οὐ γὰρ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, ὑπὲρ τῆς θλίψεως ἡμῶν. Vides omnino, utroque loco argumentum ſeu rem proxime jungi verbo ἀγνοεῖν, & quidem in priori per eandem præpoſitionem περὶ. In ceteris locis, v. c. *Rom.* I. 13. & 1 *Corinth.* X. 1. proxime ſequitur τὸ, ὅτι, index rei, quæ ignorari non debebat. Præterea parentheſis, cujus nimis ſe ſtudioſum præſtat vir doctus, præter rem invehitur; porro vero τὸ οὐ θέλω vel potius οὐ θέλομεν, idem eſſe ſtatuitur, quod verſ. 15. τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν. His enim verbis ſuperius illud οὐ θέλομεν exprimi & quaſi repeti putat. Si hoc voluiſſet Paulus, repetiturus ſane erat eandem phraſin: οὐ θέλομεν ὑμᾶς ἀγνοεῖν. Ita 1 *Corinth.* VIII. agit. Dixerat verſ. 1. Περὶ δὲ τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν. Deinde, nonnullis interjectis, ad ſuperiora rediturus verſ. 4. ait: Περὶ τῆς βρώσεως οὖν τῶν εἰδωλοθύτων οἴδαμεν, ὅτι &c. Obſtat denique particula γὰρ, τοῦτο γὰρ ὑμῖν λέγομεν. Hoc enim argumento eſt, non nunc rem dici, quam ab illis ignorari nolebat, ſed eam, quam dixerat, adſtrui. Neque video, cur in recepta expoſitione *vel difficilis, vel nullus ineſſe ſenſus* dicatur. De mortuis conſolari ſuperſtites vult Apoſtolus. Id vero verſ. 14. ita agit, ut eos certos eſſe jubeat de glorioſa mortuorum excitatione; quemadmodum v. 15. exponit ordinem, in illa aliquando obſervandum, in quo mortuorum præ ſuperſtitibus habenda ſit ratio. Eadem ratione Apoſtolus verſatur in adſerenda mortuorum reſurrectione 1 *Corinth.* XV. Commate enim 13. eam generatim probat; ſic ut comm. 23. ordinem ediſſerit.

περὶ τῶν κεκοιμημένων ] Vide Vol. I. pag. 412. & 916.

ἵνα μὴ λυπῆσθε ] De luctu ex mortuis, quousque ille Chriſtianos deceat, exponit *Quenſtedius* de Sepultura veterum cap. 13.

καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ ] Notantur Gentiles, qui amentes dolorem ſuum de mortuis etiam conviciis, in Deos conjectis, teſtari ſolebant. Vide huc ſpeciatim *Petrum Moreſtellum* in Pompa ferali ſeu Juſtis Funebribus lib. II. cap. 36.

&

Digitized by Google

& *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 1136. edit. Tubingenſ. Non obſtat nonnullorum inter Gentiles conſuetudo, ab *Herodoto* inprimis teſtata, qua ſuos etiam læti amittere & ſepeliendos cremare vel ſepelire ſolebant. Sicut enim illa apud paucos obtinuit, reliquis in omnia alia abeuntibus; ita lætitiæ hujus fundamentum ut plurimum non in ſpe melioris conditionis poſitum erat, ſed exantlatis præſentis vitæ moleſtiis nitebatur. Itaque nolim cum *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. pag. 185. verba hæc ita accipere: *Abſit à vobis triſtitia, quemadmodum etiam abeſt à reliquis illis, qui nempe non triſtantur ob mortuos, & tamen ſpem nullam certam habent de felicitate.* Phraſis, καθὼς καὶ οἱ λοιποὶ repetere ἀπὸ τοῦ κοινοῦ jubet verbum proxime antecedens λυπῆσθαι. In horum vero ſocietatem venturi dicuntur Theſſalonicenſes: ſi eadem ratione agerent, hoc minus excuſandi, quod habeant, quæ exſpectare ſe poſt fata profiteantur, & profiteri poſſint. Sic infra V.6. Ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ, ubi itidem repetendum eſt καθεύδουσι, ſine particula μή.

οἱ μὴ ἔχοντες ἐλπίδα] *ſpe* ſcilicet certa *deſtituti.* Erant ſane inter Gentiles aliqui, qui meliorem vitæ conditionem ſperabant. Spes vero illa certo fundamento ita erat deſtituta, ut ipſi inter ſpem metumque hærerent. Clariſſ. *Heumannus* in Actis Philoſophicis Parte XVIII. p. 916. ſuſpicatur, hinc natos eſſe ἐλπιστικοὺς, quo nomine Chriſtiani à Plutarcho ipſi appellati videntur.

Verſ. 14. Εἰ γὰρ πιστεύομεν, ὅτι Ἰησοῦς ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, οὕτω καὶ ὁ Θεὸς] Τὸ οὕτω hic nonnullis videtur ſuperfluum. Rectius alii ex membro præcedente πιστεύομεν ὅτι, repetendum putant, καὶ πιστεύομεν, ὅτι οὕτω &c. hoc ſenſu: *Si credimus, quod JESUS mortuus eſt & reſurrexit, credamus etiam, quod DEUS eodem modo mortuos per JESUM adducturus ſit.* Vide huc *Eraſmum Schmidium.*

τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ] *qui obdormierint in Jeſu.* Ita 1 *Corinth.* XV. 18. οἱ κοιμηθέντες ἐν Χριστῷ, & hic verſ. 16. οἱ νεκροὶ ἐν Χριστῷ. Lege *Bezam* & *Suicerum* Tom. I. pag. 446. *Martyres* cum *Tertulliano* intelligit *Joſ. Mede* pag. 519. Operum, tanquam qui Chriſti cauſa diem obierint. Conferenda hic fuerit *Balthaſaris Bebelii* diſputat. de reſurrectione Chriſti, Argentorati 1664.

Verſ. 15. Ὅτι ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου] Hæc de ſe quoque Apoſtolum accipi velle *Grotius* ad loc. exiſtimat, atque hinc colligit, Paulum incertum fuiſſe, an extremus ille Chriſti adventus in ſuam ætatem incidere debeat. Sententiam hanc ſuam vindicare idem conatur contra Rivetum Tom. III. Operum pag. 719. a. Conſentit cum eo *Wilh. Wall* in Notis Criticis in Nov. Teſtam. Anglice editis p. 151. Lege tu contra hæc *Calovium* noſtrum in Bibliis Illuſtratis.



Digitized by Google

περιλειπόμενοι ] Vide *Svicerum* Tom. II. pag. 163.
ȣ μὴ φθάσωμεν ] De *Syri* & *Arabis* interpretatione inſpice hic *Ludov. de Dieu.*

Verſ. 16. Ὅτι αὐτὸς ὁ Κύριος ἐν κελεύσματι κ. τ. λ. ] Lege huc ex noſtratibus *Sam. Schelgvigii* diſſertationem de adventu Chriſti ad judicium, Gryphisvvald. 1679. *Joannem Henricum Urſinum* Analect. I. pag. 68. ſqq. *Joannem Franciſcum Buddeum* in Theologia Dogmatica pag. 521. & 664. & *Theophilum Amelium* Tom. I. der Erörterung. Ex Anglis *Thomam Gatakerum* in Adverſariis pag. 167. Ex Reformatis *Svicerum* Tom. I. pag. 317. & 446. ſqq. & Tom. II. p. 163. 329. & 1553. *Witſium* in Miſcellaneis Tom. II. Exerc. IV. §. 13. ſqq. & *Elſnerum* pag. 276. ſq.

ἐν κελεύσματι ] *Lutherus* mit einem Feld-Geſchrey, quod inepte caſtigant *Emſerus* & *Dietenbergerus*, ipſi per Befehl vertentes. Lege tu *Raithium* pag. 555. qui ipſos ad tribules ſuos, non aliter hic cogitantes, remittit. Vocem militarem eſſe & nauticam quoque oſtenderunt *Lydius* de re militari pag. 201. & *Elsnerus* l. c.

Commemoratur hic *Dominus*, *Archangelus* & *Deus* cum ſuis quisque prædicatis, & diſputatur ab Interpretibus, *an*, & *quomodo* hæc à ſe invicem rite diſtingui debeant. Mihi quidem res ipſa vix confici ſatis poſſe, ſed eventui rectius relinqui videtur, quæ & ſententia eſt B. *Sandhagenii* noſtratis. Ex Reformatis *Alphenius* & *Honertius*, Belgæ, per Κύριον *Dominum* noſtrum, per Archangelum *Spiritum Sanctum*, per Θεὸν *Deum* Patrem volunt indicari, qui vereor, ut ſententiam ſuam probent, quamvis Spiritus Sanctus dicatur ἀναγγελεῖν πάντα *Joh.* XVI. 14. 15. Non quidem dubium eſt Κύριον denotare Chriſtum, cujus παρουσία, tanquam *Domini* & Judicis, ante commemoratur. Nec dubito *Archangelum* à Domino illo eſſe diſtinguendum, tanquam angelum conditum, cujus miniſterio Dominus in hoc negotio ſit uſurus, cum Matth. XIII. 41. & XXV. 31. Angelorum, tanquam judicio extremo præſentium, mentio fiat. Confer *Joannis Buxtorfii* Catalecta p. 69. Cumque angelis illis tuba tribuatur *Matth.* XXV. 31. ideo, quod judicium illud quaſi apparaturi ſint, κέλευσμα illud, tanquam, Chriſto apparituro, edendum & φωνὴ & σάλπιγξ idem mihi inferre videntur, ut ſcilicet efficacia apparatus illius & convocationis indicetur. Σάλπιγξ ergo θεȣ̃ erit σάλπιγξ μεγάλης φωνῆς, *tuba vocis magnæ*, cum qua Dominus judex Angelos ſuos ad colligendam hominum & inprimis *electorum* turbam dicitur collecturus *Matth.* XXV. 31. Confer huc ex parte *Polemannum* in Exercitat. VI. de Pleonaſmis Scripturæ Sacræ p. 23. nihil hactenus definientem. Cetera non improbo eos, qui hic ad promulgationem legis, quæ *Exodi* XIX. 16. ſqq. inter tubæ magnæ voces facta dicitur, reſpici exiſtimant. Vide *Witſium* l. c.

Verſ. 17. Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι κ. τ. λ. ] Per ἔπειτα illud intervallum mille annorum ſignificari exiſtimat *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis p. 775. ſq. quo ſcilicet à martyribus in hac terra exacto futurum putat,

tat, ut & ipſi in cœlum transferantur. Longius hoc omne eſſe petitum, & precariæ hypotheſi magis, quam rerum argumentis inniti non dubito.

Verſ. 18. Ὥστε παρακαλεῖτε ἀλλήλους ἐν τοῖς λόγοις τούτοις] Τὸ ἐν Hebræorum more additum hic eſſe exiſtimavit *Grotius*. Sed eadem loquendi ratione uſus eſt *Herodotus* in Vita Homeri p. 641. καὶ ἐν τοῖς λόγοις ἔτερπε τοὺς ἀκούοντας, *& ſermonibus delectabat audientes*, & lib. V. pag. 377. τὸν Σόλων ἐν ἔπεσιν ἄνεσε τυράννων μάλιστα, *quem Solon inter tyrannos maxime verſibus celebravit.* Hæc & alia externorum loca affert Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 564.

# CAPUT V.

Verſ. 1. περὶ δὲ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν] *De temporibus autem & articulis.* Ita recte *Eraſmus Schmidius:* ubi pro poſteriore voce *Beza* habet *opportunitatibus.* Inter utramque vocem id diſcriminis intercedit, ut prior latior, poſterior ſtrictior haberi debeat. *Hippocr.* in Præcept. ait: χρόνος ἐστὶν, ἐν ᾧ καιρὸς καὶ καιρὸς, ἐν ᾧ χρόνος οὐ πολύς. Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraic. p. 830. hæc accipit de tempore judicii, Reipublicæ Judaicæ imminentis, quo ſe & alios ſolatus ſit Paulus, reſpectu ſimul habito ad II. 16. Enimvero vix exiſtimo hoc fieri poſſe, cum παρουσία paulo ante commemorata non de alio, quam de adventu ad extremum judicium accipi queat, illa autem occaſionem Paulo fecerit ſequentia hæc docendi, quorum ſeries non minus oſtendit, de judicio univerſali agi, cum v. 6. ordo præſcribatur, in quo ſalutis æternæ & vitæ cum Chriſto compotes reddantur.

οὐ χρείαν ἔχετε ὑμῖν γράφεσθαι] Vide ad IV. 10. Verbum γράφεσθαι vel paſſiva vel media notione hic accipi poteſt.

Verſ. 2. αὐτοὶ γὰρ ἀκριβῶς οἴδατε] Ita & *Lucianus.* V. M. *Car. Henr. Langii* Specimen Obſſ. Philolog. in N. T. ex Luciano. pag. 35.

ὅτι ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου ὡς κλέπτης ἐν νυκτὶ ἔρχεται] Vide *Andr. Schotti* Adagialia N. T. pag. 133. & *Suicerum* Tom. II. pag. 109.

Verſ. 4. οὐκ ἐστὲ ἐν σκότει] Judæorum loca quædam huc ſpectantia habet *Cartwrigthus* & *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 830.

ἵνα ἡ ἡμέρα ὑμᾶς ὡς κλέπτης καταλάβῃ] *Polybius* lib. IX. c. 17. p. 774. dicit τῆς ἡμέρας καταλαβούσης.

Verſ. 5. Πάντες ὑμεῖς υἱοὶ φωτός ἐστε κ. τ. λ.] Inſpice *Suicerum* Tom. II. pag. 436. 976. & 1357.

οὐκ ἐσμὲν νυκτὸς] *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 459. alludi cenſet ad puerilem Judæorum fabulam de liberis ex *Lilith*, quæ à לילה *nocte*, dicatur, ab Adamo, procreatis, ut indicetur, Theſſalonicenſes non ex nocte ſeu tenebris, ſed ex Patre luminum genitos eſſe. Sed iſta quidem longius videntur petita.

Verſ. 6. Ἄρα οὖν μὴ καθεύδωμεν] Lege *Svicerum* Tom. II. p. 10.

ὡς καὶ οἱ λοιποὶ] Τὸ καὶ deeſt in nonnullis Codd. apud *Millium*, & abeſſe poteſt ſalvo ſenſu, ſed tamen in Græco retinendum eſt, cum particulæ ὡς junctum abundare ſoleat. Ita *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis p. 564. allato *Herodoti* loco ex lib. VII. p. 434. *Neque tellus fructum reddebat, neque uxores ita pariebant,* ὡς καὶ πρότου, *ut ante hac*, item lib. II. p. 109. ἐιόντι καὶ ὁ Νεῖλος. Conf. ad IV. 13. καθὼς καὶ οἱ λοιποί.

ἀλλὰ γρηγορῶμεν] Lege *Svicerum* Tom. I. pag. 69.

καὶ νήφωμεν] Ita M. *Antoninus* I. 16. νῆφον ἐν πᾶσι, ubi vide *Gatakerum*.

Verſ. 7. καὶ οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύουσι] De eo, quod in ebrioſis plerumque obſervatur, loquitur Paulus, quamvis alias diurno quoque tempore nonnulli huic vitio indulgeant. Exemplum Philippi habes apud *Polybium* p. 1376. obſervante *Raphelio*. Alia habes apud *Guil. Saldenum* in Otiis Theol. lib. IV. Exerc. III. §. 9. & *Cornel. Adami* in Exercitatt. p. 210.

Verſ. 8. Ἡμεῖς δὲ ἡμέρας ὄντες] ſcil. υἱοὶ ex v. 5. quod lucis cauſa codd. nonnulli addunt.

ἐνδυσάμενοι θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης, καὶ περικεφαλαίαν, ἐλπίδα σωτηρίας] *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VIII. p. 953. ita legi vult: ἐνδυσ. θώρακα πίστεως, καὶ ἀγάπης περικεφαλαίαν, ἐλπίδα σωτηρίας, *induti thoracem fidei, & charitatis galeam, ſpem ſalutis;* ut ſic τὸ καὶ ante περικεφαλαίαν omittatur. Rationem hanc adfert: *Spes ſane ſalutis ſimpliciter ita non poteſt hominis credentis galea dici. Cum multi ſic calamitoſe falli poſſint, exiſtimantes omnia ſecum feliciter agi, modo ſalutem æternam per Chriſti meritum fidenter ſperent, parum de reliquo ſoliciti. Charitas* ἡ ἀγάπη *profecto ſola ſalutis noſtræ ſpes eſt.* Miror equidem, hæc ita potuiſſe cogitari & afferri, quæ recte ab *Haſæo* in notis ibidem confixa ſunt. Nulla hic in Codicibus varietas occurrit, quæ etiam caſu accidere poterat, cum τὸ καὶ repetita vice occurrat. Apoſtolus eadem ratione *Epheſ.* VI. 17. *ſpem ſalutis* vocat περικεφαλαίαν τοῦ σωτηρίου, ubi vide Interpretes, & nos ipſos. Idem h. l. ſatis cavit, ne *ſpes* illa ſomniata potius & falſa quam vera & ſolida ſit, dum eam præſtruit fidem, quæ comitem habet *amorem*, ex quo homo fidei ſuæ γνησιότητα intelligere poſſit. Et nonne etiam in judicanda charitate ſua, quam ſolam ſalutis noſtræ ſpem eſſe vult, falli homines poſſunt, ut eam credant apud ſe eſſe charitatem, quæ nulla eſt? Imo vero nulla eſt ſalutis ſpes, quæ non *fide* ſit nixa, in Chriſtum, Salvatorem noſtrum, τὸν ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν τῆς πίστεως ἡμῶν *Hebr.* XII. 2. Hæc ſpes eſt ἄγκυρα τῆς ψυχῆς ἀσφαλής τε καὶ βεβαία, καὶ εἰσερχομένη εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος Hebr. VI. 19. Abſit per omnem modum, ut *charitatem ſolam ſalutis noſtræ ſpem* eſſe credamus, cum hoc modo *ſpei* fundamentum in nobis, non autem in *Chriſto* collocetur. Ex antiquitate de verbis hujus commatis diſſerit *Lydius* in Syntagmate de re militari pag. 363.

Verſ.

Verſ. 9. Ὅτι οὐκ ἔθετο ἡμᾶς ὁ Θεὸς εἰς ὀργὴν κ. τ. λ.] Comma hoc una cum ſequenti egregie illuſtrat *Jo. Adamus Scherzerus* in diſputat. ſingulari de divina hominum non ad iram, ſed ad ſalutis acquiſitionem theſi. Lipſ. 1676. quæ in Faſciculo Diſſertationum ejus num. XI. exſtat. Phraſin, οὐκ ἔθετο, verſio Gallica *Montenſis* reddidit: *Dieu ne nous à pas choiſis; Deus nos non ſelegit*. Hanc verſionem à *Malleto* rejectam vindicare inſtituit *Arnaldus* in continuata ejus defenſione p. 179. ſqq.

ἀλλὰ εἰς περιποίησιν σωτηρίας] Vide ad *Epheſ*. I. 14.

Verſ. 10. ἵνα, εἴτε γρηγορῶμεν, εἴτε καθεύδωμεν] Τὸ καθεύδειν non habet hic eam notionem, quam obtinet v. 6. ubi de ſomno in peccatis ſermo eſt, ſed mortem potius denotat, ut *Luc*. VIII. 52. Reſpicit itaque Apoſtolus ad τοὺς κοιμηθέντας διὰ τοῦ Ἰησοῦ, de quibus IV. 14. & ſubindicat, eorum hanc eſſe prærogativam, ut mortui etiam quod ad corpus καθεύδειν dici poſſint, qui revera cum Chriſto quod ad animam vivant.

Verſ. 11. Διὸ παρακαλεῖτε ἀλλήλους] Ita *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. VI. pag. 301. ἐπειδὲ ἡγεμόνι τῷ Ἡρακλεῖ, καὶ ἀλλήλους παρακαλεῖτε ὀνομαστὶ, obſervante *Raphelio*.

Verſ. 13. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, εἰδέναι] Τὸ εἰδέναι per *agnoſcere* ad literam communiter vertitur, re autem vera *honorare*, vel *æſtimare* infert. Recte hoc monuit *Hombergius*, qui *Gravium* ad Heſiodum videri jubet. Adde quod ad h. l. *Stephan. Soucietum* in Collectione diſſertationum Gallice editarum p. 435. ſq. & quæ nos Vol. II. ad 1 *Cor*. XV. 16. diximus. Sane Theſſalonicenſibus doctores ſui ignoti eſſe non poterant. Itaque non tam ad cognitionem, quam ad cultum & amorem eorum h. l. excitantur, quod & v. 13. clarius exprimitur. Hebræorum ידע hoc ſenſu frequenter adhiberi, me non monente, conſtat. Conf. Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad *Joh*. I. 10.

καὶ προϊσταμένους] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 826. & 840.

Verſ. 13. καὶ ἡγεῖσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκ περισσοῦ] *& ut habeatis eos in ſummo pretio*, ut vertit *Eraſmus Schmidius*. Pſeudo-Ambroſius: *ut illis ſummum honorem habeatis*, ſive, ut *Troſtius* in Lexico Syriaco Interpretem Syrum h. l. expreſſit: *ut ſint in pretio vobis*.

εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς] Pauci Codices habent, εἰρηνεύετε ἐν αὐτοῖς quod & editio *Baſil*. Frobenii, & *Norimbergenſis* Eraſmi Schmidii exhibet. Hanc lectionem ex veteribus *Vulg. Æthiops, Chryſoſtom. Theodoretus*, tum vero *Vulg*. & cum eo B. Lutherus repræſentant. Ex priore eaque receptiore lectione ſenſus foret: *Pacem colite inter vos mutuo*. Ex poſteriore: *pacem colite cum illis*, nempe doctoribus veſtris. Senſus utrinque commodus eſt, & locum tueri poteſt. Unde & *Theophylactus*, qui noſtram hanc ſequitur, alterius quoque meminit. Mihi quidem prior illa, ut communior, ita verior videtur. Ad concordiam mutuam excitantur Theſſalonicenſes, æque ut Apoſtoli à Chriſto *Marc*. IX. 50. εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. Præpoſitio ἐν magis quadrat ad ἑαυτοῖς, quam αὐτοῖς, ubi pro σὺν poſita cenſeri debebat, ſicut alias *Rom*. XII. 18.

μετὰ

Digitized by Google

μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες. Accipe, quæ in eandem ſententiam diſſerit Cl. *Jo. Alberti* pag. 389. *Ita ſæpe hoc pronomen compoſitum* (ἑαυτοῖς) *in ſacris literis occurrit; & certe hoc loco idem eſt, quod præced. com.* 11. *expreſſit per* ἀλλήλους *&* εἰς τὸν ἕνα. — *Heſych* ἑαυτοὺς explicat ἀλλήλους. Ita *Sophocl.* Antig. v. 153. καθ' αὑτοῖν *dixit pro*, contra ſe invicem; *ubi Schol.* ἀντὶ τοῦ κατ' ἀλλήλων. Idem antea monuerat, ſi ad doctores hæc referri voluiſſet Apoſtolus, ſcripturum fuiſſe: εἰρηνεύειν τε ἐν αὐτοῖς. Neque vero inconvenienter hoc præceptum, εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς conjungitur cum priore, quod ad amorem & cultum doctoribus præſtandum refertur. Utroque enim hoc momento cœtus alicujus ſalus externa conſtat, ut nempe doctores eo habeant loco, quo habere par eſt, & ſibi invicem mutuam concordiam præſtent. Paulus alias 2 *Cor.* XIII. 11. aliis præceptis cumulatis ultimo loco ſubjicit: εἰρηνεύετε.

Verſ. 14. νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους] ἄτακτος vox militaris proprie eſt, & de eo dicitur milite, qui ordines deſerit, atque adeo officium ſuum non facit: *Chryſoſtomus* id ad h. l. monet his verbis: ἄτακτοί εἰσι πάντες οἱ παρὰ τὸ τῷ Θεῷ δοκοῦν πράττοντες· τάξις γάρ ἐστι τῆς στρατιωτικῆς ἁρμοδιωτέρα αὕτη ἡ τάξις τῆς ἐκκλησίας. *Inordinati ſunt omnes illi, qui contra id, quod Deo placet, agunt. Eſt enim militari ordine ipſe Eccleſiæ ordo congruentior & convenientior.* Similia aliorum Patrum loca habes apud *Suicerum* Tom. I. pag. 557. Id vero, quod illi ſubindicarunt, alii collatis *Xenophontis* locis probatum dederunt. Vide *Lamb. Bos* Obſervationes Criticas Miſcellaneas pag. 82. ſq. *Raphelii* Annotationes Xenophonteas pag. 276. *Thom. Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam VIII. pag. 563. & *Theophilum Altheum* Tom. I. der Erläuterung pag. 40. ſq. Apud *Xenophontem* lib. VIII. pag. 161. Magiſtratus dicitur ἱκανὸς καὶ τάττειν καὶ ὁρᾶν τὸν ἀτακτοῦντα καὶ κολάζειν, h. e. *qui ad ordinem revocare queat, & ordinis negligentem cernere ac punire.* Alias ἄτακτα vocantur *ſcripta miſcellanea*, h. e. ſine ordine congeſta, cujus generis multi veterum dederunt, quos à *Valeſio* ad Harpocrationem voce Παιανιεῖς appellatos videbis. Adde *Ægid. Menagium* ad *Diogen. Laërtium* V. 26. Verbo νουθετεῖν in ſimili cauſa uti *Herodotum* oſtendit *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 566.

ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενῶν] Confer *Suicer.* Tom. I. pag. 371. & 376. & quæ ad *Matth.* VI. 24. à me ſcripta ſunt.

μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας] *Suicer.* Tom. II. pag. 293.

Verſ. 15. τὸ ἀγαθὸν διώκετε] Præceptum hoc erudite illuſtrat L. *Jo. Henr. à Seelen* in Programmate ſingulari, Lubecæ 1731. 4. edito. Conf. Biblioth. Lubecenſem Tom. XII. p. 655. De verbo διώκω diximus Vol. II. pag. 203. & 248.

Verſ. 16. Πάντοτε χαίρετε] Lege *Frider. Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 387. & 391.

Verſ.

Verſ. 17. Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε ] Vide nos ad *Luc.* XVIII. 1. & *Rom.* XII. 12. *Druſius* in Quæſit. per Epiſt. LVIII. & Quæſt. Hebr. III. 15. de certis precandi temporibus nullo die intermittendis accipit. *Maimonides* in Hilcoth Tephilla cap. I. §. 1. מצות עשה להתפלל בכל יום *Præceptum affirmativum eſt, quotidie precandum eſſe, quia dictum eſt* (Exod. XXIII. 25.) Et ut colatis Dominum DEUM veſtrum. *Per traditionem accepimus, cultum hunc non eſſe alium, quam orationem, quia dictum eſt:* (Deut. XI. 13.) Et ut colatis illum toto corde veſtro. *Dixerunt Sapientes noſtri: quisnam eſt ille cultus cordis? R. Oratio.* Conf. *Jac. Rhenferdii* diſſertat. de Decem otioſis Synagogæ pag. 43. Quantum Judæi precibus ſuis in cultu divino tribuant, ex *Eiſenmengeri* Judaiſmo Detecto paſſim poteſt intelligi.

Verſ. 18. Ἐν παντὶ εὐχαριστεῖτε ] Vid. ad *Epheſ.* V. 20.

τοῦτο γὰρ θέλημα Θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ εἰς ὑμᾶς ] Vide B. *Deutſchmanni* Diſſertat. de Voluntate Dei ad h. l. habitam Vitembergæ 1688.

Verſ. 19. Τὸ Πνεῦμα μὴ σβέννυτε ] *Ælianus* Var. Hiſt. VI. c. 1. ἔσβεσαν θυμὸν, *exſtinxerunt iram*, & *Sophocles* Ajac. v. 1077. πεῖραν ἔσβεσεν, *inſidias avertit*, dixerunt; ſicut *Heſychius* σβέσαι per παῦσαι explicat. Vide *Jo. Alberti* pag. 390. *Jo. Cloppenburgius* Tom. I. Opp. pag. 29. ad jugem in altari Hieroſolymit. ignem, quem exſtinguere, aut non fovere nefas fuerit, alludi arbitratur. Confer *Pet. Zornii* Bibliothecam Antiquario Exegetic. pag. 477. qui huc advocat *Jeſ.* XXXI. 9. *Domini ignis eſt in Sion, & focus ejus in Jeruſalem.* Quod ad rem ſpectat: τὸ Πνεῦμα omnino ſunt *dona Spiritus S.* qui cum igne comparari ſolet, quo ſenſu Paulus 2 Tim. I. 6. ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα Θεοῦ jubet. Dona vero illa tum ordinaria ſunt, quæ in fideles omnes, quatenus ad *regenerationem* & *ſanctificationem* pertinent, cadunt, tum extraordinaria, quæ tum temporis partim, in docentibus, partim in diſcentibus locum habebant. Atque ad hæc extraordinaria reſpicere inprimis Apoſtolum ex v. 20. προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε, crediderim. Cl. *Schœtgenius* pag. 831. Horarum Hebraicar. Apoſtolum id cavere exiſtimat, ne Theſſalonicenſes languore & ſocordia ſua in doctoribus id efficiant, ut & ipſi & dona ipſorum exſtinguantur, & langueant. Arctius vocis vim *Guſſetius* in Commentariis Hebr. p. 193. ad radicem דעך i. e. *exſtinguere*, conſtrinxit, quando *exſtinctionem lucis ſenſibilis Spiritus S. fidelibus inditi, ſignificari putat, qua ſcilicet irradiet in cordibus ipſorum per conſolationem, & alios effectus.*

Verſ. 20. Προφητείας μὴ ἐξουθενεῖτε ] Per Prophetiam h. l. tum vaticinia de rebus futuris, tum vero expoſitionem oraculorum Veteris Inſtrumenti indicari puto. Vide quæ de illo vocis προφητεία ſignificatu admonita ſunt ad 1 *Corinth.* XIV. Adde Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 831. qui *ſacrarum literarum explicationem* præcipue ſpectari cenſet.

Verſ. 21. Πάντα δοκιμάζετε] *Cyrillus Alexandrinus*, hæc verba citans, iis præmittit ſequentia, tanquam eſſent Apoſtoli: γίνεσθε φρόνιμοι τραπεζῖται. Fit vero illud ab eo *tribus in locis*, *nec minus à* Pamphilo *in Apolog. pro Origene*, *& à* Baſilio *in principium Proverb.* ceu obſervatum eſt præſtantiſſimo *Fabricio* noſtro Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. p. 330. *Clemens Alexandr.* Stromatum I. ita: γίνεσθε δὲ δόκιμοι τραπεζῖται, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες. Conſtat alias, dictum illud γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται à veteribus frequenter, nunc ut Salvatoris noſtri, nunc ut Scripturæ, nunc ut Apoſtoli, nunc ut Pauli ſpeciatim afferri, qua de re copioſe præcipit *Fabricius* l. c. Conf. *Suicerum* Tom. II. Theſauri pag. 1281. & in Obſervatt. Sacr. cap. V. pag. 140. ſqq. Non dubium eſt, veteres illius oraculi, undecunque profectum fuiſſe exiſtimetur, ex occaſione verbi δοκιμάζετε mentionem feciſſe. De re ipſa, quæ hic præcipitur, commentatus eſt Rev. *Henr. Clauſingius*, Theologus Lipſienſis, in diſſertat. ſingulari de δοκιμασίᾳ πάντων, Lipſiæ 1722. Exſtant quoque *Benjaminis Hoadley*, Præſulis hodie inter Anglos celebratiſſimi, conciones quatuor *de examine religionis & duobus*, *quæ hic exſtant*, *extremis*, *ſubjectione nempe implicita & incredulitate.* Leguntur illæ Anglice inter *Tractatus* ejus varios, qui Londini 1715. 8. lucem viderunt. Inſpice quoque *Launoji* Epiſtolas pag. 315. & 429. edit. Cantabrigienſis in fol. Simile huic præcepto eſt illud *Iſocratis* ad Demonicum ſub finem: χρὴ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν. Conf. *Andr. Schotti* Adagialia Sacra p. 133.

τὸ καλὸν κατέχετε] *M. Antoninus* IV. 32. ἀπρὶξ ἔχου & III. 6. καὶ τούτου ἀντέχου *Epictetus* Enchirid. c. 50. πᾶν τὸ βέλτιστον φαινόμενον ἔστω σοι νόμος ἀπαράβατος. Τὸ κατέχειν non ſolum *recipere* ſignificat, ſed receptum & approbatum pertinaciter tenere & ſervare.

Verſ. 22. Ἀπὸ παντὸς εἴδους πονηροῦ ἀπέχεσθε] *ab omni ſpecie mala* vel, *mali abſtinete.* Dupliciter hæc accipi poſſunt, nempe, ut vel externa ſpecies, quæ mali ſuſpicionem concitare poſſit, vel *omne mali pravique genus* evitari debere dicatur. Poſterius placuit Interpreti *Syro*, tum *Chryſoſtomo*, qui ita: μὴ τούτου, ἢ ἐκείνου, ἀλλ᾽ ἀπὸ παντὸς καὶ τὰ ψευδῆ καὶ τὰ ἀληθινὰ, ἵνα μετὰ δοκιμασίας διακρίνητε, καὶ ἐκείνων ἀπέχησθε, καὶ τούτων ἔχησθε. Nec aliter *Theophylactus*: μὴ τούτου, ἢ ἐκείνου, ἀλλ᾽ ἁπλῶς παντὸς προφήτου ψεύδους καὶ ἁμαρτήματος. Amplectuntur hoc ex recentioribus *Hammondus* & *Clericus*, & præter hos *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 67. & ex noſtratibus *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 150. Nec altera expoſitio, quæ ſpeciem mali infert, fundamento deſtituitur. Εἶδος enim pro externo habitu & geſtu ſumi patet ex epiſtola *Apollonii* 71. inter Philoſtrati Opera Οὕτω καὶ σχῆμα καὶ εἶδος ἀνθρώπων, & ep. 72. ubi ὄνομα & εἶδος ſibi invicem opponatur. Speciem quoque mali cavendam eſſe præcipi-

cipiunt Judæorum Magiſtri, quorum locos habes apud *Hackſpanium* de Uſu librorum Rabbinicorum pag. 478. ad calcem libri Lipmanniani. Sic Livia ad Auguſtum, teſte *Dione*: *oportet vos nihil mali facere videri: nam privatis quidem hominibus ſatis eſt nihil delinquere; Principibus ne quidem ſuſpectis eſſe licet.* Confer *Picinelli Lumina Reflexa* pag. 716.

Verſ. 23. Αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς κ. τ. λ.] Comma hoc, difficultatibus nonnullis preſſum, explicant ex noſtratibus *Jo. Frid. Mayerus* in diſput. de Sanctificatione, Gryphiſvvald. 1705. *Jo. Henr. Barthius* in Diſſert. de incremento in Sanctitatis ſtudio faciendo, Argentor. 1713. *Henr. Clauſingius* in diſput. de ὁλοκλήρῳ ἡμῶν, Lipſ. 1724. *Philip. Jac. Spenerus* in Reſponſis Theolog. vernaculis Tom. I. pag. 140. & 151. & II. pag. 895. *Jo. Franc. Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ pag. 499. & 1378. *Jo. Georg. Walchius* Parte I. Obſervatt. Philologic. in N. T. pag. 108. & *Theophilus Amelius* Part. II. der Erörterung p. 697. Ex Pontificiis *Eraſmus* Tom. V. Opp. pag. 19. Ex Reformatis *Jo. Cloppenburgius* Tom. I. Opp. pag. 667. *Jo. Dougtæus* in Analectis N T. p. 136. *Campeg. Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. III. c. 4. pag. 57. ſq. & *Jac. Elſnerus* pag. 278. Obſervatt. Sacr. cujus etiam concio ſingularis, de hoc commate habita, exſtat inter illas, quas *de felicitate verorum Chriſtianorum* inſcriptas edidit, pag. 425. ſqq.

ὁλοτελεῖς] *Hieronymus* ad Hedibiam Quæſt. XII. *DEUS pacis ſanctificet vos per omnia, vel in omnibus, ſive plenos ſive perfectos; hoc enim magis ſonat* ὁλοτελεῖς. Conf. *J. C. Dieterici* Antiquitat. Biblic. Novi Teſtamenti Tom. II. pag. 60.

καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα] *& integer veſter Spiritus.* Ὁλόκληρον dicunt Græci, quod omnibus ſuis partibus conſtat. Ita *Arrianus* in Diſſertatt. Epictetcis lib. III. c. 26. ἔτι τιμῶ τὸ σωμάτιον ὁλόκληρον αὐτὸ ἔχειν ἀντὶ πολλοῦ ποιοῦμαι καί τοι μηδ᾽ ὁλόκληρον ἔχων, *adhuc colo corpuſculum, magni mea referre puto, ut id integrum conſervem, quamvis integrum non habeam.* Tranſfertur vero etiam ad animum ejusque vires. Ita *Lucianus* Tom. I. p. 1042. poſtquam vir factus eſſet, καθ᾽ ἣν ἡλικίαν ἡ τέως ἀτελὴς φρόνησις ὁλόκληρον ἔσχε τὸν λογισμόν, *qua ætate intellectus, qui hactenus fuerat imperfectus, integram ratiocinandi vim obtinebat.* Debes hæc loca diligentiæ *Elſneri* l. c. pag. 278. Addo illis *Apollonii* illud epiſt. 58. ad Valerium p. 403. editionis Philoſtrati Olearianæ, ὁλόκληρος εἶ, παρὰ σεαυτοῦ λαβὲ τὸ λεῖπον. *omnibus rebus inſtructus es, à te ipſo, quod deſideras, ſume. Jo. Bapt. Ottius* in Specimine Lexici Flaviani Tom. II. edit. Joſephi Havercampianæ pag. 321. ſignificatum vocis hujus ex τοῖς LXX. & *Joſepho* enarrans conficit, ὁλόκληρον idem eſſe, quod, *cui nihil deeſt.* Cumque lex Sacerdotem integrum corpore ſeu ὁλόκληρον, ut *Joſephus* Antiqq. XIV. 25. appellat, non mancum eſſe voluerit, ſuſpicatur idem, Paulum ad cerimonialem illam & typicam Sacerdotum integrita-

 tem

tem reſpexiſſe, ut indicaret, Sacerdotes ſpirituales non minus integros eſſe debere. B. *Lutherus* reddidit euer Geiſt gantz, quod ab *Emſero* præter rem caſtigatum vindicat *Raithius* pag. 554. ſq.

Quæritur h. l. inprimis, quid per *ϖνεῦμα*, à ψυχῇ & *σώματι* diſtinctum, intelligi debeat. Qua quidem in re ſemper mihi placuit *Chryſoſtomus τὸ ϖνεῦμα* per *χάρισμα* i. e. *dona* Spiritus S. interpretatus. Accipe locum: Τὸ ϖνεῦμα τί φησιν ἐνταῦθα; τὸ χάρισμα. ἂν μὲν γὰρ ἔχοντας λαμπρὰς τὰς λαμπάδας ἀπέλθωμεν, εἰσελευσόμεθα εἰς τὸν νυμφῶνα· ἂν δὲ ἐσβεσμένας, οὐκέτι. Διὰ τοῦτό φησιν, ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ ϖνεῦμα. ἐκείνου γὰρ μένοντος ἀκεραίου, καὶ τοῦτο μένει. καὶ ἡ ψυχή φησι, καὶ τὸ σῶμα, οὔτε γὰρ αὐτή τι πονηρὸν δέχεται, οὔτ' ἐκεῖνο. Dona vero illa ita capienda ſunt, in quantum animæ ſemel collata in eadem conſervantur augentur & amplificantur. Nec aliter *Theophylactus*. Ex noſtratibus idem ſentiunt *Sebaſt. Schmidius* in Paraphraſi ad h. l. & *J. G. Dorſcheus*. *Intelligenda ſunt*, inquit, *dona ab ipſo Spiritu S. inhabitante hominibus, per fidem jam juſtificatis & ſanctificatis, communicata: is nempe Spiritus, quem non debemus exſtinguere v. 19. qui eſt κλῆρος ſeu ſors noſtra, cujus participes facti ſumus cum ſanctis in luce Col. I. 22.* Hinc etiam vocatur *ὁλόκληρον τὸ ϖνεῦμα*. Noviſſime Cl. *Chriſt. Schœtgenius* in Horis Hebr. eandem ſententiam amplexus eſt p. 832. *Per ϖνεῦμα, ſtatuo intelligi animam regeneratam, renovatam & illuminatam; per ψυχὴν vero animam, quatenus rationalis eſt, & humanis adfectibus plena. Illi adfectus humani per ſe mali non ſunt, ſi ſcilicet illuminationi ſubordinantur.* In probationem rei affert 1 *Cor.* II. 14. *Jac.* III. 15. & Judæ v. 19. *Vult ergo D. Paulus*, ita pergit, *ut tum corpus, tum motus animales, & adpetitum naturalem, tum quoque Chriſtianiſmum ita geramus, ut ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληροι h. e. numeris omnibus abſoluti ſimus: quantum ſcilicet in hominem Chriſtianum perfectio cadere poteſt.* Ad hanc expoſitionem proxime accedunt, qui per *ſpiritum* indicari putant *totum novum hominem, præſertim, cum ὁλόκληρον τὸ ϖνεῦμα nominetur.* Ita pronunciat *Flacius* in gloſſa ad h. l. *Barthius* item & *Clauſingius* in diſſertationibus citatis, ille quidem Part. I. §. 9. hic vero Sect. I. §. 8. Atque ita quidem ψυχὴ & *σῶμα*, in quantum ſanctificata ſunt à Spiritu S. hominem illum novum abſolvere dicerentur. Nuper admodum M. *Chriſtophorus Wolle* in diſput. de abuſu Platonico trium hominis partium in Novi Fœderis explicatione Lipſ. 1732. edita, §. 16. eandem expoſitionem adoptavit, atque eam in rem particulam καὶ repetitam urget Accipe verba ejus: *In votis* inquit, *habet* (Apoſtolus) *ut ipſorum ὁλόκληρον τὸ ϖνεῦμα,* integer omnibusque partibus ſuis conſtans ſpiritus *ſine macula usque ad glorioſum D. N. I. C. adventum conſervetur. Ubi omnia τὰ ϖνευματικὰ intelligenda ipſa vocis ὁλοκλήρου ἔμφασις atque poteſtas argumento eſt. Hæc vero ubi locum habeant, jam ſpeciatim magis explanatur, in* anima *ſcilicet atque* corpore. *Verba enim, id quod haud ſcio, an ab alio quodam annotatum ſit, ita ſe habent: ὁλόκλη-*

ρον

*ρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα, i. e. ſi rem ipſam putes*, omnia dona veſtra ſpiritualia, *quæ ſunt* PARTIM *anima* veſtra, *φύσει* quidem corrupta, *ſed per gratiam Spiritus Sancti ſanctificata*, PARTIM corpus *veſtrum, idemque una cum ſingulis ejusdem membris nunc etiam ſanctificatum. Non ſine cauſa banc adoptavimus translationem.* Nam τε καὶ, & καὶ, καὶ *ad partitionem deſignandam, quæ Latine vel*, partim, partim, *vel*, &, &, *vel*, cum, tum, *commode vertitur, in ſacris profaniſque Scriptoribus frequentiſſime adhibetur.*

Ex his intelligitur, à vero diſcedere, qui ex his verbis tres partes hominis eſſentiales extorquere conantur, quibus ſcilicet homines in ſe & natura ſua conſiderati, ſive regeniti ſint, ſive minus, inſtructi cenſeri debeant. Diverſas ita ſentientium claſſes diligenter conſtituit Rev. *Clauſingius* in Προπαιδεύμασι ad laudatam diſſertationem, easdemque in Sect. II. pag. 33. ſqq. generatim confutat. Adde *S. C. Teuberi* Modernum Judicium de Quæſtione Theologica: An dentur tres partes hominis eſſentiales, ad *Luc.* I. 46. 1 *Corinth.* XIV. 14. 1 *Theſſ.* V. 23. & *Hebr.* IV. 12. Magdeburgi 1708. 4to. *Pfeifferi* Obſervationes in Trilleri Examen quorundam Scripturæ locorum germanice editas p. 42. ſq. & *Buddei* Inſtitutiones Theolog. Moralis p. 61. ſqq. Ad hæc lectorem remiſiſſe ſuffecerit, ſi monuero, Editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani p. 752. tres illas partes hominis eſſentiales videri, & antiquiſſimæ Philoſophiæ, & rationi ipſi apprime reſpondere, quæ tradant & evincant, *animam corpore*, utroque vero *ſpiritum* eſſe ſuperiorem. Provocat hanc in rem ad *Jamblichium* p. 162. edit. Galei, *Origenis* Philocaliam, *Porphyrium* apud Joannem Philoponum de Mundi creat. lib. IV. cap. 10. & *Euſebii* Præparat. Evangel. lib. IV. cap. 1. 2. 3. Idem Anglus alius probandum ſuſcepit in libro, quem inſcripſit: *of the procedure, extent and limits of the Underſtanding*, cap. X. toto, quo de *ſpiritu, anima* & *corpore* exponit.

Hi uti ad Philoſophos veteres & ſpeciatim *Platonicos* provocant, ubi conferri etiam poſſunt, quæ ad 1 *Corinth.* II. 14. à nobis ſcripta ſunt; ita alii ſenſum verborum Pauli ex Judæorum, ſpeciatimque Cabbaliſtarum, doctrina de triplici animæ parte נשמה *mente*, רוח *ſpiritu*, & נפש *anima* illuſtrare conati ſunt. Huc ſpectat *Chriſtianus Knorrius à Roſenroth* in Cabbala denudata ad librum *Iſaaci Lurienſis* de revolutionibus animarum p. 247. & *Campeg. Vitringa* libro III. Obſervationum Sacrarum cap. IV. p 57. ſq. ubi illa vocum Hebræarum diſtinctio copioſe ex ſcriptis Cabbaliſtarum explicatur, & facta cum ſcitis Platonicis & Peripateticis, eo tempore à Judaica gente receptis, comparatione, ad verba hæc Pauli accommodantur. Sententia ejus huc redit quod Apoſtolus per ψυχὴν ad נפש, i. e. *appetentem animæ facultatem*, per πνεῦμα vero ad נשמה, i. e. *intelligendi facultatem* reſpexerit. Idem video placere *Jacobo Elſnero* in concione ante laudata p. 438. absque ullo tamen ad Philoſophos vel Cabbaliſtas habito reſpectu. Πνεῦμα enim de

 anima

anima intelligente, quæ cogitet, cognoſcat, & comprehendat res; ψυχὴν vero de anima volente & deſiderante, motibusque adeo cordis interpretatur. Ceterum Judæorum loca de triplici illa animæ diſtinctione præter *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Parte I. cap. XIX. attulit *Schœtgenius* loc. cit. pag. 833. qui tamen pag. 832. recte cenſet, illam ad Pauli mentem accommodari non poſſe, qui duas tantum voces πνεῦμα ſcilicet & ψυχὴν adhibuerit. Locos illos inſpicienti præterea patebit, Judæos in omni hoc argumento parum ſibi conſtare. Quidam enim eorum tribus illis, quas dixi, duas alias addunt, quas חיה & יחידה appellant. Afferam interim unum, in quo & *corporis* mentio fit. Exſtat is in *Sohar* Levit. fol. 29. col. 114. *Beati ſunt juſti in hoc & futuro mundo: nam illi toti ſancti ſunt,* corpus (גופא) *illorum ſanctum eſt,* animus (נפשא) *illorum ſanctus eſt,* ſpiritus (רוחא) *illorum ſanctus eſt,* anima (נשמתא) *ipſorum eſt Sanctum Sanctorum.*

Quid *Chriſtianus Fende* ſibi velit, quando in Additamentis ad novam Verſionem & Expoſitionem epiſtolæ ad Epheſios pag. 92. τὸ ὁλόκληρον πνεῦμα vertit: der zur Univerſal-Erbſchaft (GOttes und CHriſti) berufſene Geiſt, non ſatis adſequor. Id video, ipſius judicio per ὁλόκληρον reſpici ad hereditatem cœleſtem, quæ alias κλῆρος ſolet vocari; video autem ſimul, eundem abire à conſueto vocis hujus ſignificatu, τοῖς LXX. *Joſepho*, & externis Scriptoribus recepto. Integritatem πνεύματος hic urgeri vel ex antecedente voce ὁλοτελεῖς intelligitur.

Verſ. 24. Πιςὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει] Verbum poſtremum videtur eſſe ellipticum. Ideo codices pauci addunt, τὴν ἐλπίδα ὑμῶν βεβαίαν, forte ex 2 *Corinth.* I. 7. quæ *Millii* conjectura eſt. *Eraſmus Schmidius* & *Beza* ſupplent: *qui etiam* hæc (id) *efficiet.* Cl. *Schœtgenius* ad *Lambertum Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 369. mavult ſubintelligere καλῶς. Idem in Horis Hebraicis pag. 835. affert ex *Bereſchith Rabba* Sect. 23. fol. 23. 4. dictum ſequens: *Facite, quæ veſtra ſunt, & DEUS S. B. faciet, quæ ſua ſunt:* & ex *Tanchuma* fol. 8. 4. *nos faciamus, quod noſtrum eſt, ipſe DEUS vero faciet, quod ſuum eſt.*

Verſ. 26. Ασπάσασθε τὰς ἀδελφὰς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ] Vide ad *Rom.* XVI. 16.

Verſ. 27. πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἀδελφοῖς] Τὸ ἁγίοις in uno alteroque Codice, & *Æthiope* deſideratur. *Millius* in Prolegom. pro inſititiis habiturum ſe fuiſſe ait, niſi Codicum conſenſus obſtaret.

Πρὸς Θεσσαλονικεῖς πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Αθηνῶν] Minus recte hæc habere in Prolegomenis eſt oſtenſum.

# IN EPISTOLAM II. AD THESSALONICENSES.

NIhil hic admodum eſt, quod in genere moneamus. Scripta epiſtola eſt *Corinthi* æque ac prior, contra id, quod ſubſcriptio Athenis illud factum teſtatur, ubi vide, quæ tradentur. Ad Ex-Judæos inprimis pertinere perſuaſum eſt *Braunio* in Selectis Sacris p. 137. pro quibus Ex-Gentiles mavult *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 836. idque rectius. Annus ſcriptionis videtur idem eſſe, qui prioris epiſtolæ, vel ſaltem illi proximus. Patet illud primum ex eo, quod itidem *Pauli*, *Sylvani* & *Timothei* nomina æque ac prior illa refert; deinde, quod nonnulla, quæ Theſſalonicenſes in priore non recte acceperant, illuſtrat, ex quo ſimul ſcribendi occaſio intelligitur.

## CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος καὶ Σιλουανὸς, κ. τ. λ.] Vide ſupra ad I. 1.

Verſ. 3 - 10. Continent Sectionem epiſtolicam, quam *Franciſcus Wokenius* illuſtrat in Stromatibus Apoſtolicis Part. II. pag. 591. ſqq.

Verſ. 3. Εὐχαριστεῖν ὀφείλομεν τῷ Θεῷ] Sic *Polybius* pag. 914. ὀφείλω εὐλογεῖν, *cauſa mihi eſt, cur laudare debeam.* Vide *Raphelium* pag. 582. Verbum εὐχαριστεῖν in ſignificatu *gratias agendi* probum eſſe, & apprime Græcum, contra *Thomam* & *Phrynich.* oſtenderat *Phalaridis* exemplo epiſt. 119. Cl. *Jo. Alberti* in Obſervationibus Sacris pag. 88. ad hunc vero locum illi alium *Arriani* Epictet. I. 4. pag. 22. ſurrogat: οὐκ εὐχαριστήσομεν τῷ Θεῷ. Alia obſervata etiam ſunt in Actis Erud. Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum pag. 15. & 372. Adde ad hæc *Alberti* animadverſionem in Præfat. ad periculum Criticum plag. ſecunda.

Verſ. 4. Ὥστε ἡμᾶς αὐτοὺς ἐν ὑμῖν καυχᾶσθαι] *Adeo ut nos ipſi de vobis gloriemur.* Ita recte *Eraſmus Schmidius* & *Beza.* Cl. *Wokenius* loc. cit. mavult vertere *per vos*, hoc ſenſu, quod *per recenſionem magni* ipſorum in bono *incrementi gloriabundus alios ad ſimilem zelum excitet.* Præſtat omnino prius, cum τὸ ἐν alias frequentiſſime objectum gloriationis inferat. Ita Paulus *Philipp.* III. 3. καυχώμενοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ commemorat. Conf. *Rom.* II. 17. 23. 1 *Corinth.* I. 31. III. 21. 2 *Corinth.* X. 17. XI. 12. &c. Idem eſt, quod 2 *Corinth.* VII. 14. dicitur. ὅτι εἴ τι αὐτῷ ὑπὲρ ὑμῶν κεκαύχημαι.

ὑπὲρ

ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς ὑμῶν] *de tolerantia veſtra.* Habes hic cauſam præcipuam, cur Paulus cum collegis ſuis gloriatus ſit apud ceteros de Theſſalonicenſibus, tanquam qui in adverſis tolerandis ſtrenuos ſe præſtiterint. Ita 2 *Corinth.* XII. 5. ὑπὲρ τȣ͂ τοιȣ́τȣ καυχήσομαι, ὑπὲρ δὲ ἐμαυτȣ͂ ȣ̓ καυχήσομαι. Vir doctus modo laudatus pag. 192. ita hæc accipit: *Quod Paulus & Collegæ ſe quaſi ſubſtituant in locum fidei & perſeverantiæ Theſſalonicenſium, ut ipſi glorientur, licet & ſine illorum laude fides & patientia Theſſalonicenſium non minimam gloriam de ſe ſpargat.* Non video, quomodo hæc expoſitio in locum 2 *Corinth.* XII. 5. atque adeo etiam hunc cadere poſſit.

Verſ. 5. Ενδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως τȣ͂ Θεȣ͂, κ. τ. λ.] Lege *Joannis Claudii* Opera Poſthuma Gallice edita pag. 261. *Hombergius* pag. 322. more ſuo trajectionem hic ſtatuit, & voces illas ἔνδειγμα —— τȣ͂ Θεȣ͂ ad comma 6. rejici vult, ut ſic Theſſalonicenſes dicantur digni redditi regno Dei, toleratis ſcilicet afflictionibus & perſecutionibus, quæ ἔνδειγμα ſint τῆς δικαίας κρίσεως τȣ͂ Θεȣ͂, cum DEUS, juſtus Judex, redditurus ſit afflictiones illis, qui ipſos affligant. Ita vero verba Pauli obſcurantur potius, quam illuſtrantur. Apoſtolus de calamitatibus Theſſalonicenſium loquitur. Has ait eſſe documentum juſti Dei judicii, nempe tum ex parte ipſorum Theſſalonicenſium, tum ex parte vexantium. Illos enim hoc majore gloria aliquando ornatum, hos vero pœnis majoribus adfectum iri. Utrinque igitur juſtum ſe judicem DEUS præſtat, hinc Theſſalonicenſes innocentes ſiſtens & præmiis adficiens; hinc hoſtes Evangelii reos pronuncians, & ad promeritas pœnas rapiens. Vides igitur, quam ſapienter Paulus τὸ ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως, τοῖς διωγμοῖς καὶ θλίψεσι ſtatim adjungat. Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 836. ſtructuram ita concinnat: ὑπὲρ τῆς ὑπομονῆς καὶ πίστεως (αἵ εἰσιν) ἔνδειγμα, *quæ ſunt documentum juſti judicii divini*, quia ſcilicet æquum ſit, ut per afflictiones ad regnum Chriſti vocentur, & juſtum, ut per easdem in illo conſerventur. Mihi quidem Apoſtolus τὴν δικαίαν κρίσιν verſ. 5. per τὸ δίκαιον v. 6. explicare ita videtur, ut non ſolum ad vexatos Theſſalonicenſes, ſed & ad hoſtes vexantes referri debeat. Ita *Philipp.* I. 28. καὶ μὴ πτυρόμενοι ἐν μηδενὶ ὑπὸ τῶν ἀντικειμένων· ἥτις αὐτοῖς μέν ἐστιν ἔνδειξις ἀπωλείας, ὑμῖν δὲ σωτηρίας, καὶ τȣ͂το ἀπὸ Θεȣ͂. Neque de *regno gratiæ* hic ſermo eſt, ſed *gloriæ* illo, quod patet ex verſ. 7. quemadmodum Apoſtoli alias præmia illa cœleſtia exſpectare jubent eos, qui θλίψεσι in hac vita Chriſti cauſa fuerint obnoxii. Malim itaque cum *Eraſmo Schmidio* ita hæc cum antecedentibus connectere: ὅ, τι ἐστὶν ἔνδειγμα, *quæ res documentum eſt.* Sic *Lutherus*: welches anzeiget.

εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τȣ͂ Θεȣ͂] Nullo modo hinc conſequi, bona hominum opera, quæ Pontificiorum eſt ſententia, dignitatis ſuæ ratione vitam æternam gloriamque cœleſtem ita promereri, ut Deus injuſtus futurus ſit, niſi eam illis rependat; oſtendit *Gatakerus* ad Marc. Antoninum XII. §. 5. pag. 423.

Verſ.

Verſ. 6. *Εἴπερ δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι* ] Vide huc *Grotii* Defenſionem Fidei Catholicæ de Satisfactione Chriſti cap. I. Tom. III. Operum pag. 303. Vocula *εἴπερ*, idem eſt, quod *ἐπεὶ*, *quoniam*, quo ſenſu Latini quoque adhibent *ſiquidem*. *Chryſoſtomus* ad h. l. ita: Τὸ, *εἴπερ*, *ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ἐπεὶ, κεῖται· ὅπερ ἐπὶ τῶν σφόδρα ὁμολογουμένων καὶ ἡμεῖς τίθεμεν καὶ ἀναντιῤῥήτων ἀντὶ τοῦ, σφόδρα δίκαιον.* Similiter *Theophylactus* monet, *τὸ εἴπερ* non eſſe *διςαγμοῦ*, *dubitationis*, ſed *βεβαιώσεως*, *confirmationis*. Eodem ſenſu *Latini* uſurpant *ſi*, quod exemplis luculentis oſtendit *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. V. ubi de Incarnatione, lib. XIV. cap. 18. §. 2. pag. 278. Adde *Jacobi Lydii* præfationem ad Florum Sparſionem pag. 5. & *Svicerum* Tomo I. Theſauri pag. 1030.

Verſ. 8. *Ἐν πυρὶ φλογὸς* ] Codices nonnulli habent, inverſo ordine, *ἐν φλογὶ πυρὸς*, quod Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. *Schmidius* vertit, *cum incendio flammæ*; *Beza*, *cum flammeo incendio*. Scilicet alterutrum Subſtantivum locum adjectivi tuetur, quod tralatitium eſt. Interim nihil in Græco mutandum. Reſpondet phraſis Paulina illi Pſalmi CIII. 4. אש להט, *ignis flammans*, ubi *οἱ* LXX. *πῦρ φλέγον*, *ignis rutilans*, *flammans*, pro quo Ald. C. *πυρὸς φλόγα*, *Aquila*, *πῦρ λάβρον*, & *Symmachus*, *πυρίνην φλόγα* habent. Judæi in *Bereſchith Rabba* Sect. VI. fol. 7. 3. ajunt, DEUM aliquando ex narthece Solis ignem producturum, eoque impios inflammaturum eſſe ſecundum *Malach.* III. 19. Vide locum apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 837.

Verſ. 9. *Οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον* ] Lege *Joannis Guilielmi Bayeri* Analyſin & Vindicias Locorum Scripturæ Sacræ illuſtrium Parte I. pag. 145. ſq. & *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tomo III. ubi de Angelis lib. III. cap. 8. pag. 113. *Herodotus* lib. VI. *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τίσιν οὐκ ἀποτίσει.* Alibi idem: *δίκην ἐκτίνειν* lib. IX. pag. 624. Vide *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 566.

*ἀπὸ προσώπου τοῦ Κυρίου* ] *à facie Domini*, ſcilicet *rejecti*, vel *expulſi*, quod *Schmidius* & *Beza* addunt: ſicut apud *Matthæum* dicitur: *ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ.* Verti tamen etiam poſſit *à Domino*, ut cauſa ſignificetur, à qua æterna impiorum damnatio proficiſcitur, quemadmodum ita capiendum eſt, quod proxime ſequitur: *ἀπὸ δόξης τῆς ἰσχύος αὐτοῦ*, i. e. *à robore ejus glorioſo*. Lege *Vorſtium* in Philologia Sacra Part. I. pag. 295. & *Pfochenium* de Stylo Novi Teſtamenti §. 121.

Verſ. 10. *Ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ* ] *Cum venerit*, *ut glorificetur in Sanctis ſuis.* Per hos intelligo eos, qui fide ſanctificati tum ex vivis, tum ex mortuis, ad finem fidei, æternam ſcilicet beatitatem, perventuri ſunt, quique paulo poſt *τῶν πιςευόντων* nomine comprehenduntur. In illis *glorificabitur* Dominus, tanquam qui ea ipſis nunc præ-



Digitized by Google

ſtet, quæ præſtiturum ſe promiſit, atque adeo & veracitatem & potentiam ſuam demonſtret. Lege *Chryſoſt.* τὸ ἐν h. l. per διὰ explicantem. Alii vertunt *eum Sanctis ſuis*, & nonnulli *Angelos* intelligunt. De his vero dictum erat v. 7. & quidem alia phraſi μετ᾽ ἀγγέλων δυνάμεως αὐτȣ̃.

ἐν πᾶσι τοῖς πιςεύȣσι] Codices quidam, & Verſiones quoque, habent πιςεύσασι, *qui crediderunt*, quod propterea in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, præter rem, cum per ſe pateat, eos, qui tunc in fide coram Domino judice comparebunt, etiam ante vivos fidem in ipſum probaſſe. Ita verſ. 8. τοῖς μὴ ὑπακȣ́ȣσι, non autem, τοῖς μὴ ὑπακȣ́σασι.

ὅτι ἐπιςεύθη τὸ μαρτύριον ἡμῶν ἐφ᾽ ὑμας] *Wilh. Wall* in Notis Criticis Anglicanis pag. 154. ſuſpicatur, forte legendum ὡς, *ſicut teſtimonio noſtro fides apud vos habita eſt.* Sed nec Codex ullus ſuffragatur, nec alia mutationis cauſa exſtat. Amplior eſt diſputandi materia de ſenſu horum verborum. Plerique editi ea parentheſeos nota diſtinguunt à reliquis, & voces, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, referunt ad τὸ θαυμασθῆναι, quod futurum ſit die apparitionis Domini, de qua verſ. 7. Qui hanc interpunctionem ſequuntur, ita cum *Eraſmo Schmidio* & *Beza* vertunt: *Quod fides habita fuerit teſtimonio noſtro apud vos.* Ita jam olim *Flacius* in Gloſſa: *Quod vero quaſi per parentheſin interſerit, ſuum teſtimonium erga illos creditum eſſe, videtur declarare illud præcedens* credentibus, *quaſi diceret, quæ gloria etiam ad vos pertinet, quandoquidem credidiſtis noſtræ prædicationi.* Nec aliter accepiſſe videtur *Chryſoſtomus.* Τȣτέςιν, inquit, ὅταν παράγωνται εἰς μέσον οἱ μυρία παθόντες δεινὰ, ὥςε ἐκςῆναι τῆς πίςεως, καὶ μὴ ἐνδόντες, ἀλλὰ πιςοὶ μείναντες, δοξάζεται ὁ θεός· τότε δείκνυται καὶ τȣ́των ἡ δόξα· ἐπεὶ τοίνυν πολλοὶ τὴν πίςιν ὑποκρίνονται, μὴ μακάριζε μηδένα πρὸ τελευτῆς· καὶ γὰρ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ δείκνυνται οἱ πιςεύσαντες. Vides hic Doctorem optimum diſtinguere inter eos, qui fidem vere præſtiterint, quod die illo extremo ſit appariturum, & qui eam ad tempus ſint mentiti.

Alii, omiſſa parentheſeos nota, ita interpretantur, cum *Grotio*: *Quia die illa plane probatum erit illud teſtimonium, quod nos vobis attulimus.* Hanc ſententiam ornavit nuper Cl. *Elſnerus* pag. 280. vertens: *Nam confirmabitur* aut *implebitur teſtimonium noſtrum vobis datum illo die.* Μαρτύριον ἐφ᾽ ὑμᾶς ait idem eſſe, quod *teſtimonium erga vos*, aut, *vobis datum*, ut *Luc.* IX. 5. εἰς μαρτύριον ἐπ᾽ αὐτȣ́ς, & quidem illud, quod de futura eorum felicitate in regno Dei, verſ. 5. & 7. Theſſalonicenſibus dederat. Verbum ἐπιςεύθη poſt *Grotium* confert cum Hebræo נאמן, *firmum*, ſeu, *ratum factum* eſt, ita ut præteritum pro futuro ponatur, ſicut *Matth.* III. 2. Hoc ſenſu monet verbum illud occurrere apud τȣ̀ς LXX. Geneſ. XLII. 20. καὶ πιςευθήσονται τὰ ῥήματα ὑμῶν, *verba veſtra vera invenientur*: item 1 *Reg.* XXVII. 12. nec minus apud externos, nominatim *Polybium* lib. VIII. Hiſtor.

Hiſtor. cap. 19. pag. 737. ἐπιςεύοντο παρὰ τοῖς Ταραντίνοις, *fidem ſuam probarunt Tarentinis*, &c. Eadem explicatio in *Grotio* non inconcinna viſa eſt *Calovio* noſtro, quamvis idem priorem illam prætulerit. Poterant pro ea nonnulla dici, ſed poſterior hæc & mihi probabilior videtur. Rev. *Zeltnerus* in notis ad verſionem B. *Lutheri* aliam rationem iniit, ita totum comma interpretatus: Wenn er kommen wird, daß er von ſeinen Heiligen gepreiſet, und mit Verwunderung (mit Augen) angeſehen werde von (verſ. 12.) allen ſeinen Gläubigen: Denn dies unſer Zeugniß iſt treulich an euch abgetragen (und verkündiget) worden. Vereor, ut vir doctus hanc verbi ἐπιςεύθη ſignificationem probare poſſit, ut *fidelem* ſcilicet *diſpenſationem* inferat. *Commiſſum* quidem & *concreditum* Evangelium alias dicitur Apoſtolis, ut prædicetur, v. c. *Galat.* II. 7. 1 *Theſſal.* II. 4. & 1 *Tim.* I. 11. nuſquam vero verbum adhibetur, ad fidem & dexteritatem, quæ in illo prædicando probata ſit, indicandam.

Verſ. 11. εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης] Vide huc *Eraſmi Schmidii* notas, qui de *beneficentia* Theſſalonicenſium accipit, & ἔργον πίςεως de bono opere, ex fide profecto, interpretatur. Rectius vero agunt illi, qui *benevolentiam* Dei, *fidemque* ipſam à Deo in Theſſalonicenſibus hinc demonſtratam, hinc effectam, tanquam porro perficiendam, hic intelligi debere arbitrantur.

καὶ ἔργον πίςεως] Lege nos ad 1 *Theſſalon.* I. 3.

# CAPUT II.

AD octo priora hujus capitis commata legi ex noſtratibus poteſt *Wilhelmi Lyſeri* Locus de Anti-Chriſto, ſummarie ex 2 *Theſſ.* II. concinnatus, methodice diſpoſitus, & notis explicatus. Wittebergæ 1643. 4to. tum *Matthiæ Netheni* Diſputat. de myſterio iniquitatis Anti-Chriſtianæ, Herborn. 1686. 4to. Conſtat quoque ſpectare huc *Hugonis Grotii* Commentationem ad loca Novi Teſtamenti de Anti-Chriſto, Amſtelodami 1640. 8vo. & Appendicem ad illam, ibidem 1641. 8vo. Utrumque opuſculum recuſum eſt in Operibus ejus Theologicis Tom. III. pag. 457. Conf. B. *Vincent. Placcii* Theatrum Anonymorum & Pſeudonym. p. 72. & Hiſtor. Bibliothecæ Fabricianæ Part. I. p. 280. & 298. Grotius ibi id inprimis egit, ut probaret, Anti-Chriſtum, de quo hic agitur, non ad Papam Romanum, ſed ad Caligulam, & Simonem Magum referendum eſſe. Huic vero ſe oppoſuit *Samuel Mareſius* in Diſſertatione de Anti-Chriſto, qua expenditur & refutatur nupera commentatio ad illuſtriora ea de re Novi Teſtamenti loca Illuſtris Viri, *Hugonis Grotii* credita; ſimulque Eccleſiarum Reformatarum ſententia de Anti-Chriſto Romano defenditur & confirmatur, 1640. 8vo. Tum vero *Samuel Bochartus* in epiſtola ſingulari ad *Claud. Sarravium*, quæ exſtat Tom. II. Operum ejus pag. 1045. ſq. & *Joannes Simplicius* (i. e. *Schlichtingius* teſte *Sandio* in Biblio-

theca Anti-Trinitariorum pag. 128. non *Claud. Salmaſius* ſub cujus nomine in Supplemento Criticorum Sacrorum Anglic. exſtat, nec *Samuel Mareſius*, quod B. *Mayerus* in Bibliotheca Biblica pag. 156. ſibi perſuaſum habuit) in Notis in Viri cujusdam doctiſſimi commentationem ad 2 Theſſ. II. 1643. 8vo. Ex noſtratibus ſententiam illam profligavit, eademque opera in verum hujus capitis ſenſum inquiſivit *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. & *Joannes Hülſemannus* in Breviario Theolog. c. XXII. Ex Anglis autem *Thomas*, Epiſcopus Lincolnienſis, in *Obſervationibus ſuper Bullam Pontificis Romani contra Eliſabetham Reginam* Anglice editis, pag. 137. ſqq. & *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis, qui poſtquam p. 751. ſqq. horum commatum ſenſum in Papam Romanum cadere oſtenderat, inde à pag. 758. ſqq. *Grotii* ψευδερμηνείαν confutat.

Verſ. 1. Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς] Verbum ἐρωτᾷν in *rogandi* ſignificatu *Grotius* ad h. l. pro Latiniſmo, *Bochartus* vero loc. cit. pro Hebraiſmo potius haberi vult, quæ & *Feſſelii* noſtratis eſt ſententia in Adverſariis Sacris lib. III. cap. 6. p. 626. Sed de eo alibi nos dicere meminimus.

ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν] *per adventum* cum *Vulg.* reddit *Eraſmus* & *Beza*, cui ſpeciem jurisjurandi (vel *obteſtandi* potius) referre videtur. At rectius verteris *de adventu*, ut ὑπὲρ idem ſit, quod περὶ, ceu in aliquo Codice, ex interpretamento ſcilicet, legi monuit *Millius*. Eam vero ſignificationem alibi etiam occurrere *Grotius* ad h. l. oſtendit. Non inconvenienter τὸ ἐρωτῶμεν proxime referetur ad verſ. 2. εἰς τὸ μὴ &c. hoc ſenſu: Rogamus autem vos fratres, *ne, quod adventum Domini noſtri attinet, cito dimoveamini.* Lege hic *Eraſmum Schmidium* & *Hombergium* in Parergis pag. 324. Ita fere ſupra V. 1. περὶ δὲ τῶν χρόνων &c. Nec omitte *Vitringam* lib. I. Obſervationum Sacrarum cap. XVII. pag. 212. ſq. qui itidem ita explicat, ac ſi ſcriptum eſſet: Ἐρωτῶμεν δὲ ὑμᾶς, ἀδελφοὶ, εἰς τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τοῦ νοὸς, μήτε θροεῖσθαι, μήτε δι' ἐπιστολῆς, ὡς δι' ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς παρουσίας &c. Τὸ ὑπὲρ non poſſe converti *per*, idem oſtendit.

*Adventum Domini* noſtri non judicium aliquod particulare v. c. in Judæos, ſed extremum judicium inferre, ut ex addita ἐπισυναγωγῇ, ita ex prioris epiſtolæ IV. 13. & hujus cap. I. 10. intelligitur. Cum enim Theſſalonicenſes ante tradita ex parte non recte cepiſſent, & adventum illum ultimum jam imminere ſibi perſuaſum habuiſſent, factum eſt, ut Apoſtolus illius mentionem h. l. iterum faceret. Lege præter ceteros *Vitringam* loc. cit. & ex noſtratibus B. *Martini Chladenii*, Theologi Wittebergenſis, diſſertationem de metu diei extremæ apud heterodoxos aut intempeſtivo, aut nullo, qua tria priora hujus capitis commata explicantur. Wittebergæ 1711. 4. Errorem hunc ex eo natum putat *Triglandius* in Diſſertat. de Karæis pag. 122. quod veteres Judæi adventum Meſſiæ cum reſurrectione mortuorum conjunxerint.

Verſ.

Verſ. 2. *Εις τὸ μὴ ταχέως σαλευθῆναι ὑμᾶς ἀπὸ τῦ νοὸς* ] MSS. pauci legunt *νοὸς ὑμῶν*, *à mente veſtra*, ceu *Vulg*. cumque eo alii expreſſerunt. Enimvero *νῦς* non infert *mentem* Theſſalonicenſium, ſed *ſenſum* potius verborum Pauli, de hoc argumento in ſuperiore epiſtola traditorum, & in ſequentibus illuſtrandorum. Hunc alii pervertere, & à vero avocare conati erant; propterea illum Apoſtolus denuo inculcat, & commendatum eſſe cupit Theſſalonicenſibus. Ea notio eſt vocis *νῦς* 1 *Cor. XIV*. 14. ſqq. *Σαλέυειν* & *σαλεύεσθαι* naves proprie dicuntur in mari jactatæ, atque hinc transfertur ad animos curarum fluctibus æſtuantes. Ita *Elſnerus* ad h. l. qui & notas ſuas ad *Act*. XVIII. 3. conferri vult. *Heliodorum* inter ceteros affert lib. VI. pag. 264. dicentem: *eam relinquunt λύπης τε ἐπὶ τῷ χωρισμῷ σαλεύυσαν*, *inter mærorem ob diſceſſum & lætitiam rei ſperatæ fluctuantem*. Plura veterum in eandem rem loca congeſſit *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad *Hebr*. XII. 27. p. 259. ſqq. Patres Eccleſiæ *τὸ σαλεύειν* & *ἀποσαλεύειν* nunc ſimpliciter, nunc addita voce *ἐλπὶς*, *ſpes*, adhibere, oſtendit *Jo. Baptiſta Cotelerius* in Notis ad Tomum II. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ pag. 684. ſq.

*μήτε διὰ πνεύματΘ* ] i. e. *nec prophetici Spiritus obtentu*. Vide *Jac. Cappelli* notas ad h. l.

*μήτε διὰ λόγυ* ] *nec per ſermonem*, quem ſcilicet vel Paulus vel alii Apoſtoli de adventu Domini, tanquam proxime imminente, feciſſe dicerentur. Referenda ſcilicet hæc ſunt ad ſequens *ὡς δι' ἡμῶν*, quemadmodum v. 15. ait: *ἃς ἐδιδάχθητε διὰ λόγυ, εἴτε δι' ἐπιςολῆς ἡμῶν*, ubi non aliorum ſermo eſt, aliorum vero epiſtola. Vide huc Rev. *Raphelii* Annotat. Polybian. pag. 582. qui præterea obſervat, *Arrianum* quoque de Expedit. Alex. l. 25. 5. *λόγυς* & *γράμματα* conjungere, ſicut & *Polybium* pag. 409. Sic *διὰ λόγυ Actor*. XV. 27. ubi vide eundem. Itaque nec *λόγΘ* de ſparſis aliorum rumoribus accipi debet, quamvis vox hoc ſenſu veniat apud *Arrianum* paſſim.

*μήτε δι' ἐπιςολῆς, ὡς δι' ἡμῶν* ] Hinc Patrum nonnulli, v. c. *Chryſoſtomus, Theophyl. Oecumenius* & *Origenes* apud Rufinum de adulteratione librorum Origenis pag. 881. confecerunt, fuiſſe tum à falſario epiſtolam ſub Pauli nomine ad Theſſalonicenſes ſcriptam; alii vero cavere potius Paulum voluiſſe cenſent, ne, ſi quid ejusmodi inpoſterum fiat, Theſſalonicenſes abripi ſe patiantur, quo fine in epiſtola hac extrema *ἰδιόγραφον σημεῖον* exhibuerit. Ita præter *Theodoretum* alii. Loca ſingulorum habes apud *Fabricium* noſtrum Tom. II. Codicis Apocryphi N. T. pag. 916. Priorem ſententiam ex recentioribus amplectitur, ut alios taceam, *Joan. Ens* in Biblioth. Sacr. pag. 45. Conf. *Bernh. Elſingii* Diſp. de Pſeudepigraphis Pauli pag. 18. Atque hæc videntur præferenda.

*ὡς ὅτι ἐνέςηκεν* ] *quaſi inſtet*. Τὸ *ὅτι* fere abundat. Hic *Iſocrates* in Laudatione Buſiridis pag. 433. de Socrate: *κατηγόρειν δὲ αὐτῦ ὡς ὅτι καινὰ δαιμό-*

δαιμόνια εἰσφέρει. *Accuſabant autem eum, quaſi novos Deos introduceret.* Confer *Jo. Alberti* Obſſ. Sacr. pag. 317. ſq.

ἡ ἡμέρα τῦ Χριςῦ ] Codd. aliquot habent Κυρίυ, quod propterea præceps in contextum recepit editor N. T. Græco-Anglicani. Cur enim Χριςῦ Paulus ſcripſiſſe dubitabitur, qui v. 1. de eodem die loquens Κύριον Ἰησῦν Χριςὸν commemoraverat?

Verſ. 3. Μήτις ὑμᾶς ἐξαπατήσῃ, κ. τ. λ. ] Vide *Speneri* Reſponſ. Theol. German. Part. I. pag. 221. & 223. ſq. & Part. IV. p. 39. 41.

ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποςασία πρῶτον ] De voce ἀποςασία lege *Joſ. Medum* in Operibus Anglicanis pag. 625. qui *cultum idololatricum* inprimis indicari cenſet. Hoc inprimis tenendum eſt contra *Hammondum* ad h. l. dilute admodum τὴν ἀποςασίαν de *ſeparatione* Apoſtoli & aliorum credentium à Judæis incredulis ſermonem hic eſſe opinantem, contra quem lege etiam *W. Wall* in Notis Criticis pag. 156. ſqq. Non rectius ἀποςασία de Judæorum in Romanos rebellione intelligetur cum *Jo. Clerico* in notis ad verſ. Gallic. N. T. quamvis *Hieron.* ep. CLI. eodem fere modo de rebellione gentium, Romanis ſubjectarum, acceperit.

ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ] Conſule *Suicerum* Tom. I. pag. 354. Judæi hujusmodi hominem איש און & איש בליעל vocant. Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 840. ſq.

ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας ] Lege eundem Tom. II. pag. 1355. & *Jo. Vorſtium* Parte II. Philologiæ Sacr. pag. 46. ſqq. qui in phraſeos hujus notione enucleanda diligens & copioſus eſt. Cum phraſi Hebraica בני משחיתים, h. e. tales, qui non ſolum ſe ipſos perdunt, ſed & alios, confert *Schœtgenius* loc. cit. pag. 841.

Verſ. 4. ἀντικείμενος ] Idem eſt quod ἀντικαθήμενος, qua voce *Libanius* non ſemel in Vita ſua utitur, nec minus Orat. XXVIII. ubi ait: *τὸ μὴ εἶναί μοι τὸν ἀντικαθήμενον, cum nemo eſſet, qui ex adverſum mihi conſideret.* Tralata videtur vox ἀντικαθήμενος à re bellica, copiisque militaribus, in conſpectu hoſtium conſidentibus. Lege *Gatakerum* ad Marc. Antoninum III. 6. pag. 104. Alludi hoc commate ad *Jeſ.* XIV. 13. 14. nec alium niſi Anti-Chriſtum Romæ revelandum intelligi poſſe, cum attributa prophetiæ hujus Paulinæ non niſi in quibusdam Præſulibus Romanis corruptorum Chriſtianiſmi temporum monſtrari queant, *Campeg. Vitringa* in commentario ad illud *Jeſaiæ* caput oſtendit Tom. I. pag. 446.

ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ] *Beza* hic repoſuit πᾶν τὸ λεγόμενον Θεὸν, perperam, cum recepta lectio conſtante codicum conſenſu firmetur, & *Vulgatus*, qui ſimili modo legiſſe videtur, non tam lectionem codicis ſui, quam ſenſum, inprimis ob ſequens σέβασμα expreſſiſſe cenſeri poſſit. Compara hanc in rem *Eraſm. Schmidium* ad h. l.

ἡ σέ-

ἢ σέβασμα ] Lege *Svicerum* Tom. I. pag. 942. & *Pet. Zornium* Tom. I. Biblioth. Antiquar. Exeget. pag. 288.

ὥςε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τȣ͂ Θεȣ͂ ] i. e. ἐν τῷ ναῷ. Sæpe enim τὸ εἰς pro ἐν uſurpatur. Vide nos Vol. II. harum Curarum p. 654. & adde ad h. l. *Jac. Cappellum* p. 89. Græcorum & Latinorum Scriptorum exempla promentem. *Eccleſiam* hic indicari conſtat. Vide *Svicerum* Tom. II. p. 387.

ὡς Θεὸν ] Deeſt in variis Codd. nec citatur à veteribus quibusdam, ex quo in contextum poſtliminio inſertum eſſe *Millius* non dubitat, recentem editorem N. T. Græco-Anglicani ita ſibi audientem nactus, ut penitus expungeret. Nec aliter *W. Wall* in Notis Criticis pag. 159. At vide *Whitbii* Examen pag. 72. affirmantis, majorem eorum eſſe numerum, qui ſuffragentur receptæ lectioni, quam qui adverſentur. Mihi non dubium eſt, omiſſas has voces eſſe à nonnullis male ſedulis & intempeſtive ingenioſis, quibus idem paulo poſt per, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν, ὅτι ἐςὶ Θεὸς, viſum eſt dici. At egregie illi falluntur. Aliud enim eſt, ſe pro DEO gerere, & divinam majeſtatem geſtu, habitu, opere referre, quod hæc phraſis vult; aliud ſe Deum verbis oſtentare, & talem haberi velle. Videtur autem his verbis innui, Anti-Chriſtum non ſolum divinum aliquod in Eccleſiam imperium, ſed & ſupremum in Magiſtratus quoscunque dominium ſibi eſſe vindicaturum.

αὐτὸν —— καθίσαι ] Eadem hujus verbi conſtructio eſt apud *Ælianum* de Nat. Animal. lib. II. c. 39. ὁ ἀετὸς ἐπὶ τῷ τένοντι τȣ͂ ζώȣ καθίσας ἑαυτὸν, apud *Hippocratem* lib. III. de Morb. c. 26. ἄποτον καθίσας ἐπὶ ἕδρης ἀκινήτȣ, & *Lucianum* in Nigrino: καθίσας ἐμαυτὸν ὥσπερ ἐν θεάτρῳ, iterumque alibi: ὑπὲρ τȣ͂ ναυςάθμȣ καθίσας ἑαυτόν. Hinc *Thomas Magiſter* præcipit: τὸ καθίζω ȣ͂ μόνον τίθεται ἀντὶ τȣ͂ ἕτερον ποιεῖν καθίζειν, ἀλλὰ καὶ ἐμαυτόν. Debes hæc eruditiſſimi *Trilleri* Notis MSS. qui de duplici hac verbi ſtructura videri jubet *Grævium* ad Luciani Solœciſtam p. 761. & *Grotium* in Append. ad Commentar. de Anti-Chriſto.

ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν. ὅτι ἐςὶ Θεός ] Ita *Polybius* pag. 541. Antiochus βασίλισσαν ἀποδείξας τὴν Λαοδίκην, *Laodicem ſalutari Reginam jubet.* Ex h. l. firmatur, quod modo dixi, dictione ſcilicet hac inferri adfectationem & poſtulationem cultus divini. Ceterum de phraſibus his omnibus, ad ἀντικείμενον illum relatis, lege etiam ex Patribus commentantem *Svicerum* Tom. I. pag. 391. ubi de Anti-Chriſto commentatur.

Circa hæc multis pridem diſputatum eſt de eo, quæ ſit illa ἀποςασία, quisque ὁ ἀντικείμενος, vel Anti-Chriſtus ille, quem Apoſtolus tam diligenter delineat. Variorum de hoc capite ſententias collectas leges in Obſervationibus Miſcellaneis vernacula lingua editis Tom. III. p. 245. ſqq. De *Grotio*, ad *Caligulam* id omne potiſſimum referente, in limine diximus, cujus interpretatio hodie quidem penitus exploſa merito habetur. Alii itaque ad Anti-

Chri-

Chriſtum illum magnum, Romæ Pontificiæ Præſidem, ſpectare recte arbitrati ſunt, atque illi fere omnes, qui Grotio ſe oppoſuerunt. Adde B. *Chriſtiani Kortholti* Apotheoſin Papæam, Kilon. 1690. Noſtra memoria fuerunt inter noſtrates, qui nationem Judaicam hic peti cenſuerunt. Ad hanc opinionem tuendam ſigna ſuſtulit *Herman. Hardtius*, edita ἀνωνύμως anno, ni fallor, 1707. diſſertatione Gallica, quam *L' Anti-Chriſt* inſcripſit. Audi eum, pag. 5. hæc ex Gallico converſa pronunciantem: *Caput, & ceteri Judæorum, ſive Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ Præſides una cum toto Senatu Hieroſolymitano & tota gente Judaica Anti-Chriſtus erant & Anti-Chriſti, quorum in N. T. vel directe vel indirecte fit mentio.* Tituli hujus rationem pag. 15. inde repetit, quod ipſi illi Judæorum Magiſtratus, Phariſæi & Legis Doctores non ſolum Chriſto, ſed Apoſtolis quoque & eorum aſſeclis, ut jurati hoſtes ſe oppoſuerint, digni proinde, qui Anti-Chriſti appellarentur. Sententiam hanc ad examen paulo poſt vocavit Vener. *Valent. Erneſtus Læſcherus* in *Exercitat. Theolog. qua recens portentum Exegeticum, Anti-Chriſtum eſſe nationem Judaicam, examinatur, & Oracula* 2 Theſſ. II. 2. 1 Joh. II. 18. & IV. 1. 2. 3. *à perverſionibus Auctoris ſchedæ Helmſtadienſis*, l' Anti-Chriſt *dictæ, vindicantur.* Vitembergæ 1707. in 4. Eadem opera contra eundem auctorem perfunctus eſt *B. P. Carl* in diſſertat. *de Anti-Chriſto non Judaico, quaſi jam dudum cum Republica Judæorum abolito*, quæ exſtat in Biblioth. Bremenſi, Claſſ. V. pag 799 ſqq. Nihilominus tamen in easdem partes nuper pedibus ivit Vir doctus in Horis Hebr. p. 838. per Anti-Chriſtum hunc non *ipſum* quidem *Judaiſmum ſed Phariſaiſmum & Rabbiniſmum Judaicum, qui vere Anti-Chriſtianiſmi nomen mereatur, intelligens, neque tamen Pontificem Romanum & Clerum Romanum* prorſus *excludens, quippe in quem plurima, quæ divus Apoſtolus proferat, conveniant, ut* proinde *Anti-Chriſti nomine recte à noſtratibus appelletur.* Sed, quod pace ejus dictum ſit, non perſuadet, quæ voluit. Apoſtolum, ait, *de tali re loqui, quæ tunc proxima erat, & quam Theſſalonicenſes ſe vivendo attingere poſſe credebant.* Non repetam, quod comma hujus capitis primum, cum antecedentibus collatum, huic opinioni adverſetur. Ponamus tamen, quod ait p. 837. *Theſſalonicenſes curioſos* fuiſſe *de noſcendo tempore judicii in Judæos perverſos exercendi atque* hoc nomine *Apoſtolum per literas interrogaſſe*; negare ſane ſic non poterat Apoſtolus v 2. ὅτι ἐνέϛηκεν ἡ ἡμέρα Χριϛοῦ. Imo vero ipſe Paulus id docuerat 1 epiſt. II. 16. ἔφθασε γὰρ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος, quæ verba pag. 824. ita explicat: *Innuit hic Apoſtolus interitum Reipubl. Judaicæ, qui tunc prope erat, & faſtum Judæorum ſummopere domiturus erat.* Quod *tunc prope erat*, id h. l. ἐνεϛηκέναι negari poterat. Non poteſt obverti, tam prope non fuiſſe, quam ſibi perſuaſerint Theſſalonicenſes. Tam prope enim omnino erat, ut interitum illum nonnulli Theſſalonicenſium vivendo attingere potuerint. Triginta enim circiter annos ab eo tempore interjectos fuiſſe hiſtoria teſtatur. Neque ex verbis Pauli colligi admodum poteſt, quam prope Theſſalonicenſibus dies ille eſſe viſus ſit. Itaque de alio adventus die, qui longius fuerit remotus,

motus, Apoſtolum loqui neceſſe eſt. Non admodum, fateor, *Theſſalonicenſium intererat ſcire*, quid interjectis etiam pluribus ſæculis, ante Antichriſti adventum eventurum ſit. Id vero ſcire eos referebat, Chriſtum Judicem univerſorum ante fores non eſſe, qui refractarios tantis pœnis adfligeret, quantis præmiis credentes ſit excepturus. Vide cap. I. 5. ſqq. Fieri enim alioquin poterat, ut, ſpe illa fruſtrati, de veritate doctrinæ Evangelicæ in univerſum dubii hærerent. Non obſtat porro, quod Apoſtolus v. 6. *Theſſalonicenſes dicat ſcire, quidnam illud eſſet, quod revelationem Anti-Chriſti impediret & retineret*, cum illis cognitum eſſe non potuerit, *quid Pontificem Romanum ejusque revelationem impediret, Pontifice Romano eo tempore nondum exiſtente.* Poterant utique id ſcire ex verbis Pauli, quæ præſens de hoc argumento ad ipſos fecerat. Hinc v. 5. eorum verborum memoriam illis refricat: οὐ μνημονεύετε, ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; & ſtatim ſubjicit: καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε, *jam vero noſtis*, nempe ex ſermonibus meis, *quid illum detineat.* Itaque perſuaſum mihi eſt, Paulum de hoc apoſtaſiæ futuræ myſterio copioſe apud Theſſalonicenſes præſentem expoſuiſſe, quorum meminiſſe jubentur. Hæc ſunt fundamenta, quibus vir doctus interpretationem ſuam ſuperſtruxit. Jam dictiones Pauli ſingulas huc accommodare annititur. Et παρουσίαν quidem ad judicium in Judæos refert, ex eo, quod Judæ v. 14. & *Apocal.* XXII. 12. Dominus dicatur *venire*. At utroque in loco de judicio univerſali agi conſtat. Τὴν ἐπισυναγωγὴν de ultimo Chriſti adventu accipi poſſe non negat; mavult tamen h. l. de collectione Eccleſiæ ſub alas Schechinæ ex *Matth.* XXIII. 37. interpretari, quæ ſcilicet futura ſit poſt ultionem de Judæis ſumtam, cujus mora factum ſit, ut nonnulli ex Chriſtianis in fide vacillarent. Enimvero Dominus noſter *Matth.* XXIV. 31. de extremo ſuo adventu verba faciens, Angelos ſe ait miſſurum, οἳ ἐπισυνάξουσι τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν. Simili ſenſu *Matth.* XXV. 32. καὶ συναχθήσονται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη. Vides, utrinque *congregationis* vocem de illis uſurpari, qui Chriſto judici aliquando ſunt ſiſtendi. Fateor porro, me non videre, quomodo Apoſtolus dicere potuerit; *poſtquam illud Chriſti judicium peractum erit, tum demum nos omnes ad Chriſtum perducemur, tum demum conſtantia noſtra in religione Chriſtiana confirmabitur.* Sane enim & Apoſtoli, & Theſſalonicenſes, ſaltem plerique, de veritate religionis Chriſtianæ ita convicti fuiſſe cenſendi ſunt, ut conſtantia eorum ex judicii illius executione non penderit; ne dicam, pauciſſimos eorum judicium illud oculis uſurpaſſe, quod nec Apoſtolus ignoraſſe videtur. Τὸν νῦν v. 2. de *mente* accipit vir doctus, *quam Paulus in ipſis per doctrinam Evangelii formaverit.* Vide quæ paulo ante ad illud comma diximus.

Verſ. 5. ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς] cum adhuc eſſem *apud vos*, nempe Theſſalonicæ. Vide *Bochartum* l. c. p. 1047. Sic infra III. 4.

Verſ. 6. *Καὶ νῦν τὸ κατέχον οἴδατε*] De illo, quod *κατέχον* hic vocatur, lege *Buddei* Inſtitutiones Theologiæ Dogmaticæ pag. 1684. & ejusdem Diſſertat. de origine & poteſtate Epiſcoporum §. XXIV. ubi *Henr. Dodvvelli*, auctoritatem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, qua hæretici utcunque repreſſi fuerint, intelligentis, confutat. Imperium Romanum, tum temporis principatum obtinens, tanquam impedimentum *myſterii iniquitatis* inpoſterum in Eccleſiam graſſaturi, hoc & ſequente verſu ſubindicari ex veteribus perſuaſum ſibi habuit *Chryſoſtomus*, ad h. l. qui eadem opera monet, Apoſtolum obſcurius & ænigmatice de eo loqui, ne negotium ſibi præter neceſſitatem faceſſeret. Compara *W. Wall* notas Criticas pag. 160. inter cetera *Tertullianum* appellantis, qui non longo poſt tempore publice ſit profeſſus, Chriſtianos pro continuando Romanorum imperio ſerio precari, ideo, quod, eo ſublato, peſſima quæque ſibi exſpectanda ſint. Lege *Tertullianum* ipſum in Apologet. cap. 32. & 39. item ad Scapulam cap. 2. tum vero de Reſurrect. cap. 24. *Ambroſium* in h. l. *Hieronymum* Quæſt. XI. ad Algaſiam & præfat. in lib. VIII. commentar. in Ezechielem, *Auguſtinum* lib. XX. c. 19. de Civit. Dei, & *Cyrillum Hieroſolymitan.* Catech. XV. Adde *Joſ. Medi* Opera Anglicana p. 656.

Verſ. 7. *Τὸ γὰρ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας*] Lege *Henr. Mori* Opera Theolog. Latina pag. 761. ſq. Ita in *Sohar* Geneſ. fol. 12. מסטרא בישא *myſterium malum* caveri jubetur, obſervante *Schœtgenio* loc. cit. p. 845.

*μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται*] i. e. *myſterium iniquitatis peragitur, donec tantum modo, qui obſtat, è medio tollatur.* Ita *Scaliger* vertit in Notis ſuis MSS. ad N. T. Bezæ, quas habes in *Henr. Leonh. Schurzfleiſchii* Actis Literariis pag. 31. Levis ſcilicet hic eſt vocum trajectio, qualis eodem judice exſtat *Actor.* I. 2. de qua idem pag. 26. monuerat. Hoc vero modo ſupplemento opus non eſt, quale alii aliud afferunt. *Er. Schmidius* vertit: *ſed* occultum manebit, *tantum, usque dum veniat* &c. *Beza* ita: *tantum qui nunc* obſtat, *obſtabit &c.* Eam, quam *Scaliger* vidit, expoſitionem ſequitur *Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacrar. pag. 214. Verbum *κατέχον* optime vertitur, per *cohibet*, vel *retinet*. Interim *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 214. verti etiam commode poſſe cenſet per, *qui tenet imperium*, ut Græcum *ἀρχὴν* ſubintelligatur, ſicut *Dionyſ.* Halicarnaſſ. lib. I. pag. 2. Ἡδὲ *Μηδικὴ* | *καθελοῦσα τὴν Ἀσσυρίων* —— *χρόνον οὐ πολὺν κατέχεν* i. e. *non diu tenuit imperium.* Conferatur idem de Ellipſi pag. 23. & conſentiens *J. C. Schvvarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag 123. At non puto, per *τὸν κατέχοντα* heic aliud ſignificari, quam quod *τὸ κατέχον* v. 6. infert. Recte ſane *Grotius* ad h. l. monuit, *ſæpe neutrum nomen etiam de perſonis poni, quatenus eæ perſonæ res ſunt.* Jam vero verſ. 6. *τὸ κατέχον* non poteſt non verti, *quod detinet:* itaque & h. l. ſimiliter. Repetiiſſe vero rem eandem Paulus videtur, partim majoris lucis cauſa, ne tam de re aliqua, quam de perſonis ſermo eſſe crederetur,

Digitized by Google

retur, partim, quod monendum cenſebat, iniquitatis illius ſemina jam ſpargi. Prorſus non audiendus eſt *Robertus Valeſius*, in Epiſtolis Caſauboni Almeloveenianis pag. 669. ſuſpicatus, pro ὁ κατέχων legendum eſſe τὸ κατέχον, ut referatur, ad *myſterium iniquitatis.* Græce enim ita non dici quivis, me non monente, intelligit.

Verſ. 8. Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος] Per hunc *Simonem Magum* indicari viſum eſt *Grotio* l. c. & fere *Henr. Hammondo* ad h. l. & in Diſſertat. procemiali de Jure Epiſcoporum. Lege contra eum, præter alios ſupra laudatos, *Henr. Morum* in Opp. Theolog. Lat. pag. 747. qui & in ſequentia aliquot commata diſſerit, & *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 763. Ex noſtratibus conferri poteſt *P. J. Spenerus* in Reſponſis Theologic. Germanicis Parte I. pag. 217. & 220. ſqq. & *Jo. Georg. Neumannus* in Diſputat. de Excidio Anti-Chriſti, Wittebergæ 1696.

ὃν ὁ Κύριος ἀναλώσει] Codd. & Patres nonnulli legunt ἀνελεῖ, quod propterea in contextum recepit editor N. T. Græco-Anglicani, præter rem, cum utriusque verbi eadem ſit ſignificatio, quod recte monuit *Leonh. Twells* in Examine Critico illius N. T. Part. I. pag. 48. Placent, quæ *Whitbius* in Examine N. T. Milliani pag. 72. obſervavit. *Patres*, inquit, *legunt* ἀνελεῖ, *fortaſſe ex eo, quod verſio* τῶν LXX. *ita ſe habet* Jeſ. XI. 4. *Utram harum vocum legerint Patres Latini, nemo pronunciare poteſt; ſed lucem his dabunt* Chryſoſtomi *hæc verba, in* Pſalm. XLIV. καὶ ἄλλος Προφήτης φησὶ, πατάξει τὴν γῆν τῷ λόγῳ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ πνεύματι χειλέων ἀνελεῖ ἀσεβῆ, τὰ αὐτὰ τῷ Παύλῳ φθεγγόμενος, λέγοντι, ὃν ὁ Κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι στόματος αὐτοῦ. *Tom. III. edit. Mor.* pag. 214. De mortis genere, quo Anti-Chriſtus perimendus ſit, commentatur *Menochius* in Trattenimenti eruditi Parte IV. pag. 406. ſqq. τῇ ὑποθέσει egregie δουλεύων.

Ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος] Sic in *Jalkut Schimoni* Part. I. fol. 52. 3. Moſes aliquos *verbo dicitur deglutiviſſe.* Vide *Schœtgenium* p. 845.

τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ] Ita *Polybius* pag. 340. τὴν ἐπιφάνειαν τῆς ἡμέρας dicit, obſervante *Raphelio* p. 583. quo judice *non ſine cauſa forſitan urgeri poſſit præpoſitio* ἐπὶ *in ſignificatione* ſupra, ut ἐπιφάνεια *ſit ejus, qui ex ſuperiore loco ſe profert, atque conſpiciendum exhibet. De cœlo enim Dominus noſter deſcendet* 1 *Theſſal.* IV. 16. *& revelabitur* 2 Theſſal. I. 7. Suidas *certe annotat*, ἐπιφαίνεσθαι ὑψόθεν, *ſicut* ὑποφαίνεσθαι χαμόθεν. Lege ibi plura, & compara *Valeſium* ad Euſebii Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. 6. pag. 28. Dici cum *Schœtgenio* pag. 846. poſſit, ἐπιφάνειαν τῆς παρουσίας, idem eſſe, quod παρουσίαν ἐπιφανῆ adventum illuſtrem, ſeu in omnium oculos incurrentem. Ceterum ἐπιφάνειαν hanc Chriſti non ad judicium extremum, ſed ad regnum ejus conſummandum ſub tubicinio ſeptimo *Apoc.* XI. 15. ſq. quo adventu ipſe Anti-Chriſtum plane aboliturus ſit, pertinere exiſtimat *B. P. Karl*

in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. pag. 600. ſqq. Sed hæc ad noſtros circulos non admodum pertinent.

Verſ. 9. *Οὗ ἐστιν ἡ παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις* ] Lege *Svicerum* Tom. I. pag. 389. & 970. De portentorum hujusmodi conditione diſſerit *Jo. Rodolphus Rodolphi*, Theologus Bernenſis, in Exegeſi Theologico Philolog. de adventu & miraculis Anti-Chriſti Bernæ 1705. 4. Adde *Fleetvvodi* Tentamen de miraculis Anglice editum, Diſſert. II. *Schœtgenius* p. 847. ſtudium Judæorum Magicum huc advocat.

*καὶ τέρασι ψεύδους* ] *Notat* falſa *&* *mendacia* prodigia, ψευδῆ. *Non putem eſſe merum Hebraiſmum. Ut enim alia mittam, ecce* Philo p. 14. D. *ubi κίνησις ἠρεμίας eſt* motus placidus. Et p. 36. C. *πλάσματα μύθου, pro quo* p. 1. A. 39. D. *πλάσματα μυθικά. Ibid. δείγματα τύπων i. e. τυπικά*, figurata documenta. Verba habes *Jo. Alberti* ex Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 121.

Verſ. 10. & 11. *Καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας, κ. τ. λ.* ] Spectat huc B. *Gottlieb Wernsdorfii* diſſertatio de efficacia errorum, Wittenbergæ 1716. 4.

*ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις* ] *in iis qui pereunt.* *Τὸ ἐν* deeſt in paucis Codd. & Patribus, atque hoc nomine ab editore N. T. Græco-Anglicani omiſſum. Senſus eſt, quem *Grotius* recte expreſſit, *apud eos, qui Evangelio credere noluerunt, ac propterea perituri ſunt.* Patet hinc, præpoſitione illa omnino opus eſſe, cum id inferat, quod, quemadmodum mendacia illa portenta hominum oculis ingeruntur, ita deceptioni ad iniquitatem viam muniant, in illorum, qui perituri ſunt, animis perficiendæ. Interpres ille Anglus prave expreſſit: *to the ruine of thoſe, vvho are averſe to the truth*, h. e. *in perniciem eorum, qui veritatem averſantur.* Vides, omiſſionem præpoſitionis *ἐν* effeciſſe, ut in interpretando omitteret particulas *ἀνθ' ὧν*, & vero verborum ſenſu excideret.

Verſ. 11. *Καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς*] Pauci Codd. & Patres aliquot legunt *πέμπει*, pro quo prius illud à lectore aliquo profectum videtur *Millio*, in Prolegomenis §. 693. At non intelligo, qui Paulus *πέμψει* ſcripſiſſe cenſeri non debeat. De illa enim *errorum efficacia* ſermo eſt, quæ ſe exſertura potiſſimum ſit ſub adventum hominis *ἀνόμου*, de quo itidem futuri temporis forma adhibetur v. 8. *καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται.* Ceterum *τὸ πέμψει Theodoretus* recte explicat per *συγχωρήσει φανῆναι τὴν πλάνην concedet, ut appareat error*, ſicut *Theophylactus* per, *παραχωρήσει αὐτὴν ἐλθεῖν*, & *Cyrillus* per *συγχωρεῖ γίνεσθαι.* Alias *Herodotus* lib. VII. pag. 447. ſomnia Xerxi oblata, *ἐκ τοῦ θεοῦ πεμπόμενα* appellat, obſervante *Raphelio* p. 567. *Ἐνέργεια πλάνης* eſt multiplex hæreticorum & efficax error, qualem *Petronius* p. 431. edit. Burmannianæ *mendacium in damnum potens* appellat, monente doctiſſimo *Fabricio* noſtro in Luce Evangelii toti Orbi exoriente p. 488. Neque aliud ſibi, credo, voluit Interpres Gallus Montenſis, ita vertens: *un eſprit d'erreur ſi efficace*, quam interpretationem contra *Malletum* tuetur *Arnaldus* in continuata illius defenſione p. 93.

Verſ.

Verſ. 12. *ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ* ] *ſed acquieverunt in injuſtitia.* *Mendacium* hic verti mavult *Hombergius*, idque ex nexu ſermonis Paulini & epiſt. ad Romanos cap. I. patere arbitratur. Quando vero recogito, verſ. 10. *ἀπάτην τῆς ἀδικίας* ita commemorari, ut indicetur, quid portenta mendacia, errorum nempe ſigilla, in animis inepte credulorum tandem effecerint, vocem *ἀδικία* latiori ſuo ſignificatui relinquendam eſſe puto, ut ſic tum intellectus, tum voluntatis vitium, quo illi quidem infucati fuerint, ſignificetur. Hinc verſ. 13. præter *πίστιν ἀληθείας* commemoratur *ἁγιασμὸς Πνεύματος*. *Theophylactus* recte exponit phraſin omnem: *ἠρέσθησαν καὶ προσετέθησαν ἀσμένως τῇ ἀδικίᾳ.* *Placuit iis, & libenter ſe addixerunt injuſtitiæ.*

Verſ. 13. *Ημεῖς δὲ ὀφείλομεν εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ* ] Vide ſupra ad cap. I. verſ. 3.

*ὅτι εἵλετο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρχῆς* ] *Quod elegerit vos DEUS ab initio.* Electionem ad ſalutem ab æterno, & quidem in Chriſto factam, hic innui conſtat ex 1 *Theſſalon.* I. 3. Illam vero phraſeos *ἀπ' ἀρχῆς* notionem eſſe oſtendit inter ceteros *Witſius* in Oeconomia Fœderum lib. III. cap. IV. §. 21. ſeq. Conf. *Epheſ.* I. 4. Unus alterque Codex legit *ἀπαρχὴν*, & unus *ἀπαρχὰς*, id quod *Vulg.* etiam per *primitias* expreſſit. Lectionis hujus originem bene mihi detexiſſe videtur *Millius* ad h. l. *Lectio*, inquiens, *orta primum, ut opinor, ex incuria librariorum, voces ἀπ' ἀρχῆς conjungentium. Incidens nempe ſcriba aliquis in ἀπαρχῆς fecit ἀπαρχὴν, quomodo ſe habebat, ut videtur, exemplar, quo uſus eſt Vulg. Interpres. Obtinuit vero in libris aliquot hæc lectio, quod aliis Apoſtoli locis congruat, in quibus qui primi ex aliqua regione ad fidem converſi ſunt, iſtius regionis ἀπαρχὴ dicuntur.* Rom. XVI. 5. 1 Corinth. XVI. 15. Recte proinde verſio *Gallica Montenſis* reddidit *des le commencement*, (ab initio) nec habebat *Richard. Simon* cur eam caſtigaret in Hiſtoria Critica Verſionum Novi Teſtamenti pag. 478. Nolim etiam cum Interpretibus Gallis Berolinenſibus *initium* hoc accipere de eo, quod Deus Theſſalonicenſes inter *primos* eſſe voluerit, quos vocaret. Τὸ *εἵλετο* omnino amplius aliquid infert, quam *vocationem*, & reſpondet τῷ, *ἐξελέξατο Epheſ.* I. 4. Propterea v. 14. ſubjicitur: *εἰς ὃ ἐκάλεσεν*, atque adeo *vocatio*, ceu in tempore facta, ab *electione* æterna diſtinguitur. Cum vero electio illa præſtruat præviſionem divinam *τοῦ ἁγιασμοῦ Πνεύματος* & *πίστεως ἀληθείας*, hinc factum eſt, ut Apoſtolus utriusque momenti, tanquam in Theſſalonicenſibus conſpicui, faceret mentionem. Similiter *Petrus* 1 Epiſt. I. 1. *ἐκλεκτοὺς* appellans ſubjicit verſ. 2. *κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς ἐν ἁγιασμῷ Πνεύματος*. Compara hic *Joannis Joachimi Zentgravii* Repetitionem doctrinæ de electione ſecundum præviſionem fidei facta, Argentorati 1699. 4to. & *Joannis Andreæ Quenſtedii* Diſputationem de electione ad ſalutem, Wittebergæ 1702. recuſam.

Verſ. 14. *Εις ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς, κ. τ. λ.*] Lege B. *Franciſci Julii Lütkenii* Collegium Biblicum pag. 417.

*εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ Κυρίου*] *ad obtinendam gloriam Domini.* Ita recte *Beza.* Hanc enim eſſe notionem vocis *περιποίησις* patet ex 1 *Theſſalon.* V. 9. *εἰς περιποίησιν σωτηρίας*, & *Hebr.* X. 39. Nove itaque & male Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani reddidit: *to à life of glory* (ad vitam glorioſam) *vvith our Lord*, ad 2 *Chronic.* XIV. 13. provocans, ubi οἱ LXX. *ἔπεσον Αἰθίοπες, ὥστε μὴ εἶναι ἐν αὐτοῖς περιποίησιν.* Vide, quæ recte contra eum diſputavit *Leonhardus Tvvells* in Examine Critico Parte I. pag. 115.

Verſ. 15. *καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις*] *Arabs τὰς παραδόσεις* in Bibl. Polyglott. vertit ſecundum verſionem Latinam per *monimenta*, ubi per *dogmata*, vel *præcepta* transferri potius debebat, quod fit 2 *Theſſalon.* III. 6. & *Galat.* I. 14. *Syrus* reddidit *præcepta.* Scilicet *παραδόσεις doctrinas* Apoſtolicas inferunt, quas Theſſalonicenſes vel ex ore, vel ex literis acceperant. Vide ad 1 *Corinth.* XI. 2. Neque habent proinde Pontificii, cur traditiones non ſcriptas huic oraculo ſuperſtruant, quod, ut alios taceam, fecit ad h. l. *Picinellus* pag. 717. Luminum Reflexorum. Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 578. & Tom. I. pag. 933. ubi etiam Patrum loca, quæ traditionibus nimium tribuere videntur, illuſtrat. Nec omitte *Iſaaci Fauſtii* Diſſertat. de ſufficientia verbi ſcripti, Argentorati 1684. 4to. A Pontificiorum abuſu locum hunc vindicat etiam *Hoornbeeckius* in Veteribus & Novis lib. II. pag. 215.

Verſ. 16. *Αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος κ. τ. λ.*] Inſpice *Sebaſtiani Schmidii* Verantwortung adverſus Reformatos Append. II. pag. 761.

*δοὺς παράκλησιν αἰωνίαν —— ἐν χάριτι*] *qui dedit ex gratia.* Ita *Polybius* paſſim apud *Raphelium* pag. 584. v. c. pag. 1294. *Στρατονίκειαν ἐλάβομεν ἐν μεγάλῃ χάριτι παρ' Ἀντιόχου.* *Stratoniceam pro magno beneficio ab Antiocho accepimus.*

Verſ. 17. *παρακαλέσαι*] *conſoletur*, illo ſolatio, ſeu *παρακλήσει αἰωνίᾳ*, de qua verſ. 16. *Vulg.* vertit *exhortetur*, ſed *Syrus*, *Arabs* & *Æthiops* rectius alterum illud tenent, quamvis alias *exhortandi* ſignificatus in hoc verbo obtineat.

*καὶ στηρίξαι ὑμᾶς*] *Τὸ ὑμᾶς* non habent Codices quidam, quod Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ideo parentheſeos nota, tanquam ſuſpectæ & dubiæ fidei, diſtinxit, præter rem, cum tutius in plurium Codicum conſenſu acquieſcamus. De re ipſa lege ad 1 *Theſſal.* III. 13.

CAPUT

# CAPUT III.

VErſ. 2. *Καὶ ἵνα ῥυσθῶμεν ἀπὸ τῶν ἀτόπων*] De voce *ἄτοπος* vide ad *Actor.* XXVIII. 6. *Ατοπον Heſychius* per *πονηρὸν* & *αἰσχρὸν* explicat, quemadmodum *Plato* epiſt. VII. *ἄτοπον καὶ αἰσχρὸν νίκην* appellat. Latius vero vox patet. Hinc *Suidas* exponit per *ἄλογον, θαυμάσιον, παράδοξον, ξένον, κακὸν, μοχθηρὸν, καὶ ὃ μὴ ἔχει τόπον* id eſt: *Abſurdum, mirabile, inuſitatum, novum, malum, improbum; vel, quod locum non habet.* Hoc quidem loco *ἀτόπους abſurdos*, ſicut *πονηρὲς*, *malitioſos* dici putem, h. e. eos, qui non minus *ratione* & intellectu abutantur, erroribus obnoxii, quam voluntatem labe & vitiorum ſordibus inquinatam referant. Hoc ſcilicet ad ea quadrat, quæ cap. II. verſ. 12. dixit de *τοῖς μὴ πιστεύσασι τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσασιν ἐν τῇ ἀδικίᾳ.* Propterea *Chryſoſtomus* ad *ἀντιλέγοντας τῷ κηρύγματι, præconio Evangelico contradicentes*, refert, his verbis uſus: *ἄρα περὶ τῶν ἀντιλεγόντων τῷ κηρύγματι λέγει, περὶ τῶν ἀνθισταμένων καὶ μαχωμένων τοῖν δόγμασι. Τῦτο γὰρ ἠνίξατο εἰπών· ὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. Ου κινδύνυς ἐνταῦθα δέ μοι δοκεῖ αἰνίττεσθαι, ἀλλὰ τὺς ἀντιλέγοντας καὶ ἐμποδίζοντας αὐτῦ τῷ λόγῳ, ὥσπερ ἦν ὁ Ὑμεναῖος, ὥσπερ Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεύς.*

*ὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις*] *non enim omnium eſt fides.* Diſputatur hic, utrum de fide *Theologica*, quæ præconio Evangelii habetur, an *Politica*, quæ hominibus in vitæ uſu probatur, ſermo ſit? Poſterius mavult *Hombergius* vertens: *non omnibus poteſt fidi*, quo ſenſu *πίστιν* ait adhiberi *Ariſtoteli* Politic. lib. V. cap. 11. pag. 653. Ex noſtratibus *Trillerus* in Examine locorum quorundam Scripturæ Sacræ, quæ prave converſa credit, Parte II. pag. 111. ſimiliter: man kan nicht allen trauen, *Theophilus Alethæus* Tom. II. der Erläuterung p. 625. ſq. *Sinnerus* in Diſputatione de diſtinctionibus Novi Teſtamenti cap. II. §. 5. & noviſſime *Schœtgenius* pag. 850. Horarum Hebraicarum. Prius ex veteribus *Chryſoſtomum* amplexum eſſe modo vidimus, quem ex recentioribus ſecuti ſunt tantum non omnes, data vero opera B. *Wolfgangus Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 115. ſeq. Vener. *Val. Ern. Læſcherus* in Decimis Evangelic. Parte III. p. 149. ſq. & *Sam. Theodor. Schœnlandius*, Trilleriana argumenta ſub examen vocans in Miſcellaneis Lipſienſibus ad incrementum rei literariæ editis Tom. VII. pag. 86. ſeqq. Atque hic quidem rem ita confeciſſe mihi videtur, ut lectorem ad eum penitus ablegandum cenſeam. Quæritur vero præterea, num *fides* illa Evangelica non omnium eſſe dicatur eo ſenſu, quod in nullius poteſtate ſit poſita, ſed pro dono divino ſit habenda, an illo potius, quod non apud omnes inveniatur? Prius mavult *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis ad Dubia Loca Novi Teſtamenti p. 93. poſterius *Franzius* loc. cit. & *Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris p. 479.

Atque

Atque hoc præferendum puto. Paulus enim τοῖς ἀτόποις illis, *in quibus non erat fides*, opponit Theſſalonicenſes, tanquam *qui fidem haberent*, in qua etiam divina ope ſint conſervandi. Ex quo ſimul conſequitur, non omnes habere fidem illam, h. e. non omnes præconium Evangelii recipere. Doctores Reformatos, his verbis abutentes, poſt alios profligavit *Buddeus* in Inſtitutionibus Theologiæ Dogmaticæ pag. 907. profanos vero homines, qui ea in vitæ licentiam abripiunt, retudit *Spenerus* in Vindiciis locorum Scripturæ Sacræ vernacula lingua editis pag. 370.

Verſ. 3. Πιςὸς δέ ἐςιν ὁ Κύριος] Vide *Svicerum* Tom. II. p. 740. qui & ibidem pag. 808. de voce πονηρῦ commentatur.

Verſ. 4. ὑμῖν] deeſt in nonnullis Codicibus ideoque ad abſolvendam ſententiam additum eſſe videtur *Millio* in Prolegomenis, *Whitbio* recte refragante pag. 72. Examinis.

Verſ. 5. Ο δὲ Κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας] Vide ad 1 *Theſſalon.* IV. 11. Per τὸν Κύριον *Spiritum Sanctum* intelligit *Baſilius* M. Τίς ὁ κατευθύνων, inquit, κύριος εἰς τὴν τῦ Θεῦ ἀγάπην, καὶ εἰς τὴν ὑπὲρ τῶν θλίψεων τῦ Χριςῦ ὑπομονήν; ἀποκρινέσθωσαν ἡμῖν οἱ τὸ πνεῦμα καταδυλύμενοι. Ειτε γὰρ περὶ τῦ Πατρὸς ὁ λόγος, πάντως ἂν εἴρητο· ὁ δὲ Κύριος ὑμᾶς κατευθύναι εἰς τὴν ἑαυτῦ ἀγάπην. Ειτε περὶ τῦ υἱῦ, προσέκειτο ἂν, εἰς τὴν ἑαυτῦ ὑπομονήν. Confer *Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 559. edit. Latin. *Hackſpanius* interim in Miſcellan. pag. 183. τῦ Θεῦ poſitum putat pro ἑαυτῦ.

Verſ. 6. ςέλλεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ παντὸς ἀδελφῦ] *ut ſubducatis vos* &c. vel, *ut vitetis.* *Lucian.* Var. Hiſtor. lib. I. pag. 643. ςεῖλαι τὴν ὀθόνην *velum contrahere*, dicit. *Metaphora* itaque, *à nautis petita, qui plenis velis navigare non auſi, vela contrahunt, flexoque curſu effugiunt periculum*, ſumitur pro *metuere*, vel, *ex metu quid evitare.* Hinc *Heſychius:* ςέλλει, πέμπει, ςολίζει, ὁρμᾷ, φοβεῖται (præmitte ςέλλεται) φοβεῖται. Habes verba *Jo. Alberti* pag. 391. Cl. *Elſnerus* pag. 283. *Plutarchi* locum affert ex Tomo II. pag. 501. οἱ κατὰ ψυχὴν χειμῶνες βαρύτεροι ςείλασθαι τὸν ἄνθρωπον ὐκ ἐῶντες ὐδὲ ἐπιςῆσαι τεταραγμένον τὸν λογισμόν. *Vehementiores ſunt animi tempeſtates, quæ cobibere ſe hominem, & turbatam rationem placare non ſinunt.* Ad alia quoque transferri, ex *Euripide* in Bacchid. v. 668. patet, qui ςέλλεσθαι λόγον pro *contrahere ſermonem* dixit.

ἀτάκτως περιπατῦντας] *otioſe ambulantes*, ſeu *deſides*, ut interpretatur *Elſnerus* p. 284. advocato in fidem expoſitionis v. 11. non inconcinne quidem, cum ad ignavos milites,qui ordinem deſerunt, reſpici videatur. Compara, quæ ſcripta ſunt ad 1 *Theſſalon.* V. 14. Videtur tamen generale hoc eſſe præceptum, quod ad perverſam vitæ rationem pertineat, cujus ſpeciale momentum ignavia & deſidia conſtituit. Ideo Apoſtolus v. 7. de ſe loquens in

Digitized by Google

in genere ait: οὐδὲ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν, & verſ. 8. ſpeciatim ait: οὐδὲ δωρεὰν ἄρτον ἐφάγομεν. Scilicet, quemadmodum diluta vivendi ratio ad deſidiam perducit, ita hæc illam provehit.

κατὰ τὴν παράδοσιν ] Vide ad cap. II. 15.

παρέλαβε παρ' ἡμῶν ] Complures Codices habent παρέλαβον, quod & Verſiones aliquot, nominatim *Vulg.* exprimit. Editio *Eraſmi* prima itidem exhibet, nec minus recens Græco-Anglicana, *Millii* ſuaſu, cui in Prolegom. §. 807. ex antecedente voce ἀδελφὸς nata altera illa lectio videtur. Perſiſtendum puto in lectione recepta. Si enim ad plures hic reſpicere voluiſſet Apoſtolus, quam ad ἀδελφὸν ejusmodi ἀτάκτως περιπατοῦντα, videtur ſcripturus fuiſſe παρέλαβετε.

Verſ. 7. οὐκ ἠτακτήσαμεν ἐν ὑμῖν ] Vide ad 1 *Theſſal.* V. 14. & *Suicerum* Tom. I. pag. 568.

Verſ. 8 πρὸς τὸ μὴ ἐπιβαρῆσαι ] Vide ad 1 *Theſſal.* II. 9. & *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 717.

Verſ. 9. ἵνα ἑαυτοὺς τύπον δῶμεν ] *ut nosmet ipſos exemplar exhiberemus.* Τύπος enim *exemplum* ſignificat. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 1341.

Verſ. 10. Ὅτι εἴ τις οὐ θέλει ἐργάζεσθαι, μηδὲ ἐσθιέτω ] Proverbium eſt externis quoque Scriptoribus frequens. Vide *Andreæ Schotti* Adagialia pag. 133. *Joannem Vorſtium* de Adagiis Novi Teſtamenti cap. X. & *Jacobi Cappelli* Obſervationes ad h. l. pag. 90. Similia Judæorum effata recitat *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 850. *Wilh. Wall.* in Notis Criticis Anglicanis pag. 155. ſuſpicatur, nonnullos Theſſalonicenſium extremum diem adeo propinquum credidiſſe, ut vel hoc nomine, rebus ſuis omnibus neglectis, nihil agerent. Simile quid ante triginta annos in Anglia ait uſu veniſſe, quando nonnulli, *Maſono* quodam præeunte, diei extremi exſpectatione omnem laborem obtuderint, quemadmodum alii non ita pridem idem ſomniarint, à *Novis Prophetis* in errorem inducti. Non equidem crediderim, deſidiam nonnullorum vano ejusmodi judicio acceptam ferri debere. Apoſtolus enim teſtatur, ſe præſentem de ea fugienda Theſſalonicenſes commonefeciſſe, tantum abeſt, ut illa ex priore Pauli epiſtola, ceu *Wallius* putat, non recte intellecta ſubnaſci potuerit.

Verſ. 11. μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους ] Paronomaſia hæc eſt, cujus ſtudioſum ſe Paulus alias præſtat. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 658. qui & pag. 670. de verbo περιεργάζομαι diligenter commentatur. Confer nos ad *Actor.* XIX. 19. *Henricus Stephanus* in diſſertat. de Stilo Novi Teſtamenti totam dictionem ita vertit: *nihil agentes, ſed curioſe ſatagentes.*

Verſ. 12. *Διὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* ] Pauci Codices habent *ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ*, quod propterea in contextum temere recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Conſtat alias, utramque phraſin à Paulo adhiberi.

*τὸν ἑαυτῶν ἄρτον* ] Spectat huc, quod legitur in *Avoth R. Nathan* cap. 30. apud *Schœtgenium* loc. cit. pag. 850.

Verſ. 13. *μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες* ] Vide ad *Galat*. VI. 9.

Verſ. 14. *τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ* ] *Hunc notate, & ne commertium habete cum illo.* Audi *Vitringam* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. cap. X. pag. 755. ita tradentem: *Præcipit* (Paulus) *univerſæ Eccleſiæ Theſſalonicenſi, ne ſe cum tali homine commiſceat, h. e. cum eo familiarem conſuetudinem colat; quod fere tantundem eſt, ac ſi Paulus monuiſſet, hujusmodi hominem eſſe excommunicandum. Certe negari non poteſt, id ad excommunicationem quam proxime accedere.* Conferatur idem pag. 738. & de Archi-Synagogo pag. 323. Ita R. *Elias*, Karæus, in lib. *Adderet Elijahu: Si non convertatur* (frater) *de via ſua mala, in pudorem agunt, & ignominia illum afficiunt coram pluribus, donec reſipiſcat.* Vide *Jacobi Triglandii* Diatribam de Secta Karæorum pag. 166.

Verſ. 16. *δῴη ὑμῖν τὴν εἰρήνην ἐν παντὶ τρόπῳ* ] Codices nonnulli legunt *ἐν παντὶ τόπῳ, in omni loco*, quod & *Vulg.* expreſſit, approbante *Grotio*. Sed præſtat, in lectione recepta acquieſcere. Antecedens enim *διὰ παντὸς* & ad *tempus*, & ad *locum* referri poteſt, *τρόπος* vero diverſas *occaſiones* & *rationes*, quibus pax illa turbari poſſit, atque adeo reſtitui debeat, infert. Alia eſt ratio phraſeos Paulinæ 1 *Corinth.* I. 2. quem huc advocat *Grotius*. Ibi enim ſalutem precabatur non ſolum illis, qui *Corinthi* degerent, ſed & qui *ἐν παντὶ τόπῳ* Domino ſervirent.

Verſ. 17. *Ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου, ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. οὕτω γράφω* ] Ad hæc verba poſt illam *Tobiæ Eckhardi*, in Theſauro Philolog. Novi Teſtamenti pag. 624. ſq. recuſam, erudita exſtat Rev. *Guſtavi Georgii Zeltneri* diſputatio de Monogrammate Pauli, Altorfii 1721. 4to. Illius caput I. notarum ſiglarum & monogrammatum, in literis vel inſtrumentis olim receptorum, hiſtoriam perſequitur; ſicut cap. II. diverſas Interpretum de *σημείῳ* epiſtolarum Pauli ſententias enarrat, & Auctoris illam ſubjungit. Alii enim illud in formula finali, ſeu ſalutandi; alii in ſcribendi forma Paulo recepta, conſtitiſſe adſeverant. His denique ſuam adjungit, & præfert *Zeltnerus* §. XI. ſqq. nempe, *nomen Pauli monogrammate aliquo expreſſum ab ipſo fuiſſe, conjunctis ſcilicet apte literis Π & Λ, poſteriori hoc elemento paulo altius evecto, ut* A *ſimul referret.* Cauſas ita ſentiendi has adfert, quia 1) occultum quoddam ſignum, quod non niſi inſpicientibus notum eſſe debebat, indicetur à Paulo expreſſum. 2) uſus ejusmodi mono-

monogrammatum apud Græcos & Latinos, imo etiam Hebræos frequens exſtiterit: 3) vox σημεῖον סימנא adhibeatur, quod vocabulum, nempe *Signum*, v. c. *Domini Caroli Sereniſſ. Imp. Auguſti* &c. in literis ejusmodi adponi conſueverit; 4) verbum γράφω non ſolum de *ſcriptione*, ſed etiam *pictura* & *delineatione* inſtar picturæ per ſigna aliosque ductus uſurpetur; 5) Apoſtolus non nude *ſuum*, ſed diſerte *Pauli* nomen appellet, quod alibi nusquam, niſi Coloſſ. IV. 18. factum ſit; 6) non aliis item Eccleſiis *ſignum* hoc commendaverit, quamvis in literis ad eas datis eandem ſalutandi formulam manu ſua deſcripſerit; ac denique 7) quod ſic demum & *Paulus* & *Theſſalonicenſes ſignum proprium* & certum habuerint, omniaque dubia è medio tolli potuerint. Addit denique §. XIV. *Grotio* ſimile quid videri ſuboluiſſe, quando inquit: *σημεῖον vocat certum quendam nexum literarum, quo nomen ſuum ſcribebat: Cornelium* vero *Lapidenſem* luculentius idem ſignificaſſe: *Forte fuit*, inquientem, *hic etiam aliquis character ſubſcriptus à Paulo, ut hoc vocet ſignum ſuum: ſicut jam multi ſignum manus, ut vocant, per certos gyros, quos non facile ſit imitari, ſub literis ſuis delineant, ut iis, ad quos ſcribunt, conſtet, epiſtolam eſſe genuinam, non ſuppoſititiam.*

Erudite hæc & ingenioſe ita diſputantur, at rem ipſam mihi non perſuadent. Paulus hic non tam *occultum* omnibus aliis, & ſibi tantum ac Theſſalonicenſibus notum futurum ſignum ſuppeditare volebat, quam *certum indicium*, quod ad omnes ejus epiſtolas pertineret. Id vero in ſalutatione ἰδιογράφῳ æque, imo rectius, quam in monogrammate ejusmodi inveniri potuiſſe, mox oſtendemus. Porro uſum *monogrammatum* ejusmodi Apoſtoli ætate receptum fuiſſe nondum oſtenſum eſt. Quæ enim huc afferuntur, ex medio ævo potiſſimum petita ſunt. Quæ vero ex *Plutarcho* & *Galeno*, Sæculi II. à C. N. Scriptoribus promuntur, tantum efficiunt, uſu receptum fuiſſe, ut nomina propria literis initialibus interdum deſignarentur. Locus ex *Gittin* cap. IV. fol. 36. excitatus, *qui nomina in ſubſcriptionibus libellorum repudii diſtincte exſcribi jubet*, cauſam hanc non juvat, quia ſtatim ſubjicitur, *Rabb* in ſubſcriptione pro nomine ſuo pinxiſſe *piſcem*, R. *Chaninam* vero *ramum palmæ*, R. *Chasdam* denique *Samech*, alios aliud. Itaque de nomine, in compendium aliquod artificioſe ducto, ibi ſermo non eſt. Vox σημεῖον, ſeu *ſignum*, סימנא, hic adhibita, non evincit, tale aliquid indicari, quod ſequentibus temporibus in literis & documentis publicis ita appellatum eſt. Vox enim eſt generalis, & recte ad *indicium* quodcunque ſignificandum adhibetur. Sic & tutius verbum γράφω communi & ampliori ſignificatui relinquitur, quo toties in Nov. Teſtam. occurrit, quam ad *picturam* ſeu certos *ductus* implexos & arte formatos refertur. Apoſtolus nomen ſuum Pauli diſtincte non ſolum h. l. aut *Coloſſ.* IV. 18. ceu vir doctus putat, ſed & 1 *Corinth.* XVI. 21. ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου commemorat; imo & aliis in locis idem facit, ubi pronomen ἐγὼ ſufficere videri poterat. Ita 2 *Corinth.* X. 1. αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος, *Galat.* V. 2.

 ἐγὼ

ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, *Epheſ.* III. 3. ἐγὼ Παῦλος ὁ δέσμιος, *Coloſſ.* I. 23. οὗ ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος, 1 *Theſſalon.* II. 18. ἐγὼ μὲν Παῦλος, & *Philemon.* verſ. 19. ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρί. Itaque diſerta illa nominis *Pauli* deſignatio non infert, de re agi Theſſalonicenſibus propria, ſed argumentum tantum præbet ſcriptionis efficacioris. Multo minus autem prodit, ſingulari nominis Παῦλος ſcriptione τὸ σημεῖον abſolvi. Sic enim idem ad *Corinthios*, *Coloſſenſes* & *Philemonem*, ubi eadem phraſis occurrit, obſervaſſe Paulus credi debebat, quod tamen Vir doctus inficiatur, Theſſalonicenſibus proprium hoc fuiſſe κριτήριον exiſtimans. *Aliis Eccleſiis ejusmodi ſignum non commendat*, ſed indicat, hoc eſſe epiſtolarum ſuarum indicium, quia falſarii & impoſtores nondum auſi erant, nomine Pauli abuti, quod apud Theſſalonicenſes factum fuiſſe ex cap. II. 2. patet. Porro hæc ad Theſſalonicenſes epiſtola ſecunda erat inter eas, quas Apoſtolum ad Eccleſias ſcripſiſſe novimus. Eodem præterea ſe ſemper uti & uſurum eſſe diſerte hic indicat, quando ait eſſe σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. Jam conſtat Pauli epiſtolas etiam ad alias Eccleſias miſſas eſſe, ut legerentur. Vide *Coloſſ.* IV. 16. & 1 *Theſſalon.* V. 27. ubi Paulus graviter obteſtatur Theſſalonicenſes, ut ipſam illam epiſtolam legi faciant ab omnibus fratribus. Itaque Eccleſiis ceteris cognitum eſſe poterat epiſtolarum Paulinarum ſignum, nec adeo neceſſe erat, ut in ſingulis de hoc capite admonerentur. Denique 7) non Theſſalonicenſibus ſolis opus erat ſigno quodam διακριτικῷ, cum, quod illis acciderat, ut ſuppoſitis literis tentarentur, idem accidere quoque reliquis inpoſterum potuiſſet. Hæ cauſæ ſunt, cur ingenioſam alioquin viri docti conjecturam admittere nondum poſſim.

Mihi quidem σημεῖον illud epiſtolarum Paulinarum conſtitiſſe videtur in *ſalutandi* vel *valedicendi* formula, quæ hic ſubjicitur, non tamen nuda, ſed ipſa Pauli manu *exarata*. Id verba, prout jacent, innuunt. Apoſtolus ait: ὁ ἀσπασμὸς τῇ ἐμῇ χειρὶ Παύλου. Vides ſalutationem non nudam afferri, ſed ἰδιόγραφον. De illa ſalutatione ἰδιογράφῳ ſubjicitur: ὅ ἐστι σημεῖον ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ. Denique majoris lucis cauſa ſubnectitur: οὕτω γράφω, h.e. *hæc eſt manus mea, hi ſunt literarum ductus, quibus utor*. Ita prorſus ad *Philemonem* verſ. 19. ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, quod certe aliter accipi non poteſt, quam quod Paulus epiſtolam illam totam ipſe ſcripſerit, ut *Syngrapha* loco eſſet apud *Philemonem* pro ære Oneſimi alieno. Ita olim hæc verba accepit *Chryſoſtomus* ad h. l. Recitatis enim verſ. 17. & 18. ſubjicit: Τοῦτο λέγει γράφειν ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ, ὥστε μηδενὶ ἐξεῖναι παραποιεῖν αὐτὰς, τῆς ὑπογραφῆς ὥσπερ τεκμηρίου κειμένου μεγάλου. Nec aliter *Theophylactus*: Πρὸς τὸ μὴ παραποιεῖσθαι τὰς ἐπιστολάς μου παρά τινων ἀπατεώνων (τοῦτο γὰρ ὡς καὶ ἐν ἀρχῇ, εἴπομεν, ἐποίουν πολλοὶ) ἐγώ, φησιν, ὑποσημαίνω τῇ ἐμῇ χειρὶ. Εν πάσῃ δὲ ἐπιστολῇ, τῇ ἴσως πεμφθησομένῃ πρὸς ὑμᾶς ἢ καὶ ἁπλῶς ἐν πάσῃ τῇ πρὸς οὕστινας ἐπιστολῇ. Ex his puto eſſe manifeſtum, utrumque non in nuda ſalutandi formula, ſed in ea, quatenus

Pauli

Digitized by Google

Pauli manu exarata, σημεῖον illud collocare. Idem ſenſit ex noſtratibus *Schomerus* in Exegeſi ad h. l. *Hac verba*, inquit, (nempe v. 17.) *& ſequentem verſum* (18.) *ipſemet adſcripſit Paulus, cum amanuenſi dictaſſet, quæ præcedunt, & hoc ſignum vult eſſe in omni epiſtola, quod nempe manu Pauli ſit ſubſcripta, non præcipue nomine ejus, ut hodie mos eſt, ſed ſalutatione aut voto aliquo, unde dignoſcatur, revera à Paulo profectam eſſe epiſtolam. Idque propterea monet, quia, ut innuit cap. II. 2. audierat, ſpargi epiſtolam inter Theſſalonicenſes, quaſi à Paulo ſcriptam, de inſtante propediem die extremo, cujusmodi ne turbarentur inpoſterum literis ſpuriis, voluit, ut ſuam ſcribentis manum in calce epiſtolæ dignoſcerent, neque reciperent aliam pro Paulina, cui talis ſubſcriptio facta non eſſet. Ita ſcribo: v. c. talis eſt ductus literarum, quas formo, quas hic poteſtis obſervare.* Adde & *Tobiæ Eckhardi* Diſputationem laudatam pag. 627.

Vereor, ne in re non magni momenti longior fuiſſe videar. Itaque breviter & ſummatim ad objecta viri doctiſſimi reſpondebo. Urget primum hanc formulam non *eodem* ubique *ordine*, nec *iisdem* verbis à Paulo adhiberi, ſed interdum brevius, quam alibi, deſcribi. Reſponderim, id neceſſe non fuiſſe, cum ſufficiat τὴν χάριν in epiſtolis omnibus commemorari. Itaque nec obverti poteſt *Petrus* 2 ep. III. 18. Αὐξάνετε δὲ ἐν χάριτι καὶ γνώσει τοῦ Κυρίου ἡμῶν κ. τ. λ. Hic enim non tam votum eſt, quam excitatio ad incrementum in gratia & cognitione Domini capiendum, ſicut v. 17. legitur: ὑμεῖς οὖν, ἀγαπητοί, προγινώσκοντες φυλάσσεσθε. Nec obſtat *Joannes*, Apocalypſin eodem, quo Paulus, voto obſignans. Neque enim liber ille uni alterive Eccleſiæ, inſtar epiſtolæ erat inſcriptus, ſed toti Chriſtianorum cœtui inſtar voluminis Prophetici deſtinatus. Taceo, non ad nudam ſubſcriptionis formulam, ſed ad ἰδιόγραφον ſuum ab Apoſtolo Theſſalonicenſes revocari. Denique articulus ὅ non poteſt non referri ad σημεῖον, σημεῖον autem pertinet ad ἀσπασμὸν τῇ χειρὶ Παύλου. Ad ſcribentis Pauli manum σημεῖον hoc referri non poſſe contendit, cum Pſeud-Apoſtoli eam itidem imitari potuerint. Largiamur hoc; at idem longe facilius fieri poterat, ſi totum χειρόγραφον ſingulari quadam nominis *Pauli* delineatione conſtitiſſet. Non poteſt objici, ductum illum aliis non cognitum aut perſpectum fuiſſe. Qui enim latere ille poterat homines male ſedulos, cum literæ Pauli non in uno aliquo cœtu, ſed in pluribus Eccleſiis lectæ ſint, quod paulo ante oſtendimus. Non ignorabant Apoſtoli manum Theſſalonicenſes ex epiſtola priore; ſed ignorare poterant, Paulum uſu habere receptum, ut ſemper minimum ſubſcriptionem ſua manu conſignaret, cum literas ipſas amanuenſibus exarandas relinqueret. Itaque neceſſe erat, ut de hoc inſtituto diſerte monerentur, & ab impoſtorum fraudibus hac ratione ſibi caverent. Manus denique mentionem à Paulo factam ait, tantum ut *inſtrumenti, quo extrema hac verba literis hiſce, ſubjecerit*, ex quo non conſequatur, *ipſam manum* h. e. ἰδιογράφως *ductus eſſe debere*. Vereor equidem vehementer, ne hæc diſtinctio nemini non ſubtilior, & recepto loquendi modo ad-

verſari videatur; nec dubito, τὸ, ὕτω γράφω, rectius ad *chirographum* Pauli, quam ad *certum quoddam ſignum, manu Apoſtoli formatum*, referri. Sed hæc ſufficiant. Interim ipſe vir doctus, quo eſt candore, ſententiæ huic ſuæ animum non ita addixit, ut eam pro demonſtrata habeat. Id merito colligo ex his verbis, quæ in editione Biblicæ verſionis Germanicæ Altorfii an. 1730. curatæ, ad h. l. ita conſignavit: Was für ein Zeichen? Entweder die folgenden Worte v. 8. oder ſeine Handſchrifft insgemein: Vielleicht gar ſein verzogener Nahme, der auf eine beſondere Art geſchrieben war.

Monendum hic aliquid eſt de conjectura, quam *Jo. Ens* in Bibliotheca Sacra pag. 46. promulgavit, ex his verbis plures ad Theſſalonicenſes epiſtolas, quam duas illas, ſcriptas eſſe opinatus. *Se dicit*, inquit, γράφειν, ſcribere, *quod paucis admodum epiſtolis vix congruum videtur; præſertim, quando dicit, ſe* ὕτω γράφειν, *ut ſalutatio propria manu ſit ſignum* ἐν πάσῃ ἐπιςολῇ; *quippe ille, hac de re Theſſalonicenſes monens, ut ſic à falſis cavere poſſent epiſtolis pro Paulinis recipiendis, indicat, tot ſe ſcribere Theſſalonicenſibus epiſtolas, ut ſigno* διακριτικῷ *iis opus ſit, quo ſciant, epiſtolas accipientes illas vere à Paulo eſſe miſſas. Si enim tam paucas ſcriberet epiſtolas, quem in finem dediſſet ſignum.* Conjecturæ hujus ſpeciem aliquam hic pervidere me non poſſe, ingenue fateor. Τὸ γράφειν de una æque epiſtola dici poteſt, quam de pluribus. Sic *Rom.* XVI. 22. ἀσπάζομαι ὑμᾶς ἐγὼ Τέρτιος, ὁ γράψας τὴν ἐπιςολήν. Επιςολὴ πᾶσα, *omnes epiſtolæ*, indicant non eas, quas ad Theſſalonicenſes vel ſcripſerit olim, vel impoſterum ſcripturus ſit, ſed eas omnes, quas quocunque tempore ad Eccleſias vel quoscunque alios ſit daturus. Ita verba *Theophylactum* accepiſſe ex loco ſupra allato conſtat. Ουτω γράφω idem eſt, atque: *ſic ſcribere ſoleo.* Conſtat enim, verba, etiam ſimpliciter poſita, interdum conſuetudinem hoc vel illo modo agendi indicare. Ita *Marc.* XV. 6. Die autem feſto ἀπέλυε *dimittebat*, h. e. dimittere ſolebat. Confer *Glaſſii* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. III. Can. IX. *Gatakerum* de Stilo N. T. cap. VI. *Heinſium* in Ariſtarcho cap. XXIV. tum vero ex profanis Scriptoribus *Grævium* ad Heſiodum pag. 24. Nihil itaque aliud ex hac Pauli dictione conſequitur, quam, omnes ſuas epiſtolas, quas vel ad Theſſalonicenſes vel ad alios inpoſterum, re ita ferente, daturus ſit, ex hoc ſigno judicandas eſſe. Taceo, ſigni hujus declarationem non Theſſalonicenſibus ſolis, ſed aliis quoque Eccleſiis, cum quibus hæc Pauli epiſtola communicanda erat, inſervire debuiſſe.

Πρὸς Θεσσαλονικεῖς δευτέρα ἐγράφη ἀπὸ Αθηνῶν] Conſentiunt in hac ſubſcriptionis formula Codices, niſi quod in *Pet.* 1. & 1. *Athanaſio* item in Synopſi & *Oecumenio* in Argumento Epiſtolæ pro ἀπὸ Αθηνῶν legatur ἀπὸ Ρώμης, quemadmodum Syrus *Laodiceam Piſidiæ* commemorat. Sed hæc omnia prave dici, confectum fere nunc videtur. *Ceterum*, audis *Millium* diſſe-

differentem, *cum ex filo totius epiſtolæ conſtet, epiſtolam banc ſcriptam ſtatim poſt priorem illam alteram ; manſerit vero Apoſtolus Corinthi ( unde priorem datam oſtendimus ) per ſeſquiannum ; omnino & banc* Corinthi *ſcriptam dicendum eſt*. Confer quæ in eandem ſententiam dicuntur à *Jo. Chriſtiano Herzogio* in Diſputat. de Subſcriptionibus Paulinis §. 9. & à *Schœnlandio* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. VIII. pag. 96.

# PROLEGOMENA IN I. EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

Timothei, Patre Gentili, ſed, ut videtur, portæ Proſelyto, matre autem Judæa, nati vitam & martyrium ex veteribus monumentis tradunt Acta Sanctorum Antvverpienſium Tomo II. Januarii XXIV. pag. 562 - 568. ubi inter cetera Acta Martyrii, à Simeone Metaphraſta ex illis, quæ Polycrati tribuuntur, liberius deſcripta una cum illis *Polycratis* leguntur. De utriſque lege præſtantiſſimum *Jo. Albert. Fabricium* noſtrum in Codice Apocrypho N. T. pag. 812. ſq. qui & de encomiaſtis ejus Tom. XX. Biblioth. Græc. pag. 150. præcipit. Vide etiam, ſis, *Florentinium* ad Martyrologium pag. 881. & *Ducæum* ad Chryſoſtomum Tom. I. pag. 3. Ex recentioribus præter *Gvil. Caveum* Tom. I. Vitarum Virorum Apoſtolicorum legi ſuaſerim *Tillemontium* & *Herman. Witſium* in Exercitatt. Academicis pag. 316. ſqq. & Tom. II. Miſcellaneorum Exercit. XVI.

Timotheum à Paulo Epiſcopum Epheſi conſtitutum fuiſſe tradit *Sophronius,* quod alii negant, alii in medio relinquunt. Lege *Jo. Pearſon.* Vindicias Ignatian. II. pag. 89. & Guil. Beveregii Codic. Canonum vindicatum pag. 231.

Locum ſcriptionis ὑπογραφὴ *Laodiceam*, Phrygiæ Pacatianæ urbem, conſtituit, una cum *Euthalio* apud Zacagnium pag. 686. Monumentorum. *Athenas* appellat *Arabs* Erpenii, & *Coptus* Wilkinſii qui & per *Titum* miſſam tradit. Aliquot Codices *Macedoniam* ſimpliciter afferunt. *Laodiceæ* ſcriptam non eſſe, eviciſſe videntur *Immanuel Weberus* in Parergis ad hanc epiſtolam, & *Schœnlandius* in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. VII. pag. 94. Alii nihil definiunt. Inter hos eſt M. *Jo. Chriſtianus Herzogius* in diſſert. de ſubſcriptionibus Pauli-

Paulinis §. 16. *Capite III.* 14. inquit, *promittit, ſe ſpem alere ipſum* (Timotheum) *brevi videndi. Explicandus igitur eſt adventus, qui his in Pauli verbis indicatur, cum Miletum convocaret ſeniores & Epiſcopos Eccleſiæ Epheſinæ. Inter hoc igitur ſpatium hanc ad Timotheum epiſtolam ſcriptam eſſe citra omne abſurditatis periculum ſtatuimus. Num in Græcia, num in Macedoniam redux, num alio in loco illam ſcripſerit, noſtrum non eſt, ut dicamus.* Plerique tamen in Macedonia, & quidem Philippis exaratam exiſtimant. Inter hos eſt *Millius* ad ſubſcriptionem hujus epiſtolæ. *Relicto*, inquit, *illic* (apud Epheſios) *adſiduo hactenus comite* (Timotheo) *trajecit Paulus in Macedoniam; votique compos* (Philip. I. 25.) *apud Philippenſes ſuos, haud uno nomine ſibi cæteris Macedonibus chariores, aliquandiu moratus eſt. Et tunc quidem credibile omnino eſt, conſcriptam hanc epiſtolam ad Timotheum. Certe cum ſperaret Apoſtolus, ſe brevi ad Timotheum rediturum* (1 Tim. III. 14.) *ideoque & epiſtolam, in qua ſpem iſtam ſignificat, ſcripſerit ſtatim poſt diſceſſum ex Aſia: ne fieri quidem poſſe videtur, ut alibi, quam in Macedonia, ſcripta fuerit, & quidem Philippis.* Vide præterea Salmaſium in Apparatu de Primatu Papæ pag. 38. comparato tamen *Jo. Pearſono* in Operibus Poſthumis p. 37. ſqq. in diſſert. de Succeſſione Epiſcoporum Roman.

Tempus ſcriptionis à multis in A. C. LXV. refertur. Vide *Uſſerii* Annales Tom. II. ad hunc annum & *Millium* in Prolegomenis §. 123. Sed de utroque momento hoc nihil hactenus certi conſtare exiſtimo. Permulta hujus epiſtolæ ad Ex Judæos magis quam Ex Gentiles ſpectare videntur *Joanni Braunio* in Selectis Sacris pag. 139. ſqq. Confer & Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 852. qui ſpeciatim obſervat, Apoſtolum illas tantum doctrinas Timotheo cuſtodiendas præcipere (cum alioquin plures potuiſſet) quæ vel à Judæis negatæ ſint, vel in praxi ab ipſis neglectæ.

Commentatorum generalium & ſpecialium notitiam ſuggerunt *Schvvindelius* in Bibliotheca Paſtorali, & *Wendlerus* in Prodromo Bibliothecæ Biblicæ. His adde D. *Joach. Langii*, Theologi Halenſis, Appendicem ad Hermeneuticam Sacram, Halæ 1733. 8. editam, qua duo priora prioris ad Timotheum epiſtolæ capita explicantur.

CAPUT

# CAPUT I.

VErſ. 1. Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃ ——— τῆς ἐλπίδος ἡμῶν] Vid. ad *Coloſ.* I. 27. ubi Chriſtus ἐλπὶς τῆς δόξης vocatur.

κατ' ἐπιταγὴν Θεȣ̃ σωτῆρος ἡμῶν καὶ Κυρίȣ Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃] Tres codd. à Millio allati, hic legunt: ἐπιταγὴν Θεȣ̃ πατρὸς, καὶ σωτῆρος &c. Unus autem κατ' ἐπιταγὴν τȣ̃ πατρὸς ἡμῶν Θεȣ̃ καὶ Κυρ. 1. x. Alterutram harum lectionum germanam cenſet L. M. *Artemonius*, i. e. *Sam. Crellius*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 290. *Occaſio*, inquit, *variarum lectionum h. l. procul dubio iſta fuit. Nempe, cum Apoſtolus ipſe ſcripſiſſet,* ſecundum mandatum Dei & Jeſu Chriſti ſpei noſtræ, *ſcioli autem* τὸ ſpei noſtræ *ſoli J. C. applicarent, putabant, Deo Patri deeſſe aliquod epitheton, locumque eſſe mancum, atque ita appoſuerunt alii* Patris, *alii* Patris noſtri, *alii* Salvatoris noſtri; *alii aliter locum depravarunt; at vero voces iſtæ,* ſpei noſtræ, *ad utrumque, tam ad DEUM, quam ad Jeſum Chriſtum referendæ erant.* Hæc recitaſſe eſt refutaſſe. Lege interim, quæ pro recepta lectione *Grotius* & *Millius* ſcripſerunt.

Verſ. 2. Τιμοθέῳ, γνησίῳ τέκνῳ ἐν πίςει] Tenerrimam hanc compellationem illuſtrat *Jo. Buxtorfius* in Catalectis pag. 221. oſtendens, per eam ſignificari, *quod non ſit adulterinus, non degener, ſed verus & germanus filius, patrem ſuum in fide eximie repræſentans.* Alias quoque γνήσιος opponitur νόθῳ v. c. *Herodot.* lib. III. pag. 183. νόθον ȣ̓ σφι νόμος ἐςὶ βασιλεῦσαι, γνησίȣ παρέοντος. *Per legem ipſis non licet, ut illegitimus regnum obtineat, ſi adſit legitimus.* Confer *Witſii* Miſcellan. Tom. II. pag 560. Judæi in *Sanhedrin* fol. 19. 2. docent: *Si quis filium proximi ſui legem docet, hoc idem eſſe putat Scriptura, ac ſi ipſum genuiſſet.* Vide *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 853.

Verſ. 3. Καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι] *Knatchbullus* mavult legere πρόσμεναι; hoc ſenſu: *quemadmodum admonui te, mane,* vel *manere memento.* Ita vero non ſolum conſtructio verbi παρακαλῶ cum infinitivo alias frequentiſſima deſeritur, ſed & accentus verbi προσμεῖναι, ſine ullo vel codice vel Interprete, mutatur; & vel ſic tamen ſenſui non ſatis conſulitur.

πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν] Ex his verbis *Salmaſius* olim conficere conatus eſt & *locum* & *tempus* ſcriptæ hujus epiſtolæ, contra nitente *Jo. Pearſono* in diſſ. de Succeſſione priorum Romæ Epiſcoporum in genere p. 175..ſq. legenda in Operibus ejus Poſthumis. Vide tu D. *Joach. Langii* Commentat. de Vita & Epiſtolis Pauli cap. IV. pag. 161. ſqq.



Digitized by Google

*ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν* ] *ut denuncies quibusdam, ne diverſam doctrinam doceant.* Pendent hæc à verbis primis commatis 3. *καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι, ſicut adhortatus te ſum, ut permaneres Epheſi.* Cum itaque nihil exſtet, quod particulæ *καθὼς* reſpondeat, ſupplemento aliquo opus eſt, quod alii aliud dederunt. *Lamb. Bos* in myſterio ellipſeos Græc. L. pag. 394. ſupplet: *οὕτω καὶ νῦν παρακαλῶ, ἵνα παραγγείλῃς. Deſid. Eraſmus* & *Eraſmus Schmidius* ante verba, *ἵνα παραγγείλῃς* ſubintelligi volunt; *ita facito; Beza* autem: *vide.* Rev. *Zeltnerus* in editione Verſionis Lutheri Biblicæ Altorfina verbum *fac* (thue) toti commati inſtar gloſſæ præmittit. Eodem modo *Herodotum* particula *ὅπως, ut,* uti, oſtendit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 567. qui tamen in *Xenophonteis* ſuis pag. 260. omiſſo illo *vide*, vehementiorem reddi orationem, & majorem declarare auctoritatem atque ſeveritatem præcipientis cenſet, qua ratione *Xenophon* particulas *ὅπως μὴ* adhibeat. Alii nexum particulæ *καθὼς* in ſequentibus commatibus quærunt. Sic *Hombergius* p. 325. eum ſibi invenire videtur in v. 5. *τὸ δὲ τέλος τῆς παραγγελίας ἐστὶν ἀγάπη*; vel in v. 12. *καὶ χάριν ἔχω*, hoc ſenſu: *ſicuti te ſum precatus, manere Epheſi, ut præciperes* &c. *ita & ego gratiam habeo illi* &c. *qui me fidum duxit.* Vel denique in v. 18. *ſicuti te rogavi* &c. *ita hoc ipſum mandatum tibi etiam commendo* &c. v. 19. *ut fidem habeas & bonam conſcientiam.* Hoc modo illa, quæ inde à verbis v. 3. *ἵνα παραγγείλῃς* usque ad v. 18. legantur, quaſi per *παρένθεσιν* interjecta cenſeri debuerint. Atque hæc ſententia eſt *Zeltneri* l. c. Enimvero longius hæc petita eſſe videbit, qui ſeriem ſermonis inſpexerit. Præſtat meo judicio ſupplementum admittere orationis, quod Boſio placuit: *ita nunc hortor.* Olim Paulus monuerat Timotheum, ut commoraretur adhuc Epheſi, & Eccleſiæ rebus proſpiceret; jam ſpeciatim monitum vult, ut rationem habeat doctrinæ, quæ interjecto illo tempore à nonnullis temerata fuiſſe videtur. Sæpius in ſacris literis uſu venire, ut ex antecedente membro orationis phraſis integra animo repeti debeat, tralatitium eſt, nec eget probatione.

Verſ. 4. *Μηδὲ προσέχειν μύθοις κ. τ. λ.* ] Pertinet huc *J. Michaëlis Langii* commentatio de genealogiis nunquam finiendis & fabulis Judaicis, quarum Paulus Apoſtolus paſſim meminit. Norimberg. 1696. 4. recuſa Tomo II. Theſauri Diſputationum in Belgio edit. p. 633. ſq.

*μύθοις* ] *fabulis.* Judaicas potiſſimum fabulas, ſive illæ ex Gentilium camarina hauſtæ ſint, ſive ex ingenio conditæ, atque adeo traditiones quoque, à Patribus acceptas, hic notari, non dubito. Conſtare id mihi ſatis videtur ex *Tit.* I. 14. *Μὴ προσέχοντες μύθοις Ἰουδαϊκοῖς, καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων,* ubi fabulæ illæ Judaicæ diſerte appellantur, & cum traditionibus conjunguntur. Tales vero ſunt, quales tum in corpore Talmudico, tum in Cabbaliſtica matæologia hodie leguntur, quarumque ſemina Apoſtoli ætate ſparſa eſſe nemo dubitaverit. Contra Judæos loqui Apoſtolum patet etiam

etiam ex v. 7. *θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοοῦντες, μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται.* Hic *νομοδιδάσκαλοι* ſeu *νομικοὶ legis doctores*, ſive *legis periti* vocantur, quod nomen Judaicis doctoribus proprium eſſe ex Novi Teſtamenti tabulis conſtat. Confer *Rom.* I. 17. Ἴδε, σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ καὶ ἐπαναπαύεις τῷ νόμῳ &c.

*καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις*] *κενολογίαις* legere hic maluiſſe *Lambertum Bos*, teſtatur auctor Prolegomenorum ad novam N. T. Græci editionem Amſtelod. 1730. editorum pag. 174. Id vero per conſenſum codicum & locum parallelum *Tit.* I. 14. fieri non poteſt. Auctor Obſervationis XIV. quæ exſtat in Obſervationibus Selectis Hallenſibus ad rem literariam ſpectantibus Tom. X. pag. 360. ſq. legere mavult *ἀπεράτοις*. *Eo quoque ſenſu*, inquit, *ἀπέρατος (ſic enim ſcribendum eſſe, non vero ἀπεράντοις, ut noſtra vere omnia habent exemplaria*, Varinus Phavorinus *me monuit, qui in Lexico ſuo Græco, οἱ* ait, *ἀπέραντον μετὰ τοῦ ν γράφοντες ἁμαρτάνουσι) dicitur, quo ſenſu Græcis ἀπέρατος λόγος is dicitur, qui adhuc incertus & vagus, & nullo idoneo documento probatus eſt.* Πέρας *enim idem eſt Græcis, quod λύσις, teſte* Heſychio *&* Phavorino. *Adeoque γενεαλογίαι ἀπέρατοι ſunt, quæ plane ſunt inſolubiles*, die nimmermehr ausgemachet, und auf einen gewiſſen, und beſtändigen, und grundrichtigen Fuß können geſetzet werden. At nihil mutandum eſt. Lectionem *ἀπεράντοις* exemplaria edita omnia, manu quoque ſcripta omnia, quæ quidem adhuc collata ſunt, præ ſe ferunt, adeo ut *Millius* tantum ex *Conſtitutt. Apoſtolicis* afferre potuerit *ἀπείροις*, quod tamen recte pro ſcholio habet, ex *Heſychio* repetito. *Phavorinus* præter rem *τὸ ἀπέραντος* damnat, *Ariſtophanis* ad *Nubes* Scholiaſten præceps ſecutus, quem paſſim labi eruditis obſervatum eſt. Utraque vox *ἀπέραντος* & *ἀπέρατος* à probis Scriptoribus adhibetur. Sic *Sextus Empiricus* lib. VIII. Sect. III. adverſus Logicos §. 429. & lib. II. adverſus Phyſicos Sect. 96. *ἀπέραντον λόγον*, i. e. *argumentum haud firmiter concludens*, appellat. Ad priorem locum lege *Fabricium* noſtrum pag. 538. edit. Lipſienſis. *Videbis*, inquit, *ἀσύνακτον λόγον a* Sexto *appellari*, (lib. II. Pyrrhon. Sect. 146. ſq.) *quem h. l. ἀπέραντον vocat, atque περαίνοντι ſive περαντικῷ h. e. συνακτικῷ & firmiter concludenti opponit. Dicuntur autem argumenta περαίνοντα, quæ finem, quem ſibi propoſuerunt, rem accurate & valide evincendo, συμπέρασμα adſequuntur, quemadmodum viciſſim ἀπέραντα, quæ nec cælum nec terram tangunt, ut ab Apoſtolo*, 1 *Tim. I.* 4. *reprehenſæ γενεαλογίαι ἀπέραντοι h. e. dubiæ & incertæ, quas, qui mirantur, præ ſe ferunt Cabbaliſtarum veſtigiis ad* אין סוף *usque eniti.* Heſychius utramque vocem itidem exponit: Ἀπέραντον, μέγαν, ἀτελείωτον· ἐκ τοῦ πέρας μὴ ἔχειν. Ἀπέρατοι· ἀόριστοι τέλος μὴ ἔχοντες. Veterum locos, qui *ἀπέραντον* dicunt, lege apud *J. C. Dietericum* pag. 126. Antiquitat. Biblic. & apud *Elſnerum* p. 287. qui ſpeciatim affert *Polybium* lib. I. cap. 57. *Ariſtidem* Serm. S. p. 585. *ἀπέραντον ἂν εἴη λέγειν.* *Lutherus* noſter optime expreſſit: die kein Ende haben, i. e. *infinitas.*


Notan-

Notandum denique eſt, *Polybium* lib. IX. cap. 2. pag. 752. *μύθυς* & *γενεαλογίας* itidem conjungere, quod *Raphelio* eſt obſervatum. Πολλῶν γὰρ, inquit, *καὶ πολλαχῶς ἐξηριθμημένων τά τε περὶ τὰς γενεαλογίας καὶ μύθυς, καὶ περὶ τὰς ἀποικίας, ἔτι δὲ καὶ συγγενείας καὶ κτίσεις. Cum multi gentium familiarumque origines, colonias antiquas, populorum cognationes, nec non urbium conditus multifariam & ſingulatim enarraverint.*

Amplior naſcitur diſputandi materies de eo, quid per *γενεαλογίας* intelligat Apoſtolus. Diverſas eruditorum veteris vel recentioris memoriæ ſententias legi velim apud Interpretes, & *Langium* diſſertatione laudata. Hic quidem nugas *Cabbaliſtarum* reſpici exiſtimat, conſentientem ſibi nactus *Caſp. Streſonem* in Comment. ſeu Meditationibus ad epiſt. ad Coloſſenſes an. 1708. editis. *Campeg. Vitringa* lib. V. Obſervatt. Sacrar. cap. 13. pag. 161. ad *ſubtiliſſimas* Cabbaliſtarum *diſputationes de* Divinitate, *ejusque variis* Emanationibus *ſive* ספירות *refert, quibus ſe Judæi aliqui Platonicæ aut Pythagoricæ Philoſophiæ ſtudio occupatos habuerint, & in quibus arcanæ & ſublimioris ſcientiæ maximam conſtituerint partem. Quomodo jam olim*, ita pergit, *Irenæus & Tertullianus Pauli mentem acceperunt, & mibi recte accepiſſe videntur.* Confer eundem lib. II. cap. 11. & lib. IV. cap. 9. §. 16. ubi per vocem *ἀπεράντυς* ad Cabbaliſtarum אין סוף i. e. *ſine fine* alludi exiſtimat, monens, rerum omnium proceſſione ſeu emanationes à prima cauſa per varios gradus ita conſtitui, ut terminus ultimus ſive primum principium mortalibus occultum dicatur, à Cabbaliſtis ideo אין סוף vocatum. Addit, easdem eſſe Gnoſticorum *φλυαρίας*, qui varia, æque ac Judæi antea, dogmata ex Philoſophorum Gentilium lacunis in Chriſtianiſmum detulerint. Adplaudunt illi ex noſtratibus *Amelius* Part. I. der Erörterung pag. 375. & fere Rev. *Mosheimius* in Inſtitutionibus Hiſt. Eccleſ. pag. 59. item *Jo. Alberti* pag. 392. Ab altera parte id quidem non admittendum cenſet ex noſtratibus *Calovius* in Bibliis Illuſtratis, contra Grotium diſputans, tum vero *Elsnerus* pag. 285. cum vocabulum *γενεαλογίας Sephiroth* Cabbaliſticis vix competat. Poſterior pag. 286. *Gentilium inprimis genealogias* intelligendas putat, cum maxima Epheſi pars Gentilium fuerit. *Genealogias* autem accipit tum de iis, quæ Deorum genus & familias percenſebant ad exemplum *Heſiodi* in Theogonia, quæ & *Chryſoſtomi* eſt ſententia, tum *de originibus & generis vetuſtate*, de quibus gentes integras inter ſe invicem diſceptaſſe conſtat.

*Gnoſticorum* genealogiæ notari viſæ ſunt *Nicolao Hieronymo Gundlingio* in Gundlingianis Parte XXXIII. pag. 251. ſqq. quod & *Hammondo* in Notis ad h. l. placuiſſe conſtat, quemadmodum eo tendit ex parte *Vitringa* loc. cit.

Denique

Denique plerique genealogias has interpretantur, quas Judæi olim diligentiſſime ſtruxerint, ut in promtu haberent tribuum familiarumque gentis ſuæ nexum. Hanc ſententiam noſtrates fere omnes amplectuntur. Lege *Erasmum Schmidium* ad h. l. & ad *Matth.* I. 17. *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Novi Teſtamenti pag. 126. *Calovium* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Auctorem Obſervationis Hallenſis ante laudatæ, quæ de neceſſitate Scepticiſmi in Studio Genealogico exponit, pag. 362. Ex Reformatis autem *Joannem Braunium* in Selectis Sacris pag. 77. & p. 603. ubi poſteriore loco huc præcipue refert tabulas, quas Judæorum Sacerdotes de paterno & materno genere habuiſſe Joſephus lib. I. contra Apionem teſtatur. Adde *Lightfootum* Tomo I. Operum pag. 90. *Melchiorem Leydeckerum* de Republica Hebr. VI. 9. pag. 397. *Richardum Simonem* in Notis ad h. l. & Interpretes Gallos Berolinenſes.

Atque hoc quidem mihi quoque præ ceteris probari non diffiteor. Ad Judæos Pauli ſermonem ſpectare in initio commatis hujus explicando oſtendiſſe mihi videor. Nec puto, monendos fuiſſe Chriſtianos, ſive ex Gentilibus, ſive ex Judæis illi eſſent, ut à genealogico ſtudio, quod ad Deorum genus & familiam pertinebat, animum avocarent. Cum enim edocti eſſent, Deaſtros illos nihil eſſe, 1 *Corinth.* VIII. 4. verendum non erat, ne de eorum genere eſſent ſoliciti. Ab altera vero parte timendum vehementer erat, ne Ex-Judæi priſtinis ſtudiis etiam inpoſterum indulgerent. Inter illa vero non minimum erat, quod catenam familiarum in ſacris literis obviarum, tum vero Sacerdotum & Doctorum gentis ſuæ nectebat. Vide quæ *Melchior Leydeckerus* loc. cit. in hanc cauſam copioſe commentatur, nec omitte *Guil. Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς lib. IV. p. 91. ſqq. ubi varia Judæorum præcepta ad Genealogias ſacras conficiendas ſuppeditata recitat. In hoc vero doctrinæ genere Judæi olim induſtrii fuiſſe, vel ideo videntur, ut de Meſſiæ ortu aliquando certiores redderentur, cui non ſolum tribus certa, ſed & familia erat adſignata. Cumque Meſſias in lucem editus eſſet, quem Judæi averſabantur, non ſolum idem inſtitutum urſerunt, ſed & de oſtendenda Doctorum ſuorum ſucceſſione non interrupta ſolicitos ſe præſtiterunt. Manifeſtum illud eſt ex libello Miſchnico, quem *Pirke Avoth* ſive *Capitula Patrum* appellant, ut *Abrah. f. Dior* librum *Cabbalæ, Abrahami Sacut* librum *Juchaſin*, ſive de familiis, & R. *Gedalja Catenam Cabbalæ* omittam. Compertum præterea eſt, Judæos etiamnum ſtudio incertiſſimo tribus & familias ſolicite computare, quibus originem ſe debere ſomniant, inter quas eorum inprimis ratio habetur, qui genere Sacerdotali, vel Regio Davidis orti exiſtimantur. Pabulum ſcilicet hoc eſt ineptæ eorum ambitionis, quam tempore Salvatoris noſtri aperte præ ſe ferebant, genus ſuum ex Abrahamo repeti glorianteſ. Ab hoc ſtudio Ex-Judæos in Chriſtiano cœtu avocari vult Apoſtolus, procul dubio ideo, quod omnis illa genealogiæ Judaicæ ratio, Meſſia jam in lucem edito, in fumum abiiſſet,

 nulli

Digitized by Google

nulli amplius uſui futura, imo etiam incerta eſſet, & impedito ſcrutinio obnoxia, tum vero fovendæ Ex-Judæorum jactantiæ, & provehendo eorum, qui ex Gentilibus ad Chriſtum acceſſerant, contemtui idonea. Huc enim Pauli monita frequenter referuntur, ut nihil nunc diſcriminis inter Judæum & Gentilem ortu eſſe exiſtimari debeat. Hæc ſententia propriæ vocis *γενεαλογία* notioni innititur, eademque voce affini *γενεαλογούμενος Hebr.* VII. 6. firmatur. Confer, quæ in eandem ſententiam de ſtudio Judæorum Genealogico erudite diſſerit *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 854. ſqq. qui & *Ignatii* ex epiſtola ad Magneſios locum pag. 856. affert: *μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις μηδὲ μύθοις ἀνέχετε καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις καὶ Ἰουδαϊκοῖς τύφοις*; atque ex hoc conficit, Ignatium locum hunc Apoſtoli reſpexiſſe, & ad genealogias Judaicas retuliſſe. De *Gnoſticis* non tuto cogitatur, cum incertum ſit, eorum opiniones ætate Apoſtolica Chriſtianorum cœtum infeciſſe; quemadmodum nec mihi perſuadeo, eo tempore Cabbaliſticam doctrinam de *Emanationibus* aliasque ejusmodi ſubtiles nugas invaluiſſe. Fieri poteſt, ut de *Sephiroth* jam tum ex parte cogitarint Judæi; eas vero ſi voluiſſet Paulus, alio utique nomine, quam illo *γενεαλογίας*, uſurus fuiſſet, quod nec nomini, nec rei, per *Sephiroth* indicatæ, reſpondet. Lege, quæſo, quæ de *Sephiris* illis, & ipſorum Judæorum in illis deſcribendis diſſenſu commentatus ſum Vol. II. Bibliothecæ Hebrææ pag. 1221. Denique ſi Apoſtolus ad Cabbaliſticas illas aliasve à Gentilibus derivatas Judæorum ineptias oculum retuliſſe credi debeat, rectius quidem illæ per vocem *μύθους* indicatæ cenſeantur.

*Gundlingius* quidem in Gundlingianis loc. cit. pag. 259. huic interpretationi id inprimis obſtare opinatur, quod Paulus moneat Timotheum, ut caveat, ne doctrina ab illa, quam ipſe tradiderat, aliena inveheretur, ad doctrinam autem genealogiarum ſtudium prorſus non ſpectet. Eſt vero, quod reſpondeatur. Ad doctrinam alienam cavendam pertinet *τὸ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν*. Et probandum adhuc eſt, Paulum ſequens illud: *μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις*, eo ſenſu adjeciſſe, ut aliquid ſaniori doctrinæ in ſe adverſum ſignificetur. Quid enim obſtat, quo minus ſtatuamus, Apoſtolum Epheſios interdici eo ſtudio voluiſſe, quod animos ipſorum à rebus ſcitu dignioribus avocare poterat? Æque enim cavendum eſt, ne purior doctrina interpoletur, atque provideri debet, ne impedimenta vel docentibus vel diſcentibus objiciantur. Hoc voluiſſe Apoſtolum ex eo intelligitur, quod ait: *αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον, ἢ οἰκονομίαν Θεοῦ τὴν ἐν πίστει.* Vides utique, Paulum loqui non tam de re, quæ Evangelicam doctrinam per ſe & directe contaminet, quam de ea, quæ profectus & incrementa, in illa capienda, ſufflaminet.

*οἰκοδομίαν Θεοῦ*] Ita legunt editiones *Aldin. Col. Eraſmi* tres, *Baſileenſis* item & *Stephaniana* 1604. tum *Bezæ*, *Eraſmi Schmidii*, *Curcellæi* & forte aliæ.

aliæ. Pleræque vero habent *οἰκονομίαν*, quod *Millius* & recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani præfert. Prior *οἰκοδομίαν* omni MSS. Codicum fide deſtitutam ait: *Licet enim*, inquit, *exemplaria aliquot hodie exſtare dicat* Eſtius, *quæ ita legant; vix tamen puto ipſum propriis oculis vel unum aliquod uſurpaſſe, quod iſtam lectionem exhibuerit. Certe* Stephani *omnia, omnia noſtra vetuſtiſſima pariter & recentiora*, Verſiones *Arab. Æthiop.* Græci *Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius* & *Photius in MS. Comment. in Epiſtolas, alii, retinent οἰκονομίαν.* Ab altera parte *Eraſmus Schmidius* pro lectione *οἰκοδομία* pugnat, inter cetera inquiens: *Sunt tamen quidam libri, qui οἰκονομίαν legunt; citra quidem errorem per ſe, minus tamen commode, & minore cum ἐμφάσει, ut* Tigurina *editio habet*, & Caſauboni, & Argentoratenſis, *& forte aliæ.* Pro eadem facere videtur *Vulg.* vertens per *ædificationem*, *Hilarius*, & Patres quidam alii Latini, eandem verſionem exhibentes, tum *Syrus*, quemadmodum *Irenæus οἰκοδομὴν* legit. Equidem non dubito, *οἰκονομίαν Θεοῦ* probam eſſe lectionem. Vox *οἰκοδομία* nusquam alibi in Nov. Teſtam. legitur, ſed pro ea occurrit *οἰκοδομὴ*, v. c. *Rom.* XIV. 19. XV. 2. 1 *Corinth.* XIV. 3. 5. 12. 26. 2 *Corinth.* X. 8. XII. 19. XIII. 10. &c. Veri igitur eſt ſimillimum, Paulum eadem voce hic uſurum fuiſſe, ſi id, quod per *οἰκοδομίαν* Interpretes indicari putant, exprimere voluiſſet. Porro vox *οἰκοδομία* in ſcriptis Paulinis aliquoties occurrit, v. c. 1 *Corinth.* IX. 17. *Epheſ.* I. 16. III. 2. & *Coloſſ.* I. 25. ubi eadem phraſis legitur: *ἧς ἐγενόμην ἐγὼ διάκονος κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι.* Præterea phraſis *οἰκοδομία Θεοῦ* proprie inferret *ædificationem Dei*, quæ cum in DEUM non cadat, Interpretes quidem recte monent, talem h. l. capiendam eſſe, quæ à Deo ſit, quæque gloriæ Dei inſerviat. Hæc vero explicatio nonnihil impedita eſt, qua carere poſſumus, ſi *οἰκονομίαν θεοῦ* legamus. Tunc enim *diſpenſatio gratiæ divinæ*, quæ *Coloſſ.* I. 25. clare innuitur, repræſentabitur ita, ut negetur, *μύθους* illos & *γενεαλογίας* ad eam recte capiendam & *fide tenendam* (*τὴν ἐν πίστει*) nihil facere, adeoque nihil utilitatis in Chriſtianiſmi negotio adferre. Atque hoc ipſum voluit *Vulgat.* quando vertit *ædificationem*, & cum ipſo *Lutherus* noſter, reddens Beſſerung. Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 586. ſapienter ita pronunciat: *Non male hoc* (*οἰκονομίαν*) *interpretantur Latini* ædificationem: *neque tamen propterea neceſſe eſt, eos legiſſe οἰκοδομίαν. Nam οἰκονομία non tantum rei domeſticæ adminiſtrationem ſignificat, ſed generatim quamcunque curam ad perficiendum aliquod opus neceſſarium.* Vide ibi locos ex *Polybio* allatos, & attende ad verba, quæ ibidem pag. 588. leguntur: *Nempe ad œconomiam Dei pertinet, quicquid Deus hominum generi præſtitit per Chriſtum; quæ cuncta cum uſui noſtro ſint deſtinata, non ſine conſilio forſitan Latini adhibuerunt vocabulum ædificationis, quod id planiſſimum arbitrarentur.* Res planiſſima evadet, ſi ad ſcopum Pauli attendamus. Cavet ille, ne, qui alienas doctrinas invehant, aut ejusmodi res conſectentur, quæ ad œconomiam gratiæ Evangeli-

cæ

Digitized by Google

cæ perſpiciendam nihil faciant. Inter has numerat *fabulas* illas & *genealogias*. Scilicet præconum Evangelii erat myſteria divinæ gratiæ pandere; audientium vero, ea recipere, inque iis capere incrementum. Notandum denique eſt, Codicem *Bœrnerianum* Græco-Latinum, in Græco exhibere *οἰκονομίαν*, in Latino vero *ædificationem*. Ex quo conſequitur, vocem iſtam Latinam Græcæ probe reſpondere viſam eſſe. Neque vero inſolens eſt, voces *οἰκονομίαν* & *οἰκοδομίαν* ſecum invicem permutari. Apud *Diogenem Laërtium* lib. VII. §. 90. communiter legitur *οἰκονομίᾳ*, & Codices *Palatinus* & *Florentinus* habent *οἰκοδομίᾳ*, ibique poſterius rectum putat *Menagius*. Magis autem placent, quæ ibi commentatur *Joachimus Kuhnius: Notandum,* inquit, *οἰκονομία pro οἰκοδομία. Ita* 1 *Timoth. I.* 4. *οἰκοδομία Θεοῦ vel οἰκονομία Θεοῦ eundem gignit ſenſum, quia, uti ex h. l. clare patet, οἰκονομία complectitur οἰκοδομίαν. Quare &* Svidas *in ἀρετὴ pro οἰκονομία legit οἰκοδομία. Accipio enim οἰκοδομία non pro correctione, ſed explicatione vocis οἰκονομία.* Video, *Joannem Pearſonum* in notis ad Ignatii, eadem phraſi utentis, epiſtolam ad Epheſios §. 18. lectionem *οἰκονομία* itidem probare. Lege eum pag. 39.

Verſ. 5. Τὸ *δὲ τέλος τῆς παραγγελίας*] *Finis vero præcepti eſt.* Lutherus ſenſui convenienter: Die Haupt-Summa des Gebots iſt; ut proinde hic ſummatim indicetur, quid Timotheus præceptione illa ſua, quæ à Paulo injuncta erat, verſ. 3. intendere potiſſimum debeat, nempe *amorem ex puro corde* &c. Hunc vero finem ideo commemorat, ut ſimul appareat, eum per fabularum & genealogiarum ſtudium obtineri non poſſe, quippe quod quæſtiones & diſputationes gignat, atque ad *ματαιολογίαν* ducat. Hoc ſenſu vocem *τέλος* à Græcis adhiberi, ut extremum ſeu ultimum ſignificet, ad quod cetera omnia referantur, oſtendit *Raphelius* loc. cit. pag. 589. allato *Zenonis* dicto ex Arriani Diſſertationibus Epicteteis lib. I. cap. 20. *τέλος ἐστὶ τὸ ἕπεσθαι θεοῖς*, *finis ex Diis obſequi.* Idem exiſtimat, fortaſſe quoque *μύθους* & *γενεαλογίας* v. 4. ideo *ἀπεράντους* dici, *quod à fine illo aberrent*, quemadmodum *Chryſoſtomus* ad locum τὸ, *ἀπεράντοις* exponat, *ἤτοι πέρας οὐδὲν ἐχούσαις, ἢ οὐδὲν χρήσιμον*. Mihi quidem Paulus id tantum ſignificare videtur, quod *nullum finem habeant*, ſeu nunquam confici & ad liquidum perduci poſſint. Ideo enim *ζητήσεις παρέχειν* ait. *Schœtgenius τέλος* per *palmarium* & *præcipuum* vertit ex Eccleſiaſtæ XII. 13. סוף דבר. Vide Horas ejus Hebraicas pag. 858. Interim vel ex eo capite fructu deſtitui recte dici poſſunt. Ad reliqua hujus commatis legi velim *Juſti Feurbornii* Analyſin dicti Apoſtolici, Gieſſæ 1621. & *Hermanni Alex. Rœllii* Exercitationes Theolog. tres, *Ultrajecti* 1692. & ſequentibus annis editas.

*ἐκ καθαρᾶς καρδίας*] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 7.

Verſ. 6. *Ὧν τινες ἀστοχήσαντες*] Lege eundem Tom. I. pag. 561.

ἐξε-

ἐξετράπησαν εἰς ματαιολογίαν ] *Heſychius* reddit ἐξέκλιναν. *Notat proprie* à via deflectere, *& ſubintelligendum* τῆς ὁδοῦ, *quod addit* Ælianus Var. Hiſtor. *lib.* XIV. cap. 49. ἐξετράπετο τῆς ὁδοῦ. Habes verba *Joannis Alberti* pag. 392. Obſervationum Philologicarum. Confer *Raphelium* loc. cit. pag. 589.

Verſ. 7. Μὴ νοοῦντες, μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται] *Elegantiſſimum eſt*, monente *Raphelio* pag. 590. *& tanquam proverbiale loquendi genus, quo notantur homines, qui neque ea, quæ loquuntur, ſatis intelligunt, neque quibus de rebus loquantur, conſiderant; præcipue ii, qui alios docere volunt, quæ ipſi non norunt. Sic è contrario* εἰδὼς τί λέγει, *dicitur homo prudens, & rem, de qua ſermo eſt, probe conſiderans, recteque intelligens, apud* Polybium *Leg.* 41. pag. 1183. Ab altera parte *Arrianus* Diſſert. Epictet. lib. II. pag. 231. ita: τί δ' ἴσασι καὶ περὶ τίνων, ἢ πρὸς τίνας, καὶ τί ἔσται αὐτοῖς ἐκ τῶν λόγων τούτων, οὐδὲ καταβραχὺ πεφροντίκασι. Sic memini, P. *Vitiram* Luſitanum, cum *Iſaacum Aboab* & *Menaſſen Iſraëlidem* Amſtelodami pro concione dicentes audiviſſet, dicere, alterum quidem *ſcire, quæ dicat*, alterum vero *dicere, quæ alii ſciant. Heſychius*, obſervante *Alberti*, παραλαλεῖ exponit, φλυαρεῖ, μὴ γινώσκων, ἃ λαλεῖ.

Verſ. 8-10. Vide *Sebaſtiani Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius pag. 171. ſqq. & *Jul. Franciſci Lütkenii* Collegium Biblicum, lingua vernacula editum pag. 363.

Verſ. 8. Οἴδαμεν δὲ, ὅτι καλὸς ὁ νόμος ] Vide ad *Rom.* VII. 12. & *Svicerum* Tom. II. pag. 424. tum *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. I. lib. X. cap. 27. §. 1. & cap. 26. §. 2.

Verſ. 9. Εἰδὼς τοῦτο, ὅτι δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται ] Comma hoc illuſtrat *Wolfg. Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ pag. 583. ſeq. à profanorum vero hominum abuſu vindicat *Spenerus* in Vindiciis locorum Scripturæ vernacule editis pag. 376.

Εἰδὼς proxime pertinet ad antecedentem phraſin: ἐι τις αὐτῷ νομίμως χρῆται. Alii, interque eos *Elſnerus* pag. 288. pro εἰδότες poſitum cenſent, ideo, quod Apoſtolus alias à numero ſingulari ad pluralem tranſire ſolcat, ſicut *Galat.* VI. 1. ubi vide, quæ ſcripta ſunt.

Lex κεῖσθαι & κείμενος Græcis & inprimis Atticis Scriptoribus frequenter dicitur, quod ex locis ab *Raphelio* in Annotationibus Polybianis & Herodoteis, *Elſnero* & *Alberti* allatis patet. Inter hos eſt *Iſai* ille Orat. V. pag. 451. οὑτοσὶ ὁ νόμος κοινὸς ἅπασι κεῖται. Rationem phraſeos *Elſnerus* ex eo repetit, quod leges latæ in publico *jacebant*, ut adiri poſſent, Athenis in Prytaneo, Romæ in ærario &c. Quo ſenſu homini juſto lex non lata dicatur, Interpretes oſtendunt. Præcipuus is eſt, quod alia legis ſit ratio apud juſtos, quam apud perverſæ mentis homines, paulo poſt

commemoratos, qui inviti & coacti ex pœnæ ſcilicet metu ea, quæ legis ſunt, faciunt. Ex hac oppoſitione & re ipſa rectius, quam ex ſignificatu verbi *κεῖται* ſenſus phraſeos petendus eſt. Similes profanorum & Eccleſiaſticorum Scriptorum locos afferunt *Grotius* & *Elsnerus*. Inter hos notandus eſt *Maximi Tyrii* ille Diſſertat. XLVI. qui Leges divinas commemorans, ait: *οἷς ὁ μὲν ἑκὼν ὑποῤῥίψας, ἐλεύθερος καὶ εὔπορος καὶ ἀνενδεὴς ἐφημέρων νόμων*. Compara in ſenſum loci *Vitringam* lib. VI. Obſervationum Sacrarum cap. XVIII. §. 5. pag. 459. *le Cene* in Specimine novæ Verſionis pag. 441. & *Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 502. & 834. nec non *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 77. §. 6. & *Arrowſmithum* in Tacticis Sacris pag. 129. Voces *ἀνυποτάκτοις* & *βεβήλοις* explicat *Suicerus* Tom. I. pag. 395. & 678.

*πατραλῴαις καὶ μητραλῴαις*] *Philoxeni* Gloſſarium & *Thomas Magiſter* *πατραλοίας* & *μητραλοίας* ſcribunt, recte quidem, & origini vocum convenienter, cum deriventur ab *ἀλοιᾶν*, id eſt: *τύπτειν*. Neque tamen altera illa ſcribendi ratio *πατραλῴαις* damnanda eſt, cum Attici recentiores pro *οι* adhibeant *ω* cum jota ſubſcripto. Vide huc Cl. *Alberti* p. 394.

Verſ. 10. *Πόρνοις, ἀρσενοκοίταις*] *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 153. ita: *Vulgaris recte vertit*, fornicariis, maſculorum concubitoribus. *Illi nimirum patientes, iſti agentes. Et illi quidem ſcorta publica virilia.* Impudicos *reddidit antiqua verſio in vetuſtiſſimo Puteanorum libro. Et recte quidem, ut jam ſupra notavimus, ubi hanc vocem* impudicos *explicamus de hujusmodi πόρνοις. Tertullianus* molles, *&* maſculorum concubitores *Latine reddidit. Quia Paulus alio loco μαλακοὺς junxit cum ἀρσενοκοίταις in epiſt.* 1. *ad* Corinth. *cap.* VI. *ubi ſimiliter* mollem *reddidit vulgaris Interpres.* Vide reliqua. Per *πόρνους* itaque proſtibula maſcula ſeu cinædos intelligit, quæ etiam ſententia eſt *Saldeni* pag. 136. Otiorum Theologicorum, & *Petri Zornii* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 448.

*ἐπιόρκοις*] *Ἐπίορκοι* ſunt & ii, qui, quod juraverunt, non faciunt, &, qui, quod falſum eſſe norunt, jurato affirmant. Vide huc Rev. *Raphelii* Annotationes Xenophonteas pag. 277.

*καὶ εἴ τι ἕτερον*] Similiter *Polybius* pag. 983. commemoratis domibus, agris, urbibus ſubjungit, *καὶ εἴ τι ἕτερόν ἐστι τοῦ βασιλέως*.

Verſ. 11. *Κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*] *Quæ* (ſcilicet *διδασκαλία*, *doctrina*) *eſt ſecundum Evangelium.* Hic ſenſus ex ſermonis ſerie patet. Eum expreſſit *Theophylactus* per *τῇ οὔσῃ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*. Ex hoc factum eſt, ut Codex Claromont. Græco-Latinus exhiberet, *τῇ κατά*. Cave igitur, cum *Pricæo* legendum conjicias, *καὶ τῷ εὐαγγελίῳ*, cum, quod ipſe ſibi oppoſuit, codices vetuſti non accedant, tum quod recepta lectio ſenſum planum habet, ita, ut diximus, ad antecedentem phraſin relata. Compara *Joannis Alberti* Periculum Criticum pag. 27.

τὸ

τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης] Phraſin ex Patribus exponit *Suicerus* Tomo I. pag. 1222.

τοῦ μακαρίου Θεοῦ] Vide eundem Tom. II. pag. 289. & adde ſingularem diſſertationem de Macariſmo Dei, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. XII. pag. 53. ſqq.

Verſ. 12-17. illuſtrantur à *Cornelio Adami* in Exercitationibus Exegeticis Exercitat. IV. quæ de gratiæ divinæ magnitudine in converſione Pauli demonſtrata exponit; quo etiam pertinet D. *Joachimi Langii* Diſputatio de efficacia Evangelii ipſius Pauli converſione comprobata, Halæ 1732.

Verſ. 13. Τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον] Sunt, qui ex his conficere voluerunt, Paulum ante obviationem Chriſti prorſus infidelem fuiſſe, quod tamen iis, quæ alibi de ſe teſtata ipſe reliquit, penitus adverſatur; ut non dicam, omnia hæc ad ea pertinere, quæ in Chriſti ſacra temere ſuſcepit. Confer *Robinſonii* Endoxa pag. 96.

ὅτι ἀγνοῶν ἐποίησα ἐν ἀπιςίᾳ] De hac ignorantia lege *Guſſetii* Confutationem libri *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 16. pag. 378.

Verſ. 14. Ὑπερεπλεόνασε δὲ ἡ χάρις] Codex unus habet ἐπλεόνασε; quod etiam exprimunt *Syrus* & *Æthiops*, qui *Millium* adduxerunt, ut in Prolegom. §. 1464. τὸ ὑπὲρ ex margine huc relatum crederet. Temere ſane, cum Apoſtolo uſus præpoſitionis ὑπὲρ in verbis compoſitis admodum frequens ſit, v. c. in ὑπερεκτείνω, ὑπερεκχύνομαι, ὑπερεντυγχάνω, ὑπερνικάω, ὑπερπερισσεύω, ὑπερυψόω; & conveniens admodum ſit, ut, qui ante vitia ſua & crimina efficaciter repræſentavit, idem gratiam à Deo ſibi factam extollat & amplificet. Simili loquendi ratione utitur *Rom.* V. 20. οὗ δὲ ἐπλεόνασεν ἡ ἁμαρτία, ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις.

Verſ. 15. Πιςὸς ὁ λόγος, κ. τ. λ.] Senſum totius commatis promit B. *Jo. Georg. Neumannus* in Programmatibus Academicis pag. 55. ſqq. & *Jo. Tarnovius* in Exercitatt. Biblic. pag. 1035.

Πιςὸς λόγος dicitur, qui verus & certus eſt, nec quidquam falſi habet. Ita *Polybius* pag. 968. μήποτε οὐ πειϑῆς διὰ ταῦτα τοῖς ἐμοῖς λόγοις, καίπερ οὖσι πιςοῖς. Hunc & alios ejus, ut & *Arriani*, locos obſervavit *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 592. Conf. Cl. *Georg. Guil. Kirchmaieri* Paralleliſmum Novi Fœderis & Polybii pag. 48.

καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος] *Bezæ* phraſis hæc præter rem Hebraica viſa eſt, tanquam ex verbo לקח *accipere*, petita, quæ tamen Græcis Scriptoribus eſt frequentiſſima, ita quidem, ut ſignificet *rem non fide modo, ſed & approbatione, laude & veneratione dignam.* Idoneis id exemplis demonſtravit doctiſſimus *Elsnerus* pag. 289. qui & conferri jubet *Gothofredum Olearium* ad Apollonii epiſt. 2. in Philoſtrati Operibus pag. 385. item *Menagium* ad Dioge-

 nem

nem Laërtium lib. VII. Sect. 37. Adde illis *Joannem Albertum Fabricium* ad Sextum Empiricum lib. VII. Sect. I. pag. 449. & 457. Jungam his unum *Hieroclis* locum pag. 296. edit. Cantabrigienſis, ubi commemoratur ἀνδρὸς ἔργον, καὶ πολλῆς ἄξιον ἀποδοχῆς, hoc eſt, *opus viro & multa laude dignum.* Varios *Polybii* locos habes apud *Raphelium* pag. 594. ex quibus idem conficit, licet ἀποδοχή ſæpe idem fere ſit, quod πίστις, interdum tamen etiam ſignificare ſtudium illius rei ortum ex judicio de illius veritate & præſtantia. *Paulus Fagius* in Notis ad Onkeloſi Paraphraſ. *Geneſ.* XXVI. 5. ad Judæorum Cabbalam alludi putat, cui hic λόγος tanquam receptione digniſſimus præferatur. Eadem eſt *Stephani le Moyne* ſententia ad Varia Sacra pag. 23. & 1064.

ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ] i. e. quorum ego primarius ſeu maximus ſum. Sic *Herodotus* lib I. pag. 15. de filiis Crœſi, ὁ δὲ ἕτερος τῶν ἡλίκων μακρῷ τὰ πάντα πρῶτος, obſervante *Raphelio.*

Verſ. 16. Ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἠλεήθην] Voces διὰ τοῦτο abundare hic videntur *Joanni Pricæo,* quas emphaſin potius habere recte arbitratur *Joan. Alberti* pag. 27. Periculi Critici, cum indicent, quare Deus tam inſigne gratiæ exemplum in Paulo conſtituere voluerit, quod mox exſequitur; atque adeo amplius aliquid dicit, quam verſ. 13. ubi ſimpliciter legitur: ἀλλ' ἠλεήθην.

ἵνα ἐν ἐμοὶ πρώτῳ] Deeſt in *Claromontan.* Græc. Lat. quemadmodum in aliis legitur: πρῶτον. Ideo *Millio* in Prolegomenis nunc *ſuſpectum,* nunc rejiciendum videtur, recte renitente *Whitbio* p. 73. Examinis. Scilicet πρῶτον ſe hic appellat Paulus reſpectu eorum, qui ad ſuum exemplum per inſignem Dei gratiam ad fidem ſint perducendi: imo reſpicit etiam ad verſ. 15. ubi πρῶτον, i. e. *primarium* inter peccatores ſe vocat, atque adeo hic *princeps* inter eos haberi vult, qui in poſterum ejuſdem gratiæ futuri ſint participes. Propterea etiam τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν commemorat.

ἐνδείξηται Ἰησοῦς Χριστὸς τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν] id eſt, *ſummam clementiam,* quæ vocis πᾶσα eſt emphaſis. Ita *Polybius* pag. 1391. τὸ γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ὀργιζόμενον εἰς τὸ θεῖον ἀσεβεῖν τῆς πάσης ἀλογιστίας ἐστὶ σημεῖον, *ſumma dementiæ argumentum eſt.* Vide *Raphelium* pag. 595. & in Annotationibus Herodoteis pag. 568.

πρὸς ὑποτύπωσιν] *in exemplum. Oecumenius* ita explicat: πρὸς ὑπόδειγμα, πρὸς ἀπόδειξιν, πρὸς παράκλησιν, *ad exemplum, ad demonſtrationem, ad conſolationem.* Atque ita fere *Theophylactus.* Scilicet vox ὑποτύπωσις interdum etiam *inſtructionem* ſeu *inſtitutionem* infert, quod oſtendit *Valeſius* ad Euſebium pag. 95. b. Conf. 2 *Timoth.* I. 13. Hoc loco ille *exempli* ſignificatus præferendus eſt. *Heſychius* procul dubio ad h. l. reſpexit, quando reddit: πρὸς σημεῖον. Compara *Suicerum* Tom. II. pag. 1398. & quæ infra de hac voce ad 2. I. 13. ſcribentur.

πιστεύειν

*πιστεύειν ἐπ' αὐτῷ*] De fide in Chriſtum ſalvifica in Sacro Codice diverſæ phraſes adhibentur v. c. πιστεύειν εἰς vel ἐπὶ Χριστὸν. aut πιστεύειν ἐν vel ἐπὶ Χριστῷ. De his vide quæ diximus Vol. I. pag. 429. & 713.

Verſ. 17. Τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων] *Vulg.* vertit *Regi ſeculorum;* pro quo recentiores plerique malunt *Regi æterno*, quemadmodum *Jo. Vorſtius* Parte I. Philologiæ Sacræ pag. 31. præfert: *Regi mundi*, idque *Vulgatum* ſibi voluiſſe contendit. Provocat idem ad Judæorum vocem, qui Deum frequenter vocant רב העולם, רב עלמים & מלך העולם Adde *Ludov. Cappelli* Spicilegium notarum in N. T. pag. 114. *Grotius* comparat cum elogio עתיק יומים quod legitur *Daniel* IX. 17. ut *Rex omnium temporum*, atque adeo æternus indicetur. Confer in hanc ſententiam *Svicerum* Tom. I. pag. 142. & pag. 670. *Regem Angelorum* indicari non puto, quæ *Dodvvelli* Diſſertat. I. ad Irenæum §. 14. *Amelii* Tom. I. der Erörterung pag. 358. & pag. 22. eſt ſententia, addita hac ratione, quod hæretici nonnulli, ætate Apoſtolica, Angelis creationem & adminiſtrationem mundi tribuerint, quorum error h. l. tacite repudietur. Quemadmodum enim ille τῶν αἰώνων ſignificatus ex ſcriptis Novi Fœderis non conſtat; ita non apparet, cur Paulus h. l. ad illum errorem alluſiſſe credi debeat. Sunt, qui ad 1 *Chron.* XXIX. 11. reſpectum haberi cenſent, repugnante non præter rem *Franc. Wokenio* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Parte II. pag. 228.

*ἀφθάρτῳ*] Codex unus legit ἀθανάτῳ: at altera illa Paulus etiam *Rom.* I. 23. utitur, ubi vide quæ ſcripſimus.

*ἀοράτῳ*] Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 401. & externorum aliquot loca de Deaſtris ſuis apud *Gatakerum* ad Antonin. XII. §. 28. ubi Stoicorum Dii ὄψει ὁρατοὶ dicuntur.

*μόνῳ σοφῷ Θεῷ*] Vide ad *Rom.* XVI. 27. unde vocem σοφῷ tanquam quæ in Codice *Alexandr.* & *Claromontano* Gr. Lat. ac verſionibus aliquot deſit, repetitam credit *Millius*, recte contradicente *Whitbio* pag. 73. Gravius itaque peccavit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, qui eam prorſus expunxit.

*τιμὴ καὶ δόξα*] Τὸ καὶ omittunt codices quidam, & *Millio* judice, recte, cui & δόξα ſcholion marginale videtur, quamvis codd. omnes exhibeant, ideo, quod *Heſychius* τιμὴν per δόξαν interpretatur. Paulus, fateor, alibi DEUM celebrans δόξαν ſimpliciter illi tribuit, v. c. *Rom.* XVI. 27. Sed alibi τιμὴν καὶ δόξαν conjungit, v. c. *Rom.* II 7. & 10. *Hebr.* II 7. & 9. nec minus *Petrus* 1 epiſt. I. 7. & 2 epiſt. I. 17. tum *Joannes* Apocal. IV. 9. V. 12. & 13. quemadmodum & *Phil.* I. 11. δόξα καὶ ἔπαινος Θεοῦ conjungitur. Nihil itaque cauſæ eſt, cur alteram ab h. l. alienam eſſe reputemus, aut phraſin καὶ δόξα parentheſi à reliquis tanquam ſuſpectam cum editione N. T. Græco-Anglicana ſeparemus.

Verſ. 18-20. ſingulari diſſertat. perſecutus eſt *Jo. Steuberus* Gieſſæ 1623. 4.

Verſ. 18. *Ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι, κ. τ. λ.*] Lege huc *Jo. Martianæi* Conatus novæ verſionis pag. 378-384. Per *παραγγελίαν* intelligenda eſt doctrina de Christo, qui in ſalutem hominum in mundum venerit, de qua v. 15. Sic infra IV. 11. *παράγγελλε ταῦτα καὶ δίδασκε*, poſtquam verſ. 9. *τὸν πιστὸν λόγον* commemoraverat, & v. 10. de Deo ſubjunxerat, *ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν.*

*κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σε προφητείας*] Dubium eſt, quid per *προφητείας* h. l. intelligatur. *Chryſoſtomus* ita ad h. l. *Τί ἐστιν ἀπὸ προφητείας; ἀπὸ Πνεύματος ἁγίου. Προφητεία γάρ ἐστιν, οὐ τὸ τὰ μέλλοντα λέγειν, ἀλλὰ καὶ τὸ τὰ παρόντα, ἐπεὶ καὶ ὁ Σαοὺλ κατὰ προφητείαν ἐδείχθη ἐν τοῖς σκεύεσι κρυπτόμενος.* Itaque *prophetias* refert ad auſpicia ductus & vaticinia Spiritus S. quibus factum ſit, ut Timotheus & circumcideretur, & Doctor Eccleſiæ per impoſitionem manuum conſtitueretur, id quod in ſequentibus exponit *Chryſoſtomus*, atque huc advocat 1 *Tim.* IV. 14. *μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας* cujusmodi vaticinium reſpectu Pauli & Barnabæ editum ſit *Act.* XIII. 2. *ἀφορίσατέ μοι τὸν Παῦλον καὶ τὸν Βαρναβᾶν.* Nec aliter *Oecumenius* & *Theophylactus*; quos recentiores Interpretes, quos ſciam, omnes ſequuntur. Unus adverſatur *Hombergius* p. 326. Parerg. qui *προφητείας* illas de *præceptis & doctrina* intelligit, *quæ Timotheus jam ante à Paulo acceperit* ad militiam ſuam recte perficiendam. Urget is præpoſitionem *ἐπὶ*, quæ non *de* ſed *in* vel *ſuper* ſignificare poſſit. Vertamus itaque: quæ *in* vel *ſuper te prægreſſa ſunt vaticinia.* Et ſic quoque communior illa vocis *προφητεία* ſignificatio obtinebit. Vel vertamus, *ἐπί σε ad te*, h. e. *quæ ad te præceſſerunt vaticinia.* Τὸ *ἐπὶ* vero *ad* ſignificare oſtenſum eſt ad *Johan.* IV. 6. Addit *προφητείαν* in libris N. T. utplurimum non eſſe propheticam, ſed omnem interpretationem Scripturæ. Non nego poſterius illud paſſim hac voce inferri, ſed nec prius exulare compertum eſt. *Et quomodo denique*, ita pergit, *poſſet Apoſtolus Timotheum jubere, ut in Prophetiis illis προαγούσαις militet bonam militiam?* Sed cur id non juberet Apoſtolus, hoc ſcilicet ſenſu, ut meminerit, ſe ſecundum illa antegreſſa vaticinia, quæ nempe eum ut *σκεῦος ἐκλογῆς* (vid. *Act.* IX. 15.) repræſentaverant, munere Apoſtolico fungi inſtar ſtrenui militis debere. M. *Jo. Chriſtianus Herzogius* in diſſertat. de Græcæ particulæ *ἐπὶ* proprio ſignificatu cum caſu quarto junctæ p. 29. *prophetias* has accipit de iis, quas Paulus Timotheo prædixerit, & quidem reſpectu *perſecutionum*, quæ ipſum manerent. Has autem prophetias, *προαγούσας ἐπ' αὐτὸν* dici putat, tanquam quod *pedem ſuum ἐπ' αὐτὸν promoveant, & vere ipſum jam premant.* Subtiliora hæc ſunt, nec exhauriunt vim phraſeos *στρατεύειν καλὴν στρατείαν*, quæ non tolerationem *perſecutionum* tantum, ſed omnes muneris Evangelici partes complectitur. Taceo *προαγούσας* non verti poſſe per *pedem promoventes*, ſed per

*præ-*

*præuntes, prægreſſas*, ſicut infra V. 24. *ἁμαρτίαι* quorundam dicuntur *προάγουσαι* i. e. *præuntes*, quibus opponuntur ibidem illa peccata, *ἃ ἐπακολουθοῦσι*, *quæ ſubſequuntur*. Conf. ad *Hebr.* VII. 18. *προαγούσης ἐντολῆς*. Grotius recte mihi phraſin *ἐπ' αὐτὸν* comparare videtur cum Hebraico עליך.

*ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς τὴν καλὴν στρατείαν*] Militis officia ad h. l. ex *Xenophonte* delineavit *Victorinus Strigelius* in Hypomnematibus & *Raphelius* p. 277. quæ facile ad milites Chriſtianos accommodari poſſunt. Cultum V. T. Judaicum צבא *στρατὸν* appellari ex *Jeſ.* XL. 2. *Numer.* IV. 2. 3. & *Exod.* XXXVIII. 8. *Schœtgenius* ad h. l. monet.

Verſ. 19. *Ἔχων πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, κ. τ. λ.*] Spectat huc B. *Jo. Nicol. Hartſchmidii* diſſert. de naufragio fidei. Argentor. 1709.

Verſ. 20. *Ὧν ἐστιν*] *de quorum numero eſt.* Ita *Xenophon* Conviv. pag. 709. *ὧν Ἡρακλῆς μὲν καὶ Διόσκουροί εἰσι.* Vide *Raphel.* pag. 278. Annott. Xenophontearum, & pag. 568. Herodotearum, & *Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam VIII. pag. 607.

*Ὑμέναιος*] De *Hymenæo* hoc & ejus ſententia legas velim *Jo. Franc. Buddei* Eccleſiam Apoſtolicam cap. V.

*καὶ Ἀλέξανδρος*] Idem hic videtur de quo *Act.* XIX. & 2 *Tim.* IV. 14. Confer *Vitringæ* Obſervatt. Sacr. lib. IV. c. IX. §. 9.

*οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ*] Vide ad 1 *Corinth.* V. 5. Adde *Seldenum* de Synedriis pag. 149. & *Guilielmum Seldenum* in Otiis Theologic. pag. 457. & 464.

# CAPUT II.

Verſ. 1. & 2. explicat *Sebaſt. Schmidius* in Colleg. Bibl. Poſteriori pag. 345. ſeqq.

Verſ. 1. *Παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας*] Diverſa hæc ſunt precationum nomina, quæ quomodo a ſe invicem ratione rei differant, non æque eſt perſpicuum. Vide quæ ſupra ad *Philipp.* IV. 6. dicta ſunt. Adde vero *Joan. Marckii* Exercitatt. Textuales num. XLII. pag. 405. ſqq. & *Vitringam* de Vetere Synagoga pag. 1025. Karæi ſeptem diverſis nominibus preces ad Deum factas deſignant. Hæc ſunt שבח, תודה, ודוי, בקשה, תחנה, צעקה & קריאה teſte *Triglandio* in Diatr. de Secta Karæorum p. 167. Ejus judicio תודה & שבח cum *εὐχαριστίᾳ*, תחנה & ודוי cum *προσευχῇ* & *δεήσει*, בקשה ac duo reliqua cum *ἐντεύξει* poſſint conferri. Vitringa l. c. תחנות *δεήσεις*, תפלות *προσευχάς*, בקשות aut שאלות *ἐντεύξεις*, ברכות vero

vero *εὐχαριστίας* eſſe exiſtimat. Sic & ***Rich. Simon*** in Exercitat. qua ceremonias Judaicas cum diſciplina Eccleſiaſt. confert cap. 8. pag. 40. edit. Lat. varias precum Judaic. appellationes hic reſpici monet. Ex noſtratibus cum *Vitringa* facit Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 861 - 863. allatis variis Judæorum veterum teſtimoniis. Ex veteribus *Origenes περὶ εὐχῆς* §. 44. in vocum harum differentiam inquiſivit. Inter eos *ἐντεύξεις* plerique de precibus, ad vindicandas injurias, ab aliis illatas, pertinentibus, accipiunt. Vide *Svicerum* Tom. I. p. 1127. Id vero admitti non poteſt, cum ex uſu Scriptorum Græciæ vox *ἔντευξις* nunc *congreſſum* cum alio ſimpliciter, nunc vero etiam talem, quæ orandi aut petendi cauſa fiat, inferat. Id variis veterum locis evicerunt *Raphelius* in Annotatt. Polybianis pag. 596. ſq. & *Elſnerus* pag. 290. *Raphelius* quoque eos non probat, qui *ἐντεύξεις* eas innuere preces putant, quæ pro aliis hominibus fiant. Hoc enim poſito, ſequeretur, *δεήσεις* & *προσευχὰς* pro aliis fieri non debere: quod ſane non eſt conſentaneum. Idem pag. 601. voces, *δέησις*, *προσευχὴ* & *ἔντευξις* promiſcui uſus eſſe credit, quæ h. l. emphaſcos cauſa cumulentur, ad preces pro aliorum ſalute tanto magis commendandas. *Elſnerus* vero pag. 291. ita diſtinguit, ut *δέησις* ſit *deprecatio malorum*, *προσευχὴ votum bonorum*, *ἔντευξις vehemens rogatio* ſeu *poſtulatio*, *εὐχαριστία gratiarum actio.* Hæc veri mihi ſimilia videntur. Priora duo vocabula eodem ſenſu accipit *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l.

*ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων*] Ita egiſſe veteres Chriſtianos in precibus, & vota inprimis pro Regibus nuncupaſſe, oſtendit *Elſnerus* l. c. ex *Athenagora* Apologia in calce, & *Tertulliano* cap. 30. Apologetici, conferrique jubet *Cuperum* ad Lactantium de mortibus Perſecutorum pag. 205. ſimilem præterea Judæorum veterum morem ex *Philone* pag. 1035. & 825. Operum commemorans. De Perſis idem tradit *Herodotus* lib. I. pag. 63. De Judæis vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 863.

Verſ. 2. *Ὑπὲρ βασιλέων*] Pro Regibus externis Judæos religioſiores preces olim ad Deum detuliſſe, ſceleratos non item, docet *Joſephus* de Bello Judaico lib. II. cap. 17. quemadmodum olim pro Ptolomæo Philadelpho & hoſtias obtulerant & vota nuncupaverant, tradente eodem Antiquitat. XII. cap. 11. Confer *Jo. Bapt. Ottii* Specimen Annotatt. in Joſephum Tom. II. edit. Havercampianæ p. 316. Idem Judæi hodienum facere debebant, ſi audientes eſſe vellent Magiſtrorum præceptis. Traditur enim in *Pirke Avoth* c. III. R. *Chaninam* præcepiſſe, ut pro incolumitate regni i. e. Regis preces fierent, cum alter alterum devoraturus eſſet, absque metu Regis ſi foret. Imo in libro Precum majore edit. Francofurtan. ad Mœn. an. 1688. fol. 69. col. 4. in precatione matutina Sabbatica formula exſtat, quæ ad Principis ſalutem à Deo impetrandam ſpectat. Vide *Eiſenmengeri* Judaiſmum detectum Parte II. cap. I. p. 95. qui tamen in ſequentibus obſervat, formulam illam in aliis Precum libris non exſtare, & adverſari verbis aliis in eadem Precatione

obviis,

obviis, & ad perniciem Chriſtianorum relatis. Confer tamen alia ejusmodi exempla apud *Schudtium* in Memorabilibus Judaicis parte II. lib. VI. cap. 33. pag. 233. ſqq. Id negari non poteſt, in inſcriptione librorum, quos in Turcia, Italia, Bohemia, & Germania edunt, non raro vel Principis vel Magiſtratus, quo imperante prodierint, mentionem fieri, brevi adjecto voto, ut *majeſtas & gloria ejus exaltetur.*

*πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων*] Ita *Polybius* pag. 601. *πᾶσι μὲν ἐφθόνει τοῖς ἐν ὑπεροχαῖς ὖσι τῶν περὶ τὴν αὐλήν.* Confer *Raphelium* pag. 601.

*ἐν* — *σεμνότητι*] *in honeſtate.* Ita recte vertunt Interpretes tantum non omnes, & eum iis verſio Gallica *Montenſis*, quam *Arnaldus* in Defenſione illius continuata defendit pag. 167. contra *Malletum*, qui per *caſtitatem* vult converti. *Σεμνότητα* alias *gravitatem* Oratoris ſignificare patet ex *Philoſtrato* de Vitis Sophiſtarum cap. XVII. §. 1. ubi *σεμνότητα Demoſthenis ἐπεστραμμένην μᾶλλον* i. e. *aſperam magis*, *Iſocratis* vero illam *ἁβροτέραν καὶ ἡδίονα delicatiorem & jucundam* tradit fuiſſe. *Gravitatis* quidem ſignificatio magis quam *caſtitatis* illa ad h. l. quadrat. Toti commati lucem affundit *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 388-390. *Herman. Witſius* in Exercitat. ad Orat. Domin. pag. 186. & *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. IV. ubi de Hierarchia lib. III. cap. 8. §. 4.

Verſ. 4-6. explicantur & vindicantur à *Jo. Guil. Baiero* in Analyſi & Vindicatione dictorum illuſtrium Scripturæ Sacræ Parte II. p. 25-49.

Verſ. 4. *Ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, κ. τ. λ.*] Ex Patribus antiquis hæc illuſtrat *Petavius* in Dogmatibus Tom. I. lib. IX. cap. 7. §. 9. & lib. X. cap. 1. §. 2. ſqq. tum vero Tomo V. lib. XIII. cap. 1. toto cap. 3. & 4. item *Guil. Forbeſius* in Inſtitutionibus Hiſtorico-Theolog. lib. VIII. cap. 18. pag. 415. ſq. Ex noſtratibus legantur *Lutkenius* in Collegio Biblico german. edito pag. 50. & 209. *Færtſchius* in Selectis Theologicis Parte I. pag. 75. & *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Priori p. 351. nec non in Apologia contra Reformatos vernacule edita, in Append. I. pag. 496. & 505. ſq. Exſtant etiam diſſertationes ſingulares *Petri Wendtii* Argentor. 1650. *Iſaaci Fauſtii* ibid. 1665. *Jo. Guil Baieri* Jenæ 1675. & *Jo. Georg. Dorſchei* Soteriologia, Roſtoch. 1654. qua & commata 5. & 6. illuſtrantur, quod idem fit à *Valent. Velthemio* in Omni trino perfecto, Jenæ. Ex Reformatis huc ſpectant *Sam. Bochartus* in Operibus Tom. II. Opp. pag. 1043. & *Petrus du Boſc* in diatriba ad h. l. ſingulari, quæ inter ceteras cum Vita ejus Roterodami 1694. in 8. prodiit. Conf. Acta Erudit. Lipſienſia an. 1694. p. 182. Addendus his eſt *Hoornbeeckius* lib. III. Diſputationum Miſcellanearum pag. 373. Eos conſtat voculam *πάντας* in loco hoc pro adſtruenda gratia DEI in homines univerſali, non ſine vi reſtringere, quibus noſtrates laudati occurrunt. In eandem ſententiam *Jo. Clericus* in Arte Critica Parte II. Sect. II. c. 6. §. 15. recte ita diſſerit: *Cum Apoſtolus hor-*

*tetur Chriſtianos , ut pro omnibus precentur & præſertim pro Magiſtratibus ; quia gratum hoc eſt Deo , qui omnes homines vult ſalvos fieri ; neceſſario hic vox* omnes *eodem ſenſu ſumi debet , ac in ſuperioribus h. e. prorſus univerſaliter. Abſurda alioquin eſſet hæc ratiocinatio, orate Deum, ſervari* omnes omnino homines , *nam quicunque ſervantur , illi non ſine Deo ſervantur.* Hæc ſcilicet eſt mira *Auguſtini* interpretatio in Enchiridio ad Laurentium cap. 103. contra quam ibidem plura leges. *Chryſoſtomus* rectius eo ita hic commentatur : *μιμȣ̃ τὸν Θεόν· εἰ πάντας ἀνθρώπȣς θέλει σωθῆναι, εἰκότως ὑπὲρ ἁπάντων δεῖ εὔχεσθαι. εἰ πάντας αὐτὸς ἠθέλησε σωθῆναι , θέλε καὶ σύ. εἰ δὲ θέλεις, εὔχȣ.* Lege in eandem ſententiam Interpretes Gallos Berolinenſes.

Verſ. 5. *Εις γὰρ Θεὸς, εἷς καὶ μεσίτης Θεȣ̃ καὶ ἀνθρώπων*] Ex Patribus ad h. l. diſſerit *Forbeſius* in Inſtructionibus lib. I. cap. 19. pag. 35. ſqq. *Petavius* in Dogmatibus Tom. II. lib. III. cap. 2. Tom. V. ubi de Incarnatione lib. II. cap. 9. §. 1. ſqq. & lib. XII. cap. I. ubi contra *Crellium* Socinianum diſputat , quemadmodum B. *Michael Waltherus* ſingulari diſſertat. Satisfactionis Chriſti certitudinem contra Socinianos ex v. 5. & 6. adſtruxit , Witteberg. primum 1689. edita , & ibidem an. 1718. recuſa. Vide quoque *Trellundii* Exercitat. Biblicam II. pag. 2. ſqq. & *Jo. Fechtii* Diſſertat. Durlaci 1692. 4. Adpoſitus eſt locus , quem ex *Ikkarim*. II. 28. attulit *Schœtgenius : Scriptura Meſſiam vocat Jehova juſtitia noſtra* , להיותו
אמצעי אל *quia ipſe eſt Mediator Dei , ut juſtitiam Dei per ipſum conſequamur.*

*δȣ̀ς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων*] Lege *Wilhelmi Lyſeri* diſp. de officio Chriſti mediatorio , Witteberg. 1648. & *Pauli Antonii* de redemtione per lytron , Halæ 1707. Adde *Grotium* de Satisfactione Chriſti pag. 109. Tom. III. Operum pag. 328. De voce *ἀντίλυτρον* ex Patribus diſſerit *Suicerus* pag. 377. copioſius autem *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 526. ſq. Eam proprie h. l. ſumi debere oſtendit *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag 66. ſq. contra Socinianos , & *Franckius* filius in diſſert. de Imputatione Juſtitiæ Chriſti , Kilon. 1691. habita , quam Pater laudat in Exercitatt. Anti-Limborchianis pag. 267. *Jo. Lomeierus* de Luſtrationibus pag. 7. docet , *ἀντίλυτρον* tale eſſe *λύτρον* , in quo liberator ſimile aliquid ſubit ei malo , quod ei imminebat , qui liberatur. Confer etiam Cl. *Tobiæ Eckhardi* Obſervatt. Philolog. ex Ariſtophanis Pluto pag. 47.

*Τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις*] Phraſis nonnihil abrupta , quam unus alterve Codex diverſa ratione ſupplet. Unus habet *τὸ γὰρ μαρτύριον*. *Stephani* unus *τὸ μυστήριον*. *Claromont*. Gr. Lat. *ȣ̃ τὸ μαρτύριον καιροῖς ἐδόθη*. Et ſic quoque *Bœrner*. Gr. Lat. Quæ quidem varietates ex interpretatione natæ ſunt , ut ſententiæ ipſi major lux accederet. Ex recentioribus *Beza* ita : Chriſtus inquam , *teſtimonium illud ſuis temporibus* deſtinatum. Similiter *Eraſm. Schmidius* : Chriſtus, inquam , *teſtimonium illud ſuis temporibus* promulgandum. Uter-

Uterque igitur τὸ *μαρτύριον* pendere volunt ab antecedente *ὁ δὲς ἑαυτὸν*, quod etiam *Hombergio* placet. Interpretes Galli Berolinenſes: C'eſt la ce myſtere, *qui devoit étre annoncé dans ſon tems*. Jo. Clericus ſimpliciter: *ce qui devoit étre annoncé dans ſon tems*. Et ſic ante B. *Lutherus*: Daß ſolches zu ſeiner Zeit geprediget würde. Atque hoc puto optimum, & recte ab *Emſeri* exceptionibus vindicatum à *Raithio* pag. 559. Μαρτύριον h. l. eſt *teſtimonium* aliquando edendum, idemque valet quod *κήρυγμα* ſeu *præconium*. Ita *Act*. IV. 33. de Apoſtolis dicitur, *ὅτι ἀπεδίδων τὸ μαρτύριον τῆς ἀναςάσεως τῦ Κυρίυ Ἰησῦ*. 1 *Cor*. I. 6. Καθὼς *τὸ μαρτύριον τῦ Χριςῦ ἐβεβαιώθη ἐν ὑμῖν*. Μαρτύριον itaque idem hic fuerit, ac ſi ſcriptum eſſet *μαρτυρηθησόμενον*, vel *κηρυχθησόμενον*, & referetur, non ad Chriſtum, ſed ad rem de Chriſto teſtificandam, quod ſcilicet *ſe lytron dederit pro omnibus hominibus*. Hanc Pauli mentem eſſe patet ex v. 7. *Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ Ἀπόςολ*ος *Ad quod* (nempe *μαρτύριον* teſtimonium dandum) *ego poſitus ſum, ut præco & Apoſtolus*: Rev. *Zeltnerus* in notis ad Verſionem Lutheri Biblicam pag. 208. ita *παραφράζει*: Zum Zeugniß der Barmhertzigkeit GOttes, wie auch zugleich ſeines Richter-Zorns wieder die Sünde, und der ewigen Wahrheit, nicht allein mit der That ſolches alles zu beweiſen und darzuthun, ſondern auch aller Welt in ſeinem gepredigten Wort vorzutragen, welches in der rechten (von GOtt ſelbſt hiezu beſtimmten Gal. IV. 4. Rom. V. 6. auch nach ſeiner Weisheit bequemen) Zeit (des N. T.) ſollte kunt werden. Itaque & ipſe *teſtimonium* illud ad *præconium* publice inſtituendum refert, in quo nudo rectius acquieſcimus. Longius hinc abit *Hombergius*, quando expoſitionem phraſeos peti vult ex cap. VI. 14. 15. ubi Timotheus jubetur *præceptum illibatum ſervare, usque ad apparitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam ſuo tempore præſtiturus ſit beatus & ſolus Dominus, Rex Regum, & Dominus Dominorum*. Sane *καιροὶ ἴδιοι* inferunt tempus oeconomiæ ſeu diſpenſationis gratiæ in N. T. de quo *Gal*. IV. 4. & *Rom*. XVI. 25. præcipitur, tantum abeſt, ut ad extrema illa ultimæ apparitionis Domini noſtri tempora ſpectent.

*καιροῖς ἰδίοις*] Chryſoſt. exponit per *προσήκυσι*, i. e. *congruentibus* ſeu *convenientibus*. Ita Polybius pag. 44. *Χρώμενοι δὲ τοῖς ἰδίοις καιροῖς* i. e. *tempore ſuo uſi*. Vide *Raphelium* pag. 601.

Verſ. 7. *Εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ*] Vide *Seb. Schmidii* Myſter. gratiæ divinæ pag. 910. ſq.

*κήρυξ*] Lege de hac voce *Jac. Nyloe* in *Schriftuurlicke Redevoering* pag. 51. & *Cornel. Adami* in Obſervationibus Theolog. Philolog. pag. 370.

*ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριςῷ*] Τὸ, *ἐν Χριςῷ* à nonnullis Codd. & verſionibus abeſt, ideoque *Eſtio* ex *Rom*. IX. 1. huc relatum videtur, quo nomine Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani prorſus, ſed temere, omiſit, cum nulla ſit cauſa, cur Apoſtolum non credamus eadem phraſi h. l. æque uſum eſſe, atque altero.

διδάσκαλ⊛ ἐθνῶν ] *Vitringa* in Obſſ. Sacr. lib. III. cap. 3. pag. 54. hoc titulo alludi putat ad *Pſalm.* LXVIII. 27. ubi *Benjamin parvus*, quo Paulum putat indicari, vocatur רדם *regens ipſos*, hoc eſt docens cum ſingulari poteſtate & auctoritate. Mihi quidem hoc omne ſubtilius cogitatum videtur.

Verſ. 8. βȣ́λομαι ȣ̓ν προσεύχεσθαι τȣ̀ς ἄνδρας, κ. τ. λ. ] Ex-Judæos hic potiſſimum reſpici putat *Jo. Braunius* in Selectis Sacris pag. 139. Vide etiam ad totum comma *Saldeni* Otia Theologica pag. 573. ſq.

ἐν παντὶ τόπῳ ] Videtur hoc opponi Judæorum ſuperſtitioni, qui preces fieri jubebant in templo, vel Synagoga, aut tali ſaltem loco, in quo minimum decem eſſent congregati. Vide *Triglandii* Diatribam de Karæis pag. 172. & *Vitringam* de Vetere Synagoga lib. I. cap. V. p. 45. ſq. qui poſterior etiam oſtendit, veteres Judæorum Interpretes locum Malach. I. 11. ita explicaſſe, fore aliquando, ut omni in loco preces ad DEUM funderentur. Adde alia ex Judæorum ſcriptis apud *Schœtgen.* in Horis Hebraicis pag. 865. ſq.

ἐπαίροντας ὁσίȣς χεῖρας ] Ita *Demoſthenes* in Midiana pag. 392. ait: θεοῖς Ολυμπίοις πάντεσι καὶ πάσαις ὁσίας δεξιὰς καὶ ἀριστερὰς ἀνίσχοντες, obſervante *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 215. Ἀδίκȣς χεῖρας *Xenophon* Cyropæd. lib. I. pag. 20. tribuit hoſtibus contra jus fasque bellum inferentibus. Vid. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas pag. 278. & Herodoteas pag. 569. De ſublatis inter precandum manibus ex ritu veterum Judæorum & Chriſtianorum lege *Salmaſium* de cæſarie virorum & mulierum coma pag. 667. Allato enim *Tertulliani* ex lib. de oratione loco: *Nos vero non attollimus tantum, ſed etiam expandimus è dominica paſſione modulantes & orantes confitemur Chriſto;* hæc ſubjungit: *Manus expandebant & extendebant orantes ad inſtar earum, quæ in patibulo extenſæ ſunt, ut imitarentur Chriſti paſſionem. Hoc geſtu orantes feminæ virique & ſtantes viſuntur in antiquis Chriſtianorum monimentis, quæ Roma Subterranea ſuppeditat. A Judæis hic mos orandi ad primos Chriſtianos derivatus eſt manibus ad cœlum ſublatis. Cum hoc tamen, ut videtur, diſcrimine, quod Chriſtiani manibus etiam diſpeſſis orabant, non ſolum elatis, ut Judæi. Qui ſtantes, qui reſidentes, qui de geniculis, qui junctis manibus, & quando orarent, nos alibi explicamus.* De hoc precantium ritu lege plura apud *Svicerum* Tom. I. pag. 1276. *Adam. Rechenbergium* diſſert. ſingulari de χειραρσίᾳ orantium, quæ exſtat in Exercitatt. ad N. T. & hiſtoriam Eccleſiaſt. pertinentibus p. 146. ſq. *Jo. Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 788. edit. nuperæ Tubingenſis, & alios quos laudatos videbis à *Fabricio* noſtro Bibliographia Antiquaria p. 366. edit. prioris. Nec omitte *Dougtæi* Analecta Sacra N. T. p. 135. *Picinellum* pag. 718. *Pet. Zornium* de Proſeuchis cap. II. §. 4. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 192. Ceterum Judæi non niſi loti precari ſolebant, & in *Sohar* Deuter. fol. 101. mortis reus dicitur, qui manibus ſordidis oret. Vide *Schœtgen.* l. c. p. 866.

χωρὶς

*χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ* ] *διαλογισμὸν* per *ἀμφιβολίαν*, *dubitationem*, ſeu *hæſitationem* explieat *Chryſoſtomus*, & eum eo alii Patres, apud *Svicerum* Tom. I. pag. 878. *Chanina* obſervante *Schœtgenio* loc. cit. eo die, quo iratus fuit, non oravit ſecundum *Erubhin* fol. 68. 1.

Verſ. 9. *Ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας* ] *Salmaſius*, *ὁ πάνυ*, in epiſtola de cæſarie virorum & mulierum eoma pag. 618. putat pendere hæe à phraſi commatis octavi antecedentis: *βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας*, ut ſenſus ſit, velle Apoſtolum, ut, ſicut viri orent *χωρὶς ὀργῆς*, ita mulieres idem faciant, *ἐν καταστολῇ κοσμίῳ*, h. e. ut interpretatur, *animo demiſſo*. *Chryſoſtomus* quidem ad h. l. ita ſcribit: *ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας βούλομαί φησι, Θεῷ προσιέναι, χωρὶς ὀργῆς, χωρὶς διαλογισμοῦ κ. τ. λ. παρὰ δὲ τῶν γυναικῶν καὶ πλέον τι αἰτεῖ ὁ Παῦλος. ποῖον δὴ τοῦτο; τὸ μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης, φησὶν, ἐν καταστολῇ κοσμίῳ κοσμεῖν ἑαυτάς*. At ille tamen non refert phraſin, *ἐν καταστολῇ κοσμίῳ* ad verbum *προσεύχεσθαι*, ſed ad verbum *κοσμεῖν* & *καταστολὴν κόσμιον* de *ἀμπεχόνη*, ſeu *habitu* aut *veſtitu* interpretatur. Atque id recte fieri puto. Preces ſeilicet non tam injunguntur h. l. feminis, quam præſtruuntur ex antecedentibus: reſpectu vero feminarum ea ſubjiciuntur præcepta, quæ ipſas maxime deeent, nempe veſtitus honeſtus, & à luxu alienus, diſeendi ſtudium, & obedientia. Itaque *ὡσαύτως* referendum tantum eſt ad verbum *βούλομαι*, à quo pendet verbum *κοσμεῖν*, ſicut verſ. 8. *τὸ προσεύχεσθαι*. Si enim hoc *ἀπὸ κοινοῦ* repeti voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus erat *μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμούσας ἑαυτὰς*, ſicut verſ. 8. ſcribit: *βούλομαι προσεύχεσθαι ἄνδρας —— ἐπαίροντας*, vel etiam; *καὶ μ. α. κ. σ. κοσμεῖν ἑαυτάς*. Aſyndeton enim hic commode ſtatui nequit.

*ἐν καταστολῇ κοσμίῳ* ] *Chryſoſtomus*: *τὴν ἀμπεχόνην πάντοθεν περιστάλθαι καλῶς, κοσμίως, μὴ περιέργως*, & ſic *Theophylactus*, quemadmodum *Theodoretus* per *περιβολὴν* explicat. Vide *Svicerum* Tom. II. p. 65. Itaque illi ad *amictum*, *veſtitum*, ſeu *habitum honeſtum* ſeu *decentem* referunt, quod & reeentiores tantum non omnes faciunt, invito eodem *Salmaſio* loc. cit. Is enim p. 616. *animi demiſſionem & dejectionem, quæ modeſtiam & humilitatem præ ſe ferat*, putat indicari. *Καταστολή quippe*, ita pergit, *ſedatus eſt animus, & remiſſus, elato & ſuperbo tumentique oppoſitus*. — Habitum humilem *τὴν καταστολὴν reddidit* Ambroſius, *ſive* Hilarius Diaeonus, *commentario ad illam epiſtolam, & videtur ad animum humilem & abjectum referri debere. Nam* jactantiæ *opponit. Et* p. 618. *Ut viros χωρὶς ὀργῆς orare vult, ita & mulieres, ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, quod idem omnino eſt. Quid enim eſt ὀργή. ἔπαρσις ψυχῆς, animi tumor, inflatio, elatio. Cujus contrarium καταστολή; animus ſedatus, quietus & compreſſus.* At non perſuadet rem. Veteres voce *καταστολὴ* de habitu externo utuntur. *Eſt autem*, obſervante *Lamberto Bos* pag. 216. Exereitatt. *καταστολὴ idem, quod περιβολὴ, qua voce exponitur ab* Heſychio, *ἀπὸ τοῦ καταστέλλεσθαι, ornari. Καταστολὴν σώματος etiam dixit*

Jamblichus in *Vita Pythagoræ* pag. 7. & καταϛολὴν ϰὴ χῆμα σώματ☉ *Joſeph.* B. Jud. II. 12. Itaque ab altera parte ſaltem afferendus erat locus, quo conſtaret, demiſſionem animi per *καταϛολὴν* indicari ſolitam. Ex voce ὀργὴ id probari non poteſt, quæ non tam *tumorem animi* ſeu *elationem*, quam *efferveſcentiam* infert. Nec *Ambroſii* expoſitio ſatis tuto huc refertur. Taceo illam animi demiſſionem per τὴν αἰδῶ ϰὴ σωφροσύνην potius inferri. *Zonaras*, fateor, ad Can. III. Ancyranum favet *Salmaſio*, quando pag. 288. *καταϛολὴν*, ibi dolorem ſuum de oblato thure teſtantibus præceptam, explicat: Καταϛολὴ τὸ μέτριον καὶ κατεϛαλμένον τῆ ἤθȣς ἐϛίν· ἢ τὰ περιβλήματα καὶ ϛολή. Καταϛολὴ *ſunt modeſti & humiles mores; vel etiam amictus & ſtola.* Vides autem, *Zonaram* ipſum dubium fuiſſe, utra expoſitio ſit rectior. Convenientiſſimum ſane videtur, de habitu corporis externo accipere. Dicitur enim ibi: τῇ πάσῃ καταϛολῇ, καὶ τῷ σχήματι καὶ τῇ τȣ͂ βίȣ ταπεινότητι. Ut finem dicendi faciam, compoſitum pro ſimplici exſtat, *καταϛολὴ* pro ϛολὴ, *ſtola*, ſeu *veſte promiſſa.* Hanc autem a feminis fuiſſe adhibitam conſtat. Neque tamen diffiteor, de virili quoque habitu ϛολὴν adhiberi. Vide *Menagium* ad *Diogenem Laërtium* pag. 118. *Perizonium* ad Æliani Var. Hiſtor. III. 24. & *Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam lib. III. pag. 224. item *Olearium* ad Philoſtrati Vitam Apollonii I. 27. pag. 35. Interim *ſtolam* femineam veſtem proprie indicaſſe, patet vel ex illo *Ciceronis* ad Antonium Philipp. II. *Sumſiſti virilem togam, quam ſtatim* muliebrem ſtolam *reddidiſti.* Lege plura apud *Gatakerum* ad Antoninum I. 7. pag. 10. Ceterum ἐν ἐϛῆτι εἶναι Græcis idem eſſe, quod *indutum veſte*, oſtendit *Boſius* loc. cit. pag. 215. Conf. *Actor.* I. 10. De voce *κόσμιος Suicerus* Tom. II. pag. 147.

μετὰ αἰδȣ͂ς] *Plutarchus* in *Præceptis* conjugalibus pag. 139. de femina ita: ἡ σώφρων ἀντενδύεται τὴν αἰδῶ, καὶ τῷ μάλιϛα φιλεῖν, τὸ μάλιϛα αἰδεῖσθαι, συμβόλῳ χρῶνται πρὸς ἀλλήλȣς. Confer *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 570. De præpoſitione *μετὰ* diſputatum eſt inter *Arnaldum* & *Malletum*, utrum rectius reddatur per, *ornare ſe modeſtia*, an, *ornare ſe cum modeſtia.* Vide *Arnaldi* Defenſionem continuatam Verſionis Gallicæ *Montenſis*, quæ prius illud elegit

ϰὴ σωφροσύνης] Αἰδῶ ϰὴ σωφροσύνην *Xenophon* itidem conjungit Cyropæd. lib. VIII. pag. 162. ubi Cyrum teſtatur utramque a ſe ita diſcreviſſe, ut *verecundos* diceret palam turpia fugere, *modeſtos* vero etiam illa, quæ clam fiant. Σωφροσύνην primo quidem *mentis ſanitatem*, *ſapientiam* & *prudentiam*, in ſpecie vero etiam *modeſtiam*, *caſtitatem* & *pudicitiam* denotare idoneis locis veterum comprobavit *Lambert. Bos* loc. cit. *caſtitatem* h. l. indicari exiſtimat. Adde *Gatakerum* ad Antoninum III. 2. & *Joannem Walliſium* Tom. IV. Operum pag. 215. Per *caſtitatem* quoque vertit Interpres Gallus *Montenſis.* Vide *Arnaldum* loc. cit. pag. 601. *Vulg.* habet *ſobrietatem*, ſed male id fieri *Hieronymus* cenſuit, *caſtitatem* ſubſtituens. Vide *Eraſmi* Scholia in lib. I.

Hieron.

Hieron. adv. Jovinianum, & *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica verſionum Novi Teſtamenti pag. 60.

*κοσμεῖν ἑαυτὰς*] Ita *Epictetus* in Enchirid. pag. 62. Mulieres in ornatu ſpem collocant omnem. Quare operæ pretium eſt, dare operam, ut ſentiant, ſibi non ob aliud honorem haberi, ἢ τῷ κοσμίαι φαίνεσθαι καὶ αἰδήμονες ἐν σωφροσύνῃ. Habes hic easdem virtutes, quas Apoſtolus feminis commendat. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 602. & *Hutchinſonum* ad Xenophontis Cyropædiam lib. VIII. pag. 566. Similis eſt *Plutarchi* locus de Præceptis Conjugalibus pag. 141. Κοσμιωτέραν ποιεῖ δὲ ταύτην (γυναῖκα) ὁ χρυσὸς, οὔτε σμάραγδος, οὔτε κόκκος, ἀλλ᾽ ὅσα σεμνότητος, εὐταξίας, αἰδοῦς ἔμφασιν περιτίθησιν. Gemina habes in *Meliſſa*, Philoſophæ, epiſtola ad Claretam, Luciano item in Imaginibus pag. 9. & *Jamblicho* in Vita Pythagoræ cap. 11. pag. 63. quorum loca recitat *Joannes Henricus Majus* lib. II. Obſervationum Sacrarum pag. 189. ſqq. edit. II. auctioris.

*μὴ ἐν πλέγμασιν*] *non in plexuris*, ſcilicet capillorum, ut *Eraſmus Schmidius*, vel, *non in cincinnis*, ut *Beza*. Vide huc *Salmaſium* loc. cit. pag. 266. & inprimis pag. 561. ſqq. Contendit ille, πλέγματα ſeu ἐμπλοκὴν non eſſe *compoſitionem crinium*, ſed *implicationem*, *vel implexionem vitta*, *vel vinculo*, *nodoque aureo innexorum*. Et pag. 615. *Quacunque ratione*, inquit, *mulier etiam pauperrima crines ſuos, ne diffluant, & ſolvantur, vincire geſtiat, id πλέγμα dici Græce, atque intelligi oportet.* Clemens Alexandr. *Pædagogo III. cap. 11. ubi proponit curſim perfectiſſimæ vitæ exemplar tam aſcetis, quam viduis ac virginibus devotis, mulieres περόνῃ τινὶ λιτῇ*, vili aliquo fibulæ nexu *vel* vinculo *comas in cervice alligare cenſet debere. Quæ ſic ſubnectitur coma, etiam ἐμπλέκεσθαι Græcis dicitur, & πλέγμα nodus ille, quo capilli ſubſtringuntur. In eo Paulino loco πλέγματα perperam interpretati ſunt Latine* tortos crines, *aut* cincinnos. *In optimo ac vetuſtiſſimo codice Bibliothecæ Puteanæ verſio Latina, quæ tamen eadem eſt cum vulgari, habet, non* ornaturis capillorum, *non* auro. *Certe πλέγματα generaliter ornaturæ ſunt capillorum.* Aliorum de hac & ceteris commatis hujus vocibus cogitata lege apud *Amelium* in der Erörterung Tom. II. pag. 375. ſqq. & *Joannem Hagerup* in Cogitationibus in rem veſtiariam Novi Teſtamenti pag. 4. Confer etiam *Saubertum* de Sacrificiis pag. 202. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 867. Apoſtolum reſpexiſſe putat ſolemnem acclamationem matronarum Judaicarum ad ſponſum, in *Ketuvoth* cap. I. 2. exſtantem: *non opus ipſi fuco, aut ſtibio, aut complicatione capillorum; ipſa formoſiſſima eſt.* Ex occaſione Paulini hujus loci de eo diſputatum eſt inter Theologos Aſceticos, utrum ab omni veſtium ornatu feminas Chriſtianas abſtinere deceat. Vide hanc in rem *Speneri* Reſponſa Theologica Germanica Tom. I. pag. 25. 29. ſq. & Tom. II. pag. 223. & 359. item *Jac. Altingium* in Operibus Tom. V. pag. 412. inter Epiſtolas.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 10. Ἀλλ' (ὃ πρέπει γυναιξὶ] *Pricæus* hic mallet legere ὡς πρέπει, (quod Siracid. XXXIII. 28. legitur) ſi codicum accederet auctoritas. *Sed recte ſe habet,* monente *Joanne Alberti* pag. 394. Obſervationum, *nec illa lectione opus eſt, ut quisque videt; dummodo ſuppleatur* ποιεῖν. *Id enim melius placet, quam parentheſin cum Stephano omittere, & ante* ὃ *ſubaudire* κατὰ, *quod voluit* Knatchbullus. *Simile eſt illud* Terentii, *quod* Pricæus *adduxit Adelph. Act. III. Scen. IV. verſ.* 45. ut vobis decet: *ubi* Donatus: Græce dixit, ὑμῖν πρέπει, & deeſt *facere.* Confer eundem in Periculo Critico pag. 28.

γυναιξὶ θεοσέβειαν ἐπαγγελλομέναις] *mulieres pietatem in DEUM ſpondentes.* Ita *Beza* & *Schmidius.* Rectius verteris *profitentes.* Hanc enim verbi Græci notionem frequentem eſſe docuit *Hombergius* pag. 326. Ita *Heliodorus* Æthiopic. I. pag. 52. πολὺν ἐκ τῶν ὄψεων θόρυβον ἐπαγγελλόμενος, *magnam perturbationem vultu declarans.* B. *Lutherus* recte: Die da Gottſeligkeit beweiſen. Nec aliter accepiſſe videtur *Vulgat.* quando vertit: *promittentes.* Eodem enim ſenſu *Horatius* ait:

- - - *Quod Medicorum eſt*
*Promittunt Medici.*

ubi vetus Scholiaſtes: *promittunt, profitentur.* Confer *Pricæum* ad h. l. & *Svicerum* Tom. I. pag. 1157.

Verſ. 11. Γυνὴ ἐν ἡσυχίᾳ μανθανέτω ἐν πάσῃ ὑποταγῇ] Vide ad Epheſ. V. 24. Simile eſt illud *Euripidis* Heraclid. v. 477.

Γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
Κάλλιςον.

& *Sophocles* Ajace v. 296. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει. Alia lege apud *Picinellum* pag. 718.

Verſ. 12. Γυναικὶ δὲ διδάσκειν οὐκ ἐπιτρέπω] Vide ad 1 *Corinth.* XIV. verſ. 34. Democrates in Sententiis: γυνὴ μὴ ἀσκείτω λόγον· δεινὸν γάρ. Quomodo verbum ἐπιτρέπω ad momenta, hoc commate comprehenſa, ſpectet, oſtendit *Wolfburgius* pag. 361. Obſervationum Sacrarum.

οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς] *neque auctoritatem uſurpare in virum. Theophylactus* exponit per ἐξουσιάζειν, ſicut & *Heſychius.* Compara *Svicerum* Tom. I. pag. 573. & *Chilmeadum* ad Malelæ Chronographiam pag. 384. Originem vocis exponit *Lambertus Bos* in diſſert. de Etymologia Græc. p. 19. Quod ad rem *Æſchylus* in Prometheo v. 193. ſqq.

Μήτ' ἐν κακοῖσι, μήτ' ἐν εὐεςοῖ φίλῃ
Ξύνοικος εἴην τῷ γυναικείῳ γένει
Κρατοῦσα μέν γὰρ οὐχ ὁμιλητὸν θράσος,
Δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλεῖον κακόν.

Meliſſa

*Meliſſa* in epiſtola, quæ legitur in Galei Operibus Mythologicis pag. 749. ita: Αἱ τῶ ἀνδρὸς θελήσεις νόμος ὀφείλει ἄγραφος εἶναι κοσμίᾳ γυναικὶ, ποθ' ὃν χρὴ βιῶν αὐτάν. Democrates in Sententiis: ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι ὕβρις καὶ ἀνανδρίη ἐσχάτη.

ἀλλὰ εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ] i. e. σιγᾷν 1 *Corinth.* XIV. 34. Sic *Herodotus* lib. V. pag. 70. ἐν ἡσυχίᾳ σφέας αὐτὰς εἶχον h. e. *ſilebant*. Vide *Raphelium* pag. 570. Ita ἡσυχίαν ἄγειν de ſilentio in myſteriis Gentilium dicitur ab *Ariſtophane* in Ranis v. 324. ubi vide *Ezech. Spanhemium*.

Verſ. 14. Καὶ Ἀδὰμ ὐκ ἠπατήθη] Inſpice *Statii Ehrenbergii* diſſertat. de Seductione Adami, Helmſtad. 1688. Quo ſenſu Adamus non ſeductus eſſe dicatur, diſputant veteres, quorum ſententias leges apud *Suicerum* Tom. I. pag. 77. & *Heinſium* in Exercitatt. ad N. T. Optime illi rem inſtituunt, qui, vocem πρῶτος ex v. 13. tanquam ἀπὸ κοινῦ repetentes, id Apoſtolum velle putant, quod Adamus non *prior*, ſed mulier potius à Satana ad lapſum perducta ſit. Duplici itaque argumento Paulus obedientiam, fœminas decentem, urget. Alterum eſt, quod Adamus prior ſit conditus; alterum, quod fœmina prior peccaverit. Hujus interpretationis meminerunt *Theodoretus* & *Oecumenius*. Ex recentioribus eandem plerique amplectuntur & ornant, nominatim *Bryanus Turnerus*, Anglus, in Tentamine de primi peccati introitu, Londini 1691. in 4to edito, (de quo leges *Acta Eruditorum* Lipſienſ. an. 1692. pag. 521.) *Suicerus* l. c. *Car. le Cene* in Conatu novæ Verſionis pag. 19. & *Jo. Buxtorfius* in Catalectis pag. 191. qui tamen & aliam quandam expoſitionem affert, quæ locum invenire poſſe forte nemini videbitur. Nec omitte Cl. *Schatgenii* Horas Hebraicas pag. 867. ubi ex Judæorum ſcriptis de eo diſſerit, cur Satanas non Adamum, ſed Evam potius ſolicitarit. Ex noſtratibus in omnia alia abit *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis pag. 81. Ita enim hæc vertit: *Adam non ſeductorem ſe geſſit, ſed mulier ſeductrix facta fuit.* Cauſam hanc affert, quod verba tertiæ conjugationis apud Hebræos tum in activo tum in paſſivo involvant cauſam efficientem impulſivam coadjuvantem, ut, ſi in prima conjugatione ſignificatio ſit, *erraverit*; in tertia ſit, *errare fecit*: & ſimiliter in paſſivo. Mihi non dubium eſt, Adamum hic eodem ſenſu negari *ſeductum eſſe*, quo Eva *ſeducta* dicitur, nempe paſſivo ſenſu. Adde de h. l. *Varenii* commentar. in Geneſin cap. III. pag. 337.

ἐν παραβάσει γέγονε] *transgreſſa eſt legem*, ſcilicet πρώτη, quod etiam h. l. ex prioribus repetendum eſſe recte monuit *Turnerus* loc. cit. Sic ante ἐν ἡσυχίᾳ εἶναι idem eſt, ac ἥσυχον εἶναι.

Verſ. 15. Σωθήσεται δὲ διὰ τεκνογονίας κ. τ. λ.] Legendi ad hoc comma ſunt ex Anglis *Stephanus Charnock* Tom. II. Operum in Supplementis pag. 76-78. ubi *ſolatium gravidis* exhibetur, & *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 391-394. ex noſtratibus autem *Hackſpanius* in Sylloge.

loge, contra *Heinſium* (τεκνογονίαν de *matrimonio* explicantem, quem ſequitur *le Cene* in Specimine novæ verſionis pag. 621.) inprimis diſputans, pag. 294. ſqq. & *Balthaſar Stolbergius* in Exercitat. Philolog. ad h. l. Wittebergæ 1669. Rectiſſime agere videntur, qui prima illa verba ita convertunt: *ſalva fiet tamen liberos gignendo.* Vide ibi *Bezam* & *Eraſmum Schmidium*, qui poſterior ita habet: Per generationem liberorum, *non ut cauſam poſitivam, ſed privativam, ſive non impedientem, licet loco pœnæ ſexui fœmineo moleſtiæ & dolores τῆς τεκνογονίας ſint impoſiti. Præpoſitio enim διὰ cum Genitivo inter alias etiam ſignificationem inſtrumenti habet, non tantum poſitivi ſive effectivi & efficacis, ſive miniſtrantis.* Ita ſenſus foret *non impediente τεκνογονίᾳ.* Quem ſignificatum ut veterum locis firmat, advocato etiam in ſubſidio 2 *Corinth.* VI. 8. ita poſtea oſtendit, τὸ διὰ idem hic eſſe poſſe, quod ἐν, ita tamen, ut *conditionem*, vel *ſtatum* denotet. Eadem ratione phraſin interpretantur ex noſtratibus *Sebaſtianus Schmidius* in Colleg. Bibl. Poſter. p. 98. *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis p. 279. & *Wolfburgius* p. 116. Obſervationum Sacrarum, ex aliis vero *Joannes Vorſtius* in Philologia Sacra, Parte I. pag. 300. *Jacobus Niloë* in *Schriftuurlick Ligt* pag. 51. & *Elsnerus* pag. 292. cui præterea Apoſtolus tangere videtur peſſimam hæreticorum opinionem, matrimonium ſaluti officere fingentium. Sunt qui τὸ τεκνογονεῖν latiori ſignificatu *educationem liberorum* ſignificare exiſtimant. Ita olim *Chryſoſtomus*, ad h.l. Τεκνογονίαν φησὶ, τὸ μὴ μόνον τεκεῖν, ἀλλὰ καὶ κατὰ Θεὸν ἀναγαγεῖν. Nec minus *Theophylactus.* His adſentiuntur *Jacobus Cappellus* ad h. l. *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 104. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 868. & Interpretes Galli Berolinenſes, qui hunc vocis ſignificatum ex LXX. *Geneſ.* L. 23. *Ruth.* IV. 17. & 2 *Sam.* XXI. 8. adſtruunt. Ferri hoc poteſt, modo & illa liberorum educatio non *conditionem* ſalutis, ſed *ſtatum* matrum, in quo vel ſic ſalventur, inferre exiſtimetur.

Mireris merito, veterum Doctorum nonnullos *partum Mariæ virgineum* hic invehere potuiſſe. Eos affert *Suicerus* Tom. I. pag. 809. à *Theophylacto* merito vel ex ſequente phraſi rejectos, quamvis ſe probarint *Richardo Kiddero* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. I. pag. 72. ſq. &, ni fallor, Anonymo im freywilligen Hebr-Opfer Tomo II. pag. 412. Ille enim τεκνογονίαν de *Chriſto ex virgine nato*, per quem mulier ſalva fiat, hic vero de *homine ſexus feminei* interpretatur.

ἐὰν μείνωσιν ἐν πίστει] *ſi manſerint in fide*, nempe *feminæ*, ſeu *matres.* Ad has enim reſpici ſermonis ſeries evincit. De ſalute enim agitur, per fidem obtinenda ab illo ſexu, qui per peccatum prior in damnationem incidit. Nec fraudi eſſe debet plurium numerus, ad ſingularem antecedentem relatus. Permutatio enim illa Græciæ & Latii Scriptoribus frequentiſſima eſt, inprimis, ſi nomen anteceſſerit multitudinis, & quodcunque pluralem ſenſum infert. Vide *Eraſmum Schmidium* ad h. l. *Suicerum* loc. cit. *Feſſelium* Tom. II. Adverſa-

verſariorum Sacrorum pag. 478. *Gatakerum* ad Antoninum pag. 72. & *Elsnerum* pag. 292. qui *Daviſium* etiam affert, ſimilia utriusque linguæ Scriptorum loca promentem ad Ciceronem de Nat. Deor. lib. I. cap. 38. & elegantiſſimum *Petrum Burmannum* ad Quintilian. Inſtitut. IX. cap. 2. *Heinſius* ad maritum & uxorem in conjugio viventes, retulit, diligenter confutatus ab *Hackſpanio* loc. cit. & *Vorſtio* Part. I. Philolog. Sacr. pag. 300. Nec rectius veteres quidam ad liberos retulerunt à *Suicero* appellati. Hinc recte dubius eſt *Hombergius* pag. 328. an ad liberos pertineat, quod ipſe aſſeveraverat, τεκνογονίαν idem eſſe opinans, quod γονίας τέκνων, rectius facturus, ſi animum ad γυναῖκα, in genere collectivo ſumtam, retuliſſet. B. *Lutherus* noſter ſenſum optime expreſſit: ſo ſie bleibet im Glauben, ad γυναῖκα ſeu matrem quamcunque reſpiciens. Nec habebat *Trillerus*, cur interpretationem illam in Examine quorundam Scripturæ locorum carperet. Lege contra eum *Schœnlandii* Vindicias pag. 284. quas ante occupaverat *Glaſſius* in Grammatica Sacra lib. III. Tract. 3. can. LIII.

# CAPUT III.

Verſ. 1-7. excuſſit doctiſſimus *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* Diſſertatione ſingulari de Externis Candidati ſacri, quæ Iſenaci An. 1712. habita eſt, & deinde in Pœcile Tom. I. lib. II. pag. 303. ſeqq. recuſa.

Verſ. 1. Πιςὸς ὁ λόγος] Vide ſupra ad cap. I. 15. & adde, quæ de phraſi ad h. l. commentatur *Jo. Alberti* pag. 395. Obſervationum Sacrarum. Senſus eſt: *verum eſt verbum*, vel etiam, *res certa eſt*, quod idem monet. Sic *Arrianus* Expedit. Alexandri II. cap. 16. pag. 90. τὸ ἐ πιςὸν τἐ λόγυ, *rem vero abſimilem* appellat. Ita B. *Lutherus* noſter: Daß iſt je gewißlich wahr. *Chryſoſtomus* in commentario ſuo hæc ad ſuperiora refert, quibus ſic epiphonema quaſi quoddam adjiciatur. Ita infra cap. IV. 9. eadem phraſi utitur: πιςὸς ὁ λόγος, κὴ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, quæ omnino pertinet ad verſ. 8. quo pietatis fructus inſigniter prædicatur. Iisdem tamen verbis Paulus ſupra utitur cap. I. 15. in initio ſententiæ, ita ut ad reliqua pertineant. Itaque his poſitis h. l. æque commode ad antecedentia atque ad ſequentia referri poteſt. Malim tamen poſterius, cum in ſequentibus de re non parvi momenti ſermo ſit, ad quem præterea Apoſtolus tranſitum hac phraſi ex abrupto quaſi munire ſibi voluiſſe videtur. Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ad finem capitis II. retulit, more ſuo nova nimis ſectatus. Pro πιςὸς in uno Codice *Claromontano*, qui olim *Puteani* fuit, legitur ἀνθρώπινος, & in Lat. *humanus*, quam lectionem etiam *Ambroſius* exhibet, tam hoc loco, quam ſupra cap. I. 15. Vide *Millium* ad utrumque. Dubius videtur *Salmaſius* de Fœnore Tra-

pezitico pag. 411. an non hæc lectio præferri mereatur. Ait enim: *Quæ, ſi vera eſt lectio, eam ἐπισκοπὴν Paulus non de epiſcopatus dignitate intellexerit, ſed de qualibet curatione, cum aliquo præfecturæ honore ac commodo conjuncta. Vulgi ergo ait hunc ſermonem eſſe, ſi quis cupiat cujuscunque muneris vel officii procurationem, honeſtum opus deſiderare.* Et pag. 412. *Cum igitur dixiſſet Apoſtolus, vulgo id ferri & jactari, qui ἐπισκοπὴν cupiunt, καλὸν ἔργον eos expetere, ſubjecit, ἐπίσκοπον ergo, i. e. illum, qui in Eccleſia ἐπισκοπὴν gerit, debere eſſe ἀνεπίληπτον, ut ſic videri poſſit καλὸν ἔργον agere, & præclaro munere fungi. Quia autem Paulus aliis in locis, ubi aliquid adfirmat, ſolet dicere πιςὸς ὁ λόγος, ſequens ætas, cum jam Epiſcopatus in Eccleſia dignitas magna eſſet, & deſideranda, pro ἀνθρώπινος ὁ λόγος, repoſuit, πιςὸς ὁ λόγος, ut de Epiſcopatu Eccleſiaſtico acciperetur.* Miror fere, *Salmaſium* ita cogitare potuiſſe. Phraſis πιςὸς ὁ λόγος Apoſtolo frequens eſt. In hac enim epiſtola ter exſtat: tum vero 2 *Tim.* II. 3. & III. 7. Altera vero illa ἀνθρώπινος ὁ λόγος nuſquam legitur. Et vereor, ut *vulgi ſermonem* ſignificare poſſit, quod vult *Salmaſius.* Si quid enim hujusmodi indicare voluiſſet, ſcripturus erat ἀνθρώπινον λέγω, quod facit *Rom.* VI. 19. Nec plus valet cauſa, ob quam vox ἀνθρώπινος cum illa, πιςὸς, a ſequiori ætate ad adſerendam Epiſcopatus dignitatem permutata videtur. Aeque enim recte id fieri poterat, ſi vel maxime, quod cupit, vox ἐπισκοπῆς de qualibet curatione fuiſſet accepta, quia vox ἐπίσκοπος ſequitur, in ſenſu Eccleſiaſtico, quod nec ipſe negat. Recte itaque illam lectionem contra *Salmaſium* improbat *Petavius* de Hierarchia Eccleſiaſtica, atque ita τὸ *humanus* explicandum cenſet, ut idem ſit, ac ſermo captum humanum non ſuperans, adeoque credibilis, ac fide dignus, humanæque imbecillitati accommodatus. Recte etiam *Millius* ad h. l. *Latinum* humanus *à Græco ἀνθρώπινος profluxiſſe adeo non cenſet, ut omnino illud ἀνθρώπινος profectum credat a Græcis codicibus ad Latinum exemplar caſtigatis.* Verius id puto *Grotii* conjecturâ, qui ἀνθρώπινος ex compendio ſcripturæ ϖξ & αξ natum eſſe ſtatuit. Fortaſſe ſcripſit *Grotius* ϖς & ας, cum non intelligam, quomodo alterum illud huc quadret. Et vel ſic tamen ϖιςὸς nunquam compendioſe ſcribitur per ϖς, quemadmodum nec ἄνθρωπος per ας, ſed per ανος. Taceo denique, pro lectione vocis ἀνθρώπινος unum codicem *Claromont.* adhuc afferri poſſe, pro quo *Grotius* plures memorat.

ἔι τις ἐπισποπῆς ὀρέγεται] Vox ἐπισκοπὴ & ſequens ἐπίσκοπος munus eccleſiaſticum quodvis indicat, non autem eam dignitatem, quæ Epiſcopis ſequente ætate in Eccleſia conſtitutis, propria eſt. Id patet ex Act. XX. 17. & 28. ubi qui ϖρεσβύτεροι vocantur, etiam ἐϖίσκοϖοι audiunt, atque hi ϖοιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν Θεȣ̃ dicuntur. Vide nos ad Actorum loc. cit. Confer *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico l. c. de Epiſcopis & Presbyteris, quem librum ſub *Wallonis Meſſalini* nomine edidit, pag. 433-441. tum vero *Heumannum* in Pœcile Tom. I. lib. II. pag. 307. nec omitte *Suicerum* Tom. I. pag. 1176. ſq.

1176. ſq. Quod ad rem ipſam attinet, de deſiderio & fuga Sacerdotii ex antiquitate inprimis commentati ſunt *Leonb. Coquæus* ad Auguſtinum de Civit. Dei lib. XIX. cap. 19. *Styanus Thirlby* ad Gregorii Nazianz. Apologet. p. 435. ſq. *Spizelius* in Literato Felice pag. 817. & *Zieglerus* de Clerico renitente. Vide *Jo. Albertum Bengelium* in notis ad *Chryſoſtomi* libros ſex de Sacerdotio, quantivis pretii, & diligenter legendos, pag. 427. Ex recentioribus argumentum, de quo hic agitur, perſecuti ſunt B. *Jo. Fechtius* diſput. de ambitione officii Eccleſiaſtici, *Jo. Guilielm. Baierus* de affectantibus parochiam. Jenæ 1688. & *Jac. Chriſtoph. Wolfius*, Profeſſor Gr. Lingu. Roſtochienſis, Roſtoch. 1726. tum vero *Paulus Hoſmannus* in Analyſi aphoriſmi Apoſtolici, Thorunii 1706. Adde *Jo. Henr. Urſinum* in Analectis pag. 120. *Jo. Hoornbeckii* Miſcellan. lib. I. cap. 13. & *Jo. Steph. Menochii* Trattenimenti Parte V. pag. 450. ſq.

καλȣ̃ ἔργȣ ἐπιθυμεῖ] *Hoc ex idiotiſmo dictum eſt, ut etiam nunc dicimus:* c'eſt une belle choſe d' etre Pape. *Pulcrum eſt opus, Papam eſſe. Nam ita* ἔργον *Græcum vulgus uſurpabat,* ἀντὶ τȣ̃ πρᾶγμα *aut* χρῆμα. *Præterea* ἔργον *in aliis omnibus officiis ac muneribus functionibusque dicebatur, præterquam in artibus &* τέχναις. *Unde* ἔργα *&* ἐπιμελήματα *villicationis munia ac curæ apud* Xenophontem. Ita *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 412. Supra *Eph.* IV. 12. ἔργον διακονίας de miniſterio ſacro Paulus adhibet. *Salmaſius* l. c. p. 445. *Opus Epiſcopatus,* τὸ ἔργον, *officium ipſum. Hieronymus:* Multi Epiſcopi nomen honoris deſiderant, oneris devitant. *At onus eſt, h. e. curatio ipſa, quæ facit & nominat Epiſcopum. Inde* officium Epiſcopatus *dicitur, quod officii nomen non magiſtratum aut poteſtatem, vel dignitatem & honorem deſignat, ſed miniſterium.* Vide reliqua. *Colomeſius* in Obſervatt. Sacr. pag. 152. verti vult τὸ ἔργον, per *charge*, i. e. *officium.* Egregie ex h. l. *Ambroſius* de Dignitate Sacerdot. cap. 4. *Si Epiſcopus eſſe deſideras, magnum eſt, quod eſſe cupis, ſed ſi & opus bonum ſimul amplectaris: nam ſi alter eſſe cupis, epiſcopus eſſe non potes.* Alia in hanc ſententiam promit *Andr. Schottius* in Adagialibus Sacris pag. 135.

Verſ. 2. Δεῖ ȣ̃ν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι κ. τ. λ.] Ex hoc & ſequentibus aliquot commatibus virtutes & vitia Epiſcoporum ediſſerunt M. *Juſtus Henr. Oldekop*, Swobaci 1692. *Iſaacus Fauſtius* Argentor. 1674. & *Joh. Michael Lange* de homine ad docendum in Eccleſia apto. Confer & *Caſp. Ziegleri* tractatum de Epiſcopo, & *Speneri* Reſponſa Theol. German. Part. I. pag. 603. Ex veteribus leges *Hieronymum* ad h. l. & adverſus Jovinianum, nec non illa, quæ *Suicerus* in Theſauro variis locis ex Patribus tum vero *Beveregius* ad Canon. Apoſtol. LXI. & *Juſtellus* pag. 176. ad Codic. Eccleſ. univerſæ commemorarunt. Ex antiquitate Judaica nonnulla huc afferunt *Jac. Rhenferdius* in Diſſertat. de Decem Otioſis Synagogæ pag. 263. & *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere lib. III. Part. I. cap. 4. pag. 649. ſqq. qui virtutes

illas in *internas* ſeu *abſolutas*, & *relativas* diſtinguit, & ex utroque genere oſtendit, quid ſit *διδακτικὸν εἶναι*, & *μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*. Confer pag. 936. ſeqq. ubi qualitates Epiſcoporum reliquas hic à Paulo commemoratas comparat cum illis, quas Judæi in Legatis Eccleſiæ ſeu שליחי צבור requiſiverunt.

*τὸν ἐπίσκοπον*] Vocis hujus in antiquitate profana uſum exponunt *Dougtæus* in Analectis Sacris ad h. l. pag. 139. *Suicerus* in Theſauro & *Elsnerus* pag. 293. De notione Eccleſiaſtica lege quos ad v. 1. appellavimus. Vocem ex *ἐπὶ* & *σκοπὸς* i. e. *ſpeculator*, derivari oſtendit *Lamb. Bos* diſſert. de Etymolog. Græc. pag. 23. Varios ejus ſignificatus ediſſerit *Heumannus* in Pœcile Tom. I. pag. 307. ſq.

*ἀνεπίληπτον εἶναι*] Phraſin ex doctoribus Eccleſiaſt. explicat *Suicerus* Tom. I. pag. 338. ex profanis autem *Elsnerus* pag. 294. *Heſychius* exponit: *ἄμεμπτος, ἀκατάγνωστος.* Denotatur ſcilicet homo calumniæ quidem, ſed non juſtæ ex vita reprehenſioni obnoxius. Vide L. *Seelenii* Meditatt. Exeget. Part. I. pag. 162. & M. *Carol. Henr. Langii* Specimen Obſſ. Philol. ex Luciano pag. 37. ſq.

*μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*] In duas potiſſimum partes ſcinduntur ad h. l. Interpretes. Alii enim polygamiam ſimultaneam, Judæis tunc receptam, alii ſucceſſivam tantum prohiberi Epiſcopo exiſtimant. Inter priores eſt *Chryſoſtomus* & *Theophylactus* ad h. l. quos recentiores maximam partem ſequuntur. Poſteriorem vero plures ex Patribus ſequioris ætatis tenuerunt, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. I. pag. 893. ſqq. & *Cotelerium* ad Tom. I. Patrum Apoſtolic. pag. 90. Eos ſecuti ſunt inprimis *Grotius* ad h. l. & in Epiſtolis Part. I. ep. 297. & 323. *Salmaſius* de Fœnore Trapezit. pag. 51. ſq. & *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere pag. 655. ſqq. Sed hunc data opera confutavit *Jo. Marckius* in Exercitationibus Scripturariis ad N. T. num. XXIII. pag. 643. ſqq. Vitringa enim eſt ille *Cel. Theologus* in Belgio, cujus verba pag. 645. ſq. affert, quemadmodum in ſequentibus argumenta, pro illa ſententia urgeri ſolita confutat, & alteram illam confirmat, quod ſcilicet polygamia ſimultanea prohibeatur, i. e. talis, qua vel ſimul habeantur plures uxores, vel uni, injuſte expulſæ & repudiatæ, ſed vivæ, altera ſubſtituatur. Recte hæc eum adſtruxiſſe cordatus quisque intelliget. Ex noſtratibus tamen ſecundas nuptias hic vetari contendit *Hedingerus* in notis N. T. ad h. l. in præmiſſis illi *neceſſariis annotationibus*. Qui plura de hoc argumento cupiat, illi legendos ſuaſerim *Henr. Müllerum* in diſſert. de non ordinandis digamis & neophytis, Roſt. 1665. *Cornel. Haſæum* de Epiſcopo *δευτερογάμῳ* Bremæ edita, & *Joan. Weſſelium* in Disquiſit. Epiſtol. de Nuptiis ſecundis Epiſcopo licitis, Lubecæ 1719. 4. Adde præterea *Jac. Guſſetii* Veſperas Groninganas pag. 129. & 147. ſqq. *Urſinum* in Analectis Part. I. pag. 384. *Feſſelium* Tom. II. Adverſariorum Sacr. pag. 508. *Joſ. Arndium* in Miſcellaneis pag. 142. ſq. *Jo. Vorſtium* Diſſertt. Sacrar. Part. III. pag. 99. *Grotii* ac *Crellii* epiſtolas inter *Ruari* illas Centur. I.

pag.

pag. 180. ſq. & quos affert *Jo. Albert. Fabricius* noſter in Bibliographia Antiqu. pag. 587. edit. prioris.

*νηφάλιον*] *ſobrium* alii cum *Er. Schmidio*, alii *vigilantem* cum *Beza* vertunt. Atque hoc voluit etiam *Hieronymus* pro *ſobrio* Vulgati in lib. I. adverſ. Jovinian. Confer *Rich. Simonis* Hiſtoriam Criticam verſionum N T. pag. 60. Pro *Beza* contra *Pricæum* diſputat *Suicerus* in Theſauro Tom. II. pag. 409. Ita *Heſychius* quoque *νηφάλιοι*, *νήφοντες*. *Theodoretus* *νηφάλιον* dicit *τὸν διεγηγερμένον, καὶ προσκοπεῖν τὸ πρακτέον δυνάμενον*. Chryſoſt. *διορατικὸν* & *ἄγρυπνον*. *Νηφάλια* alias Gentilibus dicebantur Cereris & Eumenidis Sacra, quæ ſine vino peragebantur. Vide *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum pag. 674.

*σώφρονα*] *temperantem*, ut *Beza* & *Schmidius*. Vox illa alias etiam *pudicum* & *continentem* infert, quo ſenſu *σώφρονες ὀφθαλμοὶ* vocantur *Antonino* III. §. 2. ubi vide *Gatakerum*, nec omitte, quæ ſupra ad II. 9. de voce *σωφροσύνη* dicta ſunt.

*κόσμιον*] *compoſitum*, *modeſtum*. Bene *Theodoretus*: *κόσμιον καὶ φθέγματι, καὶ σχήματι, καὶ βλέμματι, καὶ βαδίσματι, ὥστε καὶ διὰ τοῦ σώματος φαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς σωφροσύνην*. Vide plura apud *Suicerum* Tom. II. pag. 147. *Heumannum* l. c. p. 345. & *Elsnerum* pag. 294. qui inter cetera obſervat, *Herodianum* lib. I. cap. 2. *κοσμίως τὸν τρόπον* & *σώφρονας τὸν βίον* appellare. Eadem vox de aliis quoque rebus, ad mores non ſpectantibus, adhibetur. Vide *Joach. Kuhnium* ad Diogenem Laertium pag. 534.

*φιλόξενον*] *hoſpitalem*. Vide ad *Rom.* XII. 13.

*διδακτικὸν*] *aptum ad docendum*. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 900. & inprimis *Vitringam* de Vetere Synagoga pag. 650.

Verſ. 3. *μὴ πάροινον*,] *Vinolentum* Schmidius, *vinoſum* Beza reddit. Alii *petulantem*. & *injurium*, qui ex abuſu vini naſcitur, malunt. Ita *Chryſoſtomus* ad h. l. negat *μέθυσον*, *ebrioſum*, ſignificari, ſed potius *ὑβριστὴν* & *αὐθάδη* *injurioſum* & *ſuperbum* vult. Idem placet *Pricæo*, *Suicero* Tom. II. pag. 601. & *Elsnero* pag. 295. inter cetera obſervante, *Herodianum* lib. V. cap. 8. *ὕβριν* & *παροινίαν* conjungere, quando *πάντων εἰς ὕβριν καὶ παροινίαν ἐκβεβακχευμένων* meminit. *Παροινίαν* *Philoſtratus* in Vitis Sophiſtarum II. 8. pag. 555. de actu furioſo quocunque dicit. Videtur tamen *vinoſi* ſignificatio h. l. præferenda. Proxima enim hæc eſt vocis notio. Hinc *Suidas* *μέθυσον καὶ ὑβριστὴν* reddit. Et *Heſychius* *μεθυσὸν* (forte *μέθυσον*) *καὶ ὑβριστήν*. *Stephanus* in Theſauro *πάροινος* & *παροίνιος* diſtinguit, illum *vinoſum*, hunc ex vino *contumelioſum* aliis appellans: id quod loca ab eo allata firmant. *Παρόινῳ* proxime hic jungitur *πλήκτης*, *percuſſor*, qui ex vinoſo facile redditur, ſive *manu*, ſive *lingua* talem ſe præſtet. Nec *πάροινος*, quod illi volunt, ſequenti *ἐπιεικεῖ* opponitur ſed *τῷ πλήκτῃ*, qua de re mox dicemus. Non negaverim interim vitium contumeliæ & injuriæ, ex ebrioſitate naſci ſolitum, h. l. ſubinnui.

Digitized by Google

nui. Compara Rev. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas pag. 181. & *Ritterſhuſium* in Lectionibus Sacris pag. 298. Ceterum nimium vini potum etiam à Gentilibus diſſuaſum eſſe oſtendit *Bulengerus* de Conviviis lib. III. cap. 1. & *Cocquius* in Phytologia Sacra pag. 173.

*μὴ πλήκτην*] Vocem ex veteribus alii ad *manum*, qua quis violente utatur, alii ad *linguam*, qua in præcipiendo, caſtigando &c. abutatur, referunt. Utriusque expoſitionis patronos habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 751. Poſteriorem ſententiam expreſſit B. *Lutherus*, per nicht pochen. Utrumque conjunxit *Theophylactus* : *μήτε διὰ χειρῶν πλήττοντα, μήτε διὰ πικρῶν λόγων, καὶ ἀποτόμων ἀκαίρως*. Id certum eſt, Scriptoribus Græcis πλήκτην dici *manu ſtrenuum* & *bellicoſum*. Loca habes apud *Elsnerum* p. 295. Adhibetur vero cum de hominibus, tum de brutis. Vide *Joach. Kuhnii* notas ad Diogenem Laertium VI. 38. De re ipſa ex h. l. lege *Grotium* de Imperio ſummarum poteſtatum circa Sacra Tom. III. Operum pag. 220. & B *Jo. Fechtii* diſſertat. de Clerico percuſſore, Roſtoch. 1708.

*μὴ αἰσχροκερδῆ*] Deſunt in aliquot Codd. Gr. & verſionibus, à Millio allatis, quibus addi nunc poteſt *Coptica*. Propterea editor N. T. Græco-Anglicani ex contextu expunxit, quemadmodum *Millio* ad h. l. & in Prolegomenis §. 932. ex *Tit*. I. 7. huc translata videntur. Abeſſe etiam vult *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 323. ſq. & 330. ubi ipſius nominis rationem exponit. Adde eundem de Uſuris p. 635. & quæ mox ad v. 8. dicentur. Recte vero *Whitbius* in Examine p. 73. vocis γνησιότητα tuetur, etiam ex eo, quod v. 8. diaconi itidem μὴ αἰσχροκερδεῖς eſſe jubentur. *Salmaſius* quidem hoc ipſum in rem ſuam vertit pag. 223. docens, Paulum majus aliquid requirere in Epiſcopo ſeu Presbytero, qui Eccleſiæ præſidere debeat, quam in diacono, qui miniſtrare. Illum non debere eſſe φιλάργυρον, h. c. non nimis parcum; Diaconum autem non αἰσχροκερδῆ h. c. talem, qui nullum recuſet quæſtum, undecunque proveniat. Enimvero ſubtilior hæc videtur diſtinctio. Nam eodem commate octavo Diaconi jubentur eſſe μὴ πολλῷ οἴνῳ προσέχοντες, quemadmodum Epiſcopus v. 3. μὴ πάροινος. Itaque nihil obſtat, quo minus v. 3. Epiſcopo αἰσχροκέρδεια æque credatur prohibita, quam παροινία. Accedit locus parallelus *Tit*. I. 7. ubi vox αἰσχροκερδὴς omnino ad epiſcopum pertinet. De voce ipſa lege *Raphelii* Annotatt. Herodoteas p. 570. *Elſnerum* p. 295. & *J. C. Dieterici* Antiquitatt. Biblic. N. T. Tom. I. pag. 62.

*ἀλλ' ἐπιεικῆ*] *ſed æquum. Opponitur ἐπιεικὴς τῷ πλήκτῃ*, i. e. *mitis ac modeſtus plagoſo, & verbera libenter ingerenti. Alias δίωκτης dicitur. Qui ex omni occaſione ac levi de cauſa ſuæ diſciplinæ commiſſos cadit. At ἐπιεικὴς eſt, ut Græci exponunt, & uſus auctorum confirmat, & vocabuli proprietas, mitis ac clemens, lenisque, qui facile injurias fert & condonat. Cui contrarius ἀεικὴς, ἀεικεία & αἰκία, & per contractionem αἰκία, quæ injuria eſt ac præcipue, quæ per cædem & verberationem infertur, ut in libro* de Modo Uſurarum *expoſuimus*. Ita *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 223. quæ quidem illis oppo-

opponenda ſunt, qui τὸν ἐπιεικῆ opponi hic putant τῷ παροίνῳ atque ideo illum de *contumelioſo* & *injurio* interpretantur. De vocibus ἐπιεικὴς & ἐπιείκεια legi præterea ſuaſerim *Dietericum* l. c. p. 311. *Suicerum* Tom. I. p. 1164. *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 161. & *Heumannum* Tom. I. Pœciles pag. 344. Conf. ad *Tit.* III. 2.

ἀφιλάργυρον] *ab avarita alienum. Inde ſequitur*, audis loquentem *Salmaſium* de Uſuris pag. 635. *ut, qui ἀφιλάργυρος eſt, & pecuniæ cupiditate non tenetur, nullum omnino genus quæſtus affectare debeat, etſi honeſtioris, ex quo videri queat avidus & avarus. Hoc ergo in Epiſcopo, eodem tunc & Presbytero, monet Apoſtolus, ut ne honeſtam quidem lucri faciendi rationem captet. At diaconos, ſecundi illa ætate gradus in Eccleſia miniſtros, ſatis habet inſtruere, ut ne ſint αἰσχροκερδεῖς, h. e. turpis lucri cupidi.* Salmaſius itaque ἀφιλαργυρίαν tanquam vitium levius ab αἰσχροκερδείᾳ diſtinguit, eo inprimis conſilio, ut antecedens μὴ αἰσχροκερδῆ in hoc commate locum habere non poſſe evincat, tanquam tale vitium, quod ab Epiſcopo prorſus ſit alienum. Diſcrimen illud equidem negare nolim, neque tamen propterea τὴν αἰσχροκέρδειαν Epiſcopo vetari non debuiſſe exiſtimo, cum fieri omnino poſſit, & ſoleat, ut aliqui ejusmodi vitiis indulgeant, de quibus ne cogitare quidem debebant. Lege de hac voce *J. C. Dietericum* loc. cit. p. 170.

Verſ. 4. Τοῦ ἰδίου οἴκου καλῶς προϊστάμενον] Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 1266.

τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος] *qui liberos contineat in ſubjectione cum omni honeſtate.* Ita recte *Beza* & *Eraſmus Schmidius*. Verbum enim ἔχειν non tam ſimpliciter *habere* infert, quam *tenere*, & quidem ἐν ὑποταγῇ, quod in poteſtate Parentum, de educatione ſolicitorum, magis poſitum eſt, quam liberos habere. Verba ultima, μετὰ πάσης σεμνότητος *Hombergius* pag. 329. Parergorum referri vult ad προϊστάμενον, hoc ſenſu, quod domui ſuæ præeſſe Epiſcopus debeat cum omni gravitate, auctoritate & ſeveritate, cui ὑποταγὴ liberorum reſpondeat. Sed nihil hoc opus eſt, cum vox σεμνότης latius pateat, quod ad II. 2. oſtendimus, à liberis autem non ſolum requiratur, ut Parentibus ſint ſubjecti, ſed &, ut, *honeſtam* vivendi rationem adverſus omnes ſectentur. Sic loc. cit. jubemur agere vitam ἡσύχιον ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, ubi εὐσέβεια ad DEUM, σεμνότης vero ad homines refertur.

Verſ. 5. Εἰ δέ τις τοῦ ἰδίου οἴκου προστῆναι οὐκ οἶδε] Similem ſententiam habes apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. I. pag. 21. & *Polybium* pag. 1389. Locum utrumque recitat *Raphelius*, qualem etiam ex *Æſchine* contra Timarch. pag. 175. affert *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 218. Confer *Menagium* ad Diogenem Laertium I. 55. Ad phraſin ſpectat illud apud *Herodotum*

ad Regem Amaſin, inter compotores ſcurram agentem: ὦ βασιλεῦ, ὐκ ὀρθῶς σεαυτῆ προέςηκας. Vide *Raphelium* p. 571.

πῶς ἐκκλησίας Θεῦ ἐπιμελήσεται] Sic idem *Herodotus* lib. V. pag. 339. δοκέειν γὰρ ἔφησαν, καὶ τῶν δημοσίων ὕτω δὴ σφέας ἐπιμελήσεσθαι ὥσπερ καὶ τῶν σφετέρων.

Verſ. 6. Μὴ νεόφυτον] *Non novitium*, ut *Schmidius* & *Beza*. *Chryſoſtomus* μὴ νεοκατήχητον, & ſic veteres plerique omnes, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. pag. 395. Indicatur is, qui recens per doctrinam & baptiſmum, ad Chriſti ſacra ſit perductus. Adde *Chriſtoph. Juſtellum* ad Codicem Canon. Eccleſ. univerſæ pag. 163. & *Wolfg. Gundlingium* in obſervationibus ad Canones Concilii Laodiceni, ex quibus patebit, veteres à novitiis ejusmodi, ad munus docendi provehendis, diligenter abſtinuiſſe. Hoc ſenſu phraſin Apoſtolicam etiam accipiunt noſtrates, nominatim *Henr. Müllerus* in diſſertat. de non ordinandis digamis & neophytis, & *Bernhardus von Sanden* de Neophytis ad miniſterium verbi non admittendis *Regiomonti* 1709. 4. Nec aliud, credo, voluit, B. *Lutherus*, quando vertit Neuling. Sunt, qui noſtra ætate eos quoque νεοφύτυς haberi poſſe cenſent, qui *inflati quidem aptitudinis opinione ſint, ſed parum vel informati, vel roborati, quales plerumque ſint ætate juniores*. Hæc eſt *Fechtii* ſententia in Philocalia Sacra ex Theologia Morali §. 18. Nec aliter *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Hoc ætatem reſpicit, ne recens implantatus ſit ſive religioni Chriſtianæ, ad quam converſus forte, ſive etiam iis, quæ ad præparationem ad officium requiruntur*. Ab his abiit D. *Jo. Juſtus Kiskerus* in diſſertat. *de Neophytiſmo licito & illicito* ad h. l. *Rintelii* an. 1712. habita. Is enim νεόφυτον per *novatorem* aut *novaturientem* interpretatur, & *Neophytiſmum* ait eſſe pruritum innovandi illicitum, eumque vel Philoſophicum vel Theologicum, cujus ſe plures ſuperiore & noſtra memoria reos fecerint. Res ipſa negari non poteſt, ſed hanc Apoſtoli mentem eſſe pauci crediderint. Confer *Hardtium* in Vindiciis Ephemeridum pag. 46. Vide etiam *Launoji* Epiſtolas edition. Cantabrigienſ. in fol. p. 328. b. 763. a. & 772. a.

ἵνα μὴ τυφωθεὶς] *ne inflatus*, vel, *inſolens factus*. *Theodoreto* eſt τῆς ἀλαζονείας τὸ πάθ☉ δεξάμεν☉, & *Teophylacto* φυσιώμεν☉. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 1348 & infra ad VI. 4. *Arias Montanus* vertit: *inaniter jactatus*, quod *Roberto Valeſio* in epiſtolis Caſauboni Almeloveenianis p. 670. rectius videtur. *Videtur enim hic*, inquit, *perpetua metaphora*, *ab arboribus recens plantatis, quæ propterea vento maximo typhonico eradicantur* & *cadunt*. *Judas Apoſtolus vocat* δένδρα ἐκριζωθέντα. Ingenioſa hæc ſunt, ſed ab uſu Auctorum remota. Ceterum ex hoc verbo *Joannes Reynolds* in libro Anglicano, quem inſcripſit *Enquiries, concerning the ſtate and œconomy of the Angelical worlds*, Lond. 1723. patere putat, peccatum Angelorum in ſuperbia conſtitiſſe. Sententiam ejus exponit auctor Bibliothecæ Anglicanæ, gallice editæ, Tom. XII. Parte I. p. 228. ſq.

εἰς

*εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου*] *nec in condemnationem incidat diaboli*, ut *Schmidius* vertit. *Eraſmus* & B. *Lutherus* *διάβολον* de *calumniatore* accipiunt, eo ſcilicet ſenſu, ne hoc modo ſe criminationibus hominum objiciat. Senſus fateor, eſt concinnus, præcipue cum v. 11. vox *διάβολοι* eadem notione occurrat. Neque tamen contemnenda eſt *Chryſoſtomi* expoſitio: *τουτέστιν, εἰς τὴν καταδίκην τὴν αὐτὴν, ἣν ἐκεῖνος (ὁ διάβολος) ἀπὸ τῆς ἀπονοίας ὑπέστη.* h. e. *ne incidat in judicium idem, quod ille ob arrogantiam ſuſtinuit.* Nec aliter *Theodoretus* & *Theophylactus*, & ex noſtratibus plerique, & inter eos *Calovius*. Confer 2 *Pet.* II. 4. & *Judæ* v. 6. Adde *Reynoldum*, Anglum, l. c. & *Bryanum Turnerum*, Anglum, in Tentamine de primi peccati introitu, atque hinc Acta Eruditorum Lipſienſ. 1692. p. 515. Hanc expoſitionem vocis *διάβολος* adſtruit etiam *Heumannus* in Pœcile Tom. I. pag. 322. ſq. ſed ita tamen, ut vocem *κρίμα* non de *judicio*, *quo quis condemnatur*; ſed *de judicio*, *quo quis judicat de altero*, *eumque condemnat ſua ſententia*, accipiendam putat, eo ſcilicet ſenſu, ut Diabolus hic nominetur, tanquam cauſa calumniarum princeps & operans in filiis iniquitatis *Eph.* II. 2. Cauſam ita ſentiendi hanc habet, quod vox *κρίμα* etiam ſignificet *judicium*, *quo quis condemnat alterum*, ut *Matth.* VII. 2. At enimvero hic unus, ni fallor, locus eſt, ubi hæc ſignificatio obtinet; in ceteris autem altera illa occurrit. Jam conſtat, frequentiorem vocis uſum tenendum eſſe, ubi alia non obſtant. Hic vero adeo nihil obſtat, ut potius ſit, quod *judicium* à reo ſubeundum intelligere jubeat. Affertur enim vitium *arrogantiæ*, in quod incidere facile poſſit *νεόφυτος*. Huic autem vitio jungitur *pœna*, quæ paſſim arrogantibus in Scriptura improperatur. Vide *Luc.* I. 51. *Jac.* IV. 6. & 1 *Petr.* V. 5. Hæc pœna vero h. l., repræſentato Diaboli exemplo, definitur. Ita omnia probe cohærent, quod in altera illa viri docti expoſitione non obſervo. Idem præterea pag. 323. exiſtimat, *ὀνειδισμὸν τοῦ διαβόλου* de quo v. 7. idem velle, quod hic *κρίμα διαβόλου* dicatur. Aliter vero ſentiendum eſſe mox docebimus. Addidero his, quod 2 *Pet.* II. 4. & *Jud.* verſ. 6. Angeli lapſi *τῇ κρίσει*, i. e. *κρίματι*, toti nempe orbi aliquando manifeſtando, ſervari dicuntur.

Verſ. 7. *Δεῖ δὲ αὐτὸν καὶ μαρτυρίαν καλὴν ἔχειν*] Ad *δοκιμασίαν* pugilum, in quorum numerum nemo, niſi ex vita honeſte acta ſpectatus, admiſſus ſit, h. l. reſpici exiſtimat *Lydius* in Agoniſticis S. p. 137. & *Amelius* Part. I. der Erörterung p. 69. qui poſterior ex antiquitate Eccleſiaſtica oſtendit, teſtimonia vitæ probæ in muneris Eccleſiaſtici candidato inprimis requiſita fuiſſe. Confer *Bengelii* notas ad Chryſoſtomi libros de Sacerdotio pag. 398.

*ἵνα μὴ εἰς ὀνειδισμὸν ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου*] *ne in probrum incidat, & laqueum diaboli*. Senſus eſt, ne in infamiam incidat, eaque Diabolo incitante, adducatur, ut ad priſtinas doctrinæ vitæque ſordes revertatur. Lege in hanc ſententiam *Crocium*, *Calovium*, & Interpretes Gallos Berolinenſes. Ita diaboli *παγὶς* commemoratur 2 *Tim.* II. 26. ex qua *ἀνανήφειν* deceat τὰς

*ἐζωγρημένους ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα.* Notandum hic eſt, *τὸ ὀνειδισμὸν* referri ad *homines*, qui doctorem Eccleſiæ male audientem contemtui facile habeant; ab eo vero diſtingui *τὴν παγίδα τοῦ διαβόλου*, qui *contemtum* illum in rem ſuam vertat, eoque ad vindicandum ſibi ejusmodi hominem utatur. Si utrumque ad *διάβολον* referre voluiſſet Apoſtolus, ſcripſiſſet utique: *ἵνα μὴ εἰς ὀνειδισμὸν καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου ἐμπέσῃ.* Hinc intelligitur *ὀνειδισμὸν* h. l. non idem eſſe, quod *κρίμα* verſ. 6. quod Cel. *Heumannus* loc. cit. ſibi perſuadet. *Ὀνειδισμὸς* enim hic opponitur *τῇ καλῇ μαρτυρίᾳ*, cujus defectus contemtum & probrum apud alios parit. Verſu 6. ſermo eſt de *neophyto*, à quo cavendum ſit, ne faſtu correptus divino judicio fiat obnoxius. At verſ. 7. de quocunque alio miniſterii ſacri candidato, ſive *νεόφυτος* ille ſit, ſive ſacræ doctrinæ diutius innutritus, loquitur Apoſtolus ita, ut illum à vita proba ſpectatum eſſe debere innuat, ne probris ſit expoſitus.

Verſ. 8. *Διακόνους ὡσαύτως*] ſcilicet *δεῖ εἶναι*, *oportet eſſe*, ex v. 2. Diaconos hos reſpondere חזנים, ſeu adminiſtris ſacrorum, in Synagoga Judaica olim receptis, *Grotio*, *Morino*, *Seldeno*, *Spencero* & *Hammondo* olim viſum eſt, quorum locos *Vitringa* in Prolegomenis ad librum de vetere Synagoga & lib. II. cap. 1. produxit, ſententiam autem data opera & copioſe firmavit lib. III. Part. II. cap. 4. pag. 914. ſqq. oſtenſa utrorumque tam in nomine & natura officii, quam in accidentibus ejus convenientia. Officia *τῶν διακόνων* & חזנים pag. 919. hæc ſummatim ait fuiſſe, ut ſcripturas legerent, tempora ſacrarum actionum diligenter notarent, eademque Chriſtianæ plebi per ſigna quædam indicarent, fores Eccleſiæ & Chriſtianam plebem, ſacris occupatam, obſervarent, in ædibus ſacris omnia recte diſponerent, Epiſcopis ac Presbyteris in omnibus actibus ſacris inſervirent, iisque à manu eſſent. Quæ quidem officia deinde cap. VII. & ſqq. diligenter ex ſcriptis veterum ediſſeruntur. Sunt tamen qui Diaconus hos cum גבאי הצדקה, i. e. *collectoribus eleemoſynarum* Judaicis comparari potius volunt, inter quos eminet *Jacobus Rhenferdius* in diſſertatione de decem otioſis Synag. pag. 170. ſq. ad Act. VI inprimis provocans, ubi ſeptem œconomi commemorantur, qui ab Apoſtolis *πρὸς διακονίαν τῶν τραπεζῶν*, ſeu *miniſterium menſarum* ſint conſtituti. At hos diaconos ab illis, quos Paulus h. l. appellat, diſtinctos fuiſſe, idem oſtendit cap. V. pag. 920. argumentis contrariæ ſententiæ ſub examen vocatis pag. 932. ſqq. Non difficulter *Vitringæ* me adſentiri ad *Actor.* VI. 1. profeſſus ſum. Confer etiam *Polemanni* Exercitatt. Programmat. XX. pag. 10. ſq. De Diaconis illis, Apoſtolica & ſequente ætate conſtitutis, lege *Suicerum* Tom. II. pag. 869. ſqq.

*σεμνοὺς*] *compoſitis moribus*, ut *Eraſmus Schmidius*, vel, *honeſtos*, ut *Beza* vertit. Vid. ad *Philipp.* IV. 8. & confer *Arnaldi* Defenſionem Verſionis Gallicæ Montenſis pag. 170. ſqq.

μὴ

*μὴ διλόγυς*] *non bilingues*. quales Tyrios vocat *Virgilius*. Illi alias *δίγλωττοι* vocantur à *Polluce* II. cap. 4. §. 108. *Jacobo* autem IV. 8. *δίψυχοι* audiunt. *Theophylactus* optime Apoſtoli mentem expreſſiſſe videtur per *ὑπύλυς, καὶ δολερυς, ἄλλα φρονῦντας. καὶ ἄλλα λέγοντας, καὶ ἄλλα τύτοις, καὶ ἄλλα ἐκείνοις.* Conf. *Suicerum* Tom. I. pag. 918. *Grotium* & *Pricæum* ad loc. tum vero inprimis *J. C. Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis Vol. I. pag. 244. & *Jac. Nyloë* in *Schriftuurlick Ligt* pag. 45. ſqq.

*μὴ ὄινῳ πολλῷ προσέχοντας*] Ita *Herodotus* lib. I. pag. 63. *ὄινῳ δὲ κάρτα προσκέαται, vino autem valde ſunt dediti* : & lib. III. pag. 198. *Cambyſes ὄινω* dicitur *προσκείμενος*. Lege *Raphelium*. Vide quoque *Suicerum* Tomo II. pag. 463. ubi de hæreticis à vini uſu prohibentibus, & germanis doctoribus moderatum illius uſum ſuadentibus.

*μὴ αἰσχροκερδεῖς*] *Theophylactus* ad loc. *αἰσχροκερδῆ* ait eſſe *τὸν μηδὲν κέρδος παραιτύμενον, κἂν ὅθεν δήποτε ἦν, qui nullum recuſat quæſtum, undecunque proveniat*. Et *Theodoretus* : *τὸν ἐκ πραγμάτων αἰσχρῶν καὶ λίαν ἀτόπων κέρδη συλλέγειν ἀνεχόμενον, qui ex rebus turpibus & valde inhoneſtis quæſtum facere ſuſtinet*. Conf. *Suicerum* Tom. I. pag. 135. *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico pag. 324. eadem mente *injuſti lucri appetentem* hac voce deſignari cenſet. *Nam cum*, ita pergit, *τὸ ἄδικον, τὸ δειλὸν, τὸ ἄκοσμον, τὸ ἄμορφον, ex his turpitudinis generibus τὸ αἰσχρὸν, quod in quæſtibus & artibus locum habet, non poteſt aliud eſſe, quam ἄδικον. Ariſtoteles omnium artium & quæſtuum, quibus lucrum pro fine eſt, αἰσχροκέρδειαν communem eſſe vult. Plus enim ſemper appetunt, quam licet, & quam debent, ac πλεονεκτικοὶ ſunt. Vera enim definitio τῦ αἰσχροκερδῦς, ὁ λαμβάνων, ἀφ' ὧν ὐ δεῖ, καὶ μὴ διδὺς, εἰς ἃ δεῖ, ut* Pollux *ait*. Conf. pag. 331. ubi etiam oſtendit, *φιλάργυρον* minus aliquid eſſe, quam *αἰσχροκερδῆ*. Confer, quæ ad verſ. 3. ſcripta ſunt. Vide etiam *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. pag. 62.

Verſ. 9. *Ἔχοντας τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει*] hoc eſt, ut in doctrina veritatis, quæ ad pietatem ducit, probe ſint exercitati, eandemque puro animo amplexi tam ore quam vita profiteantur. Vide *Vitringam* de vetere Synagoga pag. 940. ubi hoc Pauli præceptum ad Diaconos Novi Teſtamenti illuſtrat ex Judæorum more, qui *Chaſſanitas* ſeu Diaconos ſuos lectionis Biblicæ peritos eſſe volebant. Phraſin ipſam cùm illa Judæorum רזא דמהימנותא, i. e. *myſterium fidei*, in *Sohar Chadaſch* frequentata, comparat *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 869.

Verſ. 10. *Καὶ ὗτοι δὲ δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον*] Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 936.

Verſ. 11. *Γυναῖκας ὡσαύτως*] Plerique has feminas de uxoribus Epiſcoporum & Diaconorum accipiunt: alii autem de feminis *διακόνοις* ſeu *Diaconiſſis*. Ita ex veteribus *Chryſoſtomus*, *Oecumenius* & *Theophylactus*, ex recentioribus autem *Grotius*, & ex noſtratibus *Zeltnerus* in Gloſſa ad h. l. Confer ad *Rom.* XVI. 1.

*μὴ διαβόλους*] *non calumniatrices.* Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 828.

Verſ. 12. *Διάκονοι ἔστωσαν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρες*] Non aliter hæc capienda ſunt, quam prout ad verſ. 2. dictum eſt. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 728. & 896.

*τέκνων καλῶς προϊστάμενοι*] Vide ad verſ. 5.

Verſ. 13. *Οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες*] Voces *διάκονος* & *διακονεῖν* diligenter explicat *Vitringa* de Synagoga vetere lib. III. Part. II. cap. 4. p. 915.

*βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται*] *gradum ſibi bonum acquirunt.* De gradibus dignitatum militarium verbum *ἐπαναβήσασθαι* adhibet *Xenophon* lib. II. pag. 35. *εἰς τὰς τῶν ταξιαρχῶν χώρας ἐπαναβήσασθαι*, obſervante *Raphelio* pag. 283. Locutio Judaica videtur *Elsnero* pag. 297. ſicut ante *Grotio*. Judæi enim excellentiora beneficia, tempore Meſſiæ exſpectantanda, repræſentantes מדריגה & מעלה *gradum* & *excellentiam* appellant, quam יקנו, id eſt, *περιποιήσονται*. Vide locum ex R. *Jehudaſ. Bezaleelis* in *Nezach Iſraël* cap. 27 allatum, & *Rhenferdii* Diſſertationem de Seculo futuro pag. 71. ſeq. Idem *Elsnerus gradum* hunc propterea de *majore fidei & ſalutis certitudine* e conſcientia præſtiti officii, *& ampliſſimo præmio, adventante Chriſto*, interpretatur, quia Apoſtolus *πολλὴν παῤῥησίαν ἐν Χριστῷ* ſubjungit. Ita *Chryſoſtomus βαθμὸν* per *προκοπὴν καὶ παῤῥησίαν*, & *Theodoretus* per *τίμιον βαθμὸν ἐν τῷ μέλλοντι βίῳ* explicat. Similiter *Strigelius* ad h. l. & *Robertus Valeſius* in Epiſtolis Caſauboni Almeloveenianis pag. 670. *βαθμὸν* ad *ſpiritualium donorum* incrementum referunt. Alii, & quidem tantum non omnes, de ampliore in muneribus Eccleſiaſticis dignitate accipiunt cum *Grotio*, & *Raphelio* loc. cit. Confer *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 870. qui & videri jubet *Lightfootum* ad Matth. IV. 23. Atque hoc verius putarim. Quemadmodum enim Paulus illos, qui diaconi conſtitui debebant, ante probari & explorari vult, num ſint idonei; ita non obſcure ſubinnuit, diaconos illos, qui probos & fidos ſe præſtiterint, ad ampliores dignitatis gradus aditum munituros, quorum proinde ratio præ ceteris ſit habenda. Accedit mos veteris Eccleſiæ, à *Grotio* & aliis oſtenſus, qui ut rei natura nititur, ita his Pauli verbis ſuperſtructus fuiſſe videtur. Taceo, verbum *περιποιεῖσθαι acquirere, emereri*, de fidei & ſalutis certitudine præmiisque futuris vix ac ne vix quidem adhiberi poſſe, quemadmodum illa *παῤῥησία ἐν πίστει* alio pertinet, quod mox videbimus. De verbo *περιποιεῖσθαι* lege hic *Eraſmum Schmidium*.

κ̀

Digitized by Google

καὶ πολλὴν παῤῥησίαν ἐν πίστει τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ] Placet *Grotius*, ita ſcribens: *Qui Diaconi munere bene functi ſunt, ſi Presbyteri fiant, liberius & cum majore fiducia aliis Evangelium prædicabunt. Nam πίστις hic ponitur pro doctrina ipſa, ut Galat. III. 23. & alibi ſæpe.* Compara Interpretes Gallos Berolinenſes egregios, *Beauſobrium* & *Infantium*.

Verſ. 14. Ταῦτά σοι γράφω, ἐλπίζων ἐλθεῖν πρός σε τάχιον] *ſperans*, id eſt, etſi ſpero. Ita recte explicat *Schomerus* ad h. l. Neque enim ſpes citati adventus cauſa fuit factæ inſtructionis, ſed cautio prudens, ne forte, ſi hæc ſpes fallat, deſit Timotheo monitum neceſſarium. Hunc Participiorum uſum *Arriani* & *Polybii* locis firmat Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis p. 603. *Arrianus* de Expedit. Alexandr. IV. 9. 10. de Alexandro ait, quod cupiditati ſuæ temperarit: νέος τε ὢν, καὶ τὰ μάλιστα ἐν ἀκμῇ τῆς εὐτυχίας, hoc eſt: *Quanquam in ipſo ætatis flore, ſummaque felicitatis culmine conſtitutus eſſet.*

Verſ. 15. ἵνα εἰδῇς, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι] Verba Poſtrema illuſtrat *Suicerus* Tom. I. pag. 323. & II. pag. 465.

ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ] Relativum ἥτις pertinet ad ἐκκλησία, conſueto Scriptorum more, de quo *Eraſmus Schmidius* ad h. l. & nos alibi in ſuperioribus.

στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας.] Diverſas veterum & ex parte recentiorum de his verbis ſententias expoſitas diligenter lege a *Suicero* Tom. II. pag. 1045. ſeqq. & B. *Thoma Ittigio* in Programmate ſingulari, quod in Enneade Exercitationum ejus Theologicarum pag. 724. ſq. recuſum exſtat.

Alii elogium hoc de *Chriſto* accipiunt cum *Procopio* & *Epiphanio*.

Alii ad *Timotheum* referunt, tanquam qui *columna* ſit in domo Dei ſeu Eccleſia. Ita *Guil. Chillingworthus*, Anglus, in tractatu nuper Gallice converſo, quem de tuta & ſalutari Proteſtantium religione inſcripſit, Parte I. cap. III. §. 76. cujus argumenta recitat *Gatakerus* in Cinno cap. XX. Idem ex noſtratibus viſum eſt B. *Joanni Henrico Majo* in Oeconomia temporum Novi Teſtamenti pag. 462. & 643. *Chriſtophoro Henrico Ritmeiero* in Apoſpasmate Philologematum Sacrorum pag. 23. *Petro Zornio* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. p. 825. & *Joanne Reinhardo Rus* in Harmonia Evangelica Tom. II. pag. 179.

Alii de *Eccleſia* explicant, non ſenſu Pontificio, ſed vera illa, quæ cœleſtia veritatis præconia, ſive τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ *Rom.* III. 2. poſſidet, perque ea hominum animos ad veritatem cognoſcendam, firmandam & tenendam adducit. Atque hæc fere noſtratium & plerorumque aliorum eſt ſententia. Vide *Imman. Weberi* Parerga Philologica in hanc epiſtolam aliquoties Lipſiæ 1681. 1686. & 1705. editam, & Theſaurum Theologico-Philologicum fol. 654. inſertum,

tum, item *Iſaaci Fauſti* Exercitationem Theologicam, Argentorati 1665. *Sebaſtiani Schmidii* Collegium Biblicum Poſterius pag. 297. ſq. & 345. tum vero in Appendice ad Diſputationes in Formulam Concordiæ pag. 316. *Thomæ Ittigii* Programma laudatum, & Rev. *Salomonis Deylingii* Obſervationes ſacras Parte I. num. XLVII. pag. 187. & pag. 317. edit II. auctoris. Adde etiam *Jacobi Gothofredi* Exercitationes II. ad h. l. quæ exſtant Tom V. Criticorum Sacrorum, edit. Francofurtenſis pag. 918. ſqq. quæ antea Genevæ 1649. 8vo. ſub titulo Exercitationum Sacrarum de Eccleſia Dei & Incarnatione Chriſti prodierant.

Alii denique verba hæc ad initium verſ. 16. referri volunt, & de *myſterio pietatis* accipiunt, hoc ordine: *ςύλ☉ ϰ̀ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας ϰ̀ ὁμολογȣμένως μέγα ἐςὶ τὸ τῆς ἐυσεϐείας μυςήριον.* Hæc interpunctio obtinet in Editionibus Novi Teſtamenti Græci Baſileenſibus An. 1540. & An. 1545. atque hac quidem cum præfatione Philippi Melanchthonis ex officina Hervagii curatis. Eandem ſecutus eſt *Eraſmus Schmidius* in editione Noribergæ 1658. qui hanc ſermonis Apoſtolici ſeriem eſſe exiſtimat. *Hæc tibi ſcribo, ſperans, brevi coram me agere poſſe. Quod ſi autem moram fecero, ut interea ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei verſari, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, (ſupplendum more Apoſtolico uſitatiſſimo in ſimilibus) ταῦτα λάϐε, hæc accipe, vel ἀπὸ κοινȣ̃, ταῦτα γράφω, vel ex verſ.* 11. *capitis ſequentis, παράγγελλε ταῦτα ϰ̀ δίδασκε, nempe, quæ hic ſequuntur, cum quoad ſummam doctrinæ, ςύλ☉ ϰ̀ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογȣμένως μέγα ἐςὶ &c. tum quoad regimen Eccleſiæ & perſonarum diverſarum in Eccleſia cap. V. & VI. quæ omnia ut παρακαταθήκην pretioſam Timotheo commendat cuſtodiendam*, cap. VI. 20. Eodem modo comma hoc repræſentavit recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Ex hac interpunctione ſenſum verborum germanum petendum eſſe arbitrati ſunt ex noſtratibus *Jannes Henricus Urſinus* in Analectis Sacris Vol. I. lib. 6. cap. 35. *G. G. Zeltnerus* in Diſputatione de Scriptura Sacra pag. 71. & in notis ad verſionem Lutheri Biblicam pag. 208. *G. L. Oederus* in libello de Programmatis Græcorum pag. 103. *Polycarpus Leyſerus* in diſſertatione de noviter adornanda Novi Teſtamenti Græci editione pag. 9. Rev. *Joannes Laurentius Mosheimius* Parte I. Concionum Sacrarum vernacula lingua editarum pag.     . & Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 870. Ancipitem ſe hic profitetur *Pfaffius* in Diſſertatione de Variis Lectionibus Novi Teſtamenti pag. 177. Ex *Reformatis* complures in hanc ſententiam pedibus iverunt. Inter eos forte primus eſt *Joannes Camero* in Myrothecio Evangelico ad h. l. & Tract. V. de Eccleſia, hinc *Jacobus Cappellus* in Obſervationibus ad h. l. *Joannes Melchior* in Operibus Theologicis Tom. II. p. 258. *Joannes Cloppenburgius* Tomo II. Operum pag. 62. *Jo. Marckius* in Exercitationibus Exegeticis num. XLIV. §. 9. & noviſſime *Joannes Alberti* in Obſervationibus Sacris pag. 396. Ex *Arminianis* idem ſentiunt *Simon Epiſcopius* Inſtitution.

tion. Theologic. lib. 1. Sect. 1. cap. 8. *Limborchius* p. 36. Theolog. *Curcellaus* pag. 670. Operum Theologicorum, & *Joannes Clericus* Parte III. Artis Criticæ pag. 195. Cum his ex parte conſentit Anonymus in epiſtola, quæ inſerta eſt *Ludolphi Neocori* ſeu *Küſteri* Bibliothecæ Novorum Librorum An. 1697. pag. 403-414. Is enim verſ. 16. ita conformatum cupit: *ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας καὶ ὁμολογουμένως μέγα· ἐςὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυςήριον* &c. ita ut τὸ pro τοῦτο poſitum cenſeatur, hoc omnino ſenſu: *Columna & firmamentum veritatis, magnumque ſine controverſia: eſt hocce myſterium pietatis, Deus manifeſtatus eſt in carne* &c. Hæc vero & interpunctio & expoſitio, hinc pendens, merito ſe non probavit alteri Anonymo ibidem An. 1699. pag. 97. ſq. qui *Cameronis* illam penitus teneri vult, eandem à prioris exceptionibus pag. 101. ſq. & 380. ſq. repetitis tueri conatus pag. 387. ſq. Et habet ſane illa *Cameronis* ſententia inſignem ſpeciem, quam ipſe quoque in notis ad Caſauboniana pag. 292. olim approbavi. Cum vero ex recepta interpunctione, quam non temere mutandam eſſe cenſeo, commodus ſenſus naſcatur, præſtare putem, ſi in ea acquieſcamus, & verba hæc ad Eccleſiam ſenſu paulo ante commemorato referamus. Non repetam, quæ contra illam interpunctionem dici poſſunt. Hac enim opera perfunctos eſſe video ex noſtratibus *Weberum* in Parergis Philologicis citatis, *Heumannum* in Parergis Criticis pag. 149. ſqq. *Henricum Benedictum Starckium* in Notis Selectis pag. 152. ſq. Ex Anglis *Leonhardum Twells* in Examine Critico Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Part. I. pag. 156. *Caſaubonus* in Caſaubonianis pag. 92. *miram novitatem* appellat, quando à *Melvino* eam ſe edoctum eſſe profitetur. *Heumannus* ſpeciatim l. c. pag. 150. monet, *ſervata interpunctione vetuſta, ſenſum emergere aptiſſimum, mutata vero ea, ſententiam prodire duriorem & vim quandam verbis inferri; cauſam denique, ob quam nonnulli mutatam vellent interpunctionem, eſſe leviſſimam.*

Disquiri hic poterat, quo ſenſu Paulus Eccleſiam *ςύλον καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας* vocet. Sed maſim diverſas eruditorum ſententias legi apud *Suicerum* & *Deylingium* ll. cc. qui recte in *Jac. Gothofredi* ſententia acquieſcit. Conſtat alias phraſin eſſe Rabbinicam יסוד גדול ועמוד חזק de qua legi poteſt *Morus* in Cauſa Dei pag. 21. *Rhenferdius* in Diſſertat. de Stilo Apocalypſ. Cabbaliſtico pag. 27. & *Schœtgenius* l. c. pag. 870. Eadem Patribus frequentatur, quod *Jo. Pearſonus* oſtendit ad *Ignatii* Epiſtolas p. 27.

Verſ. 16. *Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐςὶ κ. τ. λ.*] Ad hoc comma complures proſtant noſtratium & aliorum diſſertationes ſingulares, quas diligenter recitat M. *Wildeshauſenius* in Bibliotheca Diſputationum Theologico-Philologic. in Vet. & Nov. Teſtam. Ex his *Bened. Picteti*, Theologi Genevenſis, *Dan. Michaelis*, Roſtochienſis, & *Georg. Henr. Gœtzii*, Lubecenſis, illæ leguntur in Theſauro Theologico Philologic. p. 660. His poſtea acceſſerunt *Jo. Franc. Buddei* Diſput. de Juſtificatione Chriſti in Spiritu. Jenæ 1724. Medita-



Digitized by Google

tio Natalitia Jenæ 1722. propoſita de manifeſtatione Dei in carne. *C. A. Heumanni* Chriſtologia Paulina, Tom. III. lib. III. Pœciles diſſertat. XII. recuſa, *Henrici Scharbau* Parerga Theolog. Parte V. pag. 111. ſq. *Franciſci Wokenii* Obſervationes Miſcellan. in loca Novi Teſtamenti pag. 4. ſq. & M. *Chriſtophori Wollii* Diſſertatio de uſu & abuſu Synagogæ in interpretando Nov. Teſtam. Reg. IV. quæ præmiſſa eſt repetitæ editioni librorum *Campeg. Vitringæ* de vetere Synagoga. Confer *Henrici Philippi Hautecour* diſſertat. de Myſterio pietatis, Franequeræ 1689. 4to. Ex Anglis *Lucas Milbourne* de eodem oraculo ſigillatim commentatus eſt in libro, quem inſcripſit: *The myſteries in religion vindicated*, Londini 1692. 8vo. Is vero inprimis ad probandam myſteriorum in Chriſtiana religione neceſſitatem, & Deitatem Chriſti à Socinianorum cavillationibus vindicandam refertur. Summam libri habes in Actis Eruditorum Lipſienſ. An. 1693. pag. 233. Eodem conſilio *Philippus Jacobus Spenerus* in Tractatu vernaculo, quem *de Deitate Chriſti* inſcripſit, locum hunc perſecutus eſt pag. 526. ſq. Adde & *Urſini* Analecta Vol. I. pag. 403. ſqq.

Verſ. 16. Καὶ] Particula hæc h. l. non ſimpliciter copulativa eſt, quod illi urgent, qui extrema antecedentis commatis verba cum his connectenda putant; ſed explanativa, vel declarativa, ut idem ſit, quod *id eſt*. Vide huc *Jacobi Gothofredi* Exercitat. citat. ad h. l. Scilicet Apoſtolus ante commemoraverat Eccleſiam, tanquam columnam & firmamentum *veritatis*. Hujus autem veritatis ſummam ſeu præcipuum momentum collocat in iis, quæ de Chriſto revelata exſtant. Atque illud momentum ſervat, firmat, adſtruit & inprimis urget Chriſti Eccleſia. Ita ſenſus obvius eſt & luculentus. Τὸ καὶ vero hanc explicandi vim habere paſſim à me Vol. I. oſtenſum eſt. Vide pag. 860. 913. & 1045. Vel ſi hoc minus placeat, idem inferre cenſebitur, quod *inprimis*. Vide Vol. I. pag. 539. & 1009.

ὁμολογουμένως] *communi omnium confeſſione*, ſeu *ſine controverſia*. Vox Stoicorum potiſſimum viſa eſt *Alex. Moro* ad h. l. Sed omnis generis Scriptoribus frequentem eſſe recte monuit *Jo. Alberti.* ad h. l. pag. 397. cujuſmodi locos & ipſe recitat. Ex *Xenophonte* & *Polybio* alios attulit *Raphelius*, & ex poſteriore *Kirchmaierus* in Paralleliſmo dictionis Novi Fœderis & Polybii pag. 49. Ex aliis *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Adde illis *Alciphronis* epiſtolas edit. Lipſienſis III. 7. & 16. & *Joſephi* loca à *Jo. Bapt. Ottio* in Specimine Lexici Flaviani Tom. II. Operum Joſephi in Belgio curatorum pag. 323. congeſta. Nec omitte *Suicerum* Tom. II. pag. 479.

τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον] Doctrinam ſequentem *magnum pietatis myſterium* ſeu *ſacramentum* appellari reſpectu habito ad ſacra Gentilium ſacerrima, & ſpeciatim *Eleuſinia*, quæ præcipue μεγάλα appellata fuiſſe conſtat, complures eruditorum ſuſpicati ſunt. Vide præ ceteris *Jacobum Gothofredum* Exercitat. citata, & ex ea *Suicerum* Tom. II. pag. 381. & 479. item *Danielis Erneſti*

*neſti Jablonskii* Decadem I. Sacrarum Concionum vernacula lingua editam num. 2. *Stephanus le Moyne* in Diſſertatione ad Jerem. XXIII. 6. pag. 297. reſpici putat primum quidem myſterium Epheſiorum, inter quos erat Timotheus, quique Dianam ſuam videri impune poſſe negabant; tum vero Judæos, qui Dei apparitiones periculoſas eſſe profitebantur. Neutrum mihi admodum placet. Confer *Heumanni* Pœcilen Tom. III. pag. 450.

Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί] Pro θεὸς in Claromont. Gr. legitur ὃ ſicut in eodem Latino, *quod*, idemque expreſſum eſt a *Vulg. Syr. Æthiop. Armeno. Hilario* item & aliis Patribus Latinis. Ος legit *Colbertinus* unus & *Bœrnerianus*, qui tamen in *Lat.* itidem *quod* habet. Vide huc præter *Millium* ad loc. *Joannem Baptiſtam Cotelerium* in Notis ad Tom III. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ pag. 665. *Joannem Morinum* Exercitat. Biblic. lib. I. Exercit. III. pag. 59. *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica Verſionum Novi Teſtamenti pag. 479. & *Joannem Clericum* Artis Criticæ Part. III. Sect. I. cap. XV. Utriusque vitii originem recte mihi oſtendiſſe videtur idem *Millius*, quando ita ſcribit: *Nempe cum* Θεὸς *jam olim fere contractim ſcripſerint* ΘΣ, *& vero virgula per literam* Theta *ducta tenuiſſima plerumque fuerit, adeoque & aciem forte fugerit Scribarum, præſertim feſtinantium; hinc facillimo errore natum* ΟΣ. *Certe quidem in exemplari Alexandrino noſtro linea iſta transverſa, quam loquor, adeo exilis ac plane evanida eſt, ut primo intuitu haud dubitarim ipſe ſcriptum* ΟΣ, *quod proinde & in varias lectiones conjeceram. —— Verum poſtea, perluſtrato attentius loco, lineolæ, quæ primam aciem fugerat, ductus quosdam & veſtigia ſatis certa deprehendi &c. Porro ex hac lectione* ὃς *videtur profluxiſſe illa altera* ὃ. *Nimirum* ὃς *generis virilis haud congrueret* τῷ, μυςήριον, *mutare viſum eſt in* ὃ. Confer eundem in Prolegomenis §. 489. 1034. & 1035. item *Whitbium* in Examine. Adde ex noſtratibus Vener. *Pfaffium* in Primitiis Tubingenſibus pag. 47. ſeqq. & pag. 60. ſeqq. Clericus quidem in epiſtola quam ſub *C. Junii Optimiani* nomine de editione Novi Teſtamenti Milliana Tom. XVI. Bibliothecæ Selectæ inſeruit, deinde ejusdem Novi Teſtamenti editioni Küſterianæ præmiſſam, pulchre quidem *Millium* ait oſtendiſſe, quomodo ὃ ex voce Θεὸς naſci potuerit; interim ipſe huic lectioni aliquid tribuere videtur, quando monet, miſſam ſibi aliquando à *Joanne Lockio* eſſe Anonymi diſſertationem Anglicanam, qua lectio Vulgati, *quod* adſtructa fuerit, dignam, quæ Latine converſa lucem adſpiciat. Idem dubium ſe profitetur in Arte Critica loc. cit. Lectionem ὃς approbat auctor Prolegomenorum ad novam Novi Teſtamenti editionem pag. 4. Confer pag. 189. & 193. *Souverainius*, auctor *Platoniſmi detecti*, vere *contra lucem pugnavit*, obſervante *Pfaffio* l. c. p. 60. quando *omnem Eccleſiam Græcam* ὃ *legiſſe* affirmat, argumento ejusmodi uſus, quod idem recte diſpulit.

Interim, quamvis lectio ὃς vel ὃ unius tantum alteriusve Codicis auctoritate ſe tueatur, &, ſi teneatur, reliquis verbis in commodum ſenſum torquendis occaſionem fecerit; Sociniani tamen, nominis Θεοῦ, ubi Chriſto tribuitur, impatientes, eam cupide amplexi ſunt, præterque eos alii, neſcio qua cauſa inducti. Inter hos & *Grotius* eſt, & noviſſime L. M. *Artemonius*, ſeu *Samuel Crellius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 27. præfationis, non novis argumentis uſus, ſed ea recoquens, quæ ab aliis pridem ſunt propulſata. Opinatur enim cum aliis, ὃ illud ad μυςήριον τῆς εὐσεβείας pertinere, quod in *carne*, h. e. ut putat, in *homine*, JESU CHRISTO, ſit manifeſtatum. Omnem illam φλυαρίαν disjecerunt ex Anglis *Eduardus Stillingfleetus* in libro Anglicano, quem Vindicias doctrinæ de SS. Trinitate inſcripſit, pag. 155-164. *Joannes Wottonus* in Notis ad Clementis Romani epiſt. pag. 27. *Joannes Pearſonus* in diſſertatione, quam *Clericus* notis ad Hammondum ſuis inſeruit, *Richardus Bentley* in Obſervationibus ſuis ſuper diſſertat. de libertate cogitandi, & ex eo *de la Roche* in Bibliotheca Anglicana Tom. I. pag. 433. ſeq. *Joannes Edwardus* in Exercitationibus Criticis, Hiſtoricis &c. pag. 348. (confer Acta Eruditorum Lipſienſ. 1704. pag. 139.) & Auctor Anonymus libri Anglicani, *Remarks on ſome books* inſcripti, pag. 196. Ex noſtratibus idem præſtiterunt *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l & in Operibus Anti-Socinianis Tom. I. Parte III. pag. 32. *Scherzerus* in Collegio Anti-Sociniano pag. 393. ſq. & noviſſime *Heumannus* in Pœcile Tom. III. pag. 450.

*ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*] Ad venditatas à Gentilibus Deaſtrorum ἐπιφανείας hic alludi non magis mihi perſuaſerim, quam adduci poſſum, ut credam, per μυςήριον εὐσεβείας ad Eleuſinia myſteria reſpici. Vide tamen, quæ in hanc ſententiam attulit M. *Jo. Gottlob Nimptſch* diſſertat. citata de Epiphaniis Deorum, paragrapho ultima, nec omitte M. *Luppii* de θεοφανείαις & M. *Hebenſtreitii* de ἐπιφανείαις θεῶν diſſertationes.

*ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι*] Exſtat ad hæc verba ſingularis *Joannis Franciſci Buddei* Exercitatio *de Juſtificatione Chriſti in Spiritu* ſupra jam laudata. Ibi cap. I. §. 14. potiores Interpretum ſententiæ ita ſiſtuntur: *Hi Spiritum Sanctum ipſum intelligunt, illi vero illius teſtimonium; quibusdam juſtificari in ſpiritu idem eſt, ac virtute divina juſtificari; quibusdam metonymica placet explicatio de miraculis a Spiritu Sancto effectis id accipientes; alii verbum Spiritus heic ita adſumunt, ut ea omnia in ſe comprehendat, quæ in Chriſto divina ſunt ſupra carnem. Alii viciſſim aliter, de quibus Jacobus Gothofredus copioſius in Exercitatione de myſterio pietatis* &c. *Noſtra vero*, ita pergit, *interpretationi convenientiſſimum erit, per τὸ πνεῦμα intelligere vel Spiritum Sanctum in actu Juſtificationis, ceu in opere, quod vocant, ad extra, una cum cæteris perſonis divinitatis concurrentem; vel virtutem divinam, infinitumve valorem, quo Chriſtus Patri ſuo ſufficienter ſatisfecerat, hincque juſtificatus eſt.* Hujus proſtremi ſignificatus exempla affert ex 1 *Petr.* III. 18.

*Rom.*

*Rom.* I. 4. 2 *Corinth.* III. 4. *Hebr.* IX. 14. quemadmodum deinde capite poſteriori ipſam Chriſti juſtificationem fuſius ediſſerit. Placet B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. *Innuitur*, inquit, *quod non tantum voluerit Deus conſpicuus fieri in carne, ſeu natura humana aſſumta, ſed & juſtificari ſimul, h. e. ceu verus Meſſias agnoſci, patefieri & celebrari in Spiritu, vel ratione Deitatis, & quo ad naturam divinam; quum Meſſias promiſſus non debuerit tantum apparere in carne, nobisque eſſe ὁμοούσιος, ſed etiam juſtificari agnoſci & celebrari in Spiritu verus Deus, ut in quo ſimul caro & Spiritus, i. e. divina & humana natura appareant, quique & in carne & in Spiritu conſpicuus fiat, & juſtificetur, vel agnoſcatur vere, ac reapſe verus natura homo, & verus natura Deus.* Brevius *Glaſſius* in Grammat. Sacra lib. III. Tract. III. Can. XV. pag. 271. *Juſtus declaratus eſt, & Filius Dei comprobatus* in Spiritu, *h. e. per Deitatem ſuam, cujus vi miracula fecit, & ſe ipſum ex mortuis excitavit.* Ad *miracula*, à Chriſto patrata, hic inprimis reſpici vult *Theodoretus* his verbis: ἀπεδείχθη διὰ τῶν θαυμάτων καὶ ἀπεφάνθη, ὅτι Θεὸς ἀληθὴς, καὶ Θεοῦ υἱός. Nec minus *Grotius*, ita ut per πνεῦμα miracula divina metonymice indicentur, ut 1 *Cor.* II. 4. & alibi. Compara *Heumannum* l. c. pag. 455. Sic & Rev. *Zeltnerus* in notis ad Verſionem Lutheri Biblicam pag. 208. Chriſtum ait *juſtificatum*, h. e. ab adverſariorum calumniis vindicatum *Job.* VI. 27. per divinam ſuam virtutem & miracula. *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 48. τὸ ἐδικαιώθη idem eſſe exiſtimat, quod antecedens ἐφανερώθη, eo ſenſu, quod Chriſtus juxta humanam naturam ſenſibus corporis manifeſtus factus ſit, & ſic etiam ſecundum divinam naturam manifeſtatus hoſtibus, quod ſcilicet ſit verus Deus. Hunc verbo ſignificatum vindicat ex eo, quod οἱ LXX. Hebraicum בחן nunc per δικαιοῦμαι, nunc per φαίνω, nunc per φανερὸς γίνομαι, ut *Geneſ.* XLII. 15. & 16. interpretentur. *Steph. de Brais* in notis ad epiſt. ad Romanos pag. 704. Chriſtum ſiſti putat talem, qui non amplius ſub carnis infirmitate latens, ſed ea gloria conſpicuus fuerit, quæ illum hominum & Angelorum adoratione dignum certiſſime definiverit, quam gloriam ipſe in reſurrectione induerit. Longius petita ſunt illa *Alex. Mori* in Notis ad Jeſ. LIII. pag. 95. *Sed ipſe tamen* juſtificatus ſpiritu, *h. e. vi ſua, quoniam & accuſatus ab hominibus & condemnatus à Deo eſt. Non tamen paſſive juſtificatus ἁπλῶς dici debet, quia non eſt juſtificatus ab alio; ſed melius juſtus primo, deinde juſtificans: nos autem juſtificati primo, deinde juſti.*

ὤφθη ἀγγέλοις] *conſpectus eſt ab angelis.* Unus Stephani Codex legit ἀνθρώποις, *hominibus*, procul dubio ex ſcioli alicujus interpretatione, qui non intelligebat, quomodo Angelorum cœleſtium hic fieret mentio. Sed obſcurius adhuc eſt & difficilius dictu, quomodo Apoſtolus *hominum* hic faciat mentionem, qui paulo ante Chriſtum ut Deum & hominem in carne apparuiſſe, atque adeo hominibus conſpectum fuiſſe teſtatus eſſet. Alii majore veri ſpecie vocem ἄγγελοι non de Spiritibus cœleſtibus, ſed de Apoſtolis, tanquam

*nunciis* & interpretibus hujus myſterii apud homines futuris, accipiunt. Inter hos ex veteribus eſt *Gregorius* lib. XXXIV. Moral. c. 7. *Anſelmus* Tom. II. pag. 237. & *Remigius;* ex recentioribus autem *Dan. Heinſius* in Exercitatt. Sacr. lib. XIV. cap. 3. & ſpeciatim ex noſtratibus *Enochus Himmelius* in Diſſertat. ad h. l. de Deo in carne manifeſtato p. 14 & B. *Gothofredus Olearius* in diſputat. de Reſurrectione J. C. ex 1 *Cor.* XV. quæ Obſervationibus ejus in Matthæum ſubjuncta eſt. *Viſus eſt*, inquit, pag. 775. Angelis, *videlicet* Apoſtolis, *ceteriſque fratribus*, *qui*, *quod viderant audiverantque*, ἐξαγγέλλειν *poſſent, i. e. teſtari, atque aliis ſimiliter annunciare*, Eum ſequitur *H. B. Starckius* in Notis ſelectis ad Loca dubia N. T. pag. 153. *Heumannus* in Pœcile Tom III. pag. 457. & noviſſime *Zeltnerus*, ſed dubius, in notis ad Verſionem B. Lutheri Biblicam pag. 208. qui vel Angelos, tanquam primos reſurrectionis Chriſti teſtes, vel Apoſtolos, quibus ſe poſt reſurrectionem Chriſtus præcipue oſtenderit, intelligi poſſe cenſet. Magnam, fateor, hæc expoſitio ſpeciem habet, nihilque præterea incommodi ſecum fert, quod *Meisnerus* & *Gieſſenius* in ſuis ad h. l. diſputationibus itidem profeſſi ſunt. Sed nihil etiam video, quod a recepta vocis ἄγγελος ſignificatione abire nos jubeat. Ita ſane olim accepit *Chryſoſtomus*, cujus hæc ſunt verba: ὥστε καὶ ἄγγελοι μεθ᾽ ἡμῶν εἶδον τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, πρότερον οὐχ ὁρῶντες μέγα τὸ μυστήριον. *Atque huic conſonant Græci omnes Interpretes, dum hunc locum enarrant*, monente *Dionyſio Petavio* in Dogmatibus Theologicis Tomo III. lib. I. cap. VIII. §. 4. de Angelis, qui & eorum locos Tom. I. lib. VIII. cap. 6. affert, & alios Latinorum Doctorum iisdem jungit Tomo III. pag. 25. ſententiam eorundem ſimul accuratius ediſſerens. Nec ullus ex Scriptura adhuc locus afferri potuit, in quo Apoſtoli Domini noſtri *Angeli* dicerentur, cum potius à Luca in Actis Apoſtolicis frequentiſſime ἀπόστολοι vocentur, quo nomine & ſe ipſos appellant. Mirum itaque foret, ſi Paulus h. l. illo titulo uteretur. Non nego, *Joannem* ſpeciatim, & alios verbi divini miniſtros ita vocari, ſed id non efficit, ut primos illos veritatis cœleſtis nuncios ita hic appellari cenſeamus, quibus aliud elogium dari ſolitum novimus. Nec aliud evincit *Gal.* IV. 14. ubi Paulus ait, Galatas ſe recepiſſe ut ἄγγελον Θεοῦ. Nam & hic conſueta vocis ſignificatio cum B. Luthero noſtro recte retinetur. Mos enim erat, eos cum Angelis comparare, quibus multum tribuebatur. Vide 2 *Sam.* XIX. 27. Id vero Paulum hic voluiſſe ex eo apparet, quod ſubjungit, Galatas ſe recepiſſe, ut *Jeſum Chriſtum ipſum*, facta ſcilicet ab Angelis ad Chriſtum gradatione. Fruſtra præterea à *Starckio* l. c. obvertitur, ſi hoc Paulus voluiſſet, ſcripturum potius fuiſſe, ὤφθησαν αὐτῷ ἄγγελοι, h. e. *viſi ſunt*, ſeu, *apparuerunt ei Angeli, nempe in nativitate, tentatione, paſſione, reſurrectione, & adſcenſione.* Neque enim de his capitibus ſermo eſt, ſed de eo, quod Dominus ab Angelis conſpectus ſit in carne, atque adeo agnitus ut θεάνθρωπος. Et quamvis, quod vir doctus urget, Paulus 1 *Corinth.* XV. v. 5. 6. 7. & 8. τὸ ὤφθη adhibeat de Chriſto, Apoſtolis poſt reſurrectionem apparente, id ſane nihil evincit aliud,

quam

quam quod hoc verbum de illa apparitione adhiberi commode potuerit, non autem probat, Chriſtum ab Angelis in carne *conſpectum* dici non potuiſſe. Nec proximum ἐκηρύχθη demonſtrat, in antecedentibus de Apoſtolis ſermonem eſſe, quippe qui illud præconium primi ſuſceperint. Paulus enim primo loco id tradit, qualem ſe Dominus noſter hominibus & Angelis demonſtrarit, hinc vero docet, qualis prædicatus ſit in toto orbe. Placet itaque *Jac. Gothofredus* in Exercitat. ad h. l. pag. 958. Tomi V. Criticorum Sacrorum. *Verum iſtud omne*, inquiens, (*ne ſingula nunc expendam) non tantum dilutum eſt, ſed & ſuperfluum: ſequenti enim colo id, quod indicari volunt, ſatis comprehenditur*, ἐκηρύχθη, *inquit D. Paulus* &c. *Theodoretus proxime ad verum ita interpretatur*, Angelos, qui inviſibilem Divinitatis naturam nec ipſi viderunt incarnatum vidiſſe. *Ergo de Angelis i. e. de* Spiritibus, Deo miniſtrantibus, λειτουργικοῖς πνεύμασι, *id accipiendum eſt.* Similiter Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ad h. l. pag. 871. *Senſus percommodus eſſet, ſi redderemus: Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit Apoſtolis ſuis. Sed quia nulla neceſſitas nos cogit, à ſenſu ſimpliciſſimo recedere, ſic interpretamur: Myſterium incarnationis, quod Angeli prius ſibi non ſatis recte proponere poterant, (quippe quum intellectus ipſorum non ſit infinitus,) jam demum ipſis quoque revelatum eſt paulo accuratius, quam antea noverant quum adhuc in illo vellent παρακύψαι. Nunc ergo Chriſtus ab ipſis recte perſpectus eſt.* Scilicet, ut finem dicendi faciam, myſterium Incarnationis à Paulo ut magnum & illuſtre proponitur, non ſolum reſpectu hominum, ſed & Angelorum, qui, alioquin majore cognitionis DEI luce inſtructi, in eo aliquid invenerint, quod ante, quam fieret, perſpicere vel adſequi non potuerint, quemadmodum idem deinceps, toti mundo propoſitum, fidem invenerit. Confer ad *Epheſ.* III. 10.

ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ] *fides illi habita eſt in mundo.* Eodem ſenſu etiam de perſonis verbo hoc utitur *Polybius* v. c. pag. 737. ἐπιστεύοντο παρὰ τοῖς Ταραντίνοις, *Tarentinis fidem ſuam probarunt.* Vide *Raphelium* pag. 604. Latinos vero eadem ratione loqui docet *Heumannus* l. c. pag. 459. Nolim igitur cum Cl. *Elsnero* p. 281. ita vertere: *fides mundo facta eſt, nempe tot ſtupendis miraculis demonſtratum, & fides facta eſt orbi terrarum, in carne manifeſtatum eſſe Deum.* Verbum enim ἐπιστεύθη ad θεὸν refertur, qui æque dicitur ἐπιστεύθη *creditus eſt*, quam ante ἐφανερώθη. Deinde non dicitur ἐπιστεύθη τῷ κόσμῳ. Cl. *Schœtgenius* l. c. pag. 871. forte non incongruum exiſtimat, Judæos hic intelligere, cum κόσμος hoc loco Gentilibus opponatur, & eorum œconomia עולם הזה dici ſoleat: quo quidem ſenſu Chriſtus non ſolum Gentilibus prædicatus, ſed & à multis Judæorum receptus diceretur. Equidem τὸν κόσμον hic non tam Gentilibus ſeu ἔθνεσι, opponi, quam explicare, quid τὰ ἔθνη ſibi velint, exiſtimem. Idem hic innuitur, quod Dominus ait apud *Marcum* XVI. 15. πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει, ubi κτίσις reſpondet τῷ κόσμῳ. Niſi malis τὸν κόσμον

Digitized by Google

*κόσμον* & Judæos & Gentiles complecti, qui utrique *κόσμος* erant ſenſu Biblico, antequam ad Chriſtum perducerentur. Paulus quoque *τὸ ἐν κόσμῳ* verbo *ἐπιστεύθη* ideo addidiſſe videtur, quod ſingula verba antecedentia ſimile aliquid adjectum habent.

*ἀνελήφθη ἐν δόξῃ*] De aſcenſione Chriſti in cœlum phraſis hæc non poteſt non accipi. Vide *Luc.* IX. 51. *Marc.* XVI. 9. *Actor.* I. 11. Confer *Suicerum* ſuo loco, & Amelium Part. II. pag. 531. *Τὸ ἐν δόξῃ* idem hic pleriſque videtur, quod *εἰς δόξαν*. Nec præpoſitionum illarum permutatio inſueta eſt. Vide quæ obſervavimus Volum. II. pag. 38. & pag. 66. Paulus *τὸ ἐν* ideo adhibuiſſe videtur, quod eodem antea quadruplici vice uſus erat. Interim admitti & illi poſſunt, qui phraſin per *glorioſe* interpretantur, quemadmodum *Rom.* I. 4. *ἐν δυνάμει* eſt *potenter*. Vide, quæ ibi ſcripſi.

# CAPUT IV.

J*Oſephus Medus* in Fragmentis Sacris, quæ exſtant Faſciculo X. Opuſculorum ad hiſtoriam & Philologiam Sacr. ſpectantium pag. 239. caput hoc incipi vult à commate ultimo capitis antecedentis: *Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶν* hoc ſenſu: *Manifeſtum nunc eſt pietatis myſterium* &c. *attamen Spiritus diſerte loquitur* &c. Sic enim demum putat apparere, cur in ſequentibus apoſtaſiæ, idololatriæ &c. fiat mentio. Conferatur idem in Operibus Anglicanis pag. 623. ſq. ubi tria priora commata fuſius illuſtrantur juſto tractatu de Apoſtaſia ultimorum temporum, qui à *Joanne Schœnhauero* Latine converſus ſub titulo *Prophetiæ Apoſtolicæ noviſſimorum temporum* Baſileæ 1656. 8. prodiit, dignus omnino, qui legatur. Enimvero nihil cauſæ eſt, cur receptam capitum diſtinctionem deſeramus. Imo vero, ſi hoc fiat, & ultimum comma capitis III. à reliquis ſeparetur, verborum primorum ſeries turbabitur, nec apparebit, cur Apoſtolus *τῷ καὶ* utatur. Oſtenſum enim à nobis ſupra eſt, illud inferre *præcipuum veritatis cæleſtis caput*, quod Timotheum in Eccleſia Dei urgere oporteat. Hoc vero ſummatim oſtenſo & Timotheo commendato apparet, quomodo Apoſtolus vaticinari inſtituat de diſceſſione, futura ætate, à doctrina ſalutari inſtituenda.

Verſ. 1. Τὸ *δὲ Πνεῦμα ῥητῶς λέγει, ὅτι ἐν ὑστέροις καιροῖς ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως*] *Καιροὶ ὕστεροι* 2 *Tim.* III. 1. vocantur *ἔσχαται ἡμέραι*, quas Interpretes tantum non omnes de extremis Eccleſiæ temporibus accipiunt, & ad eminentem illam Eccleſiæ Romanæ apoſtaſiam referunt, quæ, ut 2 *Theſſ.* II. eſt expoſitum, ita hic ſummatim ſubindicatur. Vide hanc in rem, ut noſtrates taceam, *Medum* l. c pag. 634. *Grotius* quidem ea hic indicari putat,

quæ,

quæ, vivente adhuc Timotheo, ſint eventura, atque hanc in rem provocat ad verſ. 6. ubi Timotheus de his monere jubetur fratres, quod nulli uſui futurum fuiſſe exiſtimat, ſi de re longe poſt eventura ageretur. Ut vero taceam, proficuum fuiſſe de rebus in Eccleſia futuris vaticinari, vel ideo, ut præſentes felicitatem ſuam ſuo pretio æſtimare diſcerent, monendi de his erant illius ætatis Chriſtiani, quoniam jam tunc nonnulla, a Paulo commemorata, in animis quorundam hærebant, quæ tandem quaſi confecta & ſtabilita penitus alii univerſali quaſi quodam errore recepturi erant. Vide, quæ *Grotio* plura obvertit *Calovius* ad h. l. Itaque nolim hanc phraſin de *ſequentibus temporibus, quæ ultima ſint Reipublicæ Judaicæ*, accipere cum Cl. *Schœtgenio*, eodem argumento uſo in Horis Hebraicis pag. 872. aut de iis interpretari, *qui a fide Chriſtiana defecerint, & ſe Meſſias haberi volebant, etiam ex iis, qui Chriſtiani olim fuerant.*

προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις ] *attendentes ſpiritualibus ſeductoribus*, i. e. *doctoribus ſeducentibus.* Pro πλάνοις Codices quidam legunt πλάνης eodem ſenſu, quæ lectio vel ex facili τῶ οι cum η in legendo permutatione, vel ex interpretamento 1 *Joh.* IV. 6. ut *Millius* ad h. l. ſtatuit, nata eſt. Vocem πλάνος adjective Græcis adhiberi oſtendit *Eraſmus Schmidius*. *Medus* in Fragmentis citatis pag. 248. per πλάνην *idololatriam* ſpeciatim putat intelligi, ad *Rom.* I. 27. & 2 *Theſſal.* II. 11. provocans, qui pag. 240. verterat *doctrinis erroneis.*

καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων ] *& doctrinis dæmoniorum.* Hoc duobus potiſſimum modis accipi poteſt. Vel enim tales doctrinæ intelliguntur, quæ a malis geniis ſint profectæ, ut ſic δαιμόνια τῷ Πνεύματι ante commemorato opponantur; vel tales, quæ ad cultum dæmonum ſeu idolorum urgendum ſpectant. Priorem expoſitionem ſecutus videtur B. *Lutherus* noſter, quando vertit Lehren der Teufel, quod idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet Teufels-Lehren. Poſterior tamen interpretatio pluribus ſe probavit, quo ſenſu βαπτισμῶν διδαχὴ h. e. *doctrina de baptiſmo* appellatur *Hebr.* VI. 2. Pro hac vide quos affert *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 238. ſqq. Inprimis vero hanc expoſitionem urget *Joſ. Medus* in Operibus pag. 626. & ad eam adſtruendam affert locum epiſtolæ ad Hebr. citatum, tum vero *Act.* XIII. 12. ubi διδαχὴ τῦ Κυρίυ *eſt doctrina ad Dominum* ſpectans, quemadmodum Gal. II. 20. πίςις τῦ υἱῦ τῦ Θεῦ ſignificat *fidem in filium Dei.* Idem in ſequentibus aliquot capitibus Gentilium de dæmonibus doctrinam diligenter ediſſerit, oſtendens, ex eorum mente dæmonas medium quoddam inter Deum Supremum & homines genus conſtituiſſe, mediatores & interpretes inter Deum & homines habitos, ab iisdem conſtitutis & conſecratis imaginibus, ad gratiam ſibi conciliandam adoratos, & reliquias denique illorum, quos ex præclaris hominibus in hanc claſſem relatos fingebant, ſolenni cultu exceptas fuiſſe. His ita diſputatis pag. 634. ſq. conficit, hanc de dæmonibus doctrinam inter eos hodie ex Pauli ratiocinio celebrari

brari, qui Sanctos & Angelos divino cultu proſequantur, quique imagines, cruces & reliquias adorent. Eadem eſt *Nortoni Knatchbulli* ad h. l. ſententia. Mihi quidem prior placet, veteribus Patribus probata, quam ex noſtratibus adſtruxit, & eadem opera ſingula doctrinæ dæmoniacæ momenta perſecutus eſt B. *Hector Gothofredus Maſius* diſputat. ſingulari de doctrina Dæmoniorum, quæ Tom. II. Diſputationum ejus pag. 168. ſq. recuſa eſt. Rationes ita ſentiendi has potiſſimum habeo, quod δαίμονες & δαιμόνια in N. T. ſemper *malos genios* inferant, & in eodem διδασκαλία gignendi caſui juncta ſemper ad docentem reſpiciat. Vide v. c. 1 *Tim.* VI. 1. & *Tit.* II. 10. Confer *Leonh. Twells* Examen Criticum N. T. Græco-Anglicani Part. I. pag. 116. Eodem ſenſu accipit quoque noviſſime *Schœtgenius* l. c. pag. 872. ad Judæos tamen omnia referens, qui ex ſuo cum Diabolis commercio Magico, quod 2 *Theſſal.* II. 9. innui putat, doctrinas diabolicas foverint, quarum præcipua fuerit, Jeſum Nazarenum non eſſe verum Meſſiam. At recens editor N. T. Græco-Anglicani in Notis pag. 774. ſqq. ad Judæos quidem hæc ſpectare opinatur, ſed ideo tantum, quod Angelorum cultui indulſerint. Eum vero confutatum leges à *Leonh. Twells* libro citato Part. II. p. 20. & 32. Alia in hunc locum videbis apud *Henric. Morum* in Operibus Latinis pag. 714-716. & *Jo. Marckium* in Exercitationibus Scripturariis ad loca quædam N. T. num. 24. ubi tribus prioribus commatibus lux affunditur. Nec omitte *Saueri* Obſervata ad v. 1. & 2. Tom. II. Theſauri Diſputationum pag. 630.

Verſ. 2. Ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων κ. τ. λ.] Pendent hæc vel ab antecedente προσέχοντες, ut hypocriſis innuatur tanquam inſtrumentum, quo nonnulli ad ſectandas doctrinas dæmoniacas adduci ſe patiantur, quæ ſententia eſt *Eraſmi Schmidii*, vel ad διδασκαλίαις, ſubintellecto ταῖς οὔσαις ἐν ὑποκρίσει, *quæ hypocriſi quadam tegantur*, quod *Camerario* eſt viſum. Malim tamen prius. Compara quoque *Joſ. Mede* l. c. pag. 675. qui in ſequentibus tria indicari putat *falſiloquorum* capita, nempe *miracula ficta*, *legendas fabuloſas*, & *ſcripta antiquitati ſuppoſita*, quæ deinde amplius ediſſerit, & idoneis exemplis confirmat uſque ad pag. 688.

κεκαυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν] *cauterio notatorum quoad propriam conſcientiam*, ut *Eraſmus Schmidius* vertit, rectius quam Beza: *quorum conſcientià cauterio reſecta eſt*. Hoc recte averſatur *Elsnerus* pag. 298. cum cauterio non *reſecetur* aliquid, ſed *inuratur* & *notetur*, quod à *Sculteto* ſit oſtenſum. Lege in eandem ſententiam *Eraſm. Schmidium* contra *Bezam*, & *Suicerum* Tom. II. pag. 79. qui *Theophylactum* & alios conſentientes affert. Reſpicitur ſcilicet ad morem veterum, hodienum frequentatum, quo notæ quædam tum aliis, tum facinoroſis inuri ſolebant. Vide huc *Potterum* lib. I. Archæologiæ Græcæ cap. X. & ex noſtratibus *Jo. Henr. Urſinum* in Analectis Sacris lib. I. cap. 62. item *Pet. Zornium* in Bibliotheca Antiquario Exegetica Tom.

Digitized by Google

Tom. I. pag. 459. Indicantur itaque homines, qui criminum ſibi conſcii, facinorum notas animo impreſſas circumferunt. Similes profanorum phraſes affert *Elsnerus* l. c. inter quos eſt ille *Ciceronis*, L. Piſonem *hominem omnium ſcelerum libidinumque maculis notatiſſimum* appellantis in Orat. pro domo cap. IX. Hæc animi male ſibi conſcii tormenta urgere conſueverunt Auctores, ubi ſuam quemque conſcientiam jubent revereri. Vide, quæ congeſta ſunt à *Gatakero* ad Antonin. II. 6. XI. 26. & X. 9. item ab *Huetio* in Quæſtionibus Alnetanis lib. III. cap. 9. pag. 338. ſq. quod de *munditie conſcientiæ* inſcribitur. Conferenda hic fuerit B. *Mart. Chladenii* diſputat. de conſcientia cauteriata, Witembergæ 1716.

Verſ. 3. Κωλυόντων γαμεῖν] De hac conjugii & ſequente ciborum prohibitione, tanquam præcipuis vitæ Monaſticæ momentis & criteriis, lege *Joſ. Medum* pag. 688. ſq. Operum. Interpretes tantum non omnes hanc prohibitionem inter præcepta Dæmoniaca, de quibus Paulus v. 2. egerat, numerant, renitente *Marckio* in Exercitatt. Scripturar. pag. 685. ſq. Hic enim ſpectare putat ad hypocriſin τῶν ψευδολόγων, quam eo inprimis probent, quod à conjugio & cibis abſtinere alios jubeant. Ego vero non intelligo, cur vel ſic inter doctrinas dæmoniacas numerari ex mente Pauli non poſſint, atque adeo inter ψεύδη, inſtinctu mali genii promulgata. Nec mirum eſt, Apoſtolum hoc ſpeciatim caput commemorare quod prævidebat, fore, ut aliquando cum magna vi & auctoritate inſtar laquei collis multorum imponeretur, quamvis & veritati adverſaretur, & variis ſceleribus viam muniret. Ex Judæis *Eſſenos* huc refert *Schœtgenius* p. 872.

ἀπέχεσθαι βρωμάτων] Dubium videtur, quomodo hoc à verbo præcedente κωλυόντων pendeat, cum ex ſequente verſu pateat, de iis hic ſermonem eſſe, qui non prohibeant abſtinentiam à cibis, ſed eandem potius injungant. Itaque alii alias rationes ingreſſi ſunt. Vi uſus eſt *Iſidorus Peluſiota* lib. IV. ep. 112. quando legi vult ἀντέχεσθαι, quem recte deferendum judicat *Grotius*. De aliis diligenter hic commentatur *Eraſm. Schmidius*, quem videri velim. Is autem verti vult: *prohibentium matrimonium contrahere, abſtinendo à cibis*, ut ſic τὸ ἀπέχεσθαι non pendeat à verbo κωλυόντων. Mihi quidem illi inprimis probantur, qui verbum κελευόντων, tanquam contrarium antecedenti κωλυόντων, ſupplendum eſſe contendunt cum Grotio. Ita olim *Epiphanius*. Simili fere modo Paulus 1 *Cor.* XV. 34. αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν, ὐ γὰρ ἐπιτέτραπῖαι αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ᾽ ὑποτάσσεσθαι, ad quem locum vide quæ ſcripſi Vol. II. pag. 524. Adverſatur huic ellipſi *Wolfburgius* pag. 361. Obſervat. Sacrar. quam tamen amplectitur *Zeltnerus* in Notis ad Verſionem Lutheri Biblicam pag. 28. & *Jo. Clericus* in Verſione N. T. Gallica, ut veteres taceam Patres, quos recitat *Suicerus* Tom. I. pag. 716. Confer præterea *Glaſſium* in Philologia Sacra pag. 178. *Danhauerum* in Decalogo pag. 801. ſq. & M. *Gregorii* diſputat. de puritate N. T. à Doriſmis & Poetiſmis immuni pag. 28.

Hæreticos veteres, hujus doctrinæ patronos, affert *Suicerus* Tom. I. pag. 735. Ad Judæos hoc referri vult *Schœtgenius* pag. 873. ex *Coloſſ.* II. 20. 21. Illos tamen hic non reſpici, ex eo patere puto, quod Judæi à conjugio adeo non avocarint ſuos, ut illud potius vehementer urſerint. Eſſeni in contrarium afferri valide non poſſunt, qui minimam Judæorum & inter ipſos neglectam fere ſectam conſtituebant. Lege præterea ad hunc verſum *Iſaaci Fauſtii* diſputat. Argentor. 1674. habitam, *Joach Kühnii* Philologema ſacrum, ibidem 1690. & *Saueri* Obſervata Tom. II. Theſauri Diſputat. pag. 631. nec minus *Henrici Mori* Opera Theolog. Lat. p. 451.

ἃ ὁ Θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν] Ita fere R. *Elias* Karæus, in *Addereth. Eljahu*, cujus locus affertur à *Triglandio* in diatriba de Secta Karæorum pag. 162. *Ideo indecens eſt unicuique homini, ut ſibi interdicat ullius rei uſum, ultra eas, quas vetuit Legislator: exceptis namque his, nullum erit illi emolumentum. Ac de ſimilibus dixit Salomo:* Ne eſto nimium juſtus, nec nimis ſapias tibi, cur enim deſolaberis?

Verſ. 4. καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον] i. e. ἀποβολῆς ἄξιον, ceu vetus *Homeri* Scholiaſtes ad Iliad β. v. 361. interpretatur. Conf. alia apud *Suicerum* Tom. I. pag. 439. & *Hombergium*. Homerus ſimiliter Il. γ. v. 65.

Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐςὶ Θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Contra auctorem τοῦ *Chiſſuk Emuna* locum hunc & ipſam doctrinam vindicat *Guſſetius* in Confutatione libri illius Parte I. c. XV.

Verſ. 5. Ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου τοῦ Θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως] Lege *Giſbertum Voëtium* in Deſperata cauſa Papatus pag. 45. Spectat huc Eſſenorum mos, auctore *Joſepho* de Bello Judaico II. 7. Pulmentum enim ſingulis cocus adponit προκατεύχεται δὲ ὁ ἱερεὺς τῆς τροφῆς, i. e. *antevertit precibus Sacerdos cibum*, neque guſtare quenquam fas eſt, niſi prius ad Deum habeatur oratio. Nam & cum incipiunt, & cum deſinunt, quaſi χορηγὸν τῆς τροφῆς datorem victus Deum canunt. Idem Judæis hodiernum etiam ad ſuperſtitionem usque receptum eſſe conſtat ex libris precum, quos ברכת המזון inſcribunt. In his enim non ſolum generales ejusmodi precandi formulæ continentur, ſed & tales, quæ ad certum ciborum genus ſint accommodatæ. De re ipſa vide *Hoornbeeckii* Miſcellanea lib. I. pag. 549. & 605.

Verſ. 6. Ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς] ὑποτιθέμενος *plerique vertunt* ſubjiciens, *i. e. in memoriam revocans. Sed latius patet, neque tantum ad memoriam, ſed etiam ad intellectum & voluntatem pertinet. Complectitur nempe hæc duo, & inſtitutionem & adhortationem, propriusque ejus quaſi locus eſt, in vitæ præceptis tradendis, quod non tantum fit docendo, ſed etiam cohortando.* Verba habes Rev. *Raphelii* in Annotatt. Herodoteis pag. 573. idoneis *Herodoti* & aliorum locis firmata. Hinc ὑποθῆκαι dicuntur præcepta ad vitam

Digitized by Google

vitam inſtituendam pertinentia. Vide *Menagium* ad Diogenem Laërtium pag. 37. b. & *Salmaſium* ad Simplicium pag. 13. Ὑποτίθεσθαι etiam alias adhibetur de ſuppeditatione argumentorum ad orationem in *Philoſtrati* Prooem. ad Vitas Sophiſtarum pag. 481. *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. pag. 721. idem eſſe vult, quod, *pro concione aliquid proponere*, quo ſenſu Græcis Scriptoribus frequentiſſime & eleganter accipi obſervat.

ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως] *à puero imbutus dogmatibus fidei*, ſeu, *innutritus*, quod Latine dicunt. Vide huc *Pricæum*, *Suicerum* Tom. I. pag. 1127. & *Lambertum Bos* pag. 219. Exercitationum. Ita *Ariſtides* ad Cyzicenam Paneg. ταῦθ' ἃ ποιεῖτε, τὸ ἐν οἷς τέτραφθε.

ᾗ παρηκολούθηκας] *Eraſmus* vertit *aſſectatus es*, & ſic *Eraſmus Schmidius*, quod *Scultetus* præfert illi *Vulgatæ*, *aſſecutus es*, ideo quod Paulus Timotheum ad ſequendum & imitandum hortetur, neque tamen ſequi quisquam poſſit, qui jam aſſecutus dicatur. At *Gatakerus* ad Antonin. V. §. 5. pag. 189. reſpondet, aliud eſſe notitia & intelligentia, aliud uſu & actu adſequi: illud Timotheum jam aſſecutum fuiſſe, ſed hoc non item. Confer, quæ de verbi hujus notione tradita ſunt ad *Luc.* I. 3. & quæ infra ad 2 Epiſt. III. 10. dicentur. Comma hoc ſextum cum duobus ſequentibus exponit B. *Philippus Ludovicus Hannekenius* in Diſputatione de vero veræ pietatis exercitio, Wittebergæ 1696.

Verſ. 7. Τοὺς δὲ βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους παραιτοῦ] De voce βέβηλος, i. e. *profanus*, lege *Eraſmum Schmidium* ad *Matth.* XII. 5. & *Ezechielem Spanhemium* ad Callimachi hymnum in Apollin. verſ. 2. Originem vocis, quam ad h. l. tradit *Benedictus Aretius*, ſpuriam eſſe oſtendit *Neubour* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 260. γραώδεις dicuntur, quæ *Ciceroni* alias vocantur *aniles ineptiæ*. Μύθους alii cum *Menochio* ad *Simonianos* referunt, *Grotius* autem de Platonica hypotheſi περὶ ψυχῶν μετενσωματώσεως accipit. Utrumque merito repudiat *Neubourius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. pag. 115. ſq. qui tamen itidem ad fabulas Gentilium reſpici non ſatis tuto exiſtimat, quemadmodum *Petro Zornio* ad Mithræ ſacra digitum intendiſſe Paulus videtur in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 468. Propius autem de fabulis Judaicis acceperis, quas Timotheus, ex matre quippe Judæa ortus, hauſiſſe poterat. De his itaque interpretatur *Braunius* in Selectis Sacris pag. 140. & *Vitringa* in Diſſertatione de Decemviris otioſis pag. 72. ſq. & de Synagoga vetere pag. 683. Hæreticorum non minus, quam Judæorum & Gentilium quoque commenta intelligi videntur doctiſſimo *Jo. Henr. à Seelen* in Programmate ſingulari de Monito Paulino de profanis & anilibus fabulis vitandis. Lubecæ 1733. De fabulis ejusmodi, quibus Gemara Judaica ſcatet, lege, quæ ſcripſi Vol. II. Bibliothecæ Hebrææ p. 973. & IV. p. 454. De iisdem accipit quoque *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 873. qui tamen ex earum commemoratione non ſatis tuto conficit, antecedentia quoque ad Judæos pertinere.

Apoſtolum enim à vaticinio ante propoſito, & ceteris inculcando ad alia nunc divertere, quæ propius ad Timotheum ipſum ſpectent, ex mutata dicendi ratione apparet.

*γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν*] De exercitio ad pietatem ex h. l. diſſeruit, *Joannes Michaël Langius* ſingulari diſputatione Altorfii 1702. habita. Compara *Gothofredi Rieſſii* Mythologiam Pſeudo-Theologicam, Islebii 1649. & *Joannis Deutſchmanni* de vera pietate ejusdemque promiſſione, Wittebergæ 1693. De verbo *γυμνάζειν* lege *Suicerum* Tom. I. pag. 803. *Whitbius* ad Eſſenos putat reſpici, quibus *Philo* de Vita contemplativa *συνεχεῖς πόνους* tribuat. Ipſi adplaudit *Amelius* Parte II. der Erörterung pag 29. Cum vero *Eſſenorum* non magna inter ipſos Judæos ratio habita fuerit, adeo ut illorum in hiſtoria Evangelica nec mentio fiat, id parum quidem veri mihi ſimile videtur.

Verſ. 8. H *γὰρ σωματικὴ γυμνασία*] Ad athleticam veterum hic reſpici non dubito, de qua vocem hanc & antecedens verbum frequentari Scriptoribus conſtat. Vide huc *Scultetum*, *Grotium*, *Suicerum* Tom. I. pag. 804. & *Cornelium Adamum* pag. 437. Obſervationum Philologicarum, ex noſtratibus autem *Joannem Henricum Majum* in Obſervationibus Sacris lib. IV. pag. 104. ſq. Hic ſpeciatim obſervat, athletica ejusmodi exercitia veteribus per *σωμασκίαν* & *σωμασκεῖν* indicari, quam in rem videri jubet *Plutarchum* Sympoſiacor. lib. II. qu. 5. & *Herodianum* lib. VII. cap. 1. exeunte. *Σωμασκητὴν* quoque *ἀλείπτην*, i. e. *unctorem*, qui palæſtritas ungebat, vocari oſtendit *Joachimus Kuhnius* ad Diogenem Laërtium VIII. 46. pag. 534. b. Adde in eandem ſententiam *Neubourium* loc. cit. pag. 120. ubi & pag. 122. confutat *Braunium* in Selectis Sacris lib. I. cap. 10. pag. 140. ita diſſerentem: *Per hanc* corporalem exercitationem *intelligere Apoſtolum legem ceremonialem mihi certum eſt, cum ſit lex præcepti carnalis ad Hebr. VII.* 16. *Eadem ſane ad pauca utilis eſt, quandoque nihil continet, niſi infirma elementa mundi*. Galat. IV. 3. 9. Coloſſ. II. 8. *imo mandata infirma & inutilia*, Hebr. VII. 18. Ad exercitationem corporis philoſophicam, quam ad virturis *ἀκμὴν* commendarint olim Philoſophi, referre mavult M. *Henricus Carolus Langius* in Specimine Obſervationum Philologicarum pag. 39. ideo inprimis, quod verſ. 7. per *μύθους* paganorum de Diis deabusque fabulæ intelligantur. At hoc quidem nondum confectum arbitror. Lege interim de *ἀσκήσει* illa Philoſophica *Buddei* diſſertationem ſingularem, quæ in Analectis Hiſtoriæ Philoſophicæ pag. 407. ſeqq. recuſa exſtat.

*πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος*] Subintelligi poſſit vel *πρᾶγμα*, vel *χρόνος*, ut exercitia ejusmodi hinc ad res paucas, hinc ad exiguum vitæ tempus quicquam conferre dicantur, quod monet *Majus* loc. cit. Ita *Seneca* ep. 85. pag. 339. *Quid prodeſt multos vincere luctatione, vel cæſtu, ab iracundia vinci? Quid ergo? nihil liberalia nobis conferunt ſtudia? Ad virtutem nihil?*



Digitized by Google

*ἡ δὲ εὐσέβεια πρὸς πάντα ὠφέλιμός ἐςιν* ] Ita fere *Menander* in Fragmentis pag. 218. verſ. 139.

- - - *μακάριον γ᾽ ἡ χρηςότης*
*Πρὸς πάντα, καὶ θαυμαςὸν ἐφόδιον βίῳ.*

Vide *Joannis Alberti* Obſervationes Sacras pag. 397. & præfationem ad Periculum Criticum plagula ſecunda. Similiter Aratus apud Polybium p. 604. prudens accuſationis examen *πρὸς πᾶν συμφέρον* ad omnia conducibile eſſe ait. obſervante *Raphelio.* Ita R. *Neborai* in *Maſſechbeth Sopherim* cap. XVI. 1. opificia omnia ſe relicturum & filios ſuos legem ait docturum, ex qua homo in hoc mundo fructum percipiat, & in futuro cornu ſuum exaltari ſentiat. Vide *Schœtgenium* pag. 873.

*ἐπαγγελίαν ἔχουσα* ] Sic *Arrianus* Epictet. lib. I. cap. 4. *εἰ δ᾽ ἀρετὴ ταύτην ἔχει τὴν ἐπαγγελίαν, εὐδαιμονίαν ποιῆσαι.*

*ζωῆς τῆς νῦν καὶ τῆς μελλούσης* ] Similis phraſis in *Pirke Avoth* cap. IV. 6.

Verſ. 9. *Πιςὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος* ] Vide ad cap. I. verſ. 15.

Verſ. 10. *Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ κοπιῶμεν καὶ ὀνειδιζόμεθα* ] Quatuor Codices legunt *ἀγωνιζόμεθα*, quibus accedit Bœrnerianus Græco-Latinus, qui tamen in Latino vel ſic exhibet, *exprobramur.* Lectionem illam non improbat *Grotius.* Sic enim *Coloſſ.* I. 29. *Εἰς ὃ καὶ κοπιῶ ἀγωνιζόμενος.* At idem hic locus, ceu alias factum conſtat, occaſionem feciſſe videtur invehendæ huic interpolationi, ideo, quod *τὸ ἀγωνίζεσθαι* magis, quam *ὀνειδίζεσθαι* ad *κοπιᾶν* quadrare videretur.

*ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ Θεῷ ζῶντι* ] Reſpectu Deaſtrorum gentilium Deum viventem appellari oſtendit *Amelius* Parte II. cap. 818. ex *Oweno* in Theologumenis pag. 336. & *Jacobo Gothofredo* in Exercitat. I. de myſterio pietatis, quos ipſe laudat.

Verſ. 11. *Παράγγελλε ταῦτα καὶ δίδασκε* ] *Hæc denuncia & doce.* Confer *Amelium* Parte II. pag. 879.

Verſ. 12. *Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω, κ. τ. λ.* ] Lege hic *Joannis Tarnovii* diſſertationem de illis, quæ juveni Theologo auctoritatem afferant, Roſtochii 1628. primum editam, atque hinc Wittebergæ 1706. opera *G. H. Gœtzii* recuſam, tum *Hermannum Reinboldum* Pauli de typo Timothei, Halæ 1700. Timotheum admoneri, ut eum ſe præbeat, quem, juvenilis potiſſimum ætatis nomine, contemnendi occaſionem nemo facile arripere poſſit, Interpretes pridem recte monuerunt. Confer præter illos *Raphelium* in Annotationibus Polybianis & Xenophonteis, & *Lambertum Bos* in Exercitationibus pag. 219. qui inter cetera *Antoninum* affert XI. pag. 325. hæc profitentem: *ἐγὼ δὲ ὄψομαι, ἵνα μήτι καταφρονήσεως ἄξιον πράσσων ἢ λέγων εὑρίσκωμαι,*

Digitized by Google

σκώμαι. Vide ad illum locum *Gatakerum*. Juvenes alias in officio conſtitutos facile contemni ſolere & iidem, quos dixi, & *Pricæus*, cumque illo *Joannes Alberti* pag. 398. oſtenderunt. Apud *Eunapium* in Maximo pag. 68. Julianus dicitur δι᾽ ἡλικίαν περιφρονηθείς. Juvenilem ætatem ad triginta & amplius annos extendi poſſe monet *Cavius* in Vita Timothei Tom. I. Vitarum pag. 49. Adde Vener. *Pfaffium* in Originibus Juris Eccleſiaſtici pag. 109. ſq. & *Leonis Allatii* librum de ætate ordinum apud Græcos.

ἐν πνεύματι] Deſunt in aliquot Codicibus & Verſionibus, quibus adde *Copticum* & *Æthiop*. Cave tamen, hinc de νοθείᾳ cogites. Mirum enim non eſt, ex momentis pluribus, hic cum ἐν ſæpe repetito cumulatis, unum hinc inde eſſe omiſſum. Ita in *Viennenſi* deeſt ἐν πίστει. De reliquis, quæ hic exſtant, vocibus conſuli *Suicerus* poteſt ſuis locis.

Verſ. 13. Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει] Sic *Herodotus* προσέχειν τοῖς γυμνασίοισι, *gymnicis certaminibus operam navare* juſſit. Vide *Raphelium*. Ad Pentateuchi lectionem, in Synagogis receptam, reſpici *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 22. nec minus *Dav. Millius* in Corollar. 7. ad diſſertat. de Gad & Meni exiſtimat.

Verſ. 14. Μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, κ. τ. λ.] Legendi ad hæc verba ſunt *Seldenus* de Synedriis veterum Hebræorum lib. I. cap. 14. pag. 392. ſqq. *Campeg. Vitringa* de Vetere Synagoga lib. II. cap. 12. pag. 596. ſq. *Salmaſius* de Epiſcopis & Presbyteris pag. 11. 156. 302. & 394. *Petavius* Tomo IV. Dogmatum Theologicorum in Diſſertat. Eccleſiaſt. I. capitibus I. & II. integris & de Hierarchia Eccleſiaſtica lib. I. cap. 3. ex noſtratibus autem Rev. *Pfaffius* de Originibus Juris Eccleſiaſt. pag. 51.

τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας] Plerique Interpretes hæc recte accipiunt, ut intelligantur dona illa, quæ ſub impoſitionem manuum collata ſint Timotheo, ſecundum vaticinia de eo ante edita, quorum ſupra Paulus I. 18. meminit. Ita *Grotius*, & ex noſtratibus tantum non omnes. Alii vero χάρισμα illud de dono prophetico, h. e. interpretandi Scripturam Sacram, accipiunt, inter quos eſt *Hombergius* pag. 330. Parergorum, qui hoc fine verba διὰ προφητείας cum voce χάρισμα proxime conjungi vult, ut inferat *donum propheticum*, quemadmodum 2 *Theſſalon*. III. 14. λόγος διὰ τῆς ἐπιστολῆς, *ſermomem epiſtolicum*, & *Rom* II. 27. νόμος διὰ γράμματος, *legem literalem* ſignificet. Sed ut taceam, trajectionem illam vocum duram eſſe, patet omnino, phraſes, quæ afferuntur, Paulinas cum noſtra alia ratione conferri debere. In utraque enim τὸ διὰ inſtrumentum infert, per quod λόγος & νόμος ad alios pervenerit. Itaque etiam hoc loco τὸ διὰ idem fuerit, quod *per*, vel *ſecundum*.

μετὰ

*μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν*] *cum impoſitione manuum*, i. e. accedente manuum impoſitione. Eodem ſenſu *τὸ μετὰ* adhibetur *à Polybio* pag. 609. *ταύτῃ δ' ἕπεται καὶ ἐκ ταύτης γεννᾶται μετὰ κατασκευῆς καὶ διορθώσεως βασιλεία. Hanc ſequitur, atque adeo ex ea originem habet regnum, cum acceſſit ars & emendatio.* Vide *Raphelium.* Illa impoſitio manuum Hebræis audit סמיכת זקנים, qua in conſtituendis Doctoribus uti ſolebant ſub precibus. Vide loca veterum allata à *Vitringa* loc. cit. & *Schœtgenio* pag. 874. Horarum.

*τοῦ πρεσβυτερίου*] Codex unus à *Millio* allatus legit *πρεσβυτέρου*, quemadmodum nonnulla Vulgatæ exempla habent *Presbyteri*: male, quod diligenter oſtendit *Seldenus* loc. cit. pag. 392. Idem pag. 395. vocem *πρεσβυτέριον* non *Presbyterorum cœtum*, ſed *Presbyteratus honorem* ſignificare cenſet, ut ſenſus ſit, Timotheum per impoſitionem manuum creatum eſſe Presbyterum. Hoc autem ut conſuetæ in Nov. Teſtam. ſignificationi vocis v. c. *Luc.* XXII. 66. & *Actor.* XXII. 5. adverſatur, ita nec phraſi Hebraicæ סמיכת זקנים convenit, nec ceteris Pauli verbis apte reſpondet. Lege, quæ contra eum erudite diſputavit *Vitringa* loc. cit. pag. 597. & ad hæc inprimis verba attende: *Sed mihi ſane videntur multo rectius & planius exponi de Impoſitione manuum, quæ ab ipſis Presbyteris profecta eſt. Etenim gignendi caſus in hac conſtructione vocum nos multo liquidius ducit ad τὸ Πρεσβυτέριον, hic conſiderandum veluti cauſam Impoſitionis manuum, quam ut illius effectum. Et in phraſi Hebræa* סמיכת זקנים *Impoſitio Presbyterorum, (cum qua haud gravate conceſſerim hanc Paulinam conferri poſſe) οἱ* זקנים *Presbyteri quoque veniunt, niſi fallor, ut Impoſitionis cauſa; ſic ut* סמיכת זקנים *denotet Impoſitionem manuum, quæ facta ſit à Presbyteris. Quare omnino verba Apoſtoli ſic expone, quod Timotheo manus impoſitæ ſint à cœtu Presbyterorum, quomodo Theodoretus, Chryſoſtomus, & Theophylactus, ut meum nunc judicium eſt, recte illa acceperunt. Per quem Presbyterorum cœtum tum intelligo Paulum Apoſtolum, conjunctum cum aliis Doctoribus & Rectoribus Eccleſiæ Chriſtianæ, qui Timotheo in publica Presbyterorum & forte totius Eccleſiæ corona manus impoſuit, atque hoc modo illum ad dignitatem & opus Miniſterii ordinavit: quomodo certe non pugnabit, ſed cum h. l. amiciſſime conciliari poterit, quod Paulus alibi prædicat, ſe Timotheo manus impoſuiſſe. Ἀναμιμνήσκω, ait, σε ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, ὅ ἐστιν ἐν σοὶ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου. Utique enim Pronomen perſonale ἐγὼ hic, in eadem conſtructione vocum, cauſam notat agentem; ac proin τὸ πρεσβυτέριον ſimul conſtructum ad eundem quoque modum exponendum erit.* Hactenus *Vitringa*, cum quo conſentit *Pfaffius* l. c. Patres veteres vocem *πρεσβυτέριον* itidem de cœtu Presbyterorum in Eccleſia accepiſſe oſtendit *Suicerus* Tom. II. pag. 824. qui & de *χειροθεσία* commentatur pag. 1516. ſeq. Lutheri verſionem, cum dictis conſpirantem, à Pontificiorum exceptionibus vindicat *Raithius* pag. 560. Ceterum de illo impoſitionis manuum ritu, tanquam apud Judæos olim non neceſſario, à Chriſto autem

nec præcepto, nec adhibito, ab Apoſtolis vero & aliis obſervato, fuſe diſſerit *Pfaffius* de Originibus Juris Eccleſiaſtici pag. 25. ſq. & pag. 43. ſqq. Confer etiam *Friderici Spanhemii* Diſſertationem de Impoſitione manuum Tomo II. Operum inſertam, & quæ infra ad V. 22. dicentur.

Dici hic de eo poterat, utrum ſoli Epiſcopi, quæ Pontificiorum, multorumque ex Anglis, eſt ſententia, an Presbyteri quoque, alios rite & valide ordinare potuerint. Sed hæc cauſa inter *Salmaſium* & *Petavium* ſatis eſt diſputata, ut alios taceam, quos laudatus *Pfaffius* loc. cit. pag. 45. ſqq. copioſe attulit, & pag. 53. oſtendit, illam Epiſcoporum & Presbyterorum diſtinctionem divini juris non eſſe. Nihilomius tamen nuper *Sollerius* in Tractatu Hiſtorico de Patriarchis Alexandrinis hoc ordinandi jus Epiſcopis vindicare conatus eſt iis argumentis, quibus *Abrahamum Ecchellenſem* & *Joannem Pearſonum* uſos eſſe conſtat.

Verſ. 15. Ταῦτα μελέτα] *Hæc meditare*, omni animi contentione, ſive, *hoc age*, ex vetere Romanorum formula, quam cum hac confert *Elsnerus* pag. 300. Adde *Raphelii* Notas Polybianas & Xenophonteas. Verbum μελετᾷν & vox μελέτη à veteribus in declamandi negotio adhibentur, & μελέται, i. e. orationes, arte elaboratæ, opponuntur λόγοις αὐτοσχεδίοις, ſicut μελετᾷν τῷ αὐτοσχεδιάζειν. Vide omnimo *Ezechielem Spanhemium* ad Juliani Orat. I. pag. 14. ſqq. & pag. 146. ubi poſteriore loco oſtendit, eaſdem voces, ad alia tranſlatas, accuratam meditationem & exercitationem ſignificare. Lege præterea *Gatakerum* in Adverſariis cap. XXIX. *Gothofredum Olearium* ad Philoſtratum de Vitis Sophiſtarum pag. 481. & *Voſſium* de natura & conſtitutione Rhetoric. pag. 109.

ἐν τούτοις ἴσθι] i. e. πράγμασι. Vide Cl. *Schœtgenium* ad Lambertum Bos de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 168. Phraſis proba, quam *Camerarius* Tragici Poëtæ auctoritate, *Raphelius* autem & *Hutchinſonius* ad Cyropædiam pag. 13. aliquot *Xenophontis*, *Elsnerus* denique *Luciani* & *Æliani* Hiſtor. IV. 8. locis muniverunt. Ita Judæorum quoque Magiſtri ad *Berachoth* cap. I. חוינן בה *Fuimus in*, vel, *ſuper illo*. h. e. occupati in hoc argumento fuimus. Vide B. *Georgii Elieſeris Edzardi* notas ad Berachoth pag. 284. & Auctorem *Halichoth Olam* pag. 30. edit. Lempereurianæ.

ἵνα σου ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ] *Ut profectus tuus manifeſtus ſit.* Hoc ſenſu vocem προκοπὴ aliquoties adhibere *Polybium*, v. c. Hiſtor. lib. III. pag. 222. &c. docet *Elsnerus*, atque adeo valere jubet Græculos, vocabulum hoc repudiantes, & videri vult *Grævium* ad Luciani Solœciſtam pag. 746. Confer nos ſupra ad *Philipp.* I. 22.

ἐν πᾶσιν] *in omnibus*, quod intelligi poteſt vel de *perſonis*, ſeu *hominibus*, vel de *rebus* & *momentis neceſſariis.* Priori ſenſu accepit *Vulg.* vertens *omnibus*, nec minus *Beza* & *Eraſmus Schmidius*, qui habent *inter omnes.* Poſterius

ſterius placuit *Luthero* & aliis, recte quidem, ceu ſupra ad *Philipp.* I. 25. docui. Τὸ ἐν abeſt a paucis aliquot codicibus, quos temere ſecutus eſt Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Si enim de *rebus* accipienda phraſis eſt, quod l. c. eviciſſe me puto, τὸ ἐν omnino requiritur.

Verſ. 16. *Επεχε σεαυτῷ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, κ. τ. λ.*] Spectant huc diſputationes B. *Caſparis Laſcheri* de Paſtore fido, Wittebergæ 1702. & Rev. *Salomonis Deylingii* de Prudentia Paſtorali, Lipſiæ 1723. Conferri præterea poterit *Wilhelmi Dillinghami* concio ſingularis, quæ ejus Vitæ Chadertoni annexa eſt.

*Επεχε σεαυτῷ* ſcilicet *τὸν νοῦν*] Vide *Lambertum Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 82.

*ἐπίμενε αὐτοῖς*] Deſunt in uno Codice, & Verſione Æthiopica. Mirum eſt, *Millium* in Prolegom. §. 1217. pro interpretamento, ex margine jam olim in contextum tranſlato, habere potuiſſe. Tam efficax hic apparet Pauli oratio, ut vel hoc nomine phraſin hanc ceteris additam ab ipſo eſſe credere fas ſit.

*τοῦτο γὰρ ποιῶν*] Ita *Herodotus*, obſervante *Raphelio*, lib. IV. pag. 258. *καὶ ταῦτα ποιεῦσα*, & lib. V. pag. 344. *καὶ ταῦτα ποιέων.*

*καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου*] Vide *Suicerum* Tomo II. pag. 1207.

# CAPUT V.

VErſ. 5. *Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς*] *Seniorem* reſpectu ætatis, non officii Eccleſiaſtici h. l. dici præter proprium vocis apud Scriptores uſum oſtendit vox oppoſita *νεώτερος*. Spectabat vero hoc præceptum vel ideo ad Timotheum, quod & ipſe ætate junior erat. Verbum *ἐπιπλήσσειν* in *objurgandi* & *reprehendendi* notione adhibet cum dandi caſu *Herodotus* lib. III. pag. 247. obſervante *Raphelio*. *Increpationem* hanc cum נזיפה confert *Grotius*, qua uti Doctores Judæorum publice ſolebant in eum, qui quicquam patraſſet, quod ab ipſis quoque ſacris arcere poſſet. Confer in eandem rem *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 876. & *Lightfootum* ad 1 *Corinth.* V. 5.

De moroſa ſenum ad emendationem recipiendam indole nonnulla huc adfert *Picinellus* pag. 720. Luminum Reflexorum, quemadmodum & reverentiam ac modeſtiam in eos probari debere veterum dictis commonſtrat. Lege alia apud *Dougtæum* in Analectis ad Vetus Teſtamentum Excurſu XLIX. pag. 137. ſq. & *Joannem Clericum* ad Levit. XIX. 32.

Verſ. 2. *ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ* ] *cum omni caſtitate.* Verſio Gallica *Montenſis* reddit: *avec toute ſorte de pureté*, eodem ſenſu, quod oſtenditur contra *Malletum*, hoc ſugillantem, in Nova Defenſione illius Verſionis pag. 262. ſeq.

Verſ. 3. *Χήρας τίμα* ] *Viduas honora.* Vide *Saueri* obſervata Tomo II. Theſauri Diſputationum pag. 632. *Τὸ τιμᾶν* de *honeſta ſuſtentatione* accipi vult *Grotius* ad h. l. & de Imperio Summarum Poteſtatum circa ſacra, Tom. III. Operum pag. 283. ideo, quod ſtatim additur, *quæ vere ſunt viduæ*, h. e. quæ fideles cognatos aut affines non habeant, quorum ope ſuſtentari poſſint. Confer in eandem ſententiam *Vitringam* de Vetere Synagoga lib. II. cap. 3. pag. 498. Rectius vero omne ſtudii cultusque genus atque adeo etiam largitiones intelligi perſuaſum mihi habeo. Quemadmodum enim verſ. 1. de cultu agitur ſenioribus ætate præſtando; ita, qualem in viduas, ætate provectiores, in univerſum præſtare ſe debeat Timotheus, hoc commate exponi videtur. Hinc & liberi ac nepotes ſtatim admonentur de iis, quæ viduis ejusmodi præſtare atque hoc ipſo honorare debeant. Ita *τὸ τιμᾶν* accepiſſe video *Chryſoſtomum*, addita hac ratione: *ὅτι τὸ πρᾶγμα* (*τῆς χηρείας*) *ἐπονείδιστον εἶναι δοκεῖ, καὶ δυσοιώνιστον παρὰ τοῖς πολλοῖς. διὰ τοῦτο πολλῆς αὐτὴν* (*χήραν*) *βούλεται παρὰ τοῦ ἱερέως ἀπολαύειν τιμῆς.* Idem tamen infra ad verſ. 17. de alimentis ſuppeditandis accipit. *Grotium* ſecutus videtur *Colomeſius* pag. 168. Obſervationum Sacrarum. Vertit enim: *Aye ſoin des veuves.* Græcos quoque verbum *τιμᾶν* de charitate & officiis, alii præſtitis, adhibere oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraismis pag. 142. Viduas benigne eſſe habendas inter cetera patet ex *Exod.* XXII. 22. ubi *Clericum* vide, idoneum *Philonis* locum recitantem. Adde B. *Theodori Daſſovii* Diſſertationem de Vidua Hebræa, Wittebergæ 1699. ex qua intelligetur, inter Hebræos viduarum curam maxime eſſe habitam.

Verſ. 4. *Εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει* ] *ſi qua vidua liberos aut nepotes habet.* Voce *ἔκγονος* *Philonem* frequenter uti obſervavit *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Volumine I. Parte I p. 121.

*μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν* ] Dubium eſt, quo pertineat verbum *μανθανέτωσαν*, utrum ad *viduas*, quod *Grotius*, *Priceus* & *Suicerus* Tomo I. pag. 1265. an ad *liberos & nepotes*, quod placet B. *Luthero*, *Eraſmo Schmidio* & *Bezæ*. His poſterioribus præiverunt *Chryſoſtomus*, *Oecumenius* & *Theophylactus*; prioribus autem *Theodoretus*, quorum loca leges apud *Suicerum*. Ad liberos pertinere ſatis mihi eviciſſe videtur doctiſſimus *Elsnerus* pag. 392. quamvis omnes, quas affert, rationes non æque huc pertinere exiſtimem. *Τὸ εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον* quidam ſenſu tranſitivo accipiunt, quaſi *viduæ* liberos ſuos & nepotes pietatem docere jubeantur. Idque ex uſu Græcorum fieri poſſe oſtendit *Elsnerus*, tanquam quibus verba neutra ſæpe active accipiuntur, quemadmodum & *Euripides* ipſum hoc *εὐσεβεῖν* activo ſenſu adhibuc-

hibuerit Bacch. v. 466. Διόνυσος ἡμᾶς εὐσέβησ' ὁ τῦ Διός. *Bacchus nobis hæc ſacra pietatemque tradidit Jovis filius.* Alii ita malunt interpretari: *diſcant in propriam domum pietatem exercere*, nempe in matrem vel aviam. Ita *Beza*, *Eraſm. Schmidius*, *Elsnerus* & Interpretes Galli Berolinenſes, qui *Philonem* pag. 520. de Decalogo verbo hoc in explicatione præcepti IV. uſum eſſe hoc ſenſu obſervant. Sic vero ſubintelligendum ante οἶκον fuerit, κατὰ, quod alias frequenter uſu venit, atque idem diceretur, quod v. 8. εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιςα τῶν οἰκείων ὐ προνοεῖ. Non difficulter illorum rationibus ſubſcribo, quamvis τὸν ἴδιον οἶκον non tam de *matribus* aut *aviis*, quam de liberorum liberis accipere malim. Horum enim rationem a τέκνοις & ἐκγόνοις primo loco haberi vult, ſecundo vero τῶν προγόνων. Hanc Apoſtoli mentem eſſe ex eo mihi perſuaſum eſt, quod duo illa, τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, & ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις à ſe invicem diſtinguit, priori illi primum locum per particulam πρῶτον tribuens.

καὶ ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις] *& vicem rependere Parentibus. Curcellæus* in contextu exhibet ὑποδιδόναι, operarum puto vitio. Hæc enim lectio nusquam in codicibus vel editionibus obſervatur, & conſuetæ loquendi rationi adverſatur. Græci enim frequenter ἀμοιβὴν ἀποδιδόναι dicunt, v. c. *Plutarchus* initio Philopœmenis, & in Mario pag. 427. aliique, quorum loca apud *J. C. Dietericum* in Antiquitat. Biblicis Tom. I. pag. 89. & *Elsnerum* habes, qui uterque ſimilia Gentilium præcepta de vice Parentibus referenda recitant. Confer *Menagii* obſervationes ad *Diogenem. Laert.* lib. I. §. 55. ubi Solonis lex de Parentibus, liberorum cura alendis, affertur & illuſtratur. De voce ἀμοιβὴ digni quoque ſunt, qui legantur, *Salmaſius* de Uſuris pag. 354. & 380. & *Ezechiel Spanhemius* ad Juliani Orationes pag. 138. item *Suicerus* Tom. I. pag. 233.

τῦτο γάρ ἐςι καλὸν, καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τῦ Θεῦ] Voces καλὸν καὶ in multis Codd. Græcis deſiderantur, ideoque ex cap. II. 3. huc relatæ videntur *Millio* ad h. l. a recente Editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pag. 202. prorſus expunctæ. Sed non video, cur Paulus non h. l. eadem ratione ſcripſiſſe credi debeat.

Verſ. 5. Η δὲ ὄντως χήρα καὶ μεμονωμένη] *ſola relicta*, i. e. μὴ ἔχυσα τέκνα καὶ ἔκγονα, quod recte monet *Eraſm. Schmidius*, firmat vero etiam *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 576. ex *Herodoto* lib. I. pag. 48. μεμονωμένης συμμάχων, ἅτε ἀπεςεώτων i. e. deſertas a ſociis, qui defecerint, commemorante.

ἤλπικεν ἐπὶ τὸν Θεὸν] i. e. ἐλπίζει, ut ſequens, καὶ προσμένει.

Verſ. 6. Η δὲ σπαταλῶσα] *delicias agens*, *laſciviens.* Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 992. & *Jo. Alberti* pag. 398. qui obſervat, veteres Græcos id dixiſſe σπαθᾷν, quod proprie ſignificet *texere*, tralate autem *prodigum eſſe*, *luxuriari.* In utriusque ſignificatus exemplum affert *Ariſtophan.* Nubib. Act. I.

Sc. I. v. 55. *ἀλλ᾽ ἐσπάθαι, ὦ γύναι, λίαν σπαθᾷς.* Confer ibi *Kuſterum* pag. 52. a. & *Spanhemium.*

*ζῶσα τέθνηκε* ] Phraſis hæc Rabbinis frequentiſſima eſt, quorum loca copioſe attulit *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 877. ſqq. Adde *Hackſpanium* de Uſu librorum Rabbinicorum ad calcem *Nizzachon* Lipmanniani pag. 457. & in Notis Philolog. ad *Luc.* XV. 32. *Triglandium* in Diatriba de Secta Karæorum pag. 157. & *Ludov. Cappellum* in Spicilegio Notarum ad N. T. pag. 115. Confer *Jo. Pearſoni* notas ad Ignatii epiſtolas pag. 15. & quæ ſcripta ſunt ad *Eph.* II. 1. Similiter *Lyſis* ep. ad Hipp. pag. 739. Opuſcul. Mytholog. Galei: *εἰ δὲ μὴ* (ſcilicet *μεταβάλοιο*) *τέθνακάς μοι, ſi vero non muteris, mihi mortuus eris.* Contra *Phalaris* ep. 31. de Steſichoro mortuo: *ἐμοὶ γοῦν ὁ τοιοῦτος οὐ τέθνηκε.* Alia phraſeos ex Græcis Scriptoribus exempla habes apud M. *Georgium* in Vindiciis N. T. ab Hebraismis p. 66.

Verſ. 8. *Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα οἰκείων οὐ προνοεῖ* ] *Erasmus*, ad viduam hæc referens, vertit, *ſi qua* &c. nec aliter *Eſpiſcopius* in Reſponſion. ad LXIV. Quæſtiones, Quæſt. 27 qui præterea *τὸ προνοεῖν* de curata diligentique inſtitutione explicat. Rectius agunt, qui ex ſerie orationis ad liberos & nepotes referunt, quos & liberorum & Parentum ſuorum curam habere fas ſit. Vide huc *Schmidium, & Hombergium.* De argumento ipſo lege *Speneri* Reſponſa Theolog. Germanica Part. II. pag. 384. ſq. & III. pag. 831. ſq. item Vindicias locorum Scripturæ, quibus abuti ſolent homines profani pag. 387.

*καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων* ] Idem enim, quod hic fieri Paulus vult, Gentiles ipſi præceperunt. Vide ad v. 4. Ejusmodi quid de alendis domeſticis affert ex *Xenophonte* Raphelius pag. 289.

Verſ. 9. *Χήρα καταλεγέσθω οὐκ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα, γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή* ) Ita editiones omnes, ſi Baſileenſem anni 1540. exceperis, hæc verba interpungunt, ut virgulam ponant poſt *ἑξήκοντα*, atque adeo participium *γεγονυῖα* ad ſequentem phraſin referant. Rectius vero poſt *γεγονυῖα* virgulam collocari monuit *Erasmus Schmidius*, his verbis uſus: *Etſi enim nomina temporis, durationem vel continuationem ſignificantia, modo Accuſativo, modo caſu ſexto, verbis junguntur: cum Verbis Subſtantivis tamen Genitivo junguntur, ut:* Ἀλέξανδρος *ἀποθνήσκων δύο καὶ τριάκοντα ἐτῶν ἐγένετο & Luc III. 23. καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα. Præterea, ſi poſt ἐτῶν ἑξήκοντα ante γεγονυῖα comma ponendum eſſet, ἐλάττων legi oporteret. Hic autem ἔλαττον Adverbium eſt, quod ad γεγονυῖα indubitato refertur.* Interpunctionem hanc amplectitur Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis pag. 290. eamque munit ſimili *Xenophontis* phraſi ex Memorabil. lib III. pag. 609. *οὐδέπω εἴκοσιν ἔτη γεγονώς*, & *Demoſthenis* in Timocratea pag. 481. *γέγονα οὐκ ἔλλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη.* *Raphelii* veſtigiis *Hutchinſonus*, ut ſolet, inſiſtit ad Cyropæd. lib. I. pag. 16. Non dubito, idem ſenſiſſe *Chryſoſtomum* ad h. l. ita loquentem *οὐ γὰρ αὐτῆς* (*τῆς χήρας*) *ἐστὶ τὸ ἑξήκοντα γεγονέναι ἐτῶν.* Vides, eum participi-

um

um *γεγονυῖαν* ad *ἑξήκοντα ἐτῶν* referre. Conferatur ***Raphelius*** in Herodoteis pag. 576. & B. *Jo. Henr. Majus* in Obſſ. Sacris lib. I. pag. 200. edit. ſecundæ. Argumenta à viris doctis allata ita comparata ſunt, ut me non difficulter in adſenſum ducant.

*Χήρα καταλεγέσθω*] *Vidua allegatur*, vel *in indicem referatur.* ***Dodwellus*** in Diſſertat. Cyprianica V. §. 24. ita: *Præter hos catalogos omnium Chriſtianorum communes, erant & alii clericorum proprii, & eorum, qui ſumtibus eccleſiæ alerentur pauperum, virginum, viduarum. Eodem enim catalogo hos omnes contineri ſolitos exiſtimo, cum & clerici, & ipſe etiam Epiſcopus ex eleemoſynis victum haberent. Hujus catalogi meminit ipſe Apoſtolus* 1 *Tim.* V. 19. *Quod enim hæc non ſint de aliis viduis, quam, quas diximus, pauperibus, intelligenda, conſtat ex v.* 4. *ubi, quæ poſteros haberent ſuperſtites, illas iisdem nutriendas commendari vult. Hujus ejusdem catalogi meminerunt & canones Eccleſiaſtici. Nec aliunde deſumſiſſe credo Cornelium cleri ſui atque pauperum numeros, quos habet in epiſtola ad Fabium Antiochenum.* Hinc intelligitur, ***Dodwellum*** illam viduarum electionem tantum Eccleſiæ ſumtibus faciendam referre, non item ad munus, quo quæ fungebantur, ***diaconiſſæ*** appellari ſolebant, de quibus conferri poteſt ***Suicerus*** Tom. I. pag. 864. Atque hoc mihi quoque ex orationis ſerie liquere videtur, quamvis non ignorem, alios de miniſterio quodam, iisdem tanquam ex Pauli mente demadando, cogitare. Ita ***Eraſmus Schmidius*** in verſione ita ſupplet: *ad miniſterium pauperum & ægrotorum;* ipſe tamen in Notis non negans, *τὸ καταλέγεσθαι* poſſe etiam intelligi de *relatione in numerum publice alendarum.* Sic & ***Ludov. de la Cerda*** Adverſarior. pag. 368. viduam ejusmodi diaconiſſam ait vocatam eſſe, cujus fuerit præeſſe portis, quas feminæ ingrediebantur, &c. Interim non nego, ex ejusmodi viduis deinceps diaconiſſas eſſe conſtitutas. Confer ***Beveregium*** ad Canon. XV. Chalcedonenſ. pag. 119.

*μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα γεγονυῖα*] Sexagenarius ſcilicet à Judæis *ſenex* habebatur. Ita in ***Pirke Avoth*** cap. V. §. בן ששים לזקנה *qui ſexaginta annorum eſt, ſenex habetur.* Confer ***Wagenſeilium*** ad Sota pag. 573. ſq.

*ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ*] Repeti hic *ἀπὸ κοινοῦ* poteſt ex præcedentibus *γεγονυῖα*, vel plane omitti. Vide ***Schmidium.*** Unius viri uxor ea dicitur, quæ nunquam pluribus maritis ſimul juncta fuerit. ***Vitringa*** quidem de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. pag. 658. de ea accipit, quæ pluribus maritis ſucceſſive non nupſerit, ex eo ſcilicet, quod ſupra III. 2. *ἐπίσκοπον μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα* eodem ſenſu erat interpretatus. Quemadmodum vero ibi oſtendimus, perperam id fieri; ita eadem opera patet, ad illam phraſin gratis h. l. provocari. Confer ***Guſſetii*** Veſperas Groninganas, pag. 139. ſqq.

Verſ.

Verſ. 10. Ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη κ. τ. λ.] Legi huc poſſunt ex veteribus *Auguſtinus*, ſeu potius *Faſtidius Britannus* de Vita Chriſtiana & & viduitate colenda Tom. IX. Operum & *Fulgentius* in epiſtola ad Gallam de Statu viduali, ex recentioribus vero *Eraſmus* in Vidua Chriſtiana Tom. V. Operum pag. 723.

*εἰ ἐτεκνοτρόφησεν*] *ſi*, vel, *quod liberos educavit*, nempe pie & ſanctè. *Theodoretus* : ὐ τὸ θρέψαι μόνον ἀπαιτεῖ, ἀλλὰ καὶ τὸ εὐσεβῶς θρέψαι. Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 1254. Verbum igitur h. l. latius ſumitur, ſicut ſupra ex nonnullorum ſententia τεκνογονία 1 *Tim.* II. 15.

*εἰ ἐξενοδόχησεν*] *Herodotus* lib. V. pag. 429. *ξεινοδοκέων πάντας ἀνθρώπους.*

*εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν*] Lotionem pedum in regionibus orientalibus advenis inter humanitatis officia à feminis etiam ingenuis & honoratioribus præſtitam eſſe ex 1 *Samuel.* XXV. 41. Abigailis exemplo probat, atque aliud ex Avoth *R. Nathan* cap. 16. addit *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 880. *Clemens Alexandr.* VI. Stromat. *ait Cleobulinam paternorum hoſpitum pedes laviſſe : hominum pedes feminas olim lavare ſolitas diſcimus ex* Homero Odyſſ. τ. *Paulo* 1 Tim. V. 1 Sam. 25. *Plutarcho* de virtut. mulierum pag. 249. *ſed & ex oraculo dato Mileſiis, de quo* Herodotus. Ita *Menagius* de mulieribus Philoſophis initio. Confer *Gaulminum* ad Euſtach. de Iſmeniæ & Iſmenes amoribus pag. 10.

*εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν*] *ſi adflictis ſubminiſtravit.* Βοήθειαν *auxilium* hic ſubintelligi vult eruditiſſimus *J. C. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 123. Alias ἐπαρκεῖν ſæpe idem eſt, quod *ſtipem dare*, quod oſtendit *Valeſius* ad Euſebium pag. 140.

Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτῦ, κ. τ. λ.] Hoc comma una cum ſequenti illuſtrat *Iſaacus Fauſtius* ſingulari diſputatione, Argentorati 1674.

*παραιτῦ*] *recuſa, averſare.* Schmidius : *non admitte ad hoc officium* nempe διακονίας ; & ſic *Jac. Capellus* pag. 98. Obſervatt. ad h. l. At *Dodwellus* in libro Anglicano : *The caſe in view, now in fact*, intelligit excluſionem à corpore ſeu cœtu Eccleſiaſtico viduarum, quæ publicis ſumtibus ali ſolebant. Vide Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1712. pag. 447. Atque hoc ex ſerie ſermonis rectius videtur.

*ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τῦ Χριστῦ*] Damnat verbum καταστρηνιᾷν tanquam plebejum *Phrynichus*, & cum eo *Salmaſius* Lingua Helleniſt. p. 99. Στρηνιᾷν inquit, *pro τρυφᾷν* laſcivire, *&* καταστρηνιᾷν in deliciis & luxu vivere, *plebejum vocabulum, quo &* Paulus *uſus eſt. Et reperiebatur apud novos Comicos, qui multa e trivio vocabula uſurpare ſoliti, teſte* Phrynicho, *qui & hoc verbum eo ſenſu impenſe damnat.* Στρηνιᾷν, τότῳ ἐχρήσαντο οἱ τῆς νέας Κωμῳδίας

δίας ποιηταὶ, ὡ ὐκ ἂν μὴ μανείς τις χρήσαιτο, παρὸν, λέγειν, τρυφᾶν. Probat hæc *Salmaſius*, & Attice ſcribendum fuiſſe ait: ὅταν τοῦ Χριστοῦ καταστρυφήσωσι vel, ἐντρυφήσωσι τῷ Χριστῷ. Nollem, vir magnus ſtetiſſet *Phrynichi* judicio, quem *Barthius* merito *naſutum cen ſorem* appellavit, alii autem non raro in judicandis vocibus lapſum eſſe oſtenderunt. Senſus eſt: *poſtquam laſcivierint adverſus Chriſtum*, eleemoſynis ſcilicet Eccleſiæ ad voluptates abutentes. Lege plura de hoc verbo apud *Schmidium* ad h. l. *Suicerum* Tom. II. pag. 65. *Dilberrum* in Diſſertatt. Academicis Tom. I. pag. 287. & *Dietericum* in Antiquitatibus Biblicis N. T. Tom. I. p. 429. B. Lutheri verſionem a calumnia Emſeri vindicat *Raithius* pag. 561. Interpretes Galli *Montenſes* itidem verterant per *moleſſe de vie*, vivendi mollitiem, caſtigati ideo à *Malleto*, ſed defenſi ab *Arnaldo* in defenſione Nova illius Verſionis p. 297. ſq. Scaliger in Elencho Trihæreſii Serariani cap. 28. p. 225. affert huc proverbium Judaicum: משובבית ובתולה אלמנה מצליינית הן אלו מבלות quod ita vertit: χήρα καταστρηνιῶσα, καὶ κόρη ἄγαν εὐχομένη ἀμφότεραι καταναλίσκονται. Conf. infra ad v. 13.

Verſ. 12. Ἔχουσαι κρῖμα] *Habentes condemnationem*, ſeu, judicium aliorum ſiniſtrum experientes.

ὅτι τὴν πρώτην πίστιν ἠθέτησαν] *quod priorem fidem rejecerint*, ſeu, *fidem olim datam fefellerint*. Πρῶτος hic eſt πρότερος, ceu alibi oſtendi, nempe Vol. I. pag. 571. & 791. Πίστιν ἀθετεῖν aliquoties dixit *Polybius* v. c. p. 712. μάλιστα μὲν τοιαύτας ζητεῖν δεῖ πίστεις, δι᾽ ὧν ὁ πιστευθεὶς οὐ δυνήσεται τὴν πίστιν ἀθετεῖν, & aliis in locis, quos attulit *Raphelius* in Polybianis pag. 606. Per fidem illam datam plerique promiſſionem intelligunt, v. c. ſe eleemoſynis non abuſuras & vitam honeſtam acturas, Eccleſiæque inſervituras eſſe. Vide in hanc ſententiam Caſauboniana mea pag. 97. *Grotium* item & *Suicerum* Tom. II. pag. 725. ex noſtratibus autem *Eraſmum Schmidium* & *Calovium*. Ex eo itaque non conſequitur, πίστιν hic eam dici, quam priori marito dederint, & cujus vi abſtinere a ſecundis nuptiis prorſus debuerint, quæ *Hombergii* pag. 331. & aliorum ſententia eſt. Ita enim Apoſtolus v. 14. non dicere poterat: βούλομαι τὰς νεωτέρας γαμεῖν. Confer *Dodwellum* ad *Pearſonii* Opera Poſthuma p. 208. Sunt, qui inprimis ad fidem in baptiſmo datam reſpici volunt, quod reſpectu earum admitti poteſt, de quibus v. 15. dicitur, ὅτι ἐξετράπησαν ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ. Cum tamen id quidem in omnes viduas, ſecundis votis ſe adſtringentes, non neceſſario ceciderit, eo quidem h. l. Apoſtolum reſpexiſſe non crediderim.

Verſ. 13. Ἅμα δὲ καὶ ἀργαὶ μανθάνουσι περιερχόμεναι τὰς οἰκίας] Nonnulli hæc tanquam elliptice dicta ita interpretantur: *Simul etiam otioſa eſſe diſcunt, circumeuntes domos*. Ita *Eraſmus Schmidius* & *Beza*. Alii idiotici ſtili veſtigia videre ſibi videntur, inter quos eſt auctor Obſervationis Halenſis,

quæ exſtat Tomo VI. pag. 125. Neutro mihi opus videtur, cum participium *περιερχόμεναι* poſitum ſit pro *περιέρχεσθαι*, non nove, ſed ex uſu veterum. Vide, quæ obſervavi Vol. I. Curarum p. 747. & 1129. Confer M. *Jo. Frider. Mickelii* Obſervationes Sacras Darmſtadii Programmatum vice editas, ubi locus noſtro ſimillimus ex *Ariſtotelis* Politic. VIII. 6. affertur: *πότερον δὲ δεῖ μανθάνειν αὐτοὺς ᾄδοντάς τε καὶ χειρουργοῦντας.* Vide Relationes Theologic. Novantiquas an. 1730. pag. 136. Senſus itaque eſt: *Simul vero otioſæ* (ſcilicet ex mollitie) *circumcurſitare domos diſcunt.* Cl. *Schœtgenius* in Horis p. 880. commode affert locum ex Sota pag. 523. edit. Wagenſeilian. *Juvencula jugiter orans* ואלמנה שובבית *& vidua vagatrix, puerque, cujus menſes completi non ſunt, ecce illi orbem devaſtant.* Vide ſupra ad v. 12.

*ἀλλὰ καὶ φλύαροι*] Vocis, à *φλύειν*, *ebulliendo, ſtridendo*, teſte *Euſtathio* derivatæ, emphaſin ediſſerit *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 577. verbumque *φλυαρέειν* apud *Herodotum* lib. II. pag. 158. pro *falſa dicere* exſtare, atque hinc noſtrum flirren, quod nugas reſque falſas infert, deductum putat. Lege alia de hac voce apud *Suicerum* Tom. II. pag. 1446.

*καὶ περίεργοι*] Vide quæ ſcripſimus ad Act. XIX. 19. & *Suicerum* Tom. II. pag. 670. Quam ſapienter Paulus *ἀργίαν* & *περιεργίαν* conjungat, oſtendit *Vitringa* in Diſſert. de Decemviris Otioſis pag. 13. Ceterum de his feminarum vitiis lege *Picinellum* pag. 720.

Verſ. 14. *Βούλομαι οὖν νεωτέρας γαμεῖν*] Scilicet *οὐ φορητὴ νέαις χηρεία* ſecundum Theagenes epiſtolam II. quæ exſtat in *Galei* Opuſculis Mythologicis pag. 745.

*οἰκοδεσποτεῖν*] Verbo hoc *Plutarchus* quoque uſus eſt de Placitis Philoſophor. lib. V. cap. 18. pag. 908. Notionem ejus explicat *Jac. Durantus Caſellius* lib. I. Variarum cap. 7. quæ exſtant Tom. III. Theſauri Gruteriani pag. 201.

*μηδεμίαν ἀφορμὴν διδόναι τῷ ἀντικειμένῳ λοιδορίας χάριν*] *nullam occaſionem dare adverſario ad maledicendum.* Ita *Polybius* pag. 1244. *μὴ διδόναι τοῖς ἐχθροῖς ἀφορμὴν εἰς διαβολήν.* Confer *Suicerum* Tom. II. pag. 605.

Verſ. 16. *Εἴ τις πιστὸς, ἢ πιστὴ ἔχει χήρας*] Codex Alexandr. item *Barnerianus* & duo alii legunt *εἴ τις πιστὴ*, omiſſo *πιστὸς, ἤ*. Hanc lectionem poſt *Eraſmum* rectam putat *Millius* in Prolegomenis §. 749. *Whitbio* in Examine recte adverſante. Et vel ſic Editor N. T. Græco-Anglic. ex contextu binas illas voces omiſit. Eraſmus ita accipit, ut cura mulierum mulieribus commendata exiſtimetur, hoc ſenſu: *ſi qua mater habet filiam viduam.* At non video, cur non ex ſermonis ſerie de liberis potius accipere debeamus, qui cu-

ram

ram hic iterum agere jubeantur *προγόνων*, ut ſupra verſ. 4. Præterea regula hic æque generalis eſt, atque v. 8. Denique vox *χήρας*, in plurium numero poſita, omnino *πιςὸν* & *πιςὴν* requirit, cum raro eveniat, ut vel vir vel uxor viduas habeat plures ad ſe pertinentes.

Verſ. 16. *Οἱ καλῶς προεςῶτες*] Illi alias à Græcis *προςάται* appellantur. Vide, quæ ſcripſimus ad *Rom.* XVI. 2. & adde *Joan. Schulzii* Florum Sparſionem ad loca quædam in re literaria controverſa pag. 186. ſq.

*πρεσβύτεροι*] Intelligendi hic ſunt *Seniores*, non ratione ætatis, quanquam & illa apud Doctores matura & profectior eſſe ſolebat, ſed dignitatis & muneris Eccleſiaſtici. Vide huc *Suicerum* Tom. II. p. 825. ſqq. & quæ ſupra ſcripſimus ad IV. 14. Sunt, qui hinc *Presbyteros Laicos* tanquam *non docentes*, ſed alia in Eccleſiæ commodum agentes, *Clericis* ſeu *docentibus*, qui *κοπιῶντες ἐν λόγῳ* deinde appellantur, diſtinctos olim in Eccleſia fuiſſe exiſtimant. Vide præter alios ex noſtratibus B. *Godofredi Wegneri* diſſertat. de Presbyteris Laicis, Regiomonti 1698. habitam. Huic vero ſententiæ ſe oppoſuit *Abrah. Scultetus*, cujus argumenta partim repetit, partim firmat, & ſuis auget *Campeg. Vitringa* de Synagoga Vetere lib. II. cap. 3. p. 490. ſqq. Is quidem rationum ſuarum ſummam pag. 492. his verbis comprehendit: *Si, quæ Paulus hic de Presbyteris docentibus & non docentibus prædicat, commodiſſime explicari poſſunt de talibus Presbyteris, quales hoc nomine paſſim in ſcriptis Apoſtolicis intelliguntur, h. e. de ordinariis & perpetuis Paſtoribus Eccleſiæ, tum certo ſequitur ex unico hoc loco non poſſe introduci novos quosdam & in Paulinis ſcriptis incognitos Presbyteros. Imo ſi in hoc ipſo loco Paulino talis reperiatur character Presbyterorum, heic memoratorum, qui Presbyteris Laicis neutiquam convenit, tum certo ſequitur, Presbyteros Laicos hic nullos à Paulo deſignari.* Utrumque in ſequentibus probare inſtituit, ut ſcilicet appareat, Apoſtolos cuique Eccleſiæ ſuos conſtituiſſe Rectores (*προεςῶτας*) qui alias dicantur *Paſtores*, *Epiſcopi*, & *Presbyteri*, iisque omnibus eandem *docendi*, *evangelizandi* & *Sacramenta adminiſtrandi* poteſtatem tribuiſſe. Cum vero inter eos procul dubio fuerint, qui *regendo* quidem cœtui ſatis apti, ſed non æque ad publice docendum idonei eſſent, hinc factum eſſe, ut Apoſtolus eos, qui publico præconio inprimis fungebantur, à ceteris diſtingueret. Eandem ſententiam amplexus eſt doctiſſimus *Henr. Jac. van Bashuyſen* in diſſert. epiſtolari de ſenſu hujus loci, quæ Serveſtæ 1722. prodiit, id tamen habens ſingulare, nec meo quidem judicio valde probandum, quod per *Presbyteros* ſpeciatim *Profeſſores* intelligit, qui à cooperariis ipſorum *Epiſcopis*, ſeu verbi divini miniſtris, diſtinguantur. Cum *Vitringa* me ſentire non diffiteor. *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 35. convenienter ita rem ediſſerit: *Non omnes Presbyteri onus concionandi & verbum Dei enarrandi in ſe recipiebant. Quidam vacabant Sacramentis adminiſtrandis, ſcandalis inquirendis, ægrotis ſolandis, infirmis corroborandis, & Eccleſiæ commodis curandis & promovendis. Concionandi vero*

 nego-

Digitized by Google

*negotium ſpectabat Apoſtolos, Epiſcopos, & primos Presbyteros.* Id ſane præſtat, quam nova *Joſ. Medi* expoſitio, quæ in Operibus ejus Anglicis legitur pag. 72. Poſtquam enim pag. 70. ſq. quatuor horum verborum interpretationes attulerat, ſuam denique his verbis proponit: *Cum omnes Seniores, etiam Reipublicæ i. e. civiles, qui bene præſident, duplici honore dignandi ſunt, tum maxime Seniores Eccleſiaſtici, qui laborant in verbo & doctrina.* At hæc explicatio novam invehit vocis πρεσβύτερος ſignificationem, Novo Fœderi prorſus ignotam. In eo enim πρεσβύτερος vel ad ætatem provectam vel ad dignitatem Eccleſiaſt. nunquam autem ad Præfecturam aliquam civilem denotandam adhibetur. Provocat ille quidem ad *Jac.* V. 14. ubi πρεσβύτεροι τῆς ἐκκλησίας appellantur. Inde vero non conſequitur, πρεσβυτέρους τῆς πολιτείας inter Chriſtianos exſtitiſſe. Lege præterea de hoc loco *Jo. Julii Bytemeiſteri* diſſert. epiſtolicam de Presbytero bene præſidente & docente, quæ Hanoveræ 1729. 8. lucem vidit.

διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν] *duplici honore digni habeantur.* Quid hæc ſibi velint, ſingulari commentatione vernacula docuit Rev. *S. C. Teuberus* in behaupteter Ehre des Prediger-Ordens, Halberſtadii 1712. 4. Adde *J. C. Struvii* commentationem epiſtolarem de Presbyteris duplici honore dignis, Helmſtad. 1727. fol. cujus ſummam habes in Annalibus Academiæ Juliæ Semeſtri XIII. pag. 124. ſq. *Honorem* hunc alii accipiunt tantum de reverentia, cultu & ſtudio, Presbyteris majore modo probandis; alii de reverentia, & ſuſtentatione ex reditibus publicis ſimul præſtanda; alii vero de ſtipendio tantum, cujus *duplex portio* illis ſit præbenda, majorque adeo eorum, quam viduarum, de quarum ſuſtentatione ante actum eſt, cura habenda. Mediam ſententiam plerique tuentur cum *Camerario*, *Eraſmo Schmidio*, *Grotio*, *Hammondo*, *Teubero* & *Struvio* ll. cc. Tertiam vero itidem multi amplectuntur. Inter hos eſt *Joſ. Mede* l. c. pag. 72. *Vitringa* pag. 498. & 879. item in Archiſynagogo p. 317. *Anton. Perizonius* de Studio Theolog. c. 8. pag. 100. *Colomeſius* pag. 168. Obſſ. Sacr. *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 220. *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Vol. II. p. 176. *Bashuyſenius* l. c. p. 5. & noviſſime *Elsnerus* p. 304. ex noſtratibus autem *Zeltnerus* in notis ad Verſ. Lutheri Biblicam, qui vertit: die laſſe man doppelte Geſälle überkommen. Provocant illi ad ſermonis ſeriem, quæ de ſuſtentandis aliis exponat; tum ad Scripturæ loca, quibus v. 18. ad theſin ſuam probandam Paulus utatur, quæ omnino ad alimenta & ſtipendia exhibenda ſpectent: denique vero ad ſimilia præcepta alibi, nempe 1 *Cor.* IX. 7. 8. 9. & *Gal.* VI. 6. inculcata. Nec deſunt exempla phraſeos hoc ſenſu adhibitæ. Ita *Siracid.* XXXVIII. 1. legitur: τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας αὐτοῦ τιμαῖς αὐτοῦ. *Honoraria* quoque dici ſolent, quæ alias *ſalaria* appellantur. Regibus Lacedæmoniis in conviviis ſacris primam & *duplicem portionem* datam fuiſſe obſervat *Herodotus* lib. VI. cap. 57. διπλήσια appellans; quod *Elsnerus* monet, ſimilem Xenophontis locum de Republ. Lacedæmon. pag. 690. afferens, his verbis conceptum: διμοιρία γε

ἐπὶ

ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐτίμησεν, οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν, εἴ τινα βούλοιντο· *Duplici portione eos honoravit* (Lycurgus) *in convivio, non id quidem, ut duplo plus quam alii vorarent, ſed ut inde aliquid honoris cauſa dare poſſent, cuicunque libuiſſet.* Militibus Romanis ob virtutem duplicia cibaria data, eosque ideo *duplicarios*, & *duplares*, ſeu *duplarios* appellatos fuiſſe ex *Varrone* lib. IV. de L. L. & *Sponii* Inſcript. pag. 256. probat *Boſius* l. c. Non dubito recte dici. Ita vero etiam accepit *Chryſoſtomus*. Τιμὴν ἐνταῦθα τὴν θεραπείαν λέγει, τὴν τῶν ἀναγκαίων χορηγίαν. Τὸ γὰρ ἐπαγαγεῖν, οὐ φιμώσεις βοῦν ἀλοῶντα, καὶ, ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ, τοῦτο δηλοῖ. Ἄρα καὶ ὅταν λέγῃ, χήρας τίμα, τοῦτο λέγει περὶ τῆς τῶν ἀναγκαίων τροφῆς. Sane, ſi abſque probatione, v. 17. ſuppeditata foret, non niſi de *duplici honore* Presbyteris exhibendo agi putarem, quo ſenſu Julianum in Miſopogone pag. 353. ab *Elsnero* allatum, dixiſſe puto eum, qui non modo non peccet, verum etiam alios ab injuria deterreat, πλέον ἢ διπλασίας τιμῆς ἄξιον εἶναι. Ad duplicem primogenitorum portionem, de qua *Deut.* XXI. 17. alludere Apoſtolus videtur *Medo* l. c. inprimis ideo, quod Levitæ illis in Sacerdotio ſurrogati ſint, quibus Presbyteri ſucceſſerint in Novo Inſtrumento. Confer *Seldenum* de Succeſſione in Bona defunctorum cap. V. pag. 49.

Verſ. 18. λέγει γὰρ ἡ γραφή. βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις] Vide ad 1 *Corinth.* IX. 9. & *Franciſci Wokenii* Moſen Harmonicum pag. 177. Cum bobus hic comparari Evangelii Miniſtros ob conſtantiam laboris obſervat *Jo. Alberti* pag. 399. Obſervationum Sacrarum.

καὶ ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ] Hæc totidem verbis in Scriptura non exſtant. Fortaſſe tamen reſpicitur ad *Levit.* XIX. 13. & *Deuter.* XXIV. 25. judice *Andrea Keslero* de allegatione dictorum Veteris Teſtamenti in Novo, §. 32. Mihi quidem non tam Scripturæ quoddam oraculum, quam tritum aliquod inter Judæos proverbium, à Salvatore quoque noſtro *Matth.* X. 10. & *Luc.* X. 7. adhibitum allegari videtur. *Whiſtono* in Conatu S. Codicem Hebr. reſtituendi pag. 107. locus ille periiſſe viſus eſt, niſi exiſtimare, quod addit, velis, τὸ καὶ hic permutandum eſſe cum γὰρ, (ut ratio antecedentis præcepti reddatur,) quod Codex Boernerianus unus exhibet. Sed nec hac vi opus eſt, modo ſubintelligas poſt καὶ, quod res ipſa requirit. Ceterum apud *Phocylidem* v. 17. & *Euripidem* Rheſo v. 161. ſimilis exſtat ſententia, ceu obſervatum eſt *Joan. Alberti* loc. cit. *Euripides* ait: πονοῦντα δ' ἄξιον μισθὸν φέρεσθαι.

Verſ. 19. Κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου] Sic *Polybius* p. 1193. καὶ τῶν Ῥωμαίων γνωσθέντων, ὅτι προσδέχονται τὰς κατὰ Φιλίππου κατηγορίας.

ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων] Ita *Xenophon* Hiſtor. Græc. lib. I. pag. 477. καὶ γὰρ δὴ οὐκ ἐπ' ὀλίγων μοι δοκοῦσι μαρτύρων νῦν ἂν εὖ

 παθεῖν

παθεῖν ὑφ' ὑμῶν. Utrumque locum obſervavit *Raphelius*. Hæc non habent Codices aliquot Latini, teſte *Hieronymo*, ideoque *Eraſmus* à lectore aliquo eruditulo illuſtrationis cauſa ad marginem ſcripta, atque hinc in contextum relata exiſtimat, ſuffragante *Millio* in Prolegomenis §. 491. contra quem lege *Whitbium*, pag. 73.

Verſ. 20. *Τοὺς ἁμαρτάνοντας ἐνώπιον πάντων ἔλεγχε*] Officium hic demandatum diligenter perſequitur *Joannes Albertus Kromayerus* in Inſtructione de elencho morali homiletico, Erfurti 1722. 8. Elenchum h. l. animadverſionem & redargutionem inferre, ex re ipſa patet. Confer tamen *Suicerum* Tom. I. pag. 1081. Reſpondet *τῷ ἐπιπλήκτῃ*, de quo ſupra verſ. 1. quod נויפה à Judæis appellari oſtendi. Lege *Vitringam* de Vetere Synagoga pag. 739. & in Archi-Synagogo p. 323. item *Sam. Basnage* Tom. II. Annalium Politico-Eccleſiaſticorum p. 780. ubi de Excommunicatione Chriſtianorum. Karæi תוכחה ברבים, *increpationem inter multos* appellant, teſte *Triglandio* in Diſſertat. de Secta Karæorum pag. 166.

*ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι*] *Herodotus* lib. IV. pag. 296. inverſa ratione dicit: *ἡμέας ἔχει φόβος*, *metus nos tenet*. Utraque dicendi ratio proba eſt, & noſtra hæc Latinis quoque Scriptoribus recepta. Vide Rev. *Raphelii* Annotationes Herodoteas pag. 578.

Verſ. 21. *Διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ*] *Obteſtor in conſpectu DEI.* Conf. *2 Timoth.* II. 14. Hanc verbi ſignificationem ex *Xenophonte* Cyropæd. lib. VII. pag. 138. & *Polybio* lib. III. cap. 15. probat *Raphelius* in Annotat. ex utroque petitis pag. 290. & 607. Obteſtatio illa fit per teſtes, qui mox appellantur, nempe Deum, Dominum Jeſum Chriſtum & Angelos. Conf. *Thom. Hutchinſonum* ad Cyropædiam pag. 478.

*καὶ τῶν ἐκλεκτῶν ἀγγέλων*] *Angeli electi* hic boni dicuntur, reſpectu malorum, *τῶν μὴ τηρησάντων τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολιπόντων τὸ ἴδιον οἰκητήριον*, Judæ verſ. 6. Vide plura apud *Grotium*, ubi de voce Hebraica בחור, quæ de *dilecto* adhibetur. Abſit itaque, ut cum *Joanne Reynolds*, Anglo, ſtatuamus, ex redemtione Chriſti fructum etiam ad Angelos perveniſſe. Conſule Bibliothecam Anglicanam Gallice editam Tom. XII. Part. I. pag. 233. *Joſ. Medus* in Operibus Anglicanis pag. 42. per electos Angelos שרים הראשונים, *Principes primarios*, quorum mentio eſt *Daniel* X. 13. intelligi exiſtimat. Solennem & Judæis uſitatam per Angelos obteſtationem fuiſſe, aut Joſephum hanc loquendi formulam, ab Apoſtolo hauſtam, per proſopopœiam Regi Agrippæ in aurea ad Judæos adlocutione adſcripſiſſe, quando eos in fide Romanorum continere volebat B. Jud. II. cap. 16. *μαρτύρομαι δ' ἐγὼ ὑμῶν τὰ ἅγια καὶ τοὺς ἱεροὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν πατρίδα τὴν κοινὴν*, opinatur *Jo. Bapt. Ottius* in Annotationibus ad Joſephum, quæ in editione Havercampiana leguntur Tom. II. pag. 317.

*ἵνα ταῦτα φυλάττῃς* ] Phraſin hanc ab Hebraiſmi ſuſpicione liberat Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 145.

*χωρὶς προκρίματος* ] *ſine præconcepto judicio*, ut *Eraſmus Schmidius* vertit, vel, *absque eo, ut unum alteri præferas*, ut *Beza*. Malim prius, ut ſic Timotheus cavere jubeatur, ne in adminiſtrando regimine Eccleſiaſtico temere & præcipitanter agat, vel ſe ab aliis occupari patiatur, proprio & prudenti judicio non uſus. Ita *Chryſoſtomus*: *τουτέστι, ἵνα κοινὸς ῇς καὶ ἴσος τοῖς δικαζομένοις, τοῖς ἐπί σου κρινομένοις, ἵνα σὲ μηδεὶς προκαταλάβῃ, μηδὲ προσοικειώσηται.* Altera *Bezæ* interpretatio menti Pauli non videtur reſpondere ex eo, quod ſequens *πρόσκλισις* id potius innuat, ceu mox videbimus. Interim *Heſychius* hoc, ut opinor, ſenſu *πρόκρισιν* per *προτίμησιν* exponit.

*μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν* ] Nonnulli Codices hic legunt una cum Patribus quibusdam *πρόσκλησις*. *Eraſmus Schmidius* habet *πρόκλισις*, operarum puto vitio, cum in notis legatur *πρόσκλισις*, & per *inclinationem in alteram partem* exponatur. Sic vero etiam *Joannes Conradus Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Tom. II. pag. 145. *Curcellæus* in aliis exſtare ait *πρόκλησις*, i. e. *provocatio*, forte ex *Eraſmi*, qui ita legi maluit, conjectura potius, quam codicis alicujus auctoritate. Lectionem *πρόσκλησιν* non obſcure prætert *Millius* in Prolegom. § 749 hoc ſenſu, ut *factio* indicetur, quo ſenſu verbum *προσεκλίθη* *Actor*. V. 36. occurrere exiſtimat. Cum vero ibi communiter *προσεκολλήθη* legatur, & recte quidem, quod ad illum locum oſtendiſſe mihi videor, vox quoque *πρόσκλησις* alio, quam *factionis*, ſenſu adhibeatur, merito in recepta lectione acquieſcimus. Accipe *Suidam* Tom. III. pag. 201. *Προσκλήσεις, πρὸς ἃς καλεῖ τις εἰς δικαστήριον, ἢ βουλὴν, κλητῆρας ἔχων. Πρόκλησις δὲ, χωρὶς τοῦ σ, καὶ προκαλεῖσθαι ἐπὶ διαιτητὴν, καὶ οἷον ἐπὶ βάσανόν τινος ἀνδραπόδου, ἢ μαρτυρίαν τοῦ δέ τινος βαλέσθαι.* Vocationes in jus, vel ad ſenatum, per miniſtros publicos, quos *κλητῆρας* Græci vocant. At *πρόκλησις*, absque σ eſt provocatio ad judicium, vel arbitrum, vel poſtulatio ſervi ad tormenta, ut teſtimonium dicat. Junge *Heſychium* in utraque voce, & vide, num quo modo utriusque vocis notio locum hic habere poſſit Attende vero etiam ad expoſitionem vocis *πρόσκλισις* a *Suida* datam. *Πρόσκλισις*, inquit, *ἑτερομέρεια. Μὴ διαπράξασθαί τι κατ᾽ ἔχθραν, ἢ κατὰ πρόσκλισιν.* *In alteram partem inclinatio. Nihil nec ex odio, nec ex favore faciendum eſt.* Plerosque Patrum *προσκλίσεις* legiſſe, atque eadem ratione interpretatos eſſe, intelliges ex *Pricæo* ad h. l. & *Suicero* Tom. II. pag. 856. Nec *Chryſoſtomum*, quamvis in editis hodie *πρόσκλησις*, per obviam ſcilicet *τοῦ ι* cum *η* permutationem, exſtat, aliter legiſſe puto, cum expoſitio ejus ſupra allata magis reſpondeat. *Clemens Romanus* in epiſtola ad Corinthios §. 47. pag. 80. ad hunc Apoſtoli locum reſpiciens, & lites de auctoritate Apoſtolorum apud Corinthios ortas taxans, ita: *ἡ πρόσκλισις ἐκείνη ἧττον ἁμαρτίαν ὑμῖν προσένεγκεν· προσεκλίθητε γὰρ ἀποστόλοις.* *In iſta animorum inclinatione minus a vobis peccatum*

*tum eſt; in Apoſtolos enim propendebatis.* Sic §. 21. cap. 40. Chriſtianos monet, ut amorem *μὴ κατὰ προσκλίσεις*, atque adeo caſtiſſimum & æqualem foveant; quemadmodum §. 50. pag. 84. orare jubet, ut vitam tranſigamus *ἐν ἀγάπῃ δίχα προσκλίσεως ἀνθρωπίνης*, *in amore ſine propenſione humana.* Confer M. *Sigismundii Baſchii* Diſputationem de Interpretatione Novi Teſtamenti ex Patribus Apoſtolicis pag. 12. Proinde non dubito, Paulum hic obteſtari Timotheum, ut hinc in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis, quas ſummatim comprehendit, hinc ab omni præconcepta opinione, hinc ſpeciatim a ſtudio partium in hos vel illos ſibi temperet.

Verſ. 22. *Χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει* ] Vide, quæ de hac manuum impoſitione diximus ad cap. IV. 14. Adde *Seldenum* in Synedriis II. 7. §. 7. *Hoornbeeckium* in Veteribus & Novis lib. I. pag. 166. & inprimis *Joannem Braunium* in Selectis Sacris lib. V. Orat. V. quæ de impoſitione manuum ex antiquitate Judaica & Chriſtiana exponit pag. 747-761. tum vero *Vitringam* de Vetere Synagoga pag. 821. & ex noſtratibus Vener. *Pfaffium* de Originibus Juris Eccleſiaſt. p. 44. Vox *ταχέως* idem eſt, quod *temere*, quo ſenſu *Polybium* p. 1093. & 1193. adhibuiſſe obſervavit *Raphelius* pag. 607.

*μηδὲ κοινώνει ἁμαρτίαις ἀλλοτρίαις* ] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 124. *Xenophon* Hiſtor. Græc. lib. VI. pag. 461. dicit: *κοινωνεῖν αὐτοῖς, ὧν ἔπραττον, οὐκέτι ἤθελον.*

*σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει* ] Similis *M. Antonini* phraſis eſt VI. 30. *τήρησον σεαυτὸν ἁπλοῦν, ἀγαθόν.* Confer ibi *Gatakerum* pag. 239. & ad II. 17. *Jacobus* I. 27. *ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν* dicit. Ἁγνὸν *purum* dicunt *Eraſmus Schmidius* & *Beza*, nec aliter verſio *Montenſis* Gallica, temere ideo caſtigata à *Malleto*, qui *caſtum* mavult, defenſa autem ab *Arnaldo* in nova illius verſionis defenſione pag. 263. ſeq. Nihil refert, qua voce utaris, modo *purum* vel *caſtum* non minus ad animum, quam ad corpus referas, quo ſenſu utraque a Latinis adhibetur. Interim negari non poteſt, *ἁγνείαν* apud veteres pro re nata non raro *abſtinentiam a Venere* inferre. Vide *Grævium* ad Heſiodi Ἐργ. v. 733. & *Kuhnium* ad Ælian. II. 31.

Verſ. 23. *Μηκέτι ὑδροπότει* ] Scilicet *μόνον*, quod ſubintelligendum hic eſſe recte monet *Lambert. Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 376. edit. Schoetgenianæ. Neque enim ab aquæ uſu prorſus avocare Paulum patet ex *οἴνῳ ὀλίγῳ*, quo Timotheum uti vult. Fuiſſe interim, qui aquæ potu tantum utentes ad extremam ſenectutem pervenerint, teſtatum legimus. Inter hos eſt *Tiraquellus*, teſte *Sammarthano* in Vitis pag. 31. Idem de *Joanne Lockio*, Anglo, narrari memini. Compara de aquæ ſalubritate diſſerentes *Henricum Meibomium* in Diſſertatione de aquæ calidæ potu §. 27. & *Proſper. Albinum* de Medicin. Ægyptior. lib. I. cap. 11. & 12. Verbo *ὑδροποτεῖν* præter *Dioſcoridem* uſi ſunt *Xenophon* Cyropæd. lib. VI. pag. 128. & *Herodotus* lib. I. pag. 32. ubi ita de Perſis:

Digitized by Google

ſis: *ὐκ οἴνῳ δια χρέωνται, ἀλλὰ ὑδροποτέουσι.* Confer *Raphelium* pag. 579. Herodotearum.

*ἀλλ' οἴνῳ ὀλίγῳ χρῶ διὰ τὸν ςόμαχόν σου*] Vide ad h. l. *Henricum Ernſtium* cap. IV. Obſervationum, *Henricum Smetium* lib. XI. Miſcellan. Medic. *Bartolinum* de Morbis Biblicis cap. XXV. *Wedelium* in Exercitationibus Medico-Philologicis Centur. I. Dec. IX. Exercitat. IV. pag. 72. ſq. *Voglerum* de rebus naturalibus & Medicis pag. 364. ſq. *Benjam. Ewaldum* in Scrutinio Medico Timothei infirmitatum vino *ὀλίγῳ* curandarum, Regiomonti 1706. *Cocquium* in Phytologia Sacra pag 175. *Joannem Buxtorfium* in Catalectis pag. 200. ſq. Diſſentiunt illi inter ſe, utrum *ὀλίγον* de *pauculo*, an de *parvo, exili* & *tenui* accipi debeat? Prius malunt plerique, inter quos etiam eſt *Chryſoſtomus: οὐ μὴν ἀνῆκεν αὐτὸν*, inquiens, *ἀνέδην ἐμφορεῖσθαι τοῦ οἴνου, ἀλλ' ὅσον πρὸς ὑγείαν, οὐ πρὸς τρυφήν.* Idem tuentur *Bartholinus, Wedelius, Buxtorfius* & *Amelius* ll. cc. *Bartholinus* ait, *ὀλίγον* apud *Homerum* non qualitatem, ſed quantitatem notare, cum *ἄνθρωπος ὀλίγος* Iliad. *β. parvum hominem*, & *ὀλίγη τράπεζα* Odyſſ. *ς. parvam menſam* inferat. *Wedelius* intelligit vinum meracum, aqua non dilutum, ſed modice tum quoad continuam, tum quoad diſcertam quantitatem ſumtum. Ab altera de exili interpretantur *Ernſtius* loc. cit. & *Adrianus Beverlandus* in Oxonienſibus MSS. cap. VIII. cujus hæc habe verba: *Jonadab filiis omne vinum interdixit*, Jerem XXXV. 14. *Apoſtolus concedit fratri* parvum villum. *Ὀλίγον itaque non eſt* parum vini, *quod ſatis eſt naturæ, in quantum* ſitis atque fames & frigora poſcunt; *ſed* vile *Horatio*, exile *Sulpicio Severo, ὀλιγόφορον, ὀλιγόσιτον Athenæo*, lene *Horatio* II. *Sat.* 4. 25. *Livia ſperabat, ſe potuiſſe usque ad LXXX. annum pervenire potu vini Panvinii, quod leve eſſet facileque digeſtu*, Plinius XIV. 6. *Quod facile digerit, & digeritur. Ὀλίγος οἶνος itaque non eſt* parum vinum, *(ſicuti ſubinde loquitur Celſus*, parum) *ſed* leve villum, veſcum villulum. *Celſus cibum exiguum opponit graviori* lib. I. *ſicuti levi vino generoſo & leni Horat* lib. I. epiſt. 15. 18. craſſum, vin de crocheteurs. *Attici dicunt: ἔπιον οἴνου καὶ ἔφαγον σίτου, citra morem Græciæ, ſubintellige ἕνεκα. Ὀλίγον Homericum Moſchopulo* parum pag. 209. *ὀλίγον νόμισμα Ælian.* IV. 27. V. *Hiſtor.* conciſum argentum in titulos faciesque minutas. Hactenus *Beverlandus*. Non diffiteor, illos mihi placere, qui vinum *generoſum*, ſed modice ſumtum, hic ſuaderi arbitrantur. Id enim magis reſpondet & ſignificatui vocis *ὀλίγος* & temperantiæ, ſive *ἁγνείᾳ* ante commendatæ, & debilitati ſtomachi, cui vino generoſiori rectius, quam exili & tenui conſuli conſtat. Accipe in eandem ſententiam eruditiſſimi *W. E. Trilleri* obſervationem mecum cummunicatam. *Talis*, inquit, *fuiſſe videtur Timotheus, qualem deſcribit* Hippocrates *Eudemum, qui σπλῆνα ἐπόνει ἰσχυρῶς, cuique à Medicis hinc imperabatur, πίνειν ὀλίγον λεπτὸν* VII. *Epidem* §. 57. *Huc & illud* Plinii *lib.* XXIII. cap. 1. Vino modico ſtomachus recreatur, ap-

petentia ciborum invitatur, triſtitia & cura hebetatur &c. *Vinum enim generoſum, modice quidem hauſtum, ſtomacho apprime conducere nemo neſcit, & ipſa quotidiana affatim teſtatur experientia.* Spectat huc Panyaſis pag. 132. Sentent. Eleg. Vet. edit. Commelin. obſervante *Joanne Alberti* pag. 400.

Οἶνος μὲν θνητοῖσι θεῶν παρὰ δῶρον ἄριστον
Πινόμενος κατὰ μέτρον· ὑπὲρ μέτρον δὲ χερείων.

De uſu & abuſu vini ſigillatim commentatus eſt *Adrianus Turnebus*. Vide Tomum IX. Antiquitatum Græcarum Gronovii pag. 519. ſqq. Adde veterum dicta à *Picinello* collecta pag. 721. Mirum nonnullis viſum eſt, cur Paulus hoc monitum ceteris, ad alia relatis, junxerit. Vide hanc in rem *Amelium* loc. cit. pag. 446. & *Suicerum* Tom. II. pag. 468. Aliis cum antecedentibus parum illud cohærere viſum eſt, atque hinc factum, ut B. *Glaſſius* in Philologia Sacra lib. I. Tract. III. Sect. VII. pag. 215. privatam hanc admonitionem, quaſi per parentheſin, ceteris interſertam pronunciaret, quod in familiaribus epiſtolis fieri ſoleat. At non deeſt occaſio, ex qua Paulus in hoc conſilium inciderit. Quando enim ἁγνείαν, atque adeo & temperantiam, commendaverat Timotheo, eam ſimul ita temperandam ſuadet, ne corporis valetudini, ſolo aquæ potu facile adfligendæ, officiat.

Verſ. 24. Τινῶν ἀνθρώπων ἁμαρτίαι πρόδηλοί εἰσι] *Quorundam hominum peccata ante manifeſta ſunt.* Ita *Beza* & *Schmidius*, τὸ πρὸ per *ante* exprimentes. Recte vero B. *Gerhardus* noſter ad h. l. obſervavit, πρόδηλον hic idem eſſe, quod ſimplex δῆλον, atque adeo *manifeſtum* cum intenſione quadem inferre. Firmat hanc obſervationem *Raphelius* in Annotationibus Herodoteis pag. 580. *Herodoti*, *Dionyſii Halicarnaſſ.* & *Zoſimi* locos recitans, in quibus eadem notio obtinet, ſicut & *Hebr.* VII. 14. Hinc *Chryſoſtomus* ad h. l. per ſimplex δῆλοι exprimit.

προάγουσαι εἰς κρίσιν] *praeuntia judicium*, ſcilicet de illis hominibus ferendum, ut *Schmidius* exponit, eo quidem ſenſu, ut Paulus monet Timotheum, facile ipſi fore, ut malos in judicando averſetur, neque adeo in ſocietatem vitiorum alienorum veniat, cum nonnulli malam mentem vita ſatis aperte prodant, ante, quam de illis, v. c. ad miniſterium ſacrum admovendis, agatur. *Lambertus Bos* phraſin apte illuſtrare mihi videtur pag. 221. Exercitationum. Προάγειν εἴς τι vel ἐπί τι, *eſt*, præire, præcedere ad aliquid, *ut ſupra cap. I.* προαγούσας ἐπί σε προφητείας. *Dicuntur autem manifeſta hominum vitia* προάγειν εἰς κρίσιν, *quia quaſi præcedunt in via ad judicium, h. e. faciunt, ut, ſi quis modo obſervet vitam moresque eorum, ſtatim judicium de his ferre poſſit. Metaphora ab* antecambulonibus. Recte hæc ita dici arbitror. Agitur enim de judicio, quod Timotheus ferre debeat de aliis, ita ut ſine προκρίματι & ſine προσκλίσει rem agat, ea inprimis reſpiciens, quæ manifeſta ſint,

&

& in oculos incurrant, ſive mala illa, ſive bona ſint, ſententiam vero ſuſpendens in aliis non ſatis exploratis, donec & illa manifeſtentur. Itaque de judicio ſeu pœna divina ſermo non eſt, quod perſuaſum eſſe video Cl. *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 880. *Quædam*, inquit, *peccata ducunt homines ad pœnam, ut divino judicio pœna cum ipſo quaſi peccato conjuncta ſit; quædam vero peccata pœna longo poſt intervallo ſequuntur.*

τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν] h. e. ut *Boſius* loc. cit. interpretatur: *Sunt quidam homines, qui videntur eſſe probi & non ſunt, ſed, qui vitia ſui occultare ſciunt, ita ut longo poſt tempore, cum bene exploratum eſt in eorum vitam, demum appareant, & in lucem veniant. Metaph. a* pediſſequis. Idem ſimile *Senecæ* effatum affert ex initio libri de Tranquillitate animi, dicentis: *Quorundam vitia apparere retecta in aperto poſita; quorundam vero obſcuriora, & in receſſu.*

Verſ. 25. ὡσαύτως καὶ τὰ καλὰ ἔργα πρόδηλά ἐστι· καὶ τὰ ἄλλως ἔχοντα, κρυβῆναι οὐ δύνανται] Dubium eſt, quid per τὰ ἄλλως ἔχοντα intelligi debeat. Alii enim τοῖς καλοῖς ἔργοις, tanquam οὐκ ὄντα καλὰ opponi putant, ut *Eraſmus Schmidius*; alii vero καλὰ ἔργα ἀπὸ κοινοῦ repetunt, & τὰ ἄλλως ἔχοντα opponi putant illis, quæ πρόδηλά ἐστι, hoc ſenſu, quod bona opera, quæ non ſunt manifeſta, ſed κρυπτὰ, ſed occulta, non ſemper occultari poſſint, ſed tandem in lucem proferantur. Uterque ſenſus ſatis commodus eſt; poſteriorem tamen prætulerim, quem *Lambert. Bos* pag. 222. & *Jo. Alberti* pag. 400. Obſervationum amplexi ſunt. *Boſius* inquit: *Phraſis deſumta videtur ex* Jerem. XXIX. 10. ἀνεκάλυψα τὰ κρυπτὰ αὐτῶν, κρυβῆναι οὐ μὴ δύνωνται. *Ut enim verſu præcedente locutus fuerat de manifeſto malis, & de occulte malis, ita hoc verſu de manifeſto bonis & occulte.* Interim manifeſtationém illam bonorum operum non retulerim cum *Boſio* ad illam, quæ a DEO aliquando fiet, ſed ad illam, quæ etiam in hac vita ſuo tempore evenire ſolet, ubi non raro illi, qui vel male audierunt præter meritum, vel hypocriſeos fuerunt ſuſpecti, cordatis exiſtimatoribus innocentiam ſuam & animi integritatem probant. Malim itaque hæc illuſtrare ex *Joh.* III. 21. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα· ὅτι ἐν Θεῷ ἐστιν εἰργασμένα. Quemadmodum enim verſ. 24. male facta, judicio non Dei, ſed hominum expoſita, interdum obſcura eſſe dicuntur; ita neceſſe eſt, bona opera, alia quidem dici hominibus eſſe πρόδηλα & manifeſta, alia vero in poſterum inter homines ipſos, interjecto tempore, manifeſtanda.



Digitized by Google

# CAPUT VI.

VErſ. 1. Ὅσοι εἰσὶν ὑπὸ ζυγὸν δοῦλοι ] *Polybius* pag. 479. ἄγειν ὑπὸ τὸν ζυγὸν *jugo ſubdere* dicit, & *Herodotus* lib. VII. pag. 439. ἐξῆσι δούλιον ζυγόν. Utrumque locum obſervavit *Raphelius*. *Eraſmus Schmidius* ſubintelligi vult τεταγμένοι, quamvis non neget, præpoſitionem ὑπὸ hoc ſenſu etiam accuſativo jungi.

ἵνα μὴ τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ διδασκαλία βλασφημῆται ] Ita R. *Jona* in libello *Timoris* Judæum jubet omnia ſua negotia, quæ ipſi cum Gentili intercedunt, magna fide peragere, ne forte propter ipſum profanetur nomen DEI, & Lex Iſraelis contemnatur : פן יחולל שם שמים ותורת ישראל תתבזה על ידו : De profanatione nominis divini ex ſententia & ſcriptis Judæorum differentem lege *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. ex diſciplina Hebrorum lib. II. cap. 10. pag. 246. ſq.

Verſ. 2. οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι ] *Vulg.* vertit: *qui beneficii participes ſunt.* Et ſic *Lutherus*: Die der Wohlthat theilhafftig ſind, hoc ſcilicet ſenſu, quod ſervos rebus Dominorum Chriſtianorum tanto diligentius velificari & inſervire fas ſit, quod ipſi Domini, tanquam credentes, & a ſervis dilecti, non autem formidati ſtudiis eorum & miniſterio perfruantur. Idem vult *Knatchbullus* ad h. l. & *Eraſmus Schmidius* ita convertens: *qui fida opera ipſorum fruuntur. Ita enim*, quod in Notis ait, εὐεργεσία, *quæ alias eſt* beneficentia, *hoc loco accipienda venit.* Addit etiam: *Quid ſi ſcriptum fuiſſet*, εὐεργασίας? *Sed nihil temere mutare volo.* Et habet ſane codex unus a *Millio* allatus ἐργασίας, quemadmodum alius una cum Codice Bœrneriano Græco-Latino legit εὐσεβείας. Sed utrumque pro interpretamento eſt habendum, ab illis profectum, qui εὐεργεσίαν in ſervos adverſus Dominos ſuos cadere vix poſſe putabant. Nihil itaque mutandum, inprimis cum εὐεργεσία, vox ſit, Græciæ, ni fallor, incognita. *Nec quod* εὐεργεσία, audis loquentem doctiſſimum *Elsnerum* pag. 306. *ſervis tribuitur adverſus Dominos, morari quenquam debet, cum proprie ſit* opus bene ſtrenueque facere; *imo etiam* εὐεργεσίαν beneficium *dare Domino ſervus poſſit, ut prolixe oſtendit* Seneca *lib. III de Benefic. cap.* 18. ſq. *qui tamen negat* beneficium *ſervo dari à Domino, cum de neceſſariis illi proſpicit, ibid. cap.* 21. Idem ex *Æſchine* Dialog. III. cap. 16. & *Plutarcho* in Pericle pag. 152. docet, ἀντιλαμβάνεσθαι ſimpliciter ſignificare *participem fieri, percipere, frui*, atque adeo h. l. non inferre, quod Domini ſervis beneficia beneficiis rependant. Hoc enim non magis ad h. l. quadrat, quam illa *Bezæ* & aliorum ſententia, qui de *beneficio* Dei, ſeu gratia Evangelica, cujus Domini una cum ſervis participes ſint, cogitant. Veterum Eccleſiæ Doctorum interpretationes lege apud *Suicerum* Tom. I. pag. 376. verbo ἀντιλαμβάνομαι.

*νομαι*, cujus vim diligenter, ut ſolet, *Shmidius* ediſſerit. Scilicet *εὐεργεσία* hic ſervis in Dominos tribuitur, ſicut *εὔνοια Epheſ.* II. 7. Denique vix opus eſt monere, *Schmidium* hic pro *ἀντιλαμβανόμενοι* legere *ἀντιλαβόμενοι*. Id enim non deſtinato conſilio, ſed caſu quodam expreſſum eſſe mihi perſuaſum habeo, cum *Millius* nullum hujus lectionis exemplum in varietatibus ſuis attulerit.

Verſ. 3. *Ει τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται ὑγιαίνουσι λόγοις* ] Verbum *προσέρχεται*, h. l. diſplicet *Richardo Bentlejo* in Animadverſionibus in nuperam diſſertationem de libertate cogitandi Londini 1713. 8. ſub *Phileleutheri Lipſienſis* nomine editis, pag. 72. Pro eo legere mavult *προσέχεται*, vel *προσίσχεται*, vel *προσέχει*, cum *προσέχειν λόγοις*, *attendere*, *obſervare*, *obedire* occurrat 2 *Pet.* I. 19. *Proverb.* I. 24. *Jer.* VI. 19. & alibi apud LXX. *προσέχειν ῥήσει*, *ῥήμασι*, *νόμῳ*, *ἐντολαῖς*, & *προσέχειν τοῖς λεγομένοις*, *Act.* VIII 6. *τοῖς λαλουμένοις*, XVI. 14. *τοῖς ἀκουσθεῖσι Hebr.* I. 1. *μύθοις Tit.* I. 14 imo etiam pariter cum *ἑτεροδιδασκαλεῖν* junctum ſit 1 *Tim.* I. 4. Conf. Acta Erudit. Lipſ. an. 1714. pag 318. Conjectura hæc ingenium probat, & locum haberet, ſi codicum auctoritate, aut verſionum exemplo firmari poſſet. Jam vero merito hinc exulat, cum non inſuetum alias verbum ſit. eo quidem ſenſu, ut *adhærere* aliquis illis dicatur, ad quæ acceſſit. Vide v. c. *Act.* X 28. *ὑμεῖς ἐπίστασθε, ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ κολλᾶσθαι ἢ προσέρχεσθαι ἀνδρὶ ἀλλοφύλῳ.* Adde *Hebr.* X. 1. & *Siracid* I. 28. Confer Anonymi Angli, (*Peircii*) epiſtolas duas ad F. V. de edit. N. T. Bentleji Lond. 1721. 4. editas, pag. 6. ſqq. qui receptam lectionem tuetur. Vide etiam Bibliothec. Anglican. Gallice editam Tom. X. Part. I. pag. 86. Ex noſtratibus receptam lectionem defendunt Vener. *Moſheimius* lib. I. Obſervatt. Sacrar. pag. 93. ſqq. & *Pfaffius* ad Fragmenta Irenæi pag. 8. ſq. Ibi enim *Irenaus* pag. 1. ita: *ὁ λόγος τοῦ σταυροῦ, οὐ ἐάν περ τις γεύσηται, οὐ μὴ ἂν προσελεύσεται ταῖς παραδιατριβαῖς καὶ λογομαχίαις τῶν τετυφωμένων καὶ φυσιουμένων*, Idem pag. 27. *Οἱ οὖν ταύτας τὰς προσφορὰς ἐν τῇ ἀναμνήσει τοῦ Κυρίου ἄγοντες οὐ τοῖς τῶν Ἰουδαίων δόγμασι προσέρχονται*, h. e. *Judæorum inſtitutis non accedunt.* In utroque loco *Irenaus* vel ad noſtrum locum alluſit, atque adeo oſtendit, lectionem hanc ſua ætate receptam fuiſſe, vel manifeſtum facit, dictionem hanc Græcam eſſe neque inſolentem. Laudatus *Pfaffius* pag. 146. commode monet, *Origenem* quoque Tom. II. Commentar. in Matth. f. 255. *προσιόντας τῷ λόγῳ* appellare recens ad Chriſti fidem converſos, quos p. 395. *προσερχομένους τῷ θείῳ λόγῳ* dicit. Hinc factum eſt, ut Huetius in notis ad Origenis commentar. f. 40. pronunciet, *familiarem utramque locutionem Origeni eſſe, qui & nonnunquam προσέρχεσθαι & προσιέναι ſimpliciter uſurpet;* quemadmodum etiam inde factum ſit, *ut προσήλυτοι dicerentur, qui relictis Gentilium ſuperſtitionibus circumciſi eſſent.* Sarta igitur tectaque eſt communis lectio, & præferenda omnio illi *προσέχει*. Quamvis enim hoc verbum in eodem argumento frequenter uſurpetur, id tamen non efficit, ut alte-

alterum illud pro novo aut minus convenienti habemus. Taceo, illud ad hunc locum vel ideo quadrare, quod ſermo ſit de eo, qui a veritate ante agnita ad alienas doctrinas declinaverit, quique adeo neceſſe habeat denuo ad ſaniores doctrinas *accedere* & *reverti*. Totum hoc comma una cum duobus ſequentibus illuſtrat B. *Valentinus Alberti* in diſſert. de heterodoxo ex abuſu Philoſophiæ, Lipſ. 1687. De voce ὑγιαίνουσι lege ad 2 ep. I. 13.

καὶ τῇ κατ᾽ εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ] Vide infra ad *Tit.* I. 1.

Verſ. 4. Τετύφωται] Is *inflatus eſt.* Ita *Er. Schmidius*, *Beza* & Interpretes, quos quidem vidi, ad unum omnes, qui proinde & hoc & reliqua verba ut *prædicata* referunt ad eum qui v. 3. dicitur ἑτεροδιδασκαλεῖν. Unus *Campeg. Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacr. cap. XVIII. pag. 216. in alia omnia abit, ita convertens: *Si quis aliter doceat, & non accedat ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, inflatus* (ſi ille ἑτεροδιδασκαλῶν ſimul ſit inflatus, & nihil ſciens) *nihil ſciens, ſed ægrotans circa quæſtiones & verborum pugnas &c. abſtine à talibus,* Itaque verba commatis quarti & quinti ad deſcriptionem ſubjecti ἑτεροδιδασκαλοῦντος refert, tanquam πρότασιν, cujus ἀπόδοσις ſequatur in verbis: ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων. Rationes ita interpretandi has habet: *Num is, qui* ἑτεροδιδασκαλεῖ, *ſemper* τετύφωται? *An quis aliam doctrinam docere non poteſt ex ignorantia, quia prioris non ſat convictus eſt? Quin an* ὁ ἑτεροδιδασκαλῶν *ſemper occupatus eſt circa quæſtiones inutiles, & circa eas inſanit?* Reſpondero ego, Apoſtolum, poſita communiore expoſitione, ἑτεροδιδασκαλοῦντας ita deſcribere, quales plerumque eſſe ſolent. Nemo autem negaverit, ſuperbiam hæreſium & errorum matrem utplurimum exſtitiſſe: φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν *Rom.* I. 22. Nonne etiam *ignorantia* eorundem errorum ut plurimum obſtetrix eſt? Paulus 1 *Tim.* I. 7. θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι, μὴ νοοῦντες, μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. Ita nihil obſtat, quo minus τὸ, τετύφωται una cum ſequentibus tanquam *prædicatum* τῶν ἑτεροδιδασκαλούντων agnoſcamus. Taceo, Apoſtolum prædicata illa hic cumulaſſe, non, quaſi in omnibus ἑτεροδιδασκαλοῦσι ſemper ſint conjuncta, aut eadem ratione inveniantur, ſed ut intelligatur, quibus indiciis potiſſimum cognoſci, atque adeo hoc rectius caveri poſſint. Quemadmodum igitur receptæ interpretationi nihil obeſt; ita ſunt, quæ eam omnino poſtulent. Phraſis enim εἴ τις propius nos refert ad verbum τετύφωται, tanquam ad ἀπόδοσιν, quam ad remotius illud: ἀφίστασο. Vide v. c. V. 8. Εἰ δέ τις τῶν ἰδίων καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖ, τὴν πίστιν ἤρνηται, καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων. Sic v. 4. Εἰ δέ τις χήρα τέκνα ἢ ἔκγονα ἔχει, μανθανέτωσαν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν &c. Nonne etiam hiulca redditur oratio, ſi τὸ τετύφωται in eadem ſerie cum priori phraſi, ἑτεροδιδασκαλεῖ καὶ μὴ προσέρχεται conjungamus. Ἀσύνδετον hoc foret ejusmodi, cujus generis aliud forte fruſtra quæſiveris. Si id voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus, puto, erat: μᾶλλον δὲ τετύφωται μηδὲν ἐπιστάμενος, vel ſimili

li

li ratione. Denique phraſis poſtrema, ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιύτων indicio eſt, Paulum non tam reſpicere ad εἴτις ἑτεροδιδασκαλεῖ, quam ad illos, quos proxime ante v. 5. διεφθαρμένυς τὸν νῦν, καὶ ἀπεςερημένυς τῆς ἀληθείας, καὶ νομίζοντας πορισμὸν εἶναι τὴν ἐυσέβειαν appellaverat. Propterea ait: ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιύτων, in plurium numero, tanquam ἐπιφώνημα antecedentibus efficaciter impoſitum. Non urgebo nunc, ipſa hæc verba à codd. nonnullis prorſus abeſſe, quod indicio ſaltem eſt, eos, qui ſine illis Pauli verba interpretati ſunt, omnia alia cogitaſſe, quam quæ *Vitringa* in mentem venerunt.

τετύφωται] *inflatus eſt.* Vide 1 *Tim.* III. 6. ἵνα μὴ τυφωθεὶς, ubi B. *Lutherus* recte, daß er ſich nicht aufblaſe. Hanc verbi notionem diligenter ediſſerit & firmat *Elsnerus* pag. 307. inter cetera *Polybii* verba ex lib. III. cap. 81. pag. 322. adferens, ubi ἀγνοεῖ & τετύφωται eadem ratione conjunguntur, qua hic dicitur: τετύφωται μηδὲν ἐπιςάμενος. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybianas pag. 608. & Cl. *Kirchmaieri* Parallelismum dictionis N. T. & Polybii pag. 50. B. Lutherus hic reddidit: verdüſtert, de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum verſionis German. pag. 662. & 166. Derivavit ſcilicet à voce τύφω, quod idem eſt, atque *fumum excito.* Spectant huc *Elsneri* ſequentia l. c. *Ex quibus locis apparet*, τυφῦσθαι *dici* κενόδοξον, *qui cum rudis ſit & expers doctrinæ, ſublimia tamen jactat, aliisque* fumum vendit. τύφομαι *enim eſt* fumo, *Matth.* XII. 20. & τῦφος fumus, *deinde* jactantia.

ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις] *inſaniens circa quæſtiones.* Corruptum & inſanum rei alicujus ſtudium νόσος vocatur, &, qui hoc morbo correptus eſt, νοσεῖν dicitur. Ita *Plutarchus* Catone Majore pag. 346. νενοσηκότων ἤδη καὶ διεφθαρμένων ὑπ' αὐτῆς τῶν πολλῶν. Vide *Elsnerum* l. c. Ita *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 47. νοσεῖν τὰ περσικὰ *Perſis ſtudere* ait, ubi notæ *Perizonii* conferantur. *Lutherus* vertit ſeuchtig, de qua voce lege *Stadenium* loc. cit. pag. 144.

καὶ λογομαχίας] *Ariſtoteles* in Topicis ait: ἐυλαβητέον πρὸς τὔνομα διαλέγεσθαι, & *Nazianzenus*: ὐδὲν περὶ τῶν ὀνομάτων ζυγομαχήσομεν, ἕως ἂν πρὸς τὴν αὐτὴν ἔννοιαν αἱ συλλαβαὶ φέρωσι. Exſtat ſingularis *Sam. Werenfelſii* de Logomachiis eruditorum diſſertatio, Amſtelod. 1702. 8.

ἐξ ὧν γίνεται φθόνος, ἔρις, βλασφημίαι] φθόνοι & ἔρεις hic legi debere ideo, quod ſequentes voces in plurium numero leguntur, contendit ad h. l. *Pricæus.* Sed recte monet *Jo. Alberti* pag. 28. Periculi Critici, φθόνος & ἔρις retineri debere, tum ob codicum, ſi unum & alterum, nec primæ notæ, exceperis, concordiam, tum quia verbum γίνεται antecedit, ac denique Apoſtolus à ſingulari numero ad pluralem in orationis fervore adſcendiſſe videtur.

ὑπο-

ὑπόνοιαι πονηραὶ] *ſuſpiciones malæ.* Conferendum hic eſt *G. G. Zeltneri* Programma de Suſpicionibus Eccleſiæ noxiis. Vide Faſtos Altorfinos an. 1719. pag. 19.

Verſ. 5. Παραδιατριβαὶ] *carioſe diſputationes.* *Διατριβαὶ enim ſunt colloquia & familiares converſationes*, quæ *Schmidii* ad h. l. verba ſunt. Codices multi & Patres quoque habent διαπαρατριβαὶ. Hinc *Millius* ad locum illam lectionem veram putat, quamvis in Prolegomenis §. 638. 1040. 1233. 1367. nunc hanc, nunc alteram illam anceps ipſe præferat, notatus ideo à *Whitbio* p. 93. Examinis. Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit διαπαρατριβαὶ, quam lectionem etiam *Colomeſius* p. 19. Obſervatt. Sacr. probat, & præ ceteris adſtruere conatus eſt *Lamb. Bos* p. 223. Exercitatt. παρατρίβεσθαι πρός τινα, inquit, *eſt ſimultatem exercere, contendere cum aliquo.* Polyb. *lib. IV.* pag. 437. Ἤδεσαν γὰρ τὸν Πρυσίαν παρατριβόμενον ἐκ τινων πρὸς τοὺς Βυζαντίους. *Hinc παρατριβὴ eſt* ſimultas, contentio, offenſio. *Idem Polybius lib. IV.* p. 404. πρὸς αὐτὰς δὲ τὰς ἐν ἀλλήλοις παρατριβὰς καὶ φιλοτιμίας ὁρμήσαντες, cum ad mutuas contentiones & offenſiones animos convertiſſent, &c. *Jam διὰ in compoſitis ſæpe intendit & auget ſignificationem: unde διαπαρατριβὴ ſignificabit* acrem & vehementem contentionem: *atque ſic recte vertit* conflictationes. Ex his patet, utramque lectionem commodo ſenſu non deſtitui. Vide, quæ pro utraque ex Patribus affert *Suicerus* Tom. II. p. 573. Nec *Boſius* negat, παραδιατριβὰς commode verti poſſe per *falſas, malas, inanes & ineptas diſputationes, cum διατριβαὶ philoſophorum ſint diſputationes, & παρὰ prapoſitio in multis compoſitis vitiet.* Cum vero diverſa ſit utriusque vocis notio, inquirendum eſt, utra ad h. l. ſit accommodatior. Atque hic ab illa τῶν παραδιατριβῶν ſteterim, in quantum *falſas* & *inanes diſputationes* ſignificant. Hinc enim tribuuntur hominibus διεφθαρμένοις τὸν νοῦν καὶ ἀπεστερημένοις τῆς ἀληθείας. De contentione acri Paulus hic non cogitaſſe videtur, qui ἔριδ☉ jam mentionem fecerat. Quemadmodum vero ante λογομαχίας ſeu *verborum pugnas* notaverat; ita nunc convenienter ad diſputationes de *rebus falſis* & inanibus ſe convertit.

διεφθαρμένων τὸν νοῦν] Ita Iſocrates ad Demonicum p. 17. ὅταν γὰρ ὁ νοῦς ἀπὸ οἴνου διεφθάρῃ, *cum enim vino mens corrupta fuerit*, & paulo poſt, διαφθαρείσης τῆς διανοίας, *mente corrupta.* Locos hos debes Cl. *Jo. Alberti* p. 400. quem & in Muſeo Bremenſi Vol. I. p. 121. lege. Alios *Xenophontis*, *Polybii* & *Herodoti* recitat *Raphelius.* M. *Antoninus* IX. 2. διαφθορὰν διανοίας affert, quemadmodum *Plato* apud Plutarchum de Stoicis contradictionibus cap. 12. ἀδικίαν ψυχῆς διαφθορὰν vocat. Vide *Gatakeri* notas pag. 324.

νομιζόντων, πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν] *exiſtimantium, pietatem quæſtum eſſe.* Pietas ſcilicet ſubjectum hic eſt orationis, ſecus atque alii accipiunt. *Dionyſius Halicarnaſſ.* lib. III. eadem ratione ait, οἱ δὲ χρηματισμὸν ἡγύ-

ἡγέμενοι τὸν πόλεμον, καὶ μεγάλων ἀποςερεῖσθαι νομίζοντες ὠφελειῶν. *Alii, qui quæſtus gratia geri bella, judicabant, ſeque magnis privari commodis exiſtimabant* &c. Locum hunc adpoſite affert *Mericus Caſaubonus* in diatriba de Uſu verborum pag. 115. Analectorum *Thomæ Crenii.* Ad rem ipſam lege D. *Jo. Davidis Baieri* diſſertat. de pietate quæſtuoſa, Altorfii an. 1732. habitam. Ex Judæorum antiquitate quædam hic promit *Schœtgenius* pag. 881. Horarum Hebraicarum. *Tatianus* in Irriſione Philoſophorum, edit. Oxonienſ. pag. 88. γίνεται ἡ τέχνη τῦ πορίζειν τὸ φιλοσοφεῖν.

ἀφίςασο ἀπὸ τῶν τοιέτων] Deſunt in quatuor Codd. ideoque *Grotio* & *Millio* interpretamenti loco habenda videntur, quos temere ſecutus eſt Editor N. T. Græco-Anglicani. Cum vero & Patres omnes & Scholia agnoſcant, aliter judicandum eſſe ſapienter docuit *Whitbius* pag. 73. Examinis. Sic 2 ep. III. 5. καὶ τέτες ἀποτρέπε.

Verſ. 6. Εςι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ ευσέβεια μετὰ αὐταρκείας] *Eſt tamen quæſtus magnus pietas*, conjuncta *cum animo ſua ſorte contento.* Ita *Schmidius*, recte quidem. Senſum magis emphaticum putat *Hombergius* pag. 331. ſi vertatur: *Pietas eſt magnus quæſtus cum ſufficientia*, vel, *ſibi ſufficiens. Nam qui pius eſt*, ita pergit, *ille ſimul eſt αὐτάρκης, & proinde dives.* Epicurus apud *Laërtium* X. 30. καὶ τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν, ubi inſpici velim *Menagii* notas ſimilia aliorum effata recitantes. Judæi quoque in *Schabbat* fol. 25. 2. & *Bammidbar Rabba* fol. 246. 1. eum divitem pronunciant, qui ſorte ſua ſit contentus. Lege *Schœtgenium* l. c. p. 882. *Baierus* in laudata modo diſſertatione de pietate quæſtuoſa, duplicem eam facit, alteramque *perperam*, alteram *legitime* quæſtuoſam appellat.

Verſ. 7. Ουδὲν γὰρ εισηνέγκαμεν εις τὸν κόσμον, δῆλον, ὅτι κ. τ. λ.] Inſpice *Franc. Wokenii* Harmoniam Vet. & Novi Teſtamenti Part. II. p. 229. ſq. Charon apud *Lucian.* in *Contemplantibus* p. 356. ita: ἐδὲν τῶν ἐνταῦθα σεμνῶν ἀΐδιόν ἐςιν· ἐδ᾽ ἂν ἀπάγοι τις αυτῶν τι σὺν αὐτῷ ἀποθανών· ἀλλ᾽ ἀνάγκη τὸν μὲν γυμνὸν οἴχεσθαι. Similia aliorum promit *Schottus* in Adagial. Sacris p. 135. & *Picinellus* p. 721. Ex Patribus lege *Suicerum* Tom. II. p. 805.

Verſ. 8. Εχοντες δὲ διατροφὰς καὶ σκεπάσματα] *Euripides* in Aeolo a *Sexto Empirico* adverſ. Grammaticos lib. I. cap. 13. & aliis citatus ita:

Τί γὰρ δέοι βροτοῖσι, πλὴν δυοῖν μόνον
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματος δ᾽ ὑδρηχόε,
Α δὴ πάρεςι, καὶ πέφυκεν ἡμᾶς τρέφειν.

Lege ibi *Fabricii* noſtri notas pag. 274. Idem *Sextus* lib. IX. 1. adverſus Phyſicos pag. 572. hominem ἐπίχηρόν τε καὶ ἀσθενὲς (ζῶον) vocat, καὶ μυρίων δεόμενον βοηθημάτων, καθάπερ τροφῆς καὶ σκεπασμάτων καὶ τῆς ἄλλης τῦ σώματος ἐπιμελείας, ubi ipſa illa, quæ hic vides, momenta enarrari vides. Monet ad illum locum *Fabricius*, per σκεπάσματα *tectum & velamen*, quæ

*Senecæ* verba ſunt cap. 11. Conſolationis ad Helviam, ſive domum & veſtes; ἱμάτια καὶ οἶκον, ut *Siracid.* XXIX. 25. intelligi, quemadmodum *Dio Chryſoſtomus* Diſſert. 19. pag. 753. dicat: ἐσθῆτος γὰρ οἶμαι καὶ σκέπης καὶ τροφῆς δεόμεθα. Non omitte *Picinellum* pag. 721. *Andr. Schottum* in Adagial. Sacris pag. 185. & *Clericum* ad *Geneſ.* XXVIII. 20.

τούτοις ἀρκεσθησόμεθα] *Portus* in Lexico ex *Herodoto* affert ſimile illud: ἔφη οὐκ ἔτι ἀρκέεσθαι τουτοισι μούνοισι.

Verſ. 9. Οἱ δὲ βουλόμενοι πλουτεῖν ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν, καὶ παγίδα] Patrum & profanorum aſſerta ſimilia lege apud *Picinellum* pag. 722. Conf. *Gatakeri* Adverſaria p. 13. Adpoſite *Apollonius* ep. 35. ἀρετὴ καὶ χρήματα παρ᾽ ἡμῖν ἀλλήλοις ἐναντιώτατα. Μειούμενον γὰρ τὸ ἕτερον αὔξει τὸ ἕτερον, αὐξανόμενον δὲ μειοῖ.

καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτους] ἀνονήτους legit *Vulg.* Vertit enim, *deſideria multa inutilia.* Ita quoque edit. *Complutenſ.* codex unus, & Patres quidam, probante etiam *Millio*, nec improbante *Eraſmo Schmidio.* *Ἀνονήτους enim*, inquit, *tales ἐπιθυμίας eſſe, vel ex Matth.* VI. 27. *ſatis patet.* *Atque huic privativo ἀνονήτους mox ſubjungit poſitivum*, καὶ βλαβεράς. Nec inſueta Græcis vox eſt. Exſtat enim in *Sapient. Salom.* III. 11. καὶ οἱ κόποι ἀνόνητοι & apud *Lucian* in Dialogo Diogenis & Mauſoli, obſervante *Lamb. Bos* pag. 226. Exercitatt. Confer *Petræ* notas ad Longinum περὶ ὕψους Sect. 43. n. 52. Recte interim receptam lectionem teneri vult *Whitbius* pag. 73. Examinis, & *Boſius*, allato *Pauſaniæ* loco lib. VIII. pag. 646. ita ſcribentis: εἰς ἐπιθυμίας ἀνοήτους πολλοὶ μὲν ἄνδρες, γυναῖκες δὲ πλέον ἐξοκέλλουσιν. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 363. Cupiditatum Apoſtolus hic ideo meminiſſe videtur, quod nulla ferventior & pertinacior, quam illa pecuniæ eſſe ſolet. Ita *Dandamis* apud Palladium de Bragmanibus pag. 19. Πᾶσα ἐπιθυμία πέπαυται βροτῶν, ὅταν λάβῃ κόρον· ἐπειδὴ τῇ φύσει τοῦτο συνέσπαρται· ὁ δὲ τῶν χρημάτων ἔρως ἀκόρεστός ἐστι, διὰ τὸ εἶναι τοῦτο παρὰ φύσιν

αἵτινες βυθίζουσι τοὺς ἀνθρώπους] Metaphora eſt non quidem à καταποντισμῷ, ceu *Grotius* vult; nec è navalibus præliis, ubi naves cum ipſis victoribus deprimuntur, petita, quæ *Tollii* ad Longinum περὶ ὕψους §. 43. ſententia eſt; ſed potius, à navibus, quæ in ſcopulos impingentes demerguntur, judice *Lamb. Bos* pag. 226. qui hanc in rem *Pauſaniæ* inprimis loco, modo excitato, utitur. Idem ſentit *Amelius* Tom. II. pag. 621. Compara *Suicerum* Tom. I. pag. 718. De verbo καταβυθίζω erudite commentatur *Victorius* Var. Lect. XXV. 8.

εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν] Ita in *Tanchuma* fol. 29. 4. Salomon ubi templum ædificaſſet, precatus dicitur Deum, ne cui divitias petenti, eas conferret, ſi viderit, שמשחית בממונו *quod periturus ſit in divitiis ſuis.* Vi-

de

Digitized by Google

de *Schœtgenii* Horas pag. 883. Eleganter *Jac. Duportus* pag. 194. Poëmatum ita canit:

*Cum tot divitibus patet atri janua Ditis,*
*Pluto à divitiis quam bene nomen habet.*

Bragmanes apud Palladium pag. 20. de Calano: *τὴν ψυχὴν ἑαυτȣ͂, ἀπώλεσε φιλαργυρήσας.*

Verſ. 10. Ρίζα γὰρ πάντων κακῶν ἐςὶν ἡ φιλαργυρία] Idem externi Scriptores frequentiſſime inculcant. Loca habes apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 227. ſq. *Jo. Alberti* pag. 400. ſq. *Suicerum* Tom. II. pag. 1427. & *Andr. Schottum* in Adagialibus Sacris pag. 136. *Diogenes* ſpeciatim à *Laërtio* in Vita ejus dixiſſe fertur *τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν πάντων κακῶν.* Philo *πλεονεξίαν τὴν τȣ͂ κακοδαιμονεῖν πηγὴν* vocat lib. III. de Vita Moſis pag. 681. obſervante *Elsnero. Salvianus* VIII. 2. *vitiorum & divitiarum* paronomaſiam eleganter adhibet, & cap. 12. Carthaginem ait, *plenam divitiis, ſed magis vitiis*, fuiſſe. Confer lib. VI. cap. 7. nec omitte *Ritterſhuſii* notas, & *Gatakeri* Adverſar. cap. 3. Vitia quædam ex avaritia proxime fluentia recitat *Longinus περὶ ὕψȣς* Sect. XLIII. n. 15. ubi vide notas Variorum. Solon *τὸν κόρον ὑπό τȣ͂ πλȣ́τȣ γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τȣ͂ κόρȣ* dicit, auctore *Laërtio* I. 59. ubi vide *Menagium* pag. 35. b.

*καὶ ἑαυτȣ̀ς περιέπειραν ὀδύναις πολλαῖς*] *transfixerunt ſe doloribus multis.* Ita Patres acceperunt verbum *περιπείρω*, apud *Suicerum* Tom. II. pag. 680. ſq. quo ſenſu eodem utuntur externi, appellati ab *Elsnero* pag. 308. Sic *Lucianus* Zeux. pag. 635. *οἱ μὲν πεζοὶ περιπειρόμενοι ὑπ᾽ ἀλλήλων τοῖς δοραῖίοις.* Dolores ejusmodi & moleſtias, quas divitiæ afferre conſueverunt, recenſet Cyrus apud Xenophontem Cyropædiæ VIII. pag. 167. 172. Vide *Raphelium* pag. 202. & *Hutchinſonum* pag. 585. edit. nuperæ.

Verſ. 11. Σὺ δὲ, ὦ ἄνθρωπε Θεȣ͂, ταῦτα φεῦγε, κ. τ. λ.] In hæc commentatur B. *Martinus Chladenius* in Diſput. de ſtudio pietatis genuino, Wittebergæ 1720. Per *ἄνθρωπον Θεȣ͂* Timotheum, tanquam voluntatis divinæ interpretem ſeu doctorem, indicari recte monet *Jo. Druſius* in Reſponſ. ad Minerval Serarii cap. II. Conf. 2 *Tim.* IV. 5. & 2 *Pet.* I 21. Quidam tamen Patres de quovis homine pio accipi volunt, quos affert *Suicerus* Tom. I. pag. 354 qui & reliquas hujus commatis voces ſuis locis explanat.

Verſ. 12. Ἀγωνίζȣ τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίςεως, κ. τ. λ.] Totum comma illuſtrat *Robertus Gellus* in Reliquiis Angliee editis pag. 395-397. quemadmodum ex re veterum agoniſtica phraſes explicant *Lydius* in Agoniſtic. Sacris pag. 3. & *Arrowſmithus* in Tacticis Sacris pag. 302. ſq. Græci de Olympicis certaminibus dicunt, *ȣ̓ βαρβάρων ἀγωνιςέον εἶναι τὸν ἀγῶνα, ἀλλὰ τῶν ἑλλήνων.* In verbo *ἀγωνίζεσθαι* exponendo multus hic eſt *Eraſmus Schmidius.* Virum bonum *ἀθλητὴν ἄθλȣ μεγίςȣ* appellat M. *Antoninus* lib. III. §. 4. ubi confer *Gatakerum*, nec non ad VI. 30.



Digitized by Google

*ἐπιλαβȣ̃ τῆς αἰωνίȣ ζωῆς*] i. e. ut *Gellus* l. c. oſtendit, fortiter amplectere, tanquam rem, quæ te ſervare poſſit.

*εἰς ἣν ϗ ἐκλήθης*] Τὸ ϗ Codd. aliquot omittunt, quos ſecutus Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani itidem ex contextu expunxit. Prave quidem & temere, cum ϗ heic ſit emphaticum, quo Paulus etiam alias in ſimili argumento utitur, v. c. *Rom.* IX. 24. *ȣ̃ς ϗ ἐκάλεσεν ἡμᾶς*, & *Eph* IV. 4. *ἓν σῶμα, καὶ ἓν πνεῦμα, καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν.* Nec mirum, in nonnullis Codicibus deſiderari, cum paulo poſt ſequatur in phraſi: *ϗ ὡμολόγησας.*

*ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων*] nempe Presbyterii, & fortaſſe totius cœtus Chriſtiani tunc præſentis. Vide ſupra IV. 14.

Verſ. 13. *τȣ̃ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίȣ Πιλάτȣ καλὴν ὁμολογίαν*] *Qui teſtatam fecit coram Pontio Pilato præclaram illam profeſſionem.* Τὸ ἐπὶ hic infert *coram*, tanquam judice. Conf. *Matth.* XXVIII. 14. & 9. tum *Marc.* XIII. 9. Alias vero etiam tempus regiminis alicujus infert, v. c. *Luc.* III. 2. & *Marc.* II. 26. Confer *Joannis Pearſonii* notas ad Symbolum Apoſtolicum pag. 343. Verſionis Latinæ.

Verſ. 14. *Τηρῆσαί σε τὴν ἐντολὴν ἄσπιλον, ἀνεπίληπτον*] *Ut ſerves hoc mandatum omnis macula & culpæ expers.* Vocem poſtremam diligenter explicat *Schmidius*, & *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Tom. I. pag. 108.

*μέχρι τῆς ἐπιφανείας τȣ̃ Κυρίȣ ἡμῶν Ἰησȣ̃ Χριςȣ̃*] Inſpice *Suicerum* Tom. I. pag. 1202. B. P. *Karlium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. pag. 601. *ἐπιφάνειαν* illam præter rem non de adventu Chriſti extremo, ſed intermedio illo, qui ad regnum ſuum conſummandum & hoſtes abolendos ſpectet, accipere cordatus lector facile per ſe viderit.

Verſ. 15. Ἣν *καιροῖς ἰδίοις δείξει ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάςης*] Verſum hunc una cum ſequente explicat *Dorſcheus* in Pentade Diſſertationum Theologicarum initio, & *Jonnnes Esberg* in Diſputatione de Monarchia divina, Upſal. 1708. Quo ſenſu Deus *ſolus* potens dicatur, oſtendit *Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. I. pag. 298. Vocem *δυνάςης* exponit *Suicerus* Tom. I. pag. 971. ex Patribus, quemadmodum idem ex Scriptoribus externis facit *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Orationes pag. 145. oſtendens, eam tum de Regibus, tum de aliis etiam Magiſtratibus adhiberi, imo & de optimatibus & civibus primariis Athenienſium. Vide eundem pag. 68. b.

*ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων*] Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 670. Paganos Jovem *βασιλέα βασιλέως ϗ βασιλέων* dixiſſe ex *Plotino* Ennead. lib. V. cap. 8. p. 522. probat idem *Spanhemius* Tom. I. de præſtantia & uſu Numiſma-

Numiſmatum pag. 465. quemadmodum alii Θεὸν Θεῶν vocarunt. *Æſchylus* Supplic. verſ. 533.

Ἄναξ ἀνάκτων, μακάρων
Μακάρτατε, καὶ τελέων
Τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ.

Perſarum *Saanſaan* Regem Regum ſignificaſſe, & Turcarum *Sultanum* idem inferre ex Bryennio, quem *Poſſinus* edidit, lib. I. cap. 9. idem pag. 466. monet. Diodorus Siculus lib. I. p. 35. Seſooſin βασιλέα βασιλέων & δεσπότην δεσποτῶν appellat. Ex his & aliis ejuſmodi locis patet, locutionem hanc non ſine errore à quibuſdem pro vitioſa habitam eſſe. Confer Cl. M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 326. Vide etiam *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 722.

Verſ. 16. O μόνος ἔχων ἀθανασίαν] Vide huc *Suicerum* Tomo I. pag. 109. *Petavium* Tom. I. Dogmatum Theologicorum lib. II. cap. 7. 16. & lib. III. cap. 4. §. 10. *J. C. Dieterieum* Tom. I. Antiquitatum Biblicarum pag. 50. *Urſinum* Analectis Tom. II. pag. 217. Gentiles Deaſtros ſuos ἀθανάτες, δολιχαίωνας, μακραίωνας appellaſſe oſtendunt *Joannes Alberti* pag. 401. & *Elsnerus* pag. 308.

Φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον] Phraſin hanc ex antiquitate Judaica fuſius illuſtrat *Amelius* Parte II. pag. 562. ſq. &, qui idem eſt, *Petrus Zornius*, in diſſertatione de Phraſeologia Dogmatica ex Analogia rituum exponenda cap III. §. 2. pag. 13. *Feſſelius* item Tom. I. Adverſar. Sacr. lib. IV. cap. 1. pag. 297. *Campeg. Vitringa* lib. V. Obſervationum Sacrarum cap. 16. §. 12. & *Schœtgenius* in Horis pag. 882. Quod hic ἀπρόσιτον audit, Græcis alias dicitur ἄβατον vel ἀνέμβατον. Vide *Jo. Alberti* pag. 402.

ὃν εἶδεν οὐδεὶς ἀνθρώπων οὐδὲ ἰδεῖν δύναται] Lege *Petavium* Tom. I. Dogm. lib. VII. cap. 1. 7. & cap. 6. & ex profanis, eadem phraſi utentibus, *Spanhemium* ad Callimachum pag. 612. & *Gatakerum* ad Antoninum XII. §. 28. Conf. quæ ſcripta à me ſunt ad *Rom.* I. 20.

Totum comma illuſtrat *Vogelſangius* in Exercitationibus Theologicis pag. 308.

Verſ. 17-19. Vide *Witſii* Miſcellanea Sacra Tom. I. lib. II. pag. 619. ubi elegantem atque huc ſpectantem parabolam ex *Midraſch Ruth* fol. 42. col. 2. affert; item *Jo. Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 401. ſq.

Verſ. 17. Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι] Judæi עשירי העולם, *divites mundi* vocant, qui & diſtinguunt inter עשירי ממון, *divites opum*, עשירי תורה, *divites legis*. Vide loca eorum apud *Schœtgenium* pag. 883. Horarum.

μὴ ὑψηλοφρονεῖν] B. *Lutheri* Verſionem contra *Emſerum* vindicat *Raithius* pag. 562. De verbo ipſo lege ad Rom. XI. 20. Ita *Iſidorus Peluſiota* lib. III. epiſt. 322. τὸν πλοῦτον τὸν τῆς ὑπερηφανίας πατέρα, τὸν τῆς ὑπεροψίας γεννή-

*γεννήτορα* vocat. Similia aliorum dicta habes apud *Gatakerum* ad Antonin. VIII. 33. & VI. 30.

*μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι*] *Neque ſpem ponant in divitiis incertis.* *Πλούτου ἀδηλότης* idem eſt, quod *πλοῦτος ἄδηλος*. Vide *Joannis Vorſtii* Philologiam Sacram Part. I. cap. 10. pag. 221. *Ἀδηλίαν* vocat incertus auctor epigrammatis, quod in Anthologia cap. *εἰς τύχην* legitur, his verbis conceptum:

> *Ὅταν λογισμοῖς καταμάθω πράγματα,*
> *Καὶ τὰς ἀκαίρους τοῦ βίου μεταστροφὰς*
> *Καὶ ῥεῦμ' ἄπιστον τῆς ἀνωμάλου τύχης,*
> *Πῶς τοὺς πένητας πλουσίους ἐργάζεται,*
> *Καὶ τοὺς ἔχοντας χρημάτων ἀποστερεῖ.*
> *Τότε κατ' ἐμαυτὸν τῇ πλάνῃ σκοτούμενος*
> *Μισῶ τὰ πάντα τῆς ἀδηλίας χάριν.*

Confer *Joannis Conradi Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. pag. 42. De illa divitiarum incertitudine lege *Stobæum* in Sentent. Tom. II. tit. 10. & Arriani Diſſertatt. Epictet. lib. III. cap. 26. Patrum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. pag. 762. Judæorum vero apud *Schœtgenium* p. 884. Horarum Hebraicarum, ex *Tanchuma* f. 30. 20. ubi Deus dicitur diviti dediſſe divitias ex theſauro ſuo, qui ſit verus, שהוא של אמת, ex quo ipſe fecerit theſaurum mendacii אוצר של שקר, i. e. *falſum & fallentem.*

Verſ. 18. *Ἀγαθοεργεῖν*] Id Patres alias dicunt *ἀγαθουργεῖν* & *ἀγαθουργίαν*. Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 15.

*πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς*] Ita *Callimachus* in Jovem v. 94. ſq.

> *- - - δίδου τ' ἀρετήν ἄφενός τε*
> *Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβος, ἐπίσταται ἄνδρας ἀνέξειν,*
> *Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο. δίδου τ' ἀρετὴν τε καὶ ὄλβον.*

Conf. ibi *Ezech. Spanhemii* notas.

*εὐμεταδότους εἶναι*] *faciles ad impertiendum.* Sic *M. Antonius* I. 3. laudat *τὸ μεταδοτικὸν* & §. 14. *τὸ εὐμετάδοτον καὶ εὐποιητικὸν.*

*κοινωνικοὺς*] *Libenter communicantes*, ut *Schmidius* vertit, vel *liberales*, ut alii. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 128. Videtur ad hunc Pauli locum, qui *εὐμεταδότης* & *κοινωνικοὺς* conjunxit, reſpexiſſe *Clemens Alexandr.* Pædagog. lib. II. cap. 12. *Ἔστω οὖν ἐπὶ μὲν καρποῖς τῶν χειρῶν ὑμῶν κόσμος ἅγιος. εὐμετάδοτος κοινωνία καὶ ἔργα οἰκουρίας. Ὁ γὰρ διδοὺς πτωχῷ δανείζει Θεῷ.* ſicut lib. III. cap. 8. habes *μετάδοσιν κοινωνοῦσαν.*

Verſ. 19. *Ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον*] *Joannes Clericus* in Notis ad Verſionem Gallicam legi mallet *κειμήλιον*, quia nempe *ἀποθησαυρίζειν* de *re pretioſa* potius, quam de *fundamento*, quod *καταβάλλειν* Græci dicunt, adhibea-

Digitized by Google

hibeatur. *Lambertus Bos*, ſi quid mutandum ſit, legere mallet θέμα λίαν καλὸν, h. e. *depoſitum valde bonum*, cum θέμα, *depoſitum*, ſit ἀπὸ τοῦ θέσθαι. Cum vero deſit hic Codicum auctoritas, idem obſervat, θεμέλιον idem h. l. ſignificare, quod θέμα, quæ vox *Tob.* IV. 9. ubi itidem de eleemoſynis ſermo eſt, legatur: θέμα γὰρ ἀγαθὸν θησαυρίζεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης. Vide eum pag. 229. Exercitationum. Idem fere ante ſenſit *Samuel Petitus* in Variis Lectionibus cap. XV. quando θεμέλιον a *pignore*, quod apud alium *deponatur*, accipit. Confer idem tradentes *Joſ. Medum* in Operibus Anglicanis pag. 82. *Joannem d'Outrein* in Heelige Sinnebeelden Tom. II. pag. 211. & ex noſtratibus *Amelium* Parte I. pag. 75. Sed merito hæc omnia diſplicuerunt Rev. *G. G. Zeltnero* in Meletemate Theologico de Beneficiorum fundamento in futurum, Altorfii 1716. pag. 2. ſq. Neque enim morari quenquam debet, quod vox ἀποθησαυρίζειν ad *fundamentum* non admodum accommodatum videtur. Nam non infrequens eſt, ut idem monet, plures in una phraſi metaphoras conjungi, cujusmodi 2 *Timoth.* II. 26 occurrit, ubi *ſobrii* fieri dicuntur ex *laqueis* Satanæ, ut alias taceam, a Glaſſio in Rhetorica Sacra pag. 467. ubi de Catachreſi, allatas. Porro cauſa in promtu eſt, cur Apoſtolus ἀποθησαυρίζειν junxerit θεμελίῳ, cum de divitiis agatur ἀδήλοις, ſeu incertis, fluxis, & certo fundamento deſtitutis, quibus proinde certius aliquid convenienter inſtar fundamenti opponitur. Dici etiam præterea poteſt, ἀποθησαυρίζειν non proxime ad θεμέλιον referri, ſed ita accipi debere, ut divites *theſauros ſibi ipſis colligere* jubeantur, qui ſint fundamento alicui olim inſervituri. Ita verbum θησαυρίζειν ſimpliciter uſurpatur 2 *Corinth.* XII. 14.

ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς] Pro αἰωνίου Codices aliquot, Verſiones item & Patres legunt ὄντως. Idem approbat *Colomeſius* pag. 24. Obſervationum Sacrarum. *Millius* ſibi non conſtat, quando in notis ad loc. vocem ὄντως pro interpretamento habet, in Prolegomenis vero §. 808. germanam, & αἰωνίου ex verſ. 12. huc relatam ſtatuit. Audacior illo Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ὄντως in contextum recepit. Interim non dubium eſt, Paulum ſcripſiſſe αἰωνίου. Hac enim phraſi juxta cum aliis Scriptoribus frequenter utitur, ab altera vero parte τὴν ὄντως ζωὴν nusquam appellat. Cumque τοῦ μέλλοντος faciat mentionem, illi voci magis αἰώνιος reſpondet, quam τῷ ὄντως. Quod ad rem ipſam attinet, conſtat, Pontificios, & item alios ex h. l. bonis operibus & inprimis beneficentiæ id tribuere, quod vitæ æternæ comparandæ inſerviant. His vero alia atque alia ratione a noſtratibus reſpondetur, quam in rem lege *Calovium* in Bibliis Illuſtratis, & *Zeltnerum* in diſputatione citata. Hic ſcilicet non inconvenienter diſtinguit inter fundamentum *cauſæ*, ſeu *effectionis*, & *teſtificationis*, *declarationis* & *demonſtrationis* in futurum, beneficentiamque fundamentum εἰς τὸ μέλλον non priori, ſed poſteriori ſenſu dici poſſe exiſtimat, in quantum Servator ipſe ad illam, tanquam fidei, in hac vita demonſtratæ, argumentum in extremo judicio provocaturum ſe eſſe ſignificat.

Digitized by Google

ficat. Referri huc ex parte poteſt, quod in *Schabbath* fol. 105. 2. dicitur: *Quicunque pecunias ſuas erogat viris bonis, DEVS adnotat illas*, ומניחן בבית גנזיו, *& reponit eas in theſauris ſuis.* Vide Cl. *Schœtgenii* Horas Hebraicas pag. 885.

Verſ. 20. Ω Τιμόθεε, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, κ. τ. λ.] Comma integrum illuſtratur à B. *Joanne Henrico Majo* diſſertatione ſingulari de ψευδωνύμῳ γνώσει, Gieſſæ primum 1707. edita, & in Exercitationibus Selectioribus Tom. I. num. V. recuſa, *Joanne Joachimo Weidnero* in Schediaſmate de Scientia falſo ſic nominata; ſingulis iis, qui adverſus codicis revelati divinam veritatem, præcipue quo ad caput de poteſtate Satanæ prævaricantur, ſincere oppoſito, Roſtochii 1722. 4. cujus Sectio I. potiſſimum huc pertinet, (conf. Collectionem Novantiquorum Theol. vernaculam an. 1723. pag. 378.) & *Car. Auguſto Huth* de falſo nominata Gnoſticorum ſententia, Lipſ. 1723. Adde *Amelium* Part. II. pag. 339. ſq. *Jo. Franc. Buddeum* in Programmate ſingulari περὶ τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quod cum Syntagmate Diſputationum, Orationum & Programmatum recuſum eſt pag. 653. ſq. *Martin. Chladenium* in Programmate, quod ad prima commatis verba pertinet, Wittebergæ 1716. edito, & à *Gabriele Terne* in Sylloge Programmatum p. 114. ſqq. recuſo, denique vero *J. C. Walchium* Parte I. Obſervationum in Nov. Teſtament. pag. 114. ſqq.

τὴν παρακαταθήκην] *depoſitum.* Codices aliquot & Patres legunt παραθήκην, quod ideo in contextum recepit editor N. T. Græco-Anglicani. Sed nihil erat mutandum, cum utraque vox à Scriptoribus promiſcue uſurpetur. Ita uſus ea eſt *Thucydides* lib. II. 72. p. 144. edit. nuperæ Amſtelodamenſis, ubi in notis vide alia, quæ hanc lectionem tuentur. *Phalaris* epiſt. 126. παρακαταθήκην διδόναι & ἀποδιδόναι dixit, quemadmodum poſteriorem phraſin adhibet *Sextus* adv. Mathematicos X. pag. 471. Proxime ad noſtrum locum accedit *Xenophon* Orat. de Ageſilao pag. 526. οἱ προῖκα εὖ πεπονθότες, οὗτοι ἀεὶ ἡδέως ὑπηρετοῦσι τῷ εὐεργέτῃ, καὶ διότι εὖ ἔπαθον, καὶ διότι προεπιστεύθησαν ἄξιοι εἶναι παρακαταθήκην χάριτος φυλάττειν. Vide etiam Bibliothec. Bremenſem. Claſſ. III. p. 986. & *Suicerum* T. II. p. 581.

τὰς βεβήλους κενοφωνίας] *profanos de rebus inanibus clamores*, ut *Schmidius* & *Beza* rectiſſime vertunt. Unus alterve Codex habet καινοφωνίας, quod legit etiam *Chryſoſtomus*, & expreſſit *Vulg.* per *vocum novitates*, Patres Latinos plures ſectatores nactus. Recte vero adverſatur *Millius*, & ab inſcio librario, αι pro ε ſcribente, repetit. Tuetur etiam *Jo. Erneſtus Grabius* ad Irenæum pag. 143. tanquam à *Clemente Alex. Theophylacto* & *Oecumenio* lectam, & ſimili phraſi Pauli *Col.* II. 9. κενὴ ἀπάτη nitentem. Confer *Franc. Combefiſium* ad Hippolyti demonſtrationem de Chriſto & Antichriſto, initio, p. 4. Operum Hippolyti Tom. I. edit. Fabricianæ. Quemadmodum & ibi κενοφωνίας legitur, ita *Combefiſius* Græcos omnes ſimiliter habere teſtatur, tandemque

que neutram lectionem à mente Apoſtoli abhorrere profitetur. Confer ad 2 epiſt. II. 6.

τῆς ψευδωνύμου γνώσεως ] Quo id reſpiciat, plerique eorum, quos ante appellavi, diſputant, quibus arbitrum me nunc quidem non interponam. Adde Nov-antiqua Theologica an. 1715. pag. 700. *L. M. Artemonii*, i. e. *Sam. Crellii* Initium Evangelii S. Joannis reſtitutum, pag. 314. ſq. & *Mart. Ruarum* Centur. I. Epiſtolarum epiſt. 100. pag. 362. editionis Zeltnerianæ. Voces γνῶσις & γνωστικὸς ex antiquitate Eccleſiaſtica & profana exponunt *Jacobus Thomaſius* in Schediaſmate Hiſtorico, ſeu Originibus Hiſtoriæ Philoſoph. p. 39. ſq. *Tenzelius* Exercit. Select. Part. II. pag. 43. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 598. & *Suicerus* Tom. I. pag. 770. ſqq.

Verſ. 21. Ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι ] *Quam nonnulli pollicentes*, ut *Eraſmus Schmidius*; vel potius: *quam nonnulli præ ſe ferentes*, ut *Beza*. Sic etiam B. *Lutherus*: Welche etliche vorgeben. Recte *Grotius* ad 1. *Timoth.* II. 10. ἐπαγγέλλεσθαι *hic & infra eſt* profiteri: *atque ita vertit hic* Ambroſius. *Sic* Lucianus: τίνα τὴν ἄσκησιν ἐπαγγέλλεται; *quam artem profitetur?* Adde *Cornelii Adami* Exercitationes Exegeticas pag. 5. & vide, quæ ſcripta ſunt ſupra ad cap. II. 10.

περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν ] Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 561.

Πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας ] Vide in Prolegomenis noſtris.

# PROLEGOMENA IN II. EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

Quæ hic dici poterant, ea ſuccincte complexus eſt *Millius* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 125. cujus verba accipe: *Haud multo poſt ſcriptam hanc* (priorem) *epiſtolam Paulus, ex conſtituto petit Nicopolin, ibique manſit per hyemen. Inde poſt Corinthum, Troadem ac Miletum petiit, ac ſequente anno Romam. Paulo poſtquam eo veniſſet, in carcerem conjectus eſt. Mox autem defenſionem habuit, non ſine ſummo ſui & ſuorum periculo, 2 Timoth. IV. 16. Et certe poſt hanc apologiam primam ſcripſit epiſtolam poſteriorem ad Timotheum, anno, ut videtur, Aeræ vulgaris LXVII. & quidem tempore æſtivo iſtius anni. Si enim Paulus ad Timotheum:* σπούδασον πρὸ χειμῶνος ἐλθεῖν *cap. IV. 21. hoc enim oſtendit,*

*dit, Epiſtolam ipſam longe ante hyemem ſcriptam fuiſſe, utpote quæ Roma Epheſum mittenda foret. Atque hac quidem omnium, quas conſcripſit D. Paulus, Epiſtolarum ultima eſt. Scripta vero eſt in carcere, paululo ante mortem, quam ſibi imminentem jam prævidit Apoſtolus. Se delibari jam* ait, *& tempus ſuæ reſolutionis inſtare* IV. 6. Lege in eandem ſententiam *Sam. Basnage* Annalium Tom. I. pag. 721. Illi itaque duplicem carcerem, quo Paulus Romæ detentus ſit, præſtruunt, & in poſteriore non multo poſt ſcriptam epiſtolam vitam finiiſſe contendunt, ſecus quam alii, qui ex priore has literas exaratas eſſe cum *Baronio* & aliis opinantur. Contra hos vide, quæ ſcripſit *Michaël Mauduit* in ſingulari diſſertatione, quam Tomo II. Analyſeos epiſtolarum S. Pauli pag. 564. ſqq. ſubjunxit. Is vero captivitatem hanc A. C. LXVI. medio incepiſſe, perque annum unum duraſſe, autumno autem appropinquante ad Timotheum, Epheſi commorantem, Paulum ſcripſiſſe contendit. At ſunt, qui Paulum in his vinculis obiiſſe negent. Inter hos eſt *Joannes Weſſelius*, Theologus Leidenſis, in Oratione de laudibus Pauli Apoſtoli, Roterod. 1711. habita, & Diſſertationibus ejus Leidenſibus, Lugduni Batavorum 1721. 4. ſubjuncta. Ibi inter cetera ita: *Imo probabilitatis ſpecie haud carere opinor, Paulum Neronem ſupervixiſſe, poſt ejus mortem e vinculis liberatum eſſe, Romam reliquiſſe, alia Italiæ loca viſitaſſe, ipſam Hiſpaniam adiiſſe, τὸ τέρμα τῆς δύσεως, Clementi Romano forte dictam, imo juxta ſpem & votum ſuum ad Philippenſes, Coloſſenſes, & forte ad Hebræos in Palæſtinam rediiſſe. Quæ omnia veroſimillima videntur, ſi ſententia quorundam de poſteriori ad Timotheum omnium prima, ſaltem non ultima, in vinculis Romanis à Paulo conſcripta, firmo conſiſtere poſſet talo*, &c. Sub examen ſententiam hanc ejusque argumenta vocavit nuper M. *Gottlob Fridericus Gude* in Vindiciis vinculorum Pauli poſteriorum ejusque martyrii, quæ una cum Commentatione ejus de Eccleſiæ Epheſinæ Statu Lipſiæ 1732. 8. prodierunt, pag. 211. ſqq. Confer, quos de Martyrio Pauli Scriptores recitat *Joannes Albertus Fabricius* in Luce Evangelii toti orbi exoriente pag. 68.

# CAPUT I.

VErſ. 1. Παῦλος Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος Θεοῦ, κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς ] Extrema verba communiter vertunt: *ſecundum promiſſionem vitæ*. Rectius puto reddi: *ad promiſſionem vitæ*, ut ſcilicet finis ultimus indicetur, ad quem Paulus, inſtar Apoſtoli, divino nutu conſtituti, in munere ſuo tendere debeat. Hæc enim eſt præpoſitionis κατὰ notio 1 *Timoth.* VI. 8. καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ i. e. *doctrinæ ad pietatem ducenti* & *Tit.* I. 1. ἐπίγνωσιν ἀληθείας, τῆς κατ' εὐσέβειαν. Nec incommode ἐπαγγελία eo ſenſu accipi poſſit, ut *profeſſionem* & *promulgationem* inferat, ſicut

ſicut 1 *Timoth.* VI. 21. quidam τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἐπαγγέλλεσθαι, h. e. *profiteri* dicuntur. *Profeſſio* vero illa nititur ſimul *promiſſione*, quæ facta eſt à DEO. Ad eam provocat Paulus *Tit.* I. 2. ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεός. Nihil hic duri video, quod viſum eſt Hombergio pag. 332. durius vero merito habebitur, quod ipſe affert, nempe, Apoſtolum hic *ſecundum promiſionem vitæ in Chriſto a DEO factam, optare gratiam, miſericordiam & pacem a DEO & Chriſto.* Comma enim hoc primum totum ad deſcriptionem Apoſtoli munerisque ejus pertinet, nec cum voto ſequente nexum habet. Hac vero deſcriptione ſui defungi plerumque conſuevit Apoſtolus, v. c. *Galat.* I. 1. 1 *Timoth.* I. 1. & *Tit.* I. 1. 2. 3. deinde vero ad votum tranſire.

Verſ. 3. Χάριν ἔχω τῷ Θεῷ —— ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περὶ σοῦ μνείαν] *Gratiam habeo DEO —— quoniam aſſiduam habeo tui memoriam*, interprete *Eraſmo Shmidio*, qui ſcilicet τὸ ὡς pro ὅτι, i. e. *quoniam, quod*, poſitum putat, quemadmodum & *Vulg.* vertit. Hinc factum eſt, ut *Pricæus* ad h. l. ὅτι legere mallet. Præter rem quidem, cum τὸ ὡς pro ὅτι optimis Græciæ Scriptoribus adhibeatur. Ita *Herodotus* lib. I. pag. 18. in eadem periodo ὅτι & ὡς eodem ſenſu uſurpat, quod monuit *Raphelius* pag. 582. Sic *Æſchines* quoque Dial. II. 33. ὡς ἐγὼ πάνυ σφόδρα —— ἄγαμαι, *quoniam per mihi volupe eſt*, obſervante *Joanne Alberti* in Periculo Critico, qui eundem ſignificatum τῷ ὡς tribuit 2 *Petr.* I. 3. Interim vel ſic obſcurior videtur phraſis, cum non appareat, quomodo Paulus DEO gratias agere potuerit, quod Timothei meminerit. *Chryſoſtomus* quidem efficaciter id dici exiſtimat, ita παραφράζων: Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ ὅτι μέμνημαι σοῦ φησιν· οὕτω σε φιλῶ. τοῦτο ὑπερβαλλούσης ἀγάπης, ὅταν καὶ κοσμῆταί τις τῇ φιλίᾳ ἐκ τοῦ σφόδρα φιλεῖν. Nonnulli ex ſermonis argumento ſupplent *pro gratia, quam tibi fecit, eumque teſtor*, adhibito in ſubſidium *Rom.* I. 8. 9. 10. Ita poſt alios agere video Interpretes Gallos Berolinenſes. Non inconvenienter quidem. Sed propius & ſine ambagibus ad mentem Pauli accedemus, ſi τὸ ὡς vertamus, *ſicut, prout*, quemadmodum *Beza* vertit. Sic enim idem fuerit, quod ad Philemonem verſ. 4. ſcribitur: Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ μου πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. Et quemadmodum ibi verſ. 5. cauſa ſubjicitur gratiarum actionis his verbis: ἀκούων σοῦ τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ita h. l. interjectis aliquot participiis, amorem intenſiſſimum exprimentibus, ſimiliter cauſa redditur verſ. 5. ὑπόμνησιν λαμβάνων τῆς ἐν σοὶ ἀνυποκρίτου πίστεως. Ita non neceſſe eſt, ut argumentum gratiarum actionis aliunde invehamus, quod in ſermonis ſerie diſerte ſignificatur. Senſus eſt: *Quemadmodum ſemper tui memini in precibus meis, videndi tui cupidus, & lacrymarum tuarum memor, inprimis vero fidem tuam non fucatam in memoriam mihi revocans; ita gratias ago DEO.*

Verſ. 5. ἥτις ἐνῴκησε πρῶτον ἐν τῇ μάμμῃ σου Λωΐδι] μάμμῃ hic omnino aviam notat, cui contradiſtinguitur mater. Atque hunc ſignificatum voci

vindicat Scholiaſtes *Ariſtophanis* ad Acharnenſ. verſ. 49. Inficiatur *Phrynichus* pag. 33. de Dictionibus Atticis, matrem ab Atticis ita dici pronuncians, quemadmodum & *Mœris*, ſ. *Eumœris*, ait: μάμμην κ̀ μαμμίαν, τὴν μητέρα Ἀττικῶς. Ἑλληνες τὴν μάμμην. Ita locum ex MS. affert *Ezech. Spanhem.* ad Nubes Ariſtoph. v. 1386. Eum vero rectius *Joannes Hudſonus* in *Mœride* ſuo *Atticiſta* de Vocibus Atticis pag. 29. ita expreſſit: μάμμην καὶ μαμμαῖν τὴν μητέρα, Ἀττικῶς, Ἑλληνες τὴν (τῆς μητρὸς ἢ πατρὸς μητέρα) μάμμην καλῦσιν. Conferri idem jubet *Phrynichum* & *Nunneſii* Annotationes, ut & *Steph.* de Dial. Gr. p. 223.

κ̀ τῇ μητρί σῦ Ευνίκῃ] Ita *Curcellæi*, & antea *Complutenſis* edit. pro quo pleræque aliæ habent Ευνείκῃ. Prius placet *Grotio*, apud *Theocritum* Ευνίκης mentionem eſſe obſervanti. Si originem ab εὖ & νίκη repetas, quæ veri ſimillima videtur, de veritate ſcriptionis hujus non fuerit dubitandum, ut taceam, ει & ι ex pronunciationis ſimilitudine facile inter ſe permutari. Ex his Pauli verbis nonnulli collegerunt, Timotheum prima doctrinæ & pietatis ſalutaris ſemina ab avia & matre accepiſſe. Talis autem inſtitutionis exempla plura allata ſunt a *Picinello* ad h. l. B. *Joanne Friderico Mayero* in diſſertatione de inſtitutione paterna pag. 63. & M. *J. C. Kochio* in Obſervationibus Miſcellaneis Tom. III. pag. 912. ſq. qui & Anonymum quendam *de eruditis* μητροδιδάκτοις ſigillatim brevi commentaturum eſſe teſtatur, quod an factum ſit, neſcio. M. *Antoninus* initio lib. I. profitetur, ſe ab avo ſuo τὸ καλόηθες, a Parente τὸ αἰδῆμον κ̀ ἀῤῥενικὸν, a matre τὸ θεοσεϐὲς, a proavo vero alia præclara didiciſſe. Compara ibi *Gatakeri* notas pag. 2.

Verſ. 6. Δι᾽ ἣν αἰτίαν ἀναμιμνήσκω σε ἀναζωπυρῆσαι τὸ χάρισμα τῦ Θεῦ] *Quam ob cauſam ſuggero tibi, ut exſuſcites donum DEI.* Vim verbi tralati convenienter expreſſit *Chryſoſtomus*: Δεῖ σε προθυμίας πρὸς τὸ ἀναζωπυρῆσαι τὸ χάρισμα τῦ Θεῦ. καθάπερ τὸ πῦρ δεῖται ξύλων, ὕτω καὶ ἡ χάρις τῆς προθυμίας τῆς ἡμετέρας ἵνα ἀναζέῃ. *Alacritate tibi opus eſt, ut exſuſcites gratiam DEI. Quemadmodum ignis indiget lignis, ita & gratia alacritate noſtra, ut perpetuo ferveat.* Verbo illo, in ſacris ἅπαξ λεγομένῳ, frequenter utuntur Scriptores Eccleſiaſtici, quorum locos habes apud *Svicerum* Tom. I. pag. 266. *Alex. Morum* in Notis pag. 189. & *Sigism. Baſchium* de Interpretatione Novi Teſtamenti ex Patribus Apoſtolicis pag. 13. Sed nec ab externis Scriptoribus exulat. Vide *Xenophontem* Hiſt. Gr. lib. V. pag. 449. & de re equeſtri pag. 749. apud *Raphelium* pag. 294. M. *Antoninus* VII. 2. ἀναζωπυρεῖν τὰς φαντασίας dixit, ubi *Gatakerus* pag. 258. monet, opiniones veras rectasque, quæ, tanquam ſub cineribus igniculi ſopitæ quodammodo & ſepultæ jaceant, reſuſcitandas juberi. Exſtat præterea apud τὺς LXX. *Gen.* XLV. 27. & ſæpius apud *Dionyſium Halicarnaſſ.* Omitto alia, quæ obſervata ſunt à *J. C. Dieterico* in Antiquitatibus Biblicis Tom. I. pag. 94. *Chriſtophoro Sonntagio* in Spicilegio Obſervationum in ſex ἅπαξ λεγόμενα Nov. Teſtam. pag. 12.

&

& *Chriſtophoro Henrico Ritmeiero* in Apoſpaſmate Philologematum Sacrorum pag. 25. Totum comma illuſtravit B. *Joannes Benedictus Carpzovius* in Programmate ſingulari Lipſiæ 1688. quod recuſum eſt in *Gabrielis Terne* Sylloge Programmatum p. 793. nec ita pridem Rev. *Polycarpus Lyſerus* in epiſtola ad *Raphelium* gratulandi cauſa ſcripta, quam hic Annotationibus ſuis Arrianis & Polybianis inſeruit pag. 610. ſeq. Lege præterea *Dionyſii Petavii* Dogmata Theologica Tom. IV. ubi de Hierarchia Eccleſiaſtica I. 3. 5. & IV. 2. 1.

*χάρισμα τοῦ Θεοῦ* ] *Lutherus* : Gaabe GOttes, jejune notatus ab *Emſero*, ſed vindicatus a *Raithio* pag. 563.

*διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν μου* ] Vide ſupra ad IV. 4.

Verſ. 7. *Ου γὰρ ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεὸς πνεῦμα δειλίας κ. τ. λ.* ] Vide B. *Pauli Antonii* diſſert. de Spiritu moderationis, Halæ 1707. & *Luc. Henr. Theringii* de Sophroniſmo, ſive moderamine animi Chriſtiani in rebus, munus noſtrum & pietatem concernentibus, antehac à Moraliſtis non obſervato, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. XII. pag. 226. ſq. nec omitte *Saldeni* Otia Theologica pag. 641.

*πνεῦμα δυνάμεως* ] quod ſcilicet accipimus, *ἵνα δυνατοὶ ὦμεν πρὸς τοὺς πειρασμοὺς, καὶ παῤῥησιαζώμεθα*, ut *Theophylactus* exponit.

*καὶ σωφρονισμοῦ* ] *Theophylactus* tres diverſas vocis interpretationes affert; ex quibus eam habet Theodoretus, quæ *ad compeſcendos animi motus* ſpectat, *ἵνα σωφρονίσωμεν τῶν ἐν ἡμῖν κινουμένων παθημάτων τὴν ἀταξίαν*. Vulg. vertit *ſobrietatem*, & cum eo *Eraſmus Schmidius*. Beza autem *ſanitatem animi*. Sobrietatem illam expreſſit Lutherus per Zucht, per quam ſcilicet quisque ſe ipſum in officio continet, modumque in rebus tenet, quemadmodum vocem *σωφρόνως* Tit. II. 12. eodem ſenſu per züchtig reddidit. Itaque non caſtigandus erat *ὁ μακαρίτης*, quod a non nemine fieri video. Summatim ut dicam, *moderatio* innuitur.

Verſ. 8. *Μὴ οὖν ἐπαισχυνθῇς τὸ μαρτύριον τοῦ Κυρίου ἡμῶν* ] *Μαρτύριον* illud Domini reſpicit tum teſtimonium de doctrina ejus Evangelica à Timotheo dandum, tum perpeſſiones ejus cauſa ferendas, unde *τὸ συγκακοπάθησον τῷ εὐαγγελίῳ* ſubjungitur. Vide Biblioth. Bremenſem Claſſ. III. p. 224. De verbo *κακοπαθεῖν* lege infra ad II. 3.

Verſ. 9. *Τοῦ σώσαντος ἡμᾶς καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ, κ. τ. λ.* ] Verba hæc illuſtria diligenter tractant Theologi, ubi de vocatione & electione credentium ad ſalutem ab æterno factam commentantur. Vide inter ceteros *Buddei* Inſtitutiones Theolog. p. 134. & 1606.

*ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν* ] *Πρόθεσις*, *propoſitum* illud exſtat *Joh.* III. 16. Phraſin ex Polybio illuſtrat *Kirchmaierus* in Paralleliſmo dictionis N. T. ex Polybii pag. 51.

πρὸ χρόνων αἰωνίων ] *ante tempora ſeculorum*, i. e. ab æterno. *Non ante* plurima *tantum*, *ſed ante* omnia *tempora factum eſt illud propoſitum* Epheſ. I. 4. *χρόνους αἰωνίους vocat temporum ſeriem jam inde ab orbe condito. At gratia data eſt πρὸ χρόνων αἰωνίων. Quapropter ante tempora omnia; ac proinde ab æterno. Ante tempora enim non fuit niſi mera æternitas, &, quod ante tempora eſt, id vere æternum eſt, ſic enim deſcribi ſolet æternitas Pſalm. XC. 2. Rom.* VIII. 23. 24. Habes verba B. *Calovii* Bibliis Illuſtrat. ad h. l. Idem contra *Jo. Lockium*, in comment. in epiſt. ad Roman. τοὺς χρόνους αἰωνίους de quibus XVI. 25. de temporibus Moſaicæ Legis & Jubilæorum accipientem, adſtruit *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 452. ſq. *Lockii* expoſitionem ad h. l. accommodavit recens Editor N. T. Græco-Anglicani, recte confutatus a *Leonh. Twells* in Examine Critico illius N. T. Parte II. pag. 9. ſqq. Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum de difficilioribus S. S. locis pag. 440. per *χρόνους αἰωνίους ſecula regni gratiæ* intelligit p. 440. *Ipſa æternitas*, inquit, *vix intelligi poteſt, non quaſi conſilia divina non ſint omnia æterna, ſed quoniam* Tit. I. 2. *exſtat: quam DEUS minime mendax προεπηγγείλατο*, dudum promiſerat ante tempora ſecularia. *Atqui ante conditum mundum h. e. in ipſa æternitate conſilium DEI de hominum ſalute locum quidem habet; ſed promiſſum eſſe aliquid dici non poteſt. Nam hæc vox innuit exiſtere aliquid, cui promiſſum illud ſit. Ut taceam, vocem χρόνος* de æternitate *incommode adhiberi, in qua nulla eſt temporis ſucceſſio. Saltem de* æternitate, *quod ſciam, non occurrit.* Non negaverit vir doctus, phraſin hebr. ימי עולם reſpondere Græcæ illi: *χρόνοις αἰωνίοις*. Sive enim *χρόνους* ſive *ἡμέρας* dixeris, nihil intererit. Jam vero ימי עולם paſſim in V. T. v. c. *Mich.* V. 1. ומוצאותיו מקדם מימי עולם de *æternitate* accipi debent. Mirum autem non eſt, phraſin hanc rei ipſi exprimendæ non ſatis eſſe accommodatam. Quomodo enim res verbis omni ex parte perſpicuis repræſentabitur, quam cogitando adſequi non poſſumus? Porro nemo unquam ad h. l. dixit, *χρόνους αἰωνίους* hic per ſe *æternitatem* inferre; id enim potius ex eo conficitur, quod gratia hæc *πρὸ χρόνων αἰωνίων ante tempora ſeculorum* data nobis dicitur. Repete hic *Calovii* obſervationem. At *promiſſio*, inquit, Tit. I. 2. præſtruit hominem, cui promiſſio facta ſit? Itane vero *τὸ dare* non æque præſtruit hominem, cui *des?* Jam autem h. l. gratia fidelibus data dicitur, tum quidem, cum daretur, nondum exiſtentibus. Sed neutra tamen phraſis juvat conjectantem. Cur enim *promitti* aut *dari* aliquid nondum exiſtenti dici non poſſit à DEO, eo quidem ſenſu, quod promiſſio illa & largitio tam certa ſit, ac ſi homo præſens jam accepiſſet? Nonne præterea frequentiſſime in V. T. promiſſa fiunt poſteris, & nonne in N. T. facta per Prophetas dicuntur? Itaque præſtat omnino, phraſin *πρὸ χρόνων αἰωνίων* accipere de *æternitate*, inprimis cum Apoſtoli, de hoc argumento verba facientes, eandem aliis phraſibus ſignificent, quæ in alium ſenſum detorqueri non poſſunt. *Epheſ.* I. 4. eadem indicatur per *πρὸ καταβολῆς κόσμου.*

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 10. *φωτίσαντος δὲ ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν διὰ τοῦ εὐαγγελίου* ] *vitam autem & immortalitatem in lucem produxit per Evangelium.* φωτίσαντος Oecumenius per φανερώσαντος, *Theodoretus* per προμηνύσαντος explicant. *Suidas* φωτίζειν dicit εἰς φῶς ἄγειν. Conf. *Svicerum* Tom. II. pag. 1490. *Arrianus* Epictet. lib. I. pag. 21. ſimiliter : τῷ δὲ τὴν ἀλήθειαν εὑρόντι καὶ φωτίσαντι, *ei vero, qui veritatem invenit & in lucem protraxit.* Senſus itaque eſt, Dominum vitam immortalem *in lucem produxiſſe* non ſolum quod ad doctrinam de ea perſpicue traditam, ſed & quod ad rationem eam per ipſum conſequendi. *Gvil. Scherlockius* in lib. de Immortalitate animæ Parte I. cap. IV. & in Tractatu de felicitate piorum & pœnis malorum capite penultimo multus eſt in his verbis illuſtrandis. Summam cogitatorum ejus habes ex poſteriori libro in Notis Reipubl. Literariæ *Jac. Bernardi* an. 1705. pag. 35. ſqq. Exiſtimat autem per vitam & immortalitatem non tantum animæ, ſed animæ & corporis, ex morte ſuſcitati, perennitatem intelligi debere, quæ per doctrinam Chriſti luci demum expoſita ſit, cum antea Judæis tantum per conjecturas quaſdam, Gentilibus autem admodum obſcure cognita fuerit. Lucem vero huic doctrinæ factam eſſe ait à Chriſto, cum promiſſionibus] diſertis & perſpicuis, tum ipſa ſui ex mortuis excitatione. Injurium hoc eſſe in doctrinam de immortalitate & reſurrectione, jam in V. T. expoſitam, alii oſtenderunt, & in *Grotium* ſpeciatim, idem tradentem, animadvertit *Calovius.* Patet itaque, quid habendum ſit de illo *Henr. Mori* in Operibus Theologicis pag. 369. de h. l. commentantis aſſertum : *Profecto, quæcunque traditiones fuerint apud Rabbinos Judæorum, quæcunque diſquiſitiones concluſionesve apud Philoſophos, ſive Platonicos, ſive Ariſtotelicos, de anima immortalitate, erant certe aut in ſe ipſis tam dubiæ ac fallaces, aut tam ſubtiles, & ad commune judicium popularemque intelligentiam tam parum accommodatæ, ut de re ſane tanti momenti mundo neutiquam poſſent ſatisfacere.* Longior equidem hic forem, ſi repetere vellem, quæ viri docti pridem ex paganorum monumentis de immortalitate animæ & corporis reſurrectione attulerunt. Inter hos præcipui ſunt *Pfannerus* in Syſtemate Theologiæ Gentilis, *Huetius* in Concordia Rationis & fidei, & *Humphredus Hody* in libello egregio de reſurrectione ejuſdem corporis &c. Ex Judæis complura attulit *Eiſenmengerus* in Judaiſmo Detecto, vernacule edito Parte II. pag. 890. ſqq. Inter articulos fidei ab ipſis reſurrectionem mortuorum hodie numerari conſtat, quem eoſdem tempore Domini noſtri communiter tenuiſſe, credere nos jubet controverſia inter Phariſæos, & Sadducæos, quorum minor erat numerus, & minor auctoritas, olim agitata.

Verſ. 11. *καὶ διδάσκαλος ἐθνῶν* ] Quoniam vox ἐθνῶν in *Alex.* & *Colbertino* uno deeſt, eam ex epiſtola priore huc relatam putat *Millius* in Prolegomenis, recte ideo notatus à *Whitbio* p. 74. Examinis.

Verſ. 12. *Οἶδα γὰρ, ᾧ πεπίστευκα κ. τ. λ.* ] Spectat huc *Seb. Schmidii* diſſertat. de certitudine perſeverantiæ & ſalutis, Argentor. 1688. Adde *Grotium* Tom. III. Opp. pag. 719. & *Stephan. le Moyne* in Diatriba ad Jer. XXIII. 6. pag. 8. Phraſin illam primo loco poſitam ita vertendam putat *Lamb. Bos* in Obſervatt. Miſcell. pag. 53. *Novi, cujus fidei commiſi*, ſcilicet ſubintellecta ex ſequentibus voce *παραθήκη*, *depoſitum.* *Πιστεύειν* enim ait Græcis æque, ac *credere* Latinis, idem interdum ſignificare, quod *fidei mandare*, & in *depoſito* præcipue uſurpari, quod *Salmaſius* cap. V. libri de Uſuris oſtenderit, ipſe autem ex *Joſepho* Antt. lib. I. cap. 16. & lib. IV. cap. ult. firmat, ubi ait: *παρακαταθήκην δὲ, ὥσπερ ἱερόν τι καὶ θεῖον χρῆμα ὁ παραλαβὼν φυλακῆς ἀξιούτω. καὶ μηδεὶς ἀποστερῆσαι συνθείη τὸν πεπιστευκότα, μήτε ἀνὴρ μήτε γυνή;* *Herodiano* item I. 3. 9. Addit idem, ſimiliter dixiſſe *Petrum* 1 ep. IV. 19. *ὥστε καὶ οἱ πάσχοντες κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ ὡς πιστῷ κτίστῃ παρατιθέσωσαν τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ.* Atque hunc ſenſum cum antecedentibus optime conſpirare putat, ubi profiteatur Apoſtolus, ſe non pudere eorum, quæ patiatur h. e. *non deſpondere animum*, quia ſcilicet norit, quis ſit, cujus fidei animam ſuam crediderit; quemadmodum in ſequentibus dicat, cum ſervare poſſe illud depoſitum. Adſtipulantem ſibi in his nactus eſt *Amelium* Parte I. p. 180. Non nego, verbum *πιστεύειν* eam notionem frequenter alias habere, quam tamen h. l. non admiſerim, cum nusquam alias, ubi *πιστεύειν Θεῷ* vel *Χριστῷ* in N. F. dicitur, obtineat. Porro ſequens *πέπεισμαι perſuaſum habeo*, magis requirit, ut de fide, quam in Chriſtum habeat Apoſtolus, quam de re, eidem commiſſa, ſermonem eſſe credamus. Dubium præterea eſt, utrum per *παραθήκην* illam intelligi depoſitum DEI adverſus Paulum, an Pauli apud DEUM intelligi debeat.

*ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι* ] Pauci codd. legunt *παρακαταθήκην* quos ſequuntur editiones *Aldin. Colin.* & *Froben.* Utraque vox proba eſt, quod ſupra jam dixi ad VI. 20. negante reſpectu *παραθήκης* fruſtra *Salmaſio* de Lingua Helleniſtica pag 99. Utraque uſus eſt *Herodotus* lib. VI. pag. 407. & pag. 412. Vide *Raphelii* Annotatt. Herodoteas pag. 583. *J. C. Schwarzii* notas ad Olearium de ſtilo N. T. pag. 184. & *Chriſtian. Sigismundi Georgii* diſput. de idioticiſmis N. T. afflictis pag. 24. Confer paulo poſt ad v. 14. Per *παραθήκην* hanc Interpretes nunc *fideles* Paulo *commiſſos*, nunc *gratiam*, nunc *mercedem*; nunc *bonorum operum merita*, nunc *doctrinam Evangelii* intelligunt, quos appellat *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. lib. III. c. 3. pag. 230. Adde *Svicerum* Tom. II. pag. 582. ſq. Plerique vel de *anima* accipiunt, inter quos *Feſſelius* eſt, & *Lamb. Boſius*, vel de *corona vitæ æternæ*, quæ *Calovii* ad h. l. eſt ſententia. Hæc autem recte firmatur ex IV. 8. ubi Paulus ſibi ait *ἀποκεῖσθαι τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον, ὃν ἀποδώσει Κύριος.* Vides hic repræſentari vitam æternam inſtar *depoſiti*, ſibi *deſtinati*, & aliquando certiſſime credendi, quam conſecuturum ſe ideo ſperet, quod *πίστιν τετήρηκε* v. 7. Habes hic

hic illud οἶδα, ᾧ πεπίστευκα. Hæc eſt κληρονομία, quæ dicitur τετηρημένη ἐν οὐρανοῖς εἰς ἡμᾶς 1 *Pet.* I. 4. Habes hic τὸ φυλάσσειν. Alteram illam de *anima* expoſitionem adſtruere inprimis conatus eſt *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum ad N. T. allatis Judæorum locis, qui animas dicunt eſſe apud DEUM פקודות ſeu *depoſitas.*

Verſ. 13. Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων κ. τ. λ.] Conferri hic velim *Bernhardi von Sanden* diſput. de forma ſanorum verborum ſervanda Theologo Doctori in Eccleſia Lutherana, Regiomonti, D. *Joach. Langii* illam de genuina ſtudii Theologici, præcipue Thetici, indole ac methodo Halæ 1712. recuſam, & D. *Franc. Alberti Æpini* de hypotypoſi ſanorum verborum pie ſanctеque ſervanda, Roſtochii 1722. tum vero *Witſium* Tom. II. Miſcellan. Sacr. pag. 561. Ὑποτύπωσιν per *expreſſam formam* reddiderunt *Eraſm. Schmidius* & *Beza*, quod & B. *Lutherus* voluit per Fürbild. Verbi vim optime mihi expreſſiſſe videtur eruditiſſimus *Fabricius* noſter ad Sextum Empiricum p. 1. *Eſt autem*, inquit, *ὑποτύπωσις adumbratio & inſtitutio brevis, quæ ὡς ἐν τύπῳ fit, ſive τυπωδῶς, ut loquitur Suidas in ὅρῳ & accuratiori uberiorique tractationi opponitur, ut pridem magno Caſaubono obſervatum notis ad Theophraſtum περὶ εἰρωνείας. Itaque & paſſim Sextus negat ſe prolixius poſſe ſingula perſequi, propter πρόθεσιν, χαρακτῆρα & τρόπον ὑποτυπωτικὸν τῆς γραφῆς, & quoniam ὑποτυπωτικῶς h. e. ut infra cap.* 14. *loquitur, συντόμῳ λόγῳ ac compendioſe omnia tradere inſtituit.* Vide reliqua ex Scriptoribus veteribus huc allata, ubi denique per *præformationem ſuccinctam & perſpicuam* vox redditur. Convenienter his *Zeltnerus* in gloſſis ad verſionem Lutheri Biblicam exponit: kurtzer Abriß. Confer *Valeſii* notas ad Euſebium pag. 95. b.

ὑγιαινόντων λόγων] i. e. *verborum ſincerorum, purorum, quæ falſi nihil admixtum habent.* Ita *Lucianus* de Aſtrologia pag. 848. λόγον ὑγιῆ & ἀληθῆ conjungit, opponens ψευδῆ & ἀνεμώλιον; ſicut *Plutarchus* de audiend. Poëmat. pag. 20. δόξας περὶ θεῶν ὑγιαινούσας καὶ ἀληθεῖς conjungit. Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 230.

Verſ. 14. Τὴν καλὴν παρακαταθήκην φύλαξον] Vide ad v. 12. & illis adde, doctiſſimum *Elsnerum* ad h. l. p. 310. *Demoſthenis, Æſchinis, Heliodori, Artemidori, Polyæni* & *Porphyrii* loca afferre, in quibus παρακαταθήκην διδόναι, ἔχειν, φυλάσσειν dicitur, atque hinc colligere, vocem παρακαταθήκη Atticis frequentiorem, quam παραθήκην fuiſſe. Nihilominus tamen & heic codices multi legunt παραθήκην, quam etiam in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Ceterum per ſe patet, τὴν παρακαταθήκην hic alio ſenſu, quam verſ. 12. ſumi, & doctrinam Evangelicam inferre, ſicut. 1 *Timoth.* VI. 20. De illa Paulus 1 ep. I. 18. ait: ταύτην τὴν παραγγελίαν παρατίθεμαί σοι.

Verſ. 15. ὧν ἐςι Φύγελλος ϗ Ἑρμογένης ] De his lege *Zentgravii* diſſertat. de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas Diſput. I. §. 6. & hinc Nova Literaria Germaniæ an. 1704. pag. 78. *Hermogenis* mentio eſt in Actis Theclæ apud *Jo. Erneſtum Grabe* in Spicileg. Patrum Tom. I. p. 95. 96. & 100.

Verſ. 16. Δώη ἔλεος ὁ Κύριος ] Ita *Polyb.* pag. 50. ὁ διδὺς ἔλεον, ἐδὲ συγγνώμην τοῖς π]αίεσι. De forma & notione verbi δώη vide infra ad 2 ep. II. 7.

τῷ Ὀνησιφόρῳ ] Hujus meminerunt Acta Theclæ apud *Grabium* l. c. Confer *Halloixium* Tom I. pag. 397. Nominis rationem exponit *Menagius* in Amœnitatibus Juris Civil. cap. 31. pag. 181. qui idem quod *Oneſimi* eſſe, Latine *Utilium*, ſervisque olim, tanquam *Dominis* ſuis *utilibus*, datum oſtendit.

ὅ]ι πολλάκις με ἀνέψυξε ] Lege *Svicerum* Tom. I. pag. 328. & *Baſchii* diſput. de interpretatione N. T. ex Patribus Apoſtolic. pag. 12.

Verſ. 18. Δώη αὐτῷ ὁ Κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ Κυρίε ] Phraſin hanc ex V. T. illuſtrat *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum pag. 118. eo quidem ſenſu, ut Κύριος *Dominus* noſter, JESUS Chriſtus, gratiam parare dicatur a *Domino*, ſcil. Patre, in die judicii. Conf. *Geneſ.* XIX. 24. Adde *Schœtgen.* Horas Hebraic. pag. 886. & ex Patribus *Svicerum* Tom. II. pag. 194. Atque hoc rectius puto, quam quod aliis viſum eſt, qui Κύριος poſterius loco pronominis poſitum exiſtimant per Hebraiſmum, qui tamen, ſi res ipſa admittatur, ſtatui non debebat, cum Græci etiam, v. c. *Arrianus* paſſim nomina ipſa loco pronominum repetat. Vide loca in Raphelii Annotatt. Arrianis pag. 619.

# CAPUT II.

VErſ. 1. Σὺ ἦν ] Expunxit hæc Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, tanquam quæ in *Alexandr.* & aliis aliquot Codd. deſiderentur; & vel ſic tamen in verſione Anglicana expreſſit, non ſine indicio, iis ad ſenſum opus eſſe. Taceo, Apoſtolum libenter alias hac compellatione uti. Vide 1 ep. VI. 11. & hic paulo poſt v. 3. tum III. 3. 10. 14. & IV. 5. ubi legitur σὺ δὲ.

Verſ. 2. Καὶ ἃ ἤκεσας παρ᾽ ἐμȣ͂ διὰ πολλῶν μαρτύρων ] Pro μαρτύρων *Hippolytus* lib. de Anti-Chriſto §. 1. legit παρακλήσεων i. e. *exhortationum*, quæ vox apta hic viſa eſt *Combefiſio*, ad loc. *Singularis*, inquit, *hæc lectio, cum omnes nulla variatione* μαρτύρων *habeant*, per multos teſtes; *quæ voces paulo remotiores ſunt; ſive alias Hippolyto incidit memoria lapſus, ſive ex codice &*

*ite-*

*litera, quæ nobis exciderit, ita refert. Et certe illa vox hic apte, quaſi velit Paulus longa & multiplici adhortatione abs ſe inſtitutum Timotheum, eaque illi depoſitum creditum, quod ipſe aliis idoneis concredere debeat; velut jam per ætatem in diſciplina probatus magiſter, etſi annis pene adoleſcens erat. Millius* in Prolegom. §. 656. *explicationem* vocis *μαρτύρων* eſſe exiſtimat. Mihi quidem memoriæ vitio ita ſcriptum videtur, quod & alias Patribus uſu veniſſe conſtat, & *Crojus* ſpeciminibus bene multis probavit in Obſervationibus ſuis ad N. T. Nec deſunt in hoc Hippolyti libello alia ejusmodi lectionum ſpuriarum exempla, à *Millio* l. c. producta. Paulum puto reſpicere ad *ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου* 1 ep. IV. 14. niſi eos *μάρτυρας* intelligere malis, quos una cum Timotheo docuerat Apoſtolus. Minime omnium probandus eſt *Knatchbullus*, ita interpungens & legens: *καὶ ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ, διὰ πολλῶν μαρτύρων ταῦτα παράθου, & quæ ex me audiiſti, multis* (verbis) *teſtans hæc trade.* Probat tamen *Hombergius* pag. 303. Comma hoc ex noſtratibus exponit *Seb. Schmidius* in Collegio Biblico Poſteriori pag. 282. ſq. & *Henr. Wottonus* in lib. Anglicano, quem inſcripſit: *the Rights of the Clergy in the Chriſtian Church.*

Verſ. 3. *Σὺ οὖν κακοπάθησον* ] Iidem Codd. quos verſ. 1. *τὸ, σὺ οὖν* omiſiſſe diximus, vocibus iisdem neglectis, legunt hic *συγκακοπάθησον*, approbante *Millio* in Prolegom §. 1292. quam lectionem quoque Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit, non rectius quam quidem antea. Verbum *συγκακοπάθησον* ex cap. I. 8. huc relatum eſt, quo loco illo opus erat, tanquam cum voce *εὐαγγελίῳ* conſtruendo. Nihil vero ejusmodi heic occurrit.

*κακοπάθησον ὡς καλὸς στρατιώτης* ] *Κακοπαθεῖν* ab Hiſtoricis Græcis ad exprimendos labores militares, longis itineribus, fame & inopia rerum neceſſariarum exantlatos, adhiberi monuit *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 231. allato v. c. *Joſepho* Bell. Judaic. I. 5. *ἔνθα δὴ Ρωμαίων πολλὰ κακοπαθούντων.* Adde eundem cap. 6. & lib. I. contra Apionem pag. 1644. Aliorum loca ſimilia habes apud *Majum* lib. IV. Obſervatt. Sacrar. pag. 19. ſq. qui & pag. 21. commode obſervat, *Iſæum* Orat. IV. pag. 446. *ἀγαθὸν στρατιώτην* æque ac Paulum h. l. *καλὸν* dicere. Ex hoc factum eſt, ut *Hombergius* pag. 333 una cum *Heinſio* reddere mallet *pugna, certa*, allato *Æliani* loco ex Var. Hiſt. II. 28. Cum vero *τὸ συγκακοπαθεῖν* ſupra I. 8. omnino moleſtias & adflictiones Evangelii cauſa perferendas, innuat, & *Jac.* V. 13. idem ſignificatus *τοῦ κακοπαθεῖν* occurrat, qui nec à Scriptoribus, ubi de aliis argumentis loquuntur, exulat; præſtat, in communi illa interpretatione acquieſcere, ita quidem, ut moleſtiæ, ab Evangelii doctore devorandæ, comparentur cum illis, quæ in militem ſtrenuum quemque cadere ſolent. Sic v. 9. ait: *ἐν ᾧ κακοπαθῶ μέχρι δεσμῶν*, ubi non poteſt non cogitari de *moleſtiis*, quas *ad vincula* usque Apoſtolus toleret.

ὡς καλὸς στρατιώτης] Vide *Suicerum* pag. 1041. & quæ ſupra ad VI. 12. ſcripſi. Argumentum ipſum perſequitur *Jo. Frider. Hebenſtreit* in diſſertat. de Epiſcopo milite Lipſ. 1720.

Verſ. 4. Οὐδεὶς στρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις] *Nemo qui militat, implicatur hujus vitæ negotiis.* Bene & efficaciter B. *Lutherus*: Kein Kriegs-Mann flichtet ſich in Handel der Nahrung, quæ ab *Emſeri* criminationibus vindicat *Raithius* pag. 564. Audi *Salmaſium* lib. de Uſuris pag. 935. ita diſſerentem: Πραγματεῖαι *fortaſſe non ſunt negotia qualibet vel occupationes ſæculares, ſed* mercaturæ *ſive* negotiationes. *Nam Græcis* πραγματεία *id etiam ſignificat. Quod ſexcentis, ſi liberet, auctorum teſtimoniis liceret confirmare. Gloſſæ veteres:* Negotiatio, πραγματεία. *Alia Græco-Latinæ:* πραγματεία, negotiatio, nundinatio. *Inde* πραγματευτὴς negotiator, mercator, *μετάβολος*, *μεταπράτης Græcis, & κάπηλος. De milite loquitur, cui legibus militiæ non licuit negotiari. Lex enim militaris fuit:* οἱ στρατιῶται μήτε γεωργίαις ἀποσχολείσθωσαν ἢ ἐμπορίαις, μήτε πολιτικὴν φροντίδα εἰς ἑαυτοὺς λαμβανέτωσαν. ἢ τῆς στρατείας καὶ τῶν στρατιωτικῶν προνομίων ἐκβάλλονται. *Imo, ut multorum canonum ſanctionibus conſtitutum eſt, ut ne Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi conductores ſint aut procuratores, vel adminiſtratores alienorum bonorum, nec fidejuſſores, idem etiam militibus interdictum olim fuiſſe legimus.* Οἱ στρατιῶται οὔτε διοικηταὶ οὔτε μισθωτοὶ, οὔτε ἐγγυηταὶ ἀλλοτρίων πραγμάτων γίνονται. *Proinde & πραγματεία hic accipi poſſet de negotioſa & actioſa quacunque ſolicitudine, ut certum eſt, eam vocem apud Græcos uſurpari. Sed quocunque tandem modo ſumatur ſpecialiter de negotiatione mercimoniorum, aut generalius de omni occupatione,* βίον *vocat Apoſtolus aliorum hominum vitam, quos à militibus diſtinguit. Sic privati, pagani paſſim de ceterorum hominum vulgo, qui à militibus dicernebantur. Militaris itaque vita diverſa ac diſtincta a communi, quæ βίος Græce appellatur, Latine* ſæculum, mundus, vita. Negotium *porro etiam pro negotiatione ſive καπηλεία, ut apud Melam de Ægyptiis*: Forum ac negotia feminæ, viri penſa *ac* domos curant. *Ubi negotia ſunt αἱ καπηλεῖαι, αἱ πραγματεῖαι. Ita & in Canone XVI. Codicis Africani: Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi non ſint conductores, aut procuratores, neque ullo turpi negotio & inhoneſto victum quærant.* Judæorum Magiſtri ipſam vocem *πραγματεία* civitate donarunt, פרקמטיא frequenter & quidem *mercatura* ſignificatu adhibentes, & nunc עושה פרקמטיא nunc עוסק בפרקמטיא nunc מרי פרקמטיא dicentes. Vide loca apud Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 887. ſq. & in *Buxtorfii* Lexico Talmudico-Rabbin. rad. פרג & פרק. Veteres tamen τὴν πραγματείαν latius accepiſſe, & ad omnia alia vitæ negotia, & civilia quoque munera inferiora extendiſſe, ex canonibus Eccleſiaſticis apparet. Vide *Grotium* Tom. III. Operum pag. 210. ubi de Imperio Summarum Poteſtatum circa Sacra cap. II. §. 6. *Juſtellum* ad Canon. VI. Eccleſ. African. & *Bevereg.* ad

Ca-

Canon. VI. Apoſtolic. Pertinet huc, quod Cod. I. 12. Tit. 36. 9. legitur: *Militares viros curas civiles arripere prohibemus.* Confer *Amelium* Parte II. pag. 117. & *Jacobi Lydii* Syntagma de re militari pag. 169.

*ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ* ] *ut ei, qui ſe in militiam delegit, placeat.* Eadem phraſi Cyrus apud Xenophontem Cyropæd. lib. III. pag. 66. ad milites, Duci ſe probaturos, utitur. Vide *Raphelium* pag. 295. & *Hutchinſonum* ad Cyropædiæ loc. cit. pag. 223.

Verſ. 5. *Ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις, οὐ στεφανοῦται, κ. τ. λ.* ] Ex antiquitate athletica hæc illuſtrant *Fridericus Hofmannus* in diſputatione de Athletis veterum, eorum diæta & habitu Halæ 1717. & *Erneſtus ab Auerswalda* de veterum arte luctandi, Vitembergæ 1720.

*οὐ στεφανοῦται* ] De corona, qualis fuerit, vide *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tomo I. pag. 873. & *Suicerum* Tomo II. pag. 1016.

*ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ* ] *Niſi legitime certaverit.* Ita prorſus *Arrianus* Diſſertatt. Epictet. lib. III. cap. 10. *ὁ θεός σοι λέγει, δός μοι ἀπόδειξιν, εἰ νομίμως ἤθλησας, εἰ ἔφαγες, ὅσα δεῖ, εἰ ἐγυμνάσθης, εἰ τοῦ ἀλείπτου ἤκουσας.* Hæ ſcilicet, inter ceteras, leges erant athletis dictæ. Qui contra has agebant, illi *ἀθλεῖν*, vel *μάχεσθαι ἔξω τῶν νομίμων τρόπων*, vel *τὴν νόμιμον καὶ γιγνομένην μάχην ἀφιέναι* dicebantur, quod ex *Ariſtide* de Pace II. pag. 78. & Orat. de Conc. ad civitates Aſiaticas oſtendit *Lambertus Bos* pag. 232. Exercitationum. Vide, quæ præterea de hac phraſi commentantur *J. C. Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Tom. I. pag. 52. *Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 5. *Suicerus* Tom II. pag. 414. *Gatakerus* in Cinno cap. VI. pag. 245. & *Andreas Schottus* in Adagialibus Sacris pag. 137.

Verſ. 6. *Τὸν κοπιῶντα γεωργὸν δεῖ πρῶτον τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν* ] *Laborantem prius agricolam oportet de fructibus percipere*, ita, ut vox *πρῶτον* referatur ad antecedens *κοπιῶντα*, non ad ſequens *μεταλαμβάνειν*. Ita *Eraſmus Schmidius*, nec aliter *Beza : prius laborando.* Sequitur cum *Gatakerus* in Cinno pag. 246. *Ludovicus Cappellus* in Operibus pag. 247. b. & ex noſtratibus *Chriſtophorus Henricus Ritmeierus* in Apoſpasmate Philologematum Sacrorum pag. 27. Recte hæc ita dicuntur. Apoſtolus enim Timotheum non tam ad fructus ex labore ſuo exſpectandos, aut capiendos excitat, quam de ordine & diligentia, in officio probanda, admonet. Hoc patet ex utroque ſimili ante allegato. Ibi cum verſ. 3. cum milite comparans *κακοπαθεῖν* & *καλὸν εἶναι στρατιώτην* jubet : cum athleta verſ. 5. legitime pugnare vult : & ſic verſ. 6. agricolam in mentem revocans laboris potiſſimum patientiam commendat. *Πρῶτον* itaque hic eſt *πρότερον*, ut 1 *Timoth.* V. 12. & *Apocalypſ.* II. 4. *Hombergius* pag. 334. nihil intereſſe putat, quo *τὸ*, *πρῶτον* referatur, modo explicetur per *omnino; Grotius* vero vertit, *ita demum.* Neutro opus eſt. Conf. *Andreæ Schotti* Adagialia Sacra pag. 138.

Verſ. 7. Νόει ἃ λέγω ] *Conſidera, quæ dico.* Νοεῖν emphaticum eſt, & meditationem accuratiorem infert. Vide ad 1 epiſt. I. 7. & *Svicerum* Tom. II. pag. 412. Sic *Antoninus* alicubi : νοῦσιν, ἃ λέγω.

δώη γάρ σοι ὁ Κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι ] Codices aliquot habent δώσει, quod recens Editor Novi Teſtamenti Anglicani in contextum recepit. Perperam ſane. Neque enim hic Paulus dicit, quid DEUS daturus ſit, ſed, quid DEUM dare Timotheo velit, & optet. Senſus eſt : *DEUS autem det tibi intelligentiam in omnibus.* Particula γὰρ ſignificatum τοῦ δὲ ut alias, ita & h. l. habet. *Phrynichus* quidem formam δώη, quæ eſt *Aoriſti* II. Optativi, damnavit, ſed vindicavit *Thomas Magiſter* de Vocibus Atticis pag. 46. allatis *Herodoti, Libanii, & Alexandri Sophiſtæ* exemplis, quibus alia *Platonis* ex Gorgia pag. 328. & Phæd. pag. 1239. addit M. *Chriſt. Sigismund. Georgius* in diſſertatione de Idioticiſmis dictioni Novi Teſtamenti immerito affictis pag. 21. Sic infra IV. 14. παραδῴη qua verbi forma utitur *Plato* loco poſteriori modo allato : ἀλλά τι ἄλλο ψεύδεσθαι ἐπιχειρῶν τάχ᾽ ἂν ἔλεγχόν τῃ παραδῴη τῷ ἀντιδίκῳ.

σύνεσιν ἐν πᾶσι ] *Samuel Battierius* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 186. interpunctione mutata, τελείαν στιγμὴν ad vocem σύνεσιν poni vult, ut comma octavum a vocibus ἐν πᾶσι incipiat, hoc ſenſu : *in omnibus memento JESUM Chriſtum* &c. Nihil ſcilicet eſſe ait, cur Paulus DEUM precatus hic credatur, ut omnia percipiat, nec potius, ut JESU ex mortuis ſuſcitati in omnibus & ſemper memor ſit. Mihi quidem ratio in promtu videtur, cur Apoſtolus σύνεσιν cum ἐν πᾶσι conjunxerit. Unum erat, quod antea ſuggeſſerat Timotheo, quodque ad ſtrenue obeundum munus Evangelicum pertinebat. Hoc volebat ab ipſo meditando digeri & perſpici. Erant vero & alia, quæ tenere & explorata habere debebat. Ad hæc igitur omnia exploranda, quemadmodum ad prius illud divinam opem adprecatur. Porro vero in memoriam ipſi revocat Chriſtum, ex mortuis exſuſcitatum, atque adeo ante perpeſſum, quemadmodum & ſe ejus cauſa in aliorum commodum multa ait perferre. Quæ quidem omnia eo tendunt, ut Timotheus & Chriſti & Pauli exemplo ad tolerandas patienter calamitates excitare ſe patiatur. Neque vero inſuetum Paulo eſt, admonitionem ejusmodi ſimpliciter eadem loquendi ratione inculcare. Sic in calce epiſtolæ ad Coloſſenſes ait : μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν, & *Hebr.* XIII. 7. μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν.

Verſ. 8. Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν, κ. τ. λ. ] In hæc commentatur *Altingius* Tomo IV Operum in calce pag. 133. ſqq.

ἐκ σπέρματος Δαβὶδ ] Vide M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 86.

κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου ] Vide ad *Rom.* II. 16.

Verſ.

Verſ. 9. *Ἐν ᾧ κακοπαθῶ μέχρι τῶν δεσμῶν* ] Vide ad v. 3.

*ἀλλ' ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐ δέδεται* ] Dupliciter hæc accipi poſſunt. Vel enim ad Paulum ita referentur, ut dicat, ſibi etiam vincto facultatem relictam eſſe Evangelium prædicandi, quæ ſententia eſt *Amelii* Parte I. der Erörterung pag. 9. ad illum ritum provocantis, ex quo nonnunquam vinctis, ſed a milite quodam comitatis, civitatem obire & ſua agere licuerit. Vide ad *Act.* XXVIII. 16. Vel potius hic fuerit ſenſus, quod, quamvis Paulo, nunc quidem vincto, præconem doctrinæ ſalutaris agere non liceat, ipſi tamen veritati compedes ita non ſint injecti, quo minus per alios ad plures pervenire poſſit. Pro hac ſententia vide, quos idem affert *Amelius* Parte II. pag. 691. Hanc veriorem puto, cum vix ſit veri ſimile, Apoſtolum in poſteriore illo carcere Romano hanc poteſtatem, qua alias uſus erat, habuiſſe. Dici tamen poterat, Apoſtolum id ſibi velle, quod vel in ipſo carcere, ceu olim Joannes Baptiſta, adventantibus Evangelium prædicare non omittat. Ita *Theodoretus* accepiſſe videtur; *τῶν γὰρ δὴ χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν δεδεμένων ἡ γλῶττα κηρύττει τὸ εὐαγγέλιον.*

Verſ. 10. *Διὰ τοῦτο πάντα ὑπομένω* ] Et hic *Battierius* loc. cit. pag. 188. conſueta interpunctione rejecta, voces *διὰ τοῦτο* referri vult ad verſ. 9 *οὐ δέδεται*, & hoc comma a phraſi, *πάντα ὑπομένω*, inchoari. Nunquam crediderim, Paulum ita ſcripſiſſe. Non enim neceſſe erat, ut diceret, verbum DEI *ideo*, quod ipſe vinctus eſſet, non eſſe ligatum: id enim per ſe patet. Neque hoc voluit Paulus, quod, quoniam verbum DEI non ſit vinctum, *ideo* omnia perpetiebatur. Sed *τὸ διὰ τοῦτο* vel referri poteſt cum Grotio ad Evangelium, de quo verſ. 9. dicitur: *ἐν ᾧ κακοπαθῶ*; vel, quod malim, ad finem ipſum, quem extremo hoc commate indicat, quod ſcilicet fructum ad electos inde proficiſci intelligeret. Expende verba 1 *Theſſalon* II. 13. & III. 5. & judica, an non Paulus eadem loquendi ratione utatur. Poſteriori loco ait: *διὰ τοῦτο κἀγὼ μηκέτι στέγων ἔπεμψα εἰς τὸ γνῶναι τὴν πίστιν ὑμῶν· Quapropter & ego, non amplius me continens, miſi, ut cognoſcerem fidem veſtram.* Vides, hic cauſam & finem, per *διὰ τοῦτο* ſubindicatum, ſtatim diſertius exponi. Denique, ſi *διὰ τοῦτο* ad antecedentia referre velimus, Pauli oratio dilutior & parum cohærens reddetur.

*σωτηρίας τύχωσι* ] Ita *Polybius* pag. 398. obſervante *Raphelio*, *τῶν δὲ καταπορευομένων μελλόντων τυγχάνειν τῆς σωτηρίας διὰ τὴν τῶν Ἀχαιῶν συγκατάθεσιν.*

*μετὰ δόξης αἰωνίου* ] *cum gloria cæleſti*, habet *Vulg.* qui proinde legerit *οὐρανίου*, quod & Codex unus exhibet. *Millius* ad loc. pro interpolata recte habet, in Prolegomenis vero §. 493. ex germana & compendioſa ſcriptione *νίου* ortum deinde putat *αἰωνίου*. At germanum procul dubio eſt *αἰωνίου*. Nuſquam enim in Nov. Teſtam. *δόξαν* vel *ζωὴν οὐράνιον* video dici, frequentiſſime autem

autem nunc ζωὴν, nunc βασιλείαν, nunc σωτηρίαν αἰώνιον. Convenienter huic phraſi Paulus *2 Corinth.* IV. 17. αἰώνιον βάρος δόξης dicit & *Petrus* 1 epiſt. V. 10. αἰώνιον δόξαν.

Verſ. 11.-13. explicantur à B. *Jo. Wincklero* in Conſiderationibus ſuper quædam Scripturæ loca, vernacule editis, pag. 947. ſqq.

Verſ. 11. Πιστὸς ὁ λόγος ] Vide ad 1 epiſt. I. 15.

Verſ. 12. Εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν ] *Priceus* legi hic mavult: εἰ συνυπομένομεν, ſed contra codicum conſenſum, quem teneri recte vult *Jo. Alberti* in Periculo Critico pag. 29. cum ſenſus eodem recidat. Verbo συμβασιλεύειν utitur *Lucianus* Dialogo Junonis & Latonæ Tom. I. pag. 213. μέγα, ὦ Ἥρα, φρονεῖς, ὅτι ξύνει τῷ Διῒ, καὶ συμβασιλεύεις αὐτῷ. *Epictetus* hominem ſanctum cap. XXI. Enchirid. ita alloquitur: οὐ μόνον συμπότης τῶν θεῶν ἔσῃ, ἀλλὰ καὶ συνάρχων. Vide B. *Joannem Henricum Majum* lib. IV. Obſervationum Sacrarum pag. 159. qui deinde pag. 161. ſqq. indicem bene longum verborum cum σὺν compoſitorum & decompoſitorum, quæ ſtupendam *Stephani* in Theſauro induſtriam fere effugerunt, exhibet.

Verſ. 13. Εἰ ἀπιστοῦμεν, ἐκεῖνος πιστὸς μένει ] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 741.

ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται ] Lege eundem Tom. I. pag. 510. & 965. Bene *Pearſonus* in Expoſitione Symboli Apoſtolici pag. 9. Verſionis Latinæ: *Quæ Apoſtoli verba quanquam proprie de promiſſis DEI uſurpata, æque tamen vera ſunt de aſſertionibus ipſius, neque magis negare ſe poteſt violando fidem ſuam, quam contradicendo veritati ſuæ.*

Verſ. 14. Ταῦτα ὑπομίμνησκε, διαμαρτυρόμενος ] *Polybius* pag. 236. Ῥωμαῖοι μὲν οὖν διεμαρτύροντο Ζακυνθαίων ἀπέχεσθαι. *Romani DEUM teſtantes monebant, ut Saguntinis abſtineret.*

μὴ λογομαχεῖν ] Vide ad 1 *Timoth.* VI. 4. & adde ad h. l. *Auguſti Varenii* Diſputationem de inutilibus de verbis pugnis, Roſtochii 1679.

εἰς οὐδὲν χρήσιμον, ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων. ] *quod facit ad nullam utilitatem, ſed ad ſubverſionem audientium.* Ita *Eraſmus Schmidius*, & fere *Beza. Hombergius* mavult: *ne verbis pugnent de re inutili*, vel *ad nullam utilitatem, ad everſionem auditorum.* Mihi quidem phraſis Pauli admodum evidens, nec ſupplemento aliquo indigere videtur, ſi ita vertas: *ne de verbis pugnent inutiliter, propter ſubverſionem audientium.* Εἰς οὐδὲν χρήσιμον idem eſt, quod ἀνωφελῶς, quemadmodum *Tit.* III. 9. ζητήσεις ejusmodi ἀνωφελεῖς vocantur. Ita εἰς κενὸν 2 *Corinth.* VI. 1. *Galat.* II. 2. *Philipp.* II. 16. & 1 *Theſſal.* III. 5. idem eſt, quod *fruſtra*. Similiter Paulus ad *Corinth.* 1 epiſt. XI. 17. οὐκ εἰς τὸ κρεῖττον ἀλλ᾽ εἰς τὸ ἧττον συνέρχεσθε. In phraſi: ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, τὸ ἐπὶ idem eſt, quod *propter*. Hæc enim præpoſitio da-



Digitized by Google

tivo juncta hanc vim habet. Sic *Rom.* X. 19. ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ' ὐκ ἔθνει, *ego ad iram vos provocabo propter non gentem*, & XVI. 19. χαίρω ὖν τὸ ἐφ' ὑμῖν, *gaudeo igitur propter vos.* Externos Scriptores eodem ſignificatu voculam hanc adhibere oſtendit *Elsnerus* ad *Rom.* V. 12. Ex duplici itaque incommodo λογομαχίας diſſuaderi cupit Apoſtolus. Alterum eſt, quod nihil proſint, alterum, quod etiam noceant audientibus. Utrumque ἀσυνδέτως conjungitur. Recte *Chryſoſtomus*: οὐ μόνον ὐδὲν ἐκ τύτυ κέρδος, ἀλλὰ καὶ βλάβη πολλή. *Hombergius* loc. cit. καταςροφὴν de *expugnatione animi*, quæ contentione verborum & diſputatione clamoſa quæratur, ut audientes in ſententiam pertrahantur, accipere mavult. Minus recte, ſi quid video. Καταςροφὴ enim opponitur τῇ οἰκοδομῇ, cui opponitur καθαίρεσις 2 Corinth. XIII. 10. εἰς οἰκοδομὴν καὶ ὐκ εἰς καθαίρεσιν. Καθαίρεσις autem non expugnationem tantum infert, ſed everſionem. Ita DEUS πόλεις Σοδόμων καὶ Γομόῤῥας τεφρώσας καταςροφῇ κατακρῖναι dicitur 2 Pet. II. 6.

Verſ. 15. Σπύδασον σεαυτὸν δόκιμον παραςῆσαι τῷ Θεῷ, κ. τ. λ. ] Comparari hic velim ſingulares diſſertationes D. *Joachimi Langii* de Theologiæ Studioſo, verbique divini Miniſtro apto & fideli ex h. l. delineato Halæ 1712. præſtantiſſimi *Salomonis Deylingii* de ὀρθοτομίᾳ λόγυ τῆς ἀληθείας, Lipſiæ 1723. & Cl. *Caroli Henrici Langii* Ideam Doctoris Sacri delineatam, Lubecæ 1733. tum vero *Amelium* Parte I. pag. 442. *Alethæum* Tomo II. der Erläuterung pag. 138. ſqq. & *Jacobum Elsnerum* pag. 311. ſqq.

δόκιμον ] *probatum* vel *probabilem*, quo poſteriore modo expoſuit *Vulg.* & Gloſſæ quoque. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 937.

παραςῆσαι ] *ſiſtere*, inſtar vel ſervi, vel ſacrificii & victimæ. De utroque enim momento verbum adhibetur in ſacris. Vide *Luc.* I. 19. & *Rom.* XII. 1. Compara *Deylingium* loc. cit. pag. 12.

ἐργάτην ] *operarium:* Vocem ἐργάτης proprie de eo, qui opus ruſticum facit, uſurpari, quemadmodum ἔργον & ἐργάζεσθαι itidem *opus ruſticum* ſignificat, *Lambert. Bos* Obſervatt. Miſcellan. pag. 32. diligenter & erudite evicit. Ἔργον *agriculturam* proprie inferre probarunt etiam *Rittershuſius* ad *Oppiani* Halieut. ά. v. 105. Salmaſius de Uſuris pag. 299. *Petrus Moll* ad Longi Paſtoralia pag. 37. & *Dacerius* ad Anacreont. pag. 132. Ἐργάτην ἀγαθὸν vocat *Lucianus* in Somnio Tom. I. pag. 3. ubi lapicidam appellat.

ὀρθοτομῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ] *recte ſecantem*, vel potius, *tractantem ſermonem veritatis.* Patrum de hac phraſi cogitata promit *Suicerus* Tom. II. pag. 508. ſq. Tralationem in hoc verbo eſſe, ut evidens eſt, ita unde petita ſit, ab Interpretibus diſputatur. Plerique ad legitimam & ex præſcripto *Levit.* I. 6. faciendam victimarum ſectionem alludi putant. Inter hos, ut alios taceam, ex noſtratibus eſt *Melanchthon* Oratione ſingulari de hoc verbo, quæ in Declamationibus ejus Tom. III. pag. 355. exſtat; tum vero *Grotius*

 ad

ad loc. *Joannes Lomeierus* Dierum Genialium Decade II. pag. 331. *David Gſellius* in Sacrificiis Veteris Teſtamenti, Duisburgi 1712. editis, pag. 206. qui tamen ad Judæorum *μεϱιςὰς*, qui Scripturam ſacram in הפטרות, ſeu *Sectiones* diviſam habebant, reſpici quoque poſſe opinatur. Noviſſime eandem ſententiam adoptavit Cl. M. *Langius* in laudata diſſertatione pag. 29. Sed illa de victimis cogitatio *Lamberto Boſio* loc. cit. diſplicet, ideo inprimis, quod ὀϱθοτομεῖν nunquam de animalibus diſſecandis adhibitum inveniatur. Eidem id inprimis adverſatur, quod DEUS ipſe de victimarum ſectione nihil admodum præceperit, atque ea, quæ Judæi ſingularibus libris hodie tradunt, recentioris ætatis commenta referant. Recte hoc monet Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 888. Addiderim his, quod, poſita hac metaphora, verbum veritatis cum ſacrificiis compararetur. Hoc vero Scripturæ inſuetum eſt, quæ homines potius per Evangelium victimas DEO parari & ſiſti docet.

*Jacobus Rhenferdius* in Diſſertatione II. de decem Otioſis Synagogæ cap. II. §. 8. *διακόνυς* veterum huc advocat, qui *δαιτϱοὶ* & *τομεῖς* dicti ſint, *ἀπὸ τῦ διαιϱεῖν ϰ̀ διανέμειν*, auctore *Plutarcho*, quemadmodum etiam *Plato* Dialecticos rudes & imperitos res bene dividendi, ineptis coquis comparet, qui cibos male dividant, imo potius diſcerpant obſervante *Stuckio* Antiquitatt. Convival. II. 21.

A *lapicidis* phraſin repetit *Pricæus* ad h. l. confutatus a *Boſio* loc. cit. pag. 28. negante, de nullis frequentius aut magis proprie, quam de iis adhiberi.

Ipſe *Boſius* ad Aratores reſpexiſſe putat Apoſtolum, qui arantes *τέμνειν τὴν γῆν*, *ϗίζειν* & *ἐπιϗίζειν ἀϱϱ́ϱας* dicantur. Hinc pag. 30. ita: *Verbum hoc ab aratoribus*, rectos ducentibus ſulcos, *translatum eſt ad eos, qui rectas vias inſiſtunt, quique vitam ſuam ita, ut decet, inſtituunt, recte omnia faciunt, pureque, candide & ſincere in omnibus agunt.* Proverb. XI. 5. δικαιοσύνη ἀμώμυς ὀϱθοτομεῖ ὁδὺς. Et pag. 31. *Cum igitur de doctore Evangelii, ut hic, dicitur* ὀϱθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, *nihil aliud ſignificet, quam verbum Evangelii pure & ſincere docere, non cum fuco & dolo prædicare proprii quæſtus gratia, quemadmodum falſi quidam Apoſtoli id temporis faciebant, qui inde ἐϱγάται δόλιοι appellantur; ſed veritatem Evangelii ita prædicare, uti ea ſe habet, nihil addere, nihil demere.* In hac ſententia inprimis ex eo ſe confirmatum ait, quod *ἐϱγάτων* mentio fit, quam vocem de eo inprimis, qui opus ruſticum facit, adhiberi diximus. Amplectuntur hoc *Amelius* loc. cit. pag. 445. & *Alethæus*. Sed ſunt, quæ opponi poſſint. Ut negari non poteſt, aratores *τέμνειν* & *ϗίζειν τὴν γῆν* dici, ita *ὀϱθοτομεῖν* de iiſdem adhiberi nusquam adparet. Ponamus, Apoſtolum ad aratores reſpexiſſe; nondum hinc conſequeretur, cum in metaphora illa perſiſtere voluiſſe. Id enim verbum *παϱαϛῆσαι* non perſuadet. Taceo, *ἐϱγάτην* de quocunque operario adhiberi 1 *Timoth.* V. 18.

Non

Non magis probem B. *Joannis Henrici Maji* conjecturam lib. I. Obſervationum Sacrarum pag. 84. edit II. propoſitam. Symbolice ait *τέμνειν γλώσσας ſilere* Græcis eſſe, teſte *Apollonii Rhodii* Scholiaſte ad Argonaut. I. 517. & *Euſtathio* ad Homer. Odyſſ. γ΄. verſ. 332. ἐν δὲ παλαιῷ ὑπομνήματισμῷ φέρεται καὶ συμβολικῶς εἰρῆσθαι τὸ, ἀλλ᾽ ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας, ἵνα λέγῃ, ἀλλ᾽ ἄγε σιγῶμεν πεισθέντες νυκτί· ἔυηθες γὰρ τὸ λέγειν, σύντεμε τοὺς λόγους. *En*, inquit, *noſtram phraſin! quæ ſi hic admittenda foret, ſenſus eſſet, ſic verſandum in annunciatione verbi veritatis, ut cogitemus ſemper, quid loquendum, quomodo & quamdiu.* Non intelligo, qua ſpecie formula illa proverbialis, ad *ſilentium* potiſſimum relata, huc advocari poſſit, ubi non tam ſilentium, quam recta verbi promulgatio jubetur. Taceo, aliud eſſe *τέμνειν γλῶσσαν*, aliud ὀρθοτομεῖν λόγον.

*Nicolaus Fullerus* in Miſcellan. lib. III. cap. 16. Judæorum phraſin פסק בתורה, i. e. *τέμνειν τὸν λόγον* hic agnoſcit, monetque פוסקים בתורה *ſecantes legem* dictos eſſe, qui in lege tractanda occupati fuerint. Arridet hoc Rev. *Deylingio* loc. cit. pag. 21. & in Miſſu I. Obſervationum Exegeticarum p. 13. At recte olim obvertit *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. pag. 714. verbum פסק a Magiſtris adhiberi de iis, qui cauſas *definiunt* & *decidunt*. Confer *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum rad. פסק. Sic hodienum פוסקים in libris שאלות ותשובות, i. e. *Quæſitorum & Reſponſorum* appellantur, qui diſceptationes rituales aut alia capita controverſa ad liquidum perducunt, ſicut פסקים, *deciſa*, dicuntur.

Ipſe *Vitringa* loc. cit. Apoſtolum ad officium τοῦ οἰκονόμου, *diſpenſatoris domus*, cum quo miniſtrum Novi Fœderis comparare ſoleat, ſtatuit reſpicere, cui nimirum competat *panem ciboſque frangere, ſcindere, diſtribuere* filiis familias. *Sane*, ita pergit, *Hebræorum etiam priſci Doctores capita doctrinæ cum* cibo, pane & carne *compararunt, quæ* diſpeſcere & *diſtribuere ſecundum hanc metaphoram ſit* docere, *accipere* facta & *diſtributa ſit* diſcere. Confer 1 *Corinth.* III. 2. & *Hebr.* V. 12. Affinis eſt hæc ſententia illi *Rhenferdii*, quam ſupra commemoravimus. Eadem arriſit *Petro Zornio* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 261. Nec mihi diſpliceret, niſi eſſet, quod magis probarem.

Scilicet omnium optime res inſtituere mihi videntur, qui *Vulgatum* ſecuti ὀρθοτομεῖν vertunt *recte tractare*, quemadmodum vetus Gloſſarium ὀρθοτομῶ exponit: *rectifico, recte tracto*, non improbante *Fullero* loc. cit. qui præterea obſervat, τοὺς LXX. *Proverb.* III. 6. & XI. Hebræum ישר per ὀρθοτομεῖν reddere, Græcos vero alias dicere καινοτομεῖν. Quemadmodum autem nemo illud *res novas ſecare* converterit; ita non magis ὀρθοτομεῖν *recte ſecare* dicetur. Lege, quæ plura in hanc ſententiam dicunt *Svicerus* Tom. II. p. 500. *Deylingius* loc. cit. pag. 21. & *Elsnerus* pag. 311. ſqq. Hic inter cetera ita:

*Itaque ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας eſt* recta procedere in Evangelio, *minime aberrare a via regia, nec quæſitas ambages turpesque vias* &c. idem quod *Galat.* II. 14. *ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου.* Græci, eodem monente, idem dicunt *διαιρεῖν ὀρθῶς τοὺς λόγους*, ut *Iſocrat.* Panathen. pag. 560. & *Ariſtophan.* Nubib. verſ. 470. *ὀρθῶς διαιρῶν καὶ σκοπῶν.* Cl. *Schœtgenius* pag. 888. Horarum Hebraicarum commode obſervat, Hebræos verbo פרם, id vero eſt *dividere*, uti de explicatione legis divinæ. Locus eſt in *Megilla* fol. 24. 1. *Quicunque recidat Haphtharas ex Prophetis, is etiam* פורם *dividit* (explicare poteſt) *Kriſchma, & coram arca orat.*

Rem ipſam, de qua hic agitur, optime expoſuit *Deylingius* in laudata Diſſertatione.

Verſ. 16. *Τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας* ] Sunt, qui & hic legunt *καινοφωνίας*, ut ſupra 1 epiſt. VI. 20. ubi vide quæ ſcripſimus, & hic tenenda. Ex noſtratibus quidem B. *Caſpar Calvœrius* in Spicilegio Moſaico *καινοφωνίας* legit cum *Paſore*, notatus ideo ab *Hermanno Hardtio* in Vindiciis Ephemeridum ſuarum Generalibus pag 47. eo quod & editionibus omnibus, & ſcopo contextuique Apoſtoli lectio hæc adverſetur. Regeſſit ei nonnulla *Calvœrius* in Apologia Gloriæ Moſis præmiſſa, Sect. I. pag. 55. ſq. ſed ita tamen, ut rem in medio relinquat, utra lectio tenenda ſit. Mihi quidem recepta illa ſe probat, cum, quod ex *Millio* patet, unus tantum Codex *Bœrnerianus καινοφωνίας* legat, adpoſita tamen in margine altera illa *κενοφωνίας*. Nolim cum viro quodam eruditiſſimo pugnare pro priore ex eo, quod omnes *κενοφωνίαι*, ſive *κεναὶ φωναὶ*, ſint *βέβηλοι*, ac vitioſæ, dari autem poſſint *καινοφωνίαι*, ac vocum novitates, quæ vitio careant. *Καινοφωνίας* vocem ſemper in vitio poni ex uſu cognatorum verborum *καινοτομεῖν, καινοτουργεῖν, καινουργεῖν, καινουργίζειν* i. e. *res novas moliri*, apparet. *Βέβηλοι* vero dicuntur non tam, quod *vitioſa* ſunt, quam quod *profanæ*, quod de *κενοφωνίαις* omnibus itidem non dixeris. Recte B. Lutherus: ungeiſtliche loſe Geſchwätze. Confer interim Rev. *Deylingii* Diſputationem de *ὀρθοτομίᾳ τοῦ λόγου* §. 16.

*περιΐστασο* ] i. e. *vita*, ut plerique omnes; vel *cohibe*, ut *Beza*, vertit. Vide quæ olim dixi ad *Caſauboniana* pag. 290. ubi pro priore verſione pugnavi. Eandem tuetur *Deylingius* loc. cit. pag. 28. & noviſſime *Elsnerus* pag. 313. tum, quod in ſimili præcepto Apoſtolus verſ. 23. dicit *παραιτοῦ*, ut 1 *Timoth.* IV. 4. tum, quod verbum hic in *vitandi* ſignificatu frequentatur, quam in rem affert *Joſephum* de Bello Judaico II. cap. 7. *Sextum Empiricum* lib. XI. pag. 712. & *Diogenem Laertium* II. §. 131. *Bezam* ſequitur *Suicerus* Tomo II. pag. 672. & *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 620. ex Polyb. pag. 327. qui tamen locus huc non pertinere videtur *Elsnero*.

ἐπὶ

*ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας* ] Hæc verba uſque ad finem v. 20. *εἰς ἀτιμίαν*, parentheſeos nota a reliquis diſtingui cupit doctiſſimus *J. C. Swarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 119. ut ſic oratio Pauli ſine offenſione procedat. *Curcellæus* hic prave habet *προσκόψουσιν* ſine ullo vel ſcripti vel editi Codicis exemplo, refragante etiam ſenſu. Προκόπτειν enim eſt *proficere*, *incrementum capere*, quod hic vult Paulus. Vide *Lamb. Bos* ad Thom. Magiſtrum pag. 36. & nos ad *Luc.* II. 52. & *Philip.* I. 12. nec non quæ infra ſcribentur ad III. 9. *προσκόπτειν* vero eſt *offendere*, *impingere*, quod huc non quadrat.

Verſ. 17. *καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα* ] Hæreſes cum gangræna, ut alias cum venenis, morbiſque epidemicis comparantur, ad noxam earum incredibilem indicandam. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 123. & *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus & Medicis pag. 380. *γάγγραιναν* B. Luther. Krebs vertit, de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem vocum Biblic. difficiliorum pag. 94.

*νομὴν ἕξει* ] *depaſcet*. Lutherus egregie: friſſet um ſich. *Polybius* *νομὴν ποιεῖσθαι* de ulceribus dixit pag. 114. & *νομὴν λαμβάνειν* de incendio pag. 872. obſervante *Raphelio*, qui & ex *Herodoto* lib. III. pag. 242. oſtendit, *φῦμα ἐκραγὲν ἐνέμετο πρόσω*, dici, h. e. *ulcus diſruptum porro graſſabatur*. Similia *Stephanus* in Indice Theſauri ſui attulit. Verba *διανέμειν*, *κατανέμεσθαι*, *νέμεσθαι*, *ἐπινέμεσθαι* eodem ſenſu Scriptoribus adhiberi demonſtrat *Jo. Alberti* pag. 403. Notandus ex his eſt *Maximus Tyrius* Diſſert. XLI. pag. 406. *Ὥσπερ γὰρ τὰ ἑρπυστικὰ τῶν ἑλκῶν τοῖς σώμασιν ἐμπεσόντα πρόσω νέμεται, καὶ τοῦ ὑγιαίνοντός τι ἀεὶ προσαπόλλυσι —— καὶ διαβεβρωμένη καὶ σάθρα οὖσα ἡ ψυχὴ ἐπινέμεται πρόσωτε καὶ πλησίον ἀεὶ καταλαμβάνει. Nam ut ulcera ſerpentia corpus ſi ſemel invaſerint, pergunt ſemper partemque corrumpunt —— eodem modo infecta morbo ac corrupta anima latius ſerpit, & afflare ſemper vicina ſolet.*

*ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Φίλητος* ] De utroque lege B. *Ittigii* diſſert. de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici, *Zentgravii* commentat. de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas Diſput. I. §. 7. & *J. F. Buddei* Eccleſiam Apoſtolic. cap. V. p. 300. Judæi origine fuiſſe videntur *Vitringæ* Obſervatt. Sacrar. lib. IV. cap. 9. §. 7. ſqq. ſecta autem Sadducæi.

Verſ. 18. *λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι* ] Lege D. *Chriſtiani Gottlieb Kochii* Labyrinthum Chiliaſtarum inextricabilem, ſeu ſolidam demonſtrationem, Hymenæum atque Philetum futuram corporum reſurrectionem negaſſe. 1693. Qua ſpecie reſurrectio ab illis negata ſit, diſquirunt Interpretes. Nonnulli enim cum *Grotio* exiſtimant, eos reſurrectionem, in Novo Fœdere memoratam, metaphorice accipiendam tradidiſſe de *ſpirituali*, quæ cum & ſub regno Meſſiæ acciderit, quando mundus ab erroribus & vitiis ſit liberatus. Ex aliorum vero mente ad *Politicam* rerum reſtitutionem illi

retulerunt, quæ evenerit in & cum reſtituta Judæorum Republica, tum poſt exilium Babylonicum, tum poſt profanata per Antiochum Judæorum ſacra. Vide huc *Vitringam* lib. IV. Obſervatt. Sacrar. cap. IX. §. 7. ſqq. cui poſterior ſententia veri ſimilior videtur. Alii erroris hujus occaſionem ex eo natam putant, quod Judæos veteres adventum Meſſiæ cum תחיית המתים *reſurrectione mortuorum* conjunxiſſe viderent. Hoc enim *duplicem Apoſtolorum ætate errorem peperit. Alii enim, qui Chriſtum pro Meſſia receperant, redemtione jam peracta, ſibi aliisque ex hoc præjudicio perſuadebant, ſecundum Chriſti adventum protinus inſtare.* (*2 Theſſal. II. 2.*) *Aliqui e contrario inferebant, factam jam dudum; quoniam multi anni erant, ex quo venerat Redemtor; ut hoc tueri quadam ſpecie poſſent, tanti myſterii & ſolaminis beneficium in quæſitam ineptamque Hymenæus & Philetus converterant allegoriam.* Habes verba *Triglandi* ex Diatribe de Secta Karæorum pag. 122. Idem viſum eſt nuper doctiſſimo *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 888. hoc præterea addenti, *occaſionem ipſis fortaſſe dare potuiſſe illam Evangeliſtarum narrationem, quod tempore paſſionis Chriſti Sanctorum corpora ex ſepulchris ſurrexerint, multisque adparuerint. Auguſtinus* olim ep. 119. ad Januarium alium erroris fontem ita aperuit: *Nonnulli, attendentes verba, quæ aſſidue dicit Apoſtolus*: quia & mortui ſumus cum Chriſto, reſurrexerimus cum eo: *nec intelligentes, quatenus dicatur, arbitrati ſunt, jam factam eſſe reſurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum eſſe ſperandam.* Confer *Joannis Pearſoni* notas ad Expoſit. Symboli Apoſtolici pag. 678. verſ. Lat.

Verſ. 19. *Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν, κ. τ. λ.* ] Legantur, velim, Diſputationes Gieſſenſium Tom. VII. diſp. XX. pag. 498. ſq. *Franzii* aureus de Interpretatione Scripturæ tractatus pag. 126. ſq. *J. C. Dannhaueri* diſput. de ſignaculo electorum, ſive doctrina de Prædeſtinatione Argentor. 1684. in Diſputationibus ejus Academicis num XVI. pag. 409. recuſa, *Seb. Schmidius* in Append. ad Diſputatt. in formulam Concord. pag. 17. 21. 203. & *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 75. Ex Reformatis *Jo. Coccejus* Tom. VI. Operum inter epiſtolas pag. 72. b ex edit. Francofurt. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblicis pag. 928. *Jo. du Bosc* in Sermonibus Gallice editis Tom. I. pag. 439. ſqq. & *Jo. d' Outrein* in præfat. ad librum belgicum, *Heilige Verſegelingen*, quæ conſtituunt partem II. *der Heiligen Sinnebeelden*, ubi pag. 1 ſqq. hæc verba fuſe, ſed ex Reformatorum principiis, illuſtrantur. Noviſſime nonnulla ex antiquitate præcipue attulit *Jac. Nyloe* in *Schrifturlicke Redeværing*. pag. 54. & 167.

*Ὁ μέντοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ Θεοῦ ἕστηκεν* ] *Solidum tamen fundamentum DEI ſtat.* Ita recte *Beza* & *Schmidius*. At *Samuel Petitus* Variar. Lection. I. 10. vertere mavult per *pactum* aut *ſyngrapham*, tralationemque repetit non ab *ædificiis*, ſed a tabulis contractus, quæ non niſi appoſitis ſigillis apud Judæos ratæ ſint habitæ. Cauſam ita ſentiendi hanc habet, quod non fundamenta, ſed

ſed ſcripta ſigillis muniri ſoleant. Idem placuit ex Arminianis J. G. in Tract. de *ἀπολυτρώσει* cap. IV. §. 14. ab *Arrowſmitho*, de quo mox, allato, & ex noſtratibus *Amelio* Parte I. pag. 75. Vide, quæ contra hunc vocis ſignificatum ſupra ad 1 ep. V. 19. ſcripſimus. Illis adde, quæ obſervat *Arowſmithus* in Tacticis Sacris lib. II. cap. 9. pag. 199. ſq. ex *Grotio* in hunc locum repetens, olim fundamentorum lapidibus ſententias quaſdam inſcribi ſolitas, (conf. *Zachar.* III. 9. ) & electionem merito fundamenti nomine appellari poſſe, quippe cui ſalus noſtra innitatur. Hanc notionem vocis tenendam eſſe præterea ex verbo *ἕϛηκε* patet. Hoc enim non contractui, ſed *fundamento* proprie competit. Græci dicunt *θεμέλιον θεῖναι* *Luc.* VI. 48. XIV. 29. & 1 *Cor.* XII. 20. ubi de ſtructura ſermo eſt, *κεῖσθαι* autem vel *ϛῆναι*, ubi de ædificio ſuperimpoſito agitur. Ita *Thucydides* lib. I. *οἱ θεμέλιοι παντοίων λίθων ὑπόκεινται*, & *Xenophon* de re equeſtri, *μὴ ὑποκειμένων, οἵων δεῖ θεμελίων.* Vide *Stephani* Theſaurum Tom. III. pag. 1530. Advocat huc *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 564. אבן שתיא ſeu *lapidem fundamenti*, de quo Judæi multa fabulantur, quod ex ſingulari diſſertatione *Theodori Haſæi* conſtat. Quod ad rem ipſam ſpectat, plerique Interpretes fundamentum illud recte accipiunt de decreto divino, ad ſalvandos eos, qui in Chriſtum credituri ſint, relato. Vide *Calovium* noſtrum ad h. l. *Chryſoſtomus* quidem de *fidelibus* ipſis interpretatur, pro quo nonnulla affert *Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacrar. cap. XVIII. pag. 217. loca ex Judæis & Chriſtianis recitans, quibus *homines fundamentum, columnæ, ϛύλοι* appellantur.

*ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην* ] *Petitus* l. c. *σφραγῖδα* hanc cum Judæorum חתימה, de qua *Maimonides* in *Jadchaſaka* libro *Schophetim*, tractatu עדות præcipit. Eam vero de *obſignatione*, quæ ſigillo Judicis facta ſit, accipit. At falſum hic eſſe *Petitum* recte oſtendit *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. III. cap. 1. pag. 11. ſq. *Non ignota*, inquit, *res eſt iis, qui Hebræos Scriptores tractare conſueverunt*, ſ‍ל חתם & חתימה *in cauſis forenſibus, quæ ad* Contractus, obligationes, cautiones, *inſtrumenta etiam alia ſpectant, quam maxime ſignificare* ſubſignationem, ( *non* obſignationem ) *ſubſcriptionemque teſtium, vel partium contrahentium, &, ſi de Judice repetitur*, ſubſignationem, *Judicis ; non, inquam*, obſignationem, *quæ fit*, ſigillo, *quantum mihi conſtat. Ita* עדים מתומים teſtes ſubſcripti, *ſubſignati :* עדים חתמו teſtes ſubſcribunt, חתימת עדים ſubſcriptio teſtium : *in Codicibus* Bava Mezia, & Batra, Maimonide, *dicto Tractatu:* חתום שטרות ſubſcriptio tabularum Bava Mezia c. X. §. 8. Vide ibi reliqua, & intellige, *Maimonidæ* loca, a *Petito* allata, pro ipſo non facere. Præſtat igitur, *σφραγῖδα* illam accipere de eo, quod lapidi inſtar ſententiæ inſcribitur, ſicut alibi id, quod ſculpitur in annulo, ceu recte ad h. l. monuit *Grotius.* Ita *Zeltnerus* in gloſſ. ad h. l. commode monet, in regionibus Orientis apud Judæos, & hodienum apud Turcas annulis ſignatoriis loco ſymbolorum quorundam ſeu figurarum certas ſententias inſcri-

Digitized by Google

ſcriptas fuiſſe. Lege ejus Diſputationem de Monogrammate Pauli pag. 10.

*Εγνω Κύριος τὺς ὄντας αὐτῦ* ] Hæc altera eſt ſententia reſpectu electorum, à parte DEI, cui ſcilicet illi non ſolum certo *cogniti* ſint, tanquam tales, qui in Chriſtum credant (*Joh.* III. 16.) ſed *probati* quoque & cuſtodiæ ejus commendati. Hanc enim verborum *εἰδέναι* & *γινώσκειν* tum in ſacris, tum alias, notionem eſſe conſtat. Vide quæ ſcripſi ad Vol. I. pag. 956. Nihil itaque huc facit *Alex. Mori* obſervatio notis ad h. l. pag. 190. qui mallet: *Notum facit Dominus, qui ſint ſui, cum*, quod addit, *probat & exercet Eccleſiam, ut electi manifeſti fiant.* Hæc enim minime omnium ad orationem ſcopumve Pauli quadrant, qui in eo ſit, ut ſignificet, nunquam fore, ut ad exemplum aliorum, qui a fide recepta hinc avocarunt alios, hinc receſſerunt, reliqui etiam averterentur. Eſſe enim, quos Dominus ut electos cognitos habeat, tueatur & conſervet; eſſe etiam, qui præſcriptum ſibi ordinem commendatum habeant.

*τὺς ὄντας αὐτῦ* ] Eraſm. Schmidius vertit: *germanos ſuos.* Neque enim participium eſſe ait, ſed nomen, quod *γνήσιον* inferat, ex *Joh.* X. 12. Alioquin legi debere non *αὐτῦ* ſed *αὐτῦ*. Vereor, ne hæc ſubtilius dicta ſint. *Τὸ ὢν ποιμὴν* Joh. X. 12. non aliud vult, quam quod *Joh.* IV. 8. dicitur: *πῶς σὺ Ιυδαῖος ὤν.*

*καὶ ἀποςήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Χριςῦ* ] Altera hæc eſt ſententia, fundamento illi inſcripta, à parte hominum, reſpectu ordinis, electis præſcripti. Phraſin poſteriorem *Bertramus* cap. I. Lucubrationum Franckentalenſium ita tanquam ex Hebraiſmo exponit: *quiſquis de nomine Chriſti* h. e. *Chriſtianus appellatur.* Rectius nonnihil & verbis ipſis convenientius ita *Grotius*: *ὀνομάζει τὸ ὄνομα Χριςῦ*, *qui rogatus, cujus ſit diſciplinæ, Chriſtum nominat, ut Magiſtrum.* Provocat ad 1 *Cor.* I. 2. *σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλυμένοις τὸ ὄνομα τῦ Κυρίυ ἡμῶν.* At idem ille locus efficit, ut *τὸ ὀνομάζειν* hic non de nuda nominis Chriſti profeſſione, ſed de adoratione & cultu religioſo merito accipiamus. Vide, quæ ad illum locum ſcripſimus. Sic paulo poſt v. 22. *μετὰ τῶν ἐπικαλυμένων τὸν Κύριον ἐκ καθαρᾶς καρδίας.* Ita *Polybium* pag. 788. *τὸ ὀνομάζεσθαι* ſenſu prægnantiore adhibuiſſe de aliquo in auxilium vocato oſtendit *Raphelius* pag. 621. Pro *Χριςῦ* Codices aliquot legunt *Κυρίυ*, quam lectionem germanam reputat *Millius* & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Nihil quidem intereſt, quam lectionem teneas, cum per *Κύριον* illum non alium quam *Chriſtum* intelligendum eſſe vel ex 1 Cor. I. 2. appareat. Interim nihil cauſæ eſt, cur receptam lectionem deſeramus. Ad ſententiam, à Paulo hic recitatam, ſpectat, quod *Clemens Romanus* ep. II. ad Corinthios num. 8. tanquam Chriſti, Domini noſtri dictum affert: *τηρήσατε τὴν σάρκα ἁγνὴν καὶ τὴν σφραγῖδα ἄσπιλον, ἵνα τὴν αἰώνιον ζωὴν ἀπολάβητε.*

Cete-

Digitized by Google

Ceterum totius commatis interpretandi rationem aliam ingreſſus eſt nuper Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraic. pag. 889. Ipſi enim Apoſtolus duas regulas fundamentales, a Timotheo ſolicite inculcandas audientibus, proponere videtur, quarum altera ſit theoretica: ***DEUS eos, qui ad ſe pertinent, multis beneficiis afficit***; altera practica: ***Recedat ab injuſtitia, qui nomine Chriſti vocari cupit.*** Θεμέλιον hoc fine de articulo fundamentali ex Hebr. יסוד, σφραγῖδα vero de veritate certa & indubitata accipit. Comparari velim, quæ paulo ante de nexu hujus commatis cum antecedente dixi, qui verſu ſequente 20. firmatur, ubi vaſorum duplicis generis fit mentio, eo quidem fine, ut appareat; DEUM in Eccleſia habere & noſſe tum σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν (ἀτιμίαν) ***Rom.*** IX. 22. tum σκεύη εἰς τιμὴν ibid. verſ. 21. Quorum illa quidem reprobatos, quorum πίστις ἀνατέτραπται, hæc vero electos inferre non dubium eſt.

Verſ. 20. Ἐν μεγάλῃ δὲ οἰκίᾳ κ. τ. λ. ] Comma hoc una cum ſequenti exponit D. *Joach. Langius* diſſertat. ſingulari de diverſis domus DEI vaſis, Halæ 1712. Adde *Seb. Schmidii* Appendicem ad Diſputatt. in Formulam Concord. p. 302. & 312. & ***Andr. Schotti*** Adagialia Sacra p. 138. ſq.

οὐκ ἔστι μόνον σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, ἀλλὰ καὶ ξύλινα, καὶ ὀστράκινα ] *Sal. van Till* de Tabernaculo Moſis pag. 30. hic reſpici putat ad vaſa aurea menſæ impoſita, tanquam typum miniſtrorum Chriſti, variis donis ſpiritualibus inſtructorum, unde illis pretium concilietur; varietatem vero illam miniſterii varietatem inferre opinatur. Hanc Pauli mentem eſſe nunquam crediderit, qui recogitet, hic non de miniſtris, ſed membris Eccleſiæ, ſermonem eſſe, ex quibus alia fidem abjecerant, alia vero habebant, & inpoſterum ſervatura erant. Taceo, σκεύη χρυσᾶ eadem eſſe cum σκεύεσι εἰς τιμὴν, & ξύλινα cum σκεύεσι εἰς ἀτιμίαν.

καὶ ἃ μὲν εἰς τιμὴν, ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν ] B. *Theodorus Daſſovius* in Corollar. II. ad Diſputat. de modo ſeminandi diverſa ſemina apud Hebræos ita: *Vaſa honorata, & contemta ſive decoris memorantur in* Miſchna Aboda Sara *cap. III. §. 3. & explicantur ibidem in commentario* Bartenoræ, *quod honorata fuerint, quæ adhibebantur ad decus & honorem atque ornatum, ejusmodi etiam erant monilia & annuli; contemta vero appellarentur ea, quæ ad vilia miniſteria adhibebantur, cujusmodi erant ahena, & vaſa calefaciendis aquis inſervientia. Conferatur* Sepher hearuch fol. 82. col. 2. med. *ubi inter vaſa contemta inprimis illa numerantur, in quibus lotium aut ſanguis in venæ ſectione excipiebantur.* Quo forte reſpexit Paulus 2 *Tim.* II. 20. De utroque horum vaſorum genere lege Patres apud *Svicerum* Tom. II. p. 969.

Verſ. 21. Ἐὰν οὖν τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων ] Ita in *Synopſi Sohar* pag. 26. n. 5. *Anima, ſive mens hominis eſt vaſculum* ***DEI S. B.*** *non autem utitur eadem, niſi prius eandem depuraverit igne legis.* Debes h. l. *Schœtgenio,*

*nio.* Ἐκκαθαίρειν propric de vaſis adhibitum à *Xenophonte* initio Convivii p. 689. transfertur ad animum, quando ἄνδρας ἐκκεκαθαρμένους τὰς ψυχὰς commemorat. Vide *Raphelium* pag. 395. qui & *Ariſtidem* Rhetorem de dictione ſimplici cap. 13. phraſin illam Herodoti recte explicantem affert. Adde ejusdem Annotatt. Arrianas pag. 621. ex libro II. Diſſertatt. Epictet. II. 21. & 23. ubi προαίρεσιν ἐκκαθᾶραι jubet.

ἔσαι σκεῦος εἰς τιμὴν ] Sic *Lucianus*, obſervante *Jo. Alberti*, p. 404. Jov. Confut. pag. 122. ὑμεῖς δὲ ὥσπερ σκεύη τινὰ καὶ ἐργαλεῖα ἐςὲ αὐτῶν, *vos veluti vaſa quædam & inſtrumenta earum* ( Parcarum ) *eſtis*.

καὶ εὔχρηςον ] καὶ illud non agnoſcunt aliquot Codd. nec nefas duxit N. T. Græco Anglicani editor expungere.

Verſ. 22. Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε ] *Juveniles autem cupiditates fuge*. Digna eſt, quæ legatur, *Jo. Andr. Boſii* diſputatio ad h. l. Jenæ 1673. primum edita, hinc vero in Theſauro Theolog. Philolog. pag. 687. & nuper admodum cum ejusdem Introduct. in Notitiam Scriptorum Eccleſiaſt. Jenæ 1723. recuſa. Dubium hic viſum eſt, num νεωτερικαὶ juveniles, an potius rerum novarum cupiditates deſignent. Prius Interpretibus antiquis & novis tantum non omnibus placuit, at poſterius *Salmaſio* in Apparatu ad libros de Primatu Papæ, *Jona. Schlichtingio* pag. 231. Opp. Exeget. & ex noſtratibus *Jo. Wandalino* in eximia Diatribe de Feria Paſſionis & triduo mortis Domini noſtri J. C. cap. I. initio, ſe probavit. Contra *Salmaſium* nonnulla dixit *Suicerus* Tom. I. 1167. contra utrumque autem majori apparatu diſputavit *Boſius* in diſſert. citata, qui *Wandalini* quidem nomen tacet, eam vero, quam diximus, diatribam diſerte appellat. Qui obſervata ejus legerit, in recepta interpretatione procul dubio acquieſcet, quam M. *Müllerus* Programmate ſingulari, in Sylloge Diſſertatt. Gabr. Terne pag. 796. recuſo, itidem defendit.

μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Κύριον ] Codices quidem habent μετὰ πάντων τῶν ἐπικαλ. τ. κ. quomodo etiam exhibet *Eraſmus Schmidius*, quamvis in verſione ſimpliciter habeat : *cum illis, qui invocant Dominum. Pricæus* itidem hoc malebat. Ita 1 *Cor.* I. 2. σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις, ubi vide quæ de ſenſu phraſeos ſcripſimus.

Verſ. 23. Τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ ] Quæſtiones ejusmodi ſtultas, in Philoſophorum ſcholis diſputari ſolitas, ſalſe aliquoties ridet *Lucianus*, cujus locos promit Cl. *Langius* in Specimine Annotatt. ex Luciano pag. 41. ſqq. De Argumento ipſo ex hoc & ſequenti commate diſſerit Rev. *Jo. Laurent. Moſheimius* tribus diſſertatt. de Theologo non contentioſo, Helmſtad. 1723. quarum ſummam habes in Annalibus Acad. Juliæ Semeſtri VII. pag. 163. ſqq.

Verſ.

Verſ. 24. Δῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι κ. τ. λ. ] Comma hoc cum ſequentibus duobus illuſtrat *Alethaus* Parte III. der Erläuterung p. 365. ſqq.

*διδακτικὸν* ] *docibilem* reddidit *Vulg.* ( quem defendit *Goldaſt.* ad Parænet. veter. pag. 79. ) eo procul dubio *ſenſu*, quem alii clarius expreſſerunt, per *aptum ad docendum*. Vide ad 1 *Tim.* III. 2. & confer hic *Arnaldi* Defenſionem continuatam verſionis Gallicæ Montenſis pag. 537. quæ recte reddiderat, *capable d' inſtruire*, pro quo *Mallietus* maluerat *docile*.

Verſ. 25. Ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους ] *cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo ſunt affecti.* Ἀντιδιαθέμενοι ſunt *ἀντικείμενοι*, quam vocem hic habet Codex Bœrnerianus, procul dubio ex interpretamento. Nonnulli Codd. addunt τῇ ἀληθείᾳ, forte ex cap. III. v. 8. ubi dicitur, καὶ οὗτοι ἀνθίσανται τῇ ἀληθείᾳ. Idem quoque expreſſit *Vulg.* unde & à *Luthero* additum voluit *Emſerus*, à *Raithio* pag. 566. Vindiciarum ideo recte notatus. De verbo παιδεύειν lege *Suicerum* Tom. II. p. 546.

*μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν* ] *num aliquando det eis DEUS pœnitentiam.* Τὸ μὴ hic non eſt negativum, vel prohibitivum, ſed interrogativum, ut εἰ ἄρα *Act.* VIII. 22. quod nervoſe hic monet *Schmidius*. Confer *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sacr. pag. 123. & *Hackſpan.* Not. Miſcellan. Part. III. pag. 7. *Gatakerus* ad Antonin. IV. 24. poſt *Grotium*, ſubintelligi vult *exſpectando*, ſive, *experiendo*, num aliquando DEUS illis ſit reſipiſcentiam daturus, cujusmodi ellipſin ait occurrere *Matth.* XXV. 9. & *Act.* V. 39. Recte *Iſidorus Peluſiota* : μετανοίας ἐλπίδα, οὐκ ἀναίρεσιν ἐμφαίνει. Simili fere ratione *Polybius* lib. IV. cap. 21. ἵν' ἄν ποτ' αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐνδῷ, *ut ſi quando clementius cum ipſis egerit DEUS.*

Verſ. 26. Καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος ] *Et num ſobrietate mentis recepta evadant è laqueo Diaboli*, interprete *Schmidio*, vel, ut alii brevius, *& reſipiſcant è* &c. Tralatio ab iis facta, qui, ubi crapulam edormierint, veternumque, quem vini hauſtu copioſiore contraxerant, excuſſerint, ad priſtinum mentis ſtatum jam redeunt. Ita vim verbi apte explicat *Gatakerus* ad Antonin. VI. §. 31. cujus verba hæc ſunt : ἀνάνηφε, καὶ ἀνακαλοῦ σεαυτόν· καὶ ἐξυπνισθεὶς πάλιν καὶ ἐννοήσας, ὅτι ὄνειροί σοι ἠνώχλουν, πάλιν ἐγρηγορὼς βλέπε ταῦτα, ὡς ἐκεῖνα ἔβλεπες. Patrum expoſitiones lege apud *Suicerum* Tom. I. pag. 291. externorum Scriptorum auctoritates apud *Hombergium* pag. 335. & *Elsnerum* pag. 315. Prior ſpeciatim monet, *Lucianum* alicubi dicere ἀνανήψαντα μετανοῆσαι, ſicut Apoſtolus hic μετάνοιαν paulo ante commemorat. Eum tamen non puto probandum, quando totum comma ita vult converti : *ut reſipiſcant, ſervati vel vivi capti ex laqueis Diaboli ad illius* ( nempe DEI ) *voluntatem*. Idem placuit ante *Bezæ*, & *Pricæo*, qui propterea legi quoque mallet ἀπ' αὐτοῦ i. e. ex ſervitute & poteſtate diaboli. *Pricæo* adſtipulatur *Suicerus*

ad loc. *Joannes Lomeierus* Dierum Genialium Decade II. pag. 331. *David Gſellius* in Sacrificiis Veteris Teſtamenti, Duisburgi 1712. editis, pag. 206. qui tamen ad Judæorum *μεριςὰς*, qui Scripturam ſacram in הפטרות, ſeu *Sectiones* diviſam habebant, reſpici quoque poſſe opinatur. Noviſſime eandem ſententiam adoptavit Cl. M. *Langius* in laudata diſſertatione pag. 29. Sed illa de victimis cogitatio *Lamberto Boſio* loc. cit. diſplicet, ideo inprimis, quod ὀρθοτομεῖν nunquam de animalibus diſſecandis adhibitum inveniatur. Eidem id inprimis adverſatur, quod DEUS ipſe de victimarum ſectione nihil admodum præceperit, atque ea, quæ Judæi ſingularibus libris hodie tradunt, recentioris ætatis commenta referant. Recte hoc monet Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 888. Addiderim his, quod, poſita hac metaphora, verbum veritatis cum ſacrificiis comparetur. Hoc vero Scripturæ inſuetum eſt, quæ homines potius per Evangelium victimas DEO parari & ſiſti docet.

*Jacobus Rhenferdius* in Diſſertatione II. de decem Otioſis Synagogæ cap. II. §. 8. *διακόνες* veterum huc advocat, qui *δαιτροὶ* & *τομεῖς* dicti ſint, *ἀπὸ τῦ διαιρεῖν κ̀ διανέμειν*, auctore *Plutarcho*, quemadmodum etiam *Plato* Dialecticos rudes & imperitos res bene dividendi, ineptis coquis comparet, qui cibos male dividant, imo potius diſcerpant obſervante *Stuckio* Antiquitatt. Convival. II. 21.

A *lapicidis* phraſin repetit *Pricæus* ad h. l. confutatus a *Boſio* loc. cit. pag. 28. negante, de nullis frequentius aut magis proprie, quam de iis adhiberi.

Ipſe *Boſius* ad Aratores reſpexiſſe putat Apoſtolum, qui arantes *τέμνειν τὴν γῆν, σχίζειν* & *ἐπισχίζειν ἀρέρας* dicantur. Hinc pag. 30. ita: *Verbum hoc ab aratoribus*, rectos ducentibus ſulcos, '*translatum eſt ad eos, qui rectas vias inſiſtunt, quique vitam ſuam ita, ut decet, inſtituunt, recte omnia faciunt, pureque, candide & ſincere in omnibus agunt.* Proverb. XI. 5. *δικαιοσύνη ἀμώμες ὀρθοτομεῖ ὁδές.* Et pag. 31. *Cum igitur de doctore Evangelii, ut hic, dicitur ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, nihil aliud ſignificet, quam verbum Evangelii pure & ſincere docere, non cum fuco & dolo prædicare proprii quæſtus gratia, quemadmodum falſi quidam Apoſtoli id temporis faciebant, qui inde ἐργάται δόλιοι appellantur; ſed veritatem Evangelii ita prædicare, uti ea ſe habet, nihil addere, nihil demere.* In hac ſententia inprimis ex eo ſe confirmatum ait, quod *ἐργάτων* mentio fit, quam vocem de eo inprimis, qui opus ruſticum facit, adhiberi diximus. Amplectuntur hoc *Amelius* loc. cit. pag. 445. & *Alethæus.* Sed ſunt, quæ opponi poſſint. Ut negari non poteſt, aratores *τέμνειν* & *σχίζειν τὴν γῆν* dici, ita *ὀρθοτομεῖν* de iiſdem adhiberi nusquam adparet. Ponamus, Apoſtolum ad aratores reſpexiſſe; nondum hinc conſequeretur, cum in metaphora illa perſiſtere voluiſſe. Id enim verbum *παραςῆσαι* non perſuadet. Taceo, *ἐργάτην* de quocunque operario adhiberi 1 *Timoth.* V. 18.

Non

Non magis probem B. *Joannis Henrici Maji* conjecturam lib. I. Obſervationum Sacrarum pag. 84. edit II. propoſitam. Symbolice ait *τέμνειν γλώσσας ſilere* Græcis eſſe, teſte *Apollonii Rhodii* Scholiaſte ad Argonaut. I. 517. & *Euſtathio* ad Homer. Odyſſ. γ΄. verſ. 332. *ἐν δὲ παλαιῷ ὑπομνήματι ἱστορεῖται καὶ συμβολικῶς εἰρῆσθαι τὸ, ἀλλ᾽ ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας, ἵνα λέγῃ, ἀλλ᾽ ἄγε σιγῶμεν πεισθέντες νυκτί· εὔηθες γὰρ τὸ λέγειν, σύντεμε τοὺς λόγους.* *En*, inquit, *noſtram phraſin! quæ ſi hic admittenda foret, ſenſus eſſet, ſic verſandum in annunciatione verbi veritatis, ut cogitemus ſemper, quid loquendum, quomodo & quamdiu.* Non intelligo, qua ſpecie formula illa proverbialis, ad *ſilentium* potiſſimum relata, huc advocari poſſit, ubi non tam ſilentium, quam recta verbi promulgatio jubetur. Taceo, aliud eſſe *τέμνειν γλῶσσαν*, aliud *ὀρθοτομεῖν λόγον*.

*Nicolaus Fullerus* in Miſcellan. lib. III. cap. 16. Judæorum phraſin פסק בתורה, i. e. *τέμνειν τὸν λόγον* hic agnoſcit, monetque פוסקים בתורה *ſecantes legem* dictos eſſe, qui in lege tractanda occupati fuerint. Arridet hoc Rev. *Deylingio* loc. cit. pag. 21. & in Miſſu I. Obſervationum Exegeticarum p. 13. At recte olim obvertit *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. pag. 714. verbum פסק a Magiſtris adhiberi de iis, qui cauſas *definiunt & decidunt*. Confer *Buxtorfii* Lexicon Talmudicum rad. פסק. Sic hodienum פוסקים in libris שאלות ותשובות, i. e. *Quæſitorum & Reſponſorum* appellantur, qui diſceptationes rituales aut alia capita controverſa ad liquidum perducunt, ſicut פסקים, *deciſa*, dicuntur.

Ipſe *Vitringa* loc. cit. Apoſtolum ad officium τοῦ *οἰκονόμου*, *diſpenſatoris domus*, cum quo miniſtrum Novi Fœderis comparare ſoleat, ſtatuit reſpicere, cui nimirum competat *panem ciboſque frangere, ſcindere, diſtribuere* filiis familias. *Sane*, ita pergit, *Hebræorum etiam priſci Doctores capita doctrinæ cum* cibo, pane & carne *compararunt, quæ diſpeſcere & diſtribuere ſecundum hanc metaphoram ſit* docere, *accipere* facta & *diſtributa ſit* diſcere. Confer 1 *Corinth.* III. 2. & *Hebr.* V. 12. Affinis eſt hæc ſententia illi *Rhenferdii*, quam ſupra commemoravimus. Eadem arriſit *Petro Zornio* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 261. Nec mihi diſpliceret, niſi eſſet, quod magis probarem.

Scilicet omnium optime res inſtituere mihi videntur, qui *Vulgatum* ſecuti *ὀρθοτομεῖν* vertunt *recte tractare*, quemadmodum vetus Gloſſarium *ὀρθοτομῶ* exponit: *rectifico, recte tracto*, non improbante *Fullero* loc. cit. qui præterea obſervat, τοὺς LXX. *Proverb.* III. 6. & XI. Hebræum ישר per *ὀρθοτομεῖν* reddere, Græcos vero alias dicere *καινοτομεῖν*. Quemadmodum autem nemo illud *res novas ſecare* converterit; ita non magis *ὀρθοτομεῖν recte ſecare* dicetur. Lege, quæ plura in hanc ſententiam dicunt *Svicerus* Tom. II. p. 500. *Deylingius* loc. cit. pag. 21. & *Elsnerus* pag. 311. ſqq. Hic inter cetera ita:



Digitized by Google

*Itaque* ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *eſt* recta procedere in Evangelio, *minime aberrare a via regia, nec quæſitas ambages turpesque vias* &c. idem quod *Galat.* II. 14. ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τῦ εὐαγγελίου. Græci, eodem monente, idem dicunt διαιρεῖν ὀρθῶς τοὺς λόγους, ut *Iſocrat.* Panathen. pag. 560. & *Ariſtophan.* Nubib. verſ. 470. ὀρθῶς διαιρῶν καὶ σκοπῶν. Cl. *Schœtgenius* pag. 888. Horarum Hebraicarum commode obſervat, Hebræos verbo פרס, id vero eſt *dividere*, uti de explicatione legis divinæ. Locus eſt in *Megilla* fol. 24. 1. *Quicunque recidat Haphtharas ex Prophetis, is etiam* פורס *dividit* (explicare poteſt) *Kriſchma, & coram arca orat.*

Rem ipſam, de qua hic agitur, optime expoſuit *Deylingius* in laudata Diſſertatione.

Verſ. 16. Τὰς δὲ βεβήλους κενοφωνίας ] Sunt, qui & hic legunt καινοφωνίας, ut ſupra 1 epiſt. VI. 20. ubi vide quæ ſcripſimus, & hic tenenda. Ex noſtratibus quidem B. *Caſpar Calvœrius* in Spicilegio Moſaico καινοφωνίας legit cum *Paſore*, notatus ideo ab *Hermanno Hardtio* in Vindiciis Ephemeridum ſuarum Generalibus pag 47. eo quod & editionibus omnibus, & ſcopo contextuique Apoſtoli lectio hæc adverſetur. Regeſſit ei nonnulla *Calvœrius* in Apologia Gloriæ Moſis præmiſſa, Sect. I. pag. 55. ſq. ſed ita tamen, ut rem in medio relinquat, utra lectio tenenda ſit. Mihi quidem recepta illa ſe probat, cum, quod ex *Millio* patet, unus tantum Codex *Bœrnerianus* καινοφωνίας legat, adpoſita tamen in margine altera illa κενοφωνίας. Nolim cum viro quodam eruditiſſimo pugnare pro priore ex eo, quod omnes κενοφωνίαι, ſive κεναὶ φωναὶ, ſint βέβηλοι, ac vitioſæ, dari autem poſſint καινοφωνίαι, ac vocum novitates, quæ vitio careant. Καινοφωνίας vocem ſemper in vitio poni ex uſu cognatorum verborum καινοτομεῖν, καινοτουργεῖν, καινουργεῖν, καινουργίζειν i. e. *res novas moliri*, apparet. Βέβηλοι vero dicuntur non tam, quod *vitioſæ* ſunt, quam quod *profanæ*, quod de κενοφωνίαις omnibus itidem non dixeris. Recte B. Lutherus: ungeiſtliche loſe Geſchwätze. Confer interim Rev. *Deylingii* Diſputationem de ὀρθοτομίᾳ τῦ λόγου §. 16.

περιΐστασο ] i. e. *vita*, ut plerique omnes; vel *cohibe*, ut *Beza*, vertit. Vide quæ olim dixi ad *Caſauboniana* pag. 290. ubi pro priore verſione pugnavi. Eandem tuetur *Deylingius* loc. cit. pag. 28. & noviſſime *Elsnerus* pag. 313. tum, quod in ſimili præcepto Apoſtolus verſ. 23. dicit παραιτοῦ, ut 1 *Timoth.* IV, 4. tum, quod verbum hic in *vitandi* ſignificatu frequentatur, quam in rem affert *Joſephum* de Bello Judaico II. cap. 7. *Sextum Empiricum* lib. XI. pag. 712. & *Diogenem Laërtium* II. §. 131. *Bezam* ſequitur *Suicerus* Tomo II. pag. 672. & *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 620. ex Polyb. pag. 327. qui tamen locus huc non pertinere videtur *Elsnero*.

ἐπὶ

*ἐπὶ πλεῖον γὰρ προκόψουσιν ἀσεβείας* ] Hæc verba uſque ad finem v. 20. *εἰς ἀτιμίαν*, parentheſeos nota a reliquis diſtingui cupit doctiſſimus *J. C. Swarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 119. ut ſic oratio Pauli ſine offenſione procedat. *Curcellæus* hic prave habet *προσκόψουσιν* ſine ullo vel ſcripti vel editi Codicis exemplo, refragante etiam ſenſu. *Προκόπτειν* enim eſt *proficere, incrementum capere*, quod hic vult Paulus. Vide *Lamb. Bos* ad Thom. Magiſtrum pag. 36. & nos ad *Luc.* II. 52. & *Philip.* I. 12. nec non quæ infra ſcribentur ad III. 9. *προσκόπτειν* vero eſt *offendere, impingere*, quod huc non quadrat.

Verſ. 17. *καὶ ὁ λόγος αὐτῶν ὡς γάγγραινα* ] Hæreſes cum gangræna, ut alias cum venenis, morbisque epidemicis comparantur, ad noxam earum incredibilem indicandam. Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 123. & *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus & Medicis pag. 380. *γάγγραιναν* B. Luther. Krebs vertit, de qua voce lege *Stadenii* Expoſitionem vocum Biblic. difficiliorum pag. 94.

*νομὴν ἕξει* ] *depaſcet.* Lutherus egregie: friſſet um ſich. *Polybius νομὴν ποιεῖσθαι* de ulceribus dixit pag. 114. & *νομὴν λαμβάνειν* de incendio pag. 872. obſervante *Raphelio*, qui & ex *Herodoto* lib. III. pag. 242. oſtendit, *φῦμα ἐκραγὲν ἐνέμετο πρόσω*, dici, h. e. *ulcus diſruptum porro graſſabatur.* Similia *Stephanus* in Indice Theſauri ſui attulit. Verba *διανέμειν, κατανέμεσθαι, νέμεσθαι, ἐπινέμεσθαι* eodem ſenſu Scriptoribus adhiberi demonſtrat *Jo. Alberti* pag. 403. Notandus ex his eſt *Maximus Tyrius* Diſſert. XLI. pag. 406. *Ὥσπερ γὰρ τὰ ἑρπυστικὰ τῶν ἑλκῶν τοῖς σώμασιν ἐμπεσόντα πρόσω νέμεται, καὶ τοῦ ὑγιαίνοντός τι ἀεὶ προσαπόλλυσι* —— *καὶ διαβιβρωμένη καὶ σάθρα οὖσα ἡ ψυχὴ ἐπινέμεται πρόσωτε καὶ πλησίον ἀεὶ καταλαμβάνει. Nam ut ulcera ſerpentia corpus ſi ſemel invaſerint, pergunt ſemper partemque corrumpunt* —— *eodem modo infecta morbo ac corrupta anima latius ſerpit, & afflare ſemper vicina ſolet.*

*ὧν ἐστιν Ὑμέναιος καὶ Φίλητος* ] De utroque lege B. *Ittigii* diſſert. de Hæreſiarchis ævi Apoſtolici, *Zentgravii* commentat. de lapſu Tertulliani ad Montaniſtas Diſput. I. §. 7. & *J. F. Buddei* Eccleſiam Apoſtolic. cap. V. p. 300. Judæi origine fuiſſe videntur *Vitringæ* Obſervatt. Sacrar. lib. IV. cap. 9. §. 7. ſqq. ſecta autem Sadducæi.

Verſ. 18. *λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι* ] Lege D. *Chriſtiani Gottlieb Kochii* Labyrinthum Chiliaſtarum inextricabilem, ſeu ſolidam demonſtrationem, Hymenæum atque Philetum futuram corporum reſurrectionem negaſſe. 1693. Qua ſpecie reſurrectio ab illis negata ſit, diſquirunt Interpretes. Nonnulli enim cum *Grotio* exiſtimant, eos reſurrectionem, in Novo Fœdere memoratam, metaphorice accipiendam tradidiſſe de *ſpirituali*, quæ cum & ſub regno Meſſiæ acciderit, quando mundus ab erroribus & vitiis ſit liberatus. Ex aliorum vero mente ad *Politicam* rerum reſtitutionem illi

retulerunt, quæ evenerit in & cum reſtituta Judæorum Republica, tum poſt exilium Babylonicum, tum poſt profanata per Antiochum Judæorum ſacra. Vide huc *Vitringam* lib. IV. Obſervatt. Sacrar. cap. IX. §. 7. ſqq. cui poſterior ſententia veri ſimilior videtur. Alii erroris hujus occaſionem ex eo natam putant, quod Judæos veteres adventum Meſſiæ cum תחיית המתים *reſurrectione mortuorum* conjunxiſſe viderent. Hoc enim *duplicem Apoſtolorum ætate errorem peperit. Alii enim, qui Chriſtum pro Meſſia receperant, redemtione jam peracta, ſibi aliisque ex hoc præjudicio perſuadebant, ſecundum Chriſti adventum protinus inſtare.* (2 *Theſſal. II.* 2.) *Aliqui e contrario inferebant, factam jam dudum; quoniam multi anni erant, ex quo venerat Redemtor; ut hoc tueri quadam ſpecie poſſent, tanti myſterii & ſolaminis beneficium in quæſitam ineptamque Hymenæus & Philetus converterant allegoriam.* Habes verba *Triglandi* ex Diatribe de Secta Karæorum pag. 122. Idem viſum eſt nuper doctiſſimo *Schætgenio* in Horis Hebraicis pag. 888. hoc præterea addenti, *occaſionem ipſis fortaſſe dare potuiſſe illam Evangeliſtarum narrationem, quod tempore paſſionis Chriſti Sanctorum corpora ex ſepulchris ſurrexerint, multisque adparuerint. Auguſtinus* olim ep. 119. ad Januarium alium erroris fontem ita aperuit: *Nonnulli, attendentes verba, quæ aſſidue dicit Apoſtolus:* quia & mortui ſumus cum Chriſto, reſurrexerimus cum eo: *nec intelligentes, quatenus dicatur, arbitrati ſunt, jam factam eſſe reſurrectionem, nec ullam ulterius in fine temporum eſſe ſperandam.* Confer *Joannis Pearſoni* notas ad Expoſit. Symboli Apoſtolici pag. 678. verſ. Lat.

Verſ. 19. *Ο μέντοι ϛερεὸς θεμέλιος τȣ̃ Θεȣ̃ ἕϛηκεν, κ. τ. λ.* ] Legantur, velim, Diſputationes Gieſſenſium Tom. VII. diſp. XX. pag. 498. ſq. *Franzii* aureus de Interpretatione Scripturæ tractatus pag. 126. ſq. *J. C. Dannhaueri* diſput. de ſignaculo electorum, ſive doctrina de Prædeſtinatione Argentor. 1684. in Diſputationibus ejus Academicis num XVI. pag. 409. recuſa, *Seb. Schmidius* in Append. ad Diſputatt. in formulam Concord. pag. 17. 21. 203. & *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 75. Ex Reformatis *Jo. Coccejus* Tom. VI. Operum inter epiſtolas pag. 72. b ex edit. Francofurt. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblicis pag. 928. *Jo. du Bosc* in Sermonibus Gallice editis Tom. I. pag. 439. ſqq. & *Jo. d' Outrein* in præfat. ad librum belgicum, *Heilige Verſegelingen*, quæ conſtituunt partem II. *der Heiligen Sinnebeelden*, ubi pag. 1 ſqq. hæc verba fuſe, ſed ex Reformatorum principiis, illuſtrantur. Noviſſime nonnulla ex antiquitate præcipue attulit *Jac. Nyloe* in *Schriftuurlicke Redeværing*. pag. 54. & 167.

*Ο μέντοι ϛερεὸς θεμέλιος τȣ̃ Θεȣ̃ ἕϛηκεν* ] *Solidum tamen fundamentum DEI ſtat.* Ita recte *Beza* & *Schmidius*. At *Samuel Petitus* Variar. Lection. I. 10. vertere mavult per *pactum* aut *ſyngrapham*, tralationemque repetit non ab *ædificiis*, ſed a tabulis contractus, quæ non niſi appoſitis ſigillis apud Judæos ratæ ſint habitæ. Cauſam ita ſentiendi hanc habet, quod non fundamenta,

ſed

ſed ſcripta ſigillis muniri ſoleant. Idem placuit ex Arminianis J. G. in Tract. de *ἀπολυτρώσει* cap. IV. §. 14. ab *Arrowſmitho*, de quo mox, allato, & ex noſtratibus *Amelio* Parte I. pag. 75. Vide, quæ contra hunc vocis ſignificatum ſupra ad 1 ep. V. 19. ſcripſimus. Illis adde, quæ obſervat *Arowſmithus* in Tacticis Sacris lib. II. cap. 9. pag. 199. ſq. ex *Grotio* in hunc locum repetens, olim fundamentorum lapidibus ſententias quasdam inſcribi ſolitas, (conf. *Zachar.* III. 9.) & electionem merito fundamenti nomine appellari poſſe, quippe cui ſalus noſtra innitatur. Hanc notionem vocis tenendam eſſe præterea ex verbo *ἕστηκε* patet. Hoc enim non contractui, ſed *fundamento* proprie competit. Græci dicunt *θεμέλιον θέσθαι Luc.* VI. 48. XIV. 29. & 1 *Cor.* XII. 20. ubi de ſtructura ſermo eſt, *κεῖσθαι* autem vel *στῆναι*, ubi de ædificio ſuperimpoſito agitur. Ita *Thucydides* lib. I. *οἱ θεμέλιοι παντοίων λίθων ὑπόκεινται*, & *Xenophon* de re equeſtri, *μὴ ὑποκειμένων, ὧν δεῖ θεμελίων.* Vide *Stephani* Theſaurum Tom. III. pag. 1530. Advocat huc *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 564. אבן שתיא ſeu *lapidem fundamenti*, de quo Judæi multa fabulantur, quod ex ſingulari diſſertatione *Theodori Haſæi* conſtat. Quod ad rem ipſam ſpectat, plerique Interpretes fundamentum illud recte accipiunt de decreto divino, ad ſalvandos eos, qui in Chriſtum credituri ſint, relato. Vide *Calovium* noſtrum ad h. l. *Chryſoſtomus* quidem de *fidelibus* ipſis interpretatur, pro quo nonnulla affert *Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacrar. cap. XVIII. pag. 217. loca ex Judæis & Chriſtianis recitans, quibus *homines fundamentum, columnæ, στῦλοι* appellantur.

*ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην* ] *Petitus* l. c. *σφραγῖδα* hanc cum Judæorum חתימה, de qua *Maimonides* in *Jadchaſaka* libro *Schophetim,* tractatu עדות præcipit. Eam vero de *obſignatione*, quæ ſigillo Judicis facta ſit, accipit. At falſum hic eſſe *Petitum* recte oſtendit *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. III. cap. 1. pag. 11. ſq. *Non ignota*, inquit, *res eſt iis, qui Hebræos Scriptores tractare conſueverunt, Id* חתימה *&* חתם *in cauſis forenſibus, quæ ad* Contractus, obligationes, cautiones, *inſtrumenta etiam alia ſpectant, quam maxime ſignificare* ſubſignationem, ( *non* obſignationem ) *ſubſcriptionemque teſtium, vel partium contrahentium, &, ſi de Judice repetitur*, ſubſignationem, *Judicis ; non, inquam,* obſignationem, *qua fit*, ſigillo, *quantum mihi conſtat. Ita* עדים מתומים teſtes ſubſcripti, *ſubſignati :* עדים חתמו teſtes ſubſcribunt, חתימת עדים ſubſcriptio teſtium : *in Codicibus* Bava Mezia, *&* Batra, Maimonide, *dicto Tractatu* חתום שטרות ſubſcriptio tabularum Bava Mezia c. X. §. 8. Vide ibi reliqua, & intellige, *Maimonidæ* loca, a *Petito* allata, pro ipſo non facere. Præſtat igitur, *σφραγῖδα* illam accipere de eo, quod lapidi inſtar ſententiæ inſcribitur, ſicut alibi id, quod ſculpitur in annulo, ceu recte ad h. l. monuit *Grotius*. Ita *Zeltnerus* in gloſſ. ad h. l. commode monet, in regionibus Orientis apud Judæos, & hodienum apud Turcas annulis ſignatoriis loco ſymbolorum quorundam ſeu figurarum certas ſententias inſcri-

ſcriptas fuiſſe. Lege ejus Diſputationem de Monogrammate Pauli pag. 10.

*Εγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ* ] Hæc altera eſt ſententia reſpectu electorum, à parte DEI, cui ſcilicet illi non ſolum certo *cogniti* ſint, tanquam tales, qui in Chriſtum credant ( *Job.* III. 16. ) ſed *probati* quoque & cuſtodiæ ejus commendati. Hanc enim verborum *εἰδέναι* & *γινώσκειν* tum in ſacris, tum alias, notionem eſſe conſtat. Vide quæ ſcripſi ad Vol. I. pag. 956. Nihil itaque huc facit *Alex. Mori* obſervatio notis ad h. l. pag. 190. qui mallet: *Notum facit Dominus, qui ſint ſui, cum*, quod addit, *probat & exercet Eccleſiam, ut electi manifeſti fiant.* Hæc enim minime omnium ad orationem ſcopumve Pauli quadrant, qui in eo ſit, ut ſignificet, nunquam fore, ut ad exemplum aliorum, qui a fide recepta hinc avocarunt alios, hinc receſſerunt, reliqui etiam averterentur. Eſſe enim, quos Dominus ut electos cognitos habeat, tueatur & conſervet; eſſe etiam, qui præſcriptum ſibi ordinem commendatum habeant.

*τοὺς ὄντας αὐτοῦ* ] Eraſm. Schmidius vertit: *germanos ſuos.* Neque enim participium eſſe ait, ſed nomen, quod *γνήσιον* inferat, ex *Job.* X. 12. Alioquin legi debere non *αὐτοῦ* ſed *αὑτοῦ*. Vereor, ne hæc ſubtilius dicta ſint. *Τὸ ὢν ποιμὴν* Joh. X. 12. non aliud vult, quam quod *Job.* IV. 8. dicitur: *πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν.*

*καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Χριστοῦ* ] Altera hæc eſt ſententia, fundamento illi inſcripta, à parte hominum, reſpectu ordinis, electis præſcripti. Phraſin poſteriorem *Bertramus* cap. I. Lucubrationum Franckentalenſium ita tanquam ex Hebraiſmo exponit: *quisquis de nomine Chriſti* h. e. *Chriſtianus appellatur.* Rectius nonnihil & verbis ipſis convenientius ita *Grotius*: *ὀνομάζει τὸ ὄνομα Χριστοῦ*, *qui rogatus, cujus ſit diſciplinæ, Chriſtum nominat, ut Magiſtrum.* Provocat ad 1 *Cor.* I. 2. *σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἡμῶν.* At idem ille locus efficit, ut *τὸ ὀνομάζειν* hic non de nuda nominis Chriſti profeſſione, ſed de adoratione & cultu religioſo merito accipiamus. Vide, quæ ad illum locum ſcripſimus. Sic paulo poſt v. 22. *μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Κύριον ἐκ καθαρᾶς καρδίας.* Ita *Polybium* pag. 788. *τὸ ὀνομάζεσθαι* ſenſu prægnantiore adhibuiſſe de aliquo in auxilium vocato oſtendit *Raphelius* pag. 621. Pro *Χριστοῦ* Codices aliquot legunt *Κυρίου*, quam lectionem germanam reputat *Millius* & recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit. Nihil quidem intereſt, quam lectionem teneas, cum per *Κύριον* illum non alium quam *Chriſtum* intelligendum eſſe vel ex 1 Cor. I. 2. appareat. Interim nihil cauſæ eſt, cur receptam lectionem deſeramus. Ad ſententiam, à Paulo hic recitatam, ſpectat, quod *Clemens Romanus* ep. II. ad Corinthios num. 8. tanquam Chriſti, Domini noſtri dictum affert: *τηρήσατε τὴν σάρκα ἁγνὴν καὶ τὴν σφραγίδα ἄσπιλον, ἵνα τὴν αἰώνιον ζωὴν ἀπολάβητε.*

Cete-

Ceterum totius commatis interpretandi rationem aliam ingreſſus eſt nuper Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraic. pag. 889. Ipſi enim Apoſtolus duas regulas fundamentales, a Timotheo ſolicite inculcandas audientibus, proponere videtur, quarum altera ſit theoretica: *DEUS eos, qui ad ſe pertinent, multis beneficiis affecit*; altera practica: *Recedat ab injuſtitia, qui nomine Chriſti vocari cupit.* Θεμέλιον hoc fine de articulo fundamentali ex Hebr. יסוד, σφραγῖδα vero de veritate certa & indubitata accipit. Comparari velim, quæ paulo ante de nexu hujus commatis cum antecedente dixi, qui verſu ſequente 20. firmatur, ubi vaſorum duplicis generis fit mentio, eo quidem fine, ut appareat; DEUM in Eccleſia habere & noſſe tum σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν (ἀτιμίαν) *Rom.* IX. 22. tum σκεύη εἰς τιμὴν ibid. verſ. 21. Quorum illa quidem reprobatos, quorum πίςις ἀνατέτραπται, hæc vero electos inferre non dubium eſt.

Verſ. 20. Ἐν μεγάλῃ δὲ οἰκίᾳ κ. τ. λ. ] Comma hoc una cum ſequenti exponit D. *Joach. Langius* diſſertat. ſingulari de diverſis domus DEI vaſis, Halæ 1712. Adde *Seb. Schmidii* Appendicem ad Diſputatt. in Formulam Concord. p. 302. & 312. & *Andr. Schotti* Adagialia Sacra p. 138. ſq.

οὐκ ἔςι μόνον σκεύη χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ, ἀλλὰ καὶ ξύλινα, καὶ ὀςράκινα ] *Sal. van Till* de Tabernaculo Moſis pag. 30. hic reſpici putat ad vaſa aurea menſæ impoſita, tanquam typum miniſtrorum Chriſti, variis donis ſpiritualibus inſtructorum, unde illis pretium concilietur; varietatem vero illam miniſterii varietatem inferre opinatur. Hanc Pauli mentem eſſe nunquam crediderit, qui recogitet, hic non de miniſtris, ſed membris Eccleſiæ, ſermonem eſſe, ex quibus alia fidem abjecerant, alia vero habebant, & inpoſterum ſervatura erant. Taceo, σκεύη χρυσᾶ eadem eſſe cum σκεύεσι εἰς τιμὴν, & ξύλινα cum σκεύεσι εἰς ἀτιμίαν.

καὶ ἃ μὲν εἰς τιμὴν, ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν ] B. *Theodorus Daſſovius* in Corollar. II. ad Diſputat. de modo ſeminandi diverſa ſemina apud Hebræos ita: *Vaſa honorata, & contemta ſive decoris memorantur in* Miſchna Aboda Sara *cap. III. §. 3. & explicantur ibidem in commentario* Bartenoræ, *quod honorata fuerint, quæ adhibebantur ad decus & honorem atque ornatum, ejusmodi etiam erant monilia & annuli; contemta vero appellarentur ea, quæ ad vilia miniſteria adhibebantur, cujusmodi erant ahena, & vaſa calefaciendis aquis inſervientia. Conferatur* Sepher hearuch fol. 82. col. 2. med. *ubi inter vaſa contemta inprimis illa numerantur, in quibus lotium aut ſanguis in venæ ſectione excipiebantur.* Quo forte reſpexit Paulus 2 *Tim.* II. 20. De utroque horum vaſorum genere lege Patres apud *Svicerum* Tom. II. p. 969.

Verſ. 21. Ἐὰν οὖν τις ἐκκαθάρῃ ἑαυτὸν ἀπὸ τούτων ] Ita in *Synopſi Sohar* pag. 26. n. 5. *Anima, ſive mens hominis eſt vaſculum DEI S. B. non autem utitur eadem, niſi prius eandem depuraverit igne legis.* Debes h. l. *Schœtgenio.*

*nio.* Εκκαθαίρειν proprie de vaſis adhibitum à *Xenophonte* initio Convivii p. 689. transfertur ad animum, quando ἄνδρας ἐκκεκαθαρμένους τὰς ψυχὰς commemorat. Vide *Raphelium* pag. 395. qui & *Ariſtidem* Rhetorem de dictione ſimplici cap. 13. phraſin illam Herodoti recte explicantem affert. Adde ejusdem Annotatt. Arrianas pag. 621. ex libro II. Diſſertatt. Epictet. II. 21. & 23. ubi προαίρεσιν ἐκκαθᾶραι jubet.

ἔσαι σκεῦος εἰς τιμὴν ] Sic *Lucianus*, obſervante *Jo. Alberti*, p. 404. Jov. Confut. pag. 122. ὑμεῖς δὲ ὥσπερ σκεύη τινὰ καὶ ἐργαλεῖα ἐςὲ αὐτῶν, *vos veluti vaſa quædam & inſtrumenta earum* (Parcarum) *eſtis.*

καὶ εὔχρηςον ] καὶ illud non agnoſcunt aliquot Codd. nec nefas duxit N. T. Græco Anglicani editor expungere.

Verſ. 22. Τὰς δὲ νεωτερικὰς ἐπιθυμίας φεῦγε ] *Juveniles autem cupiditates fuge.* Digna eſt, quæ legatur, *Jo. Andr. Boſii* diſputatio ad h. l. Jenæ 1673. primum edita, hinc vero in Theſauro Theolog. Philolog. pag. 687. & nuper admodum cum ejusdem Introduct. in Notitiam Scriptorum Eccleſiaſt. Jenæ 1723. recuſa. Dubium hic viſum eſt, num νεωτερικαὶ juveniles, an potius rerum novarum cupiditates deſignent. Prius Interpretibus antiquis & novis tantum non omnibus placuit, at poſterius *Salmaſio* in Apparatu ad libros de Primatu Papæ, *Jona. Schlichtingio* pag. 231. Opp. Exeget. & ex noſtratibus *Jo. Wandalino* in eximia Diatribe de Feria Paſſionis & triduo mortis Domini noſtri J. C. cap. I. initio, ſe probavit. Contra *Salmaſium* nonnulla dixit *Svicerus* Tom. I. 1167. contra utrumque autem majori apparatu diſputavit *Boſius* in diſſert. citata, qui *Wandalini* quidem nomen tacet, eam vero, quam diximus, diatribam diſerte appellat. Qui obſervata ejus legerit, in recepta interpretatione procul dubio acquieſcet, quam M. *Müllerus* Programmate ſingulari, in Sylloge Diſſertatt. Gabr. Terne pag. 796. recuſo, itidem defendit.

μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν Κύριον ] Codices quidem habent μετὰ πάντων τῶν ἐπικαλ. τ. κ. quomodo etiam exhibet *Eraſmus Schmidius*, quamvis in verſione ſimpliciter habeat: *cum illis, qui invocant Dominum.* *Pricæus* itidem hoc malebat. Ita 1 *Cor.* I. 2. σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις, ubi vide quæ de ſenſu phraſeos ſcripſimus.

Verſ. 23. Τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ ] Quæſtiones ejusmodi ſtultas, in Philoſophorum ſcholis diſputari ſolitas, ſalſe aliquoties ridet *Lucianus*, cujus locos promit Cl. *Langius* in Specimine Annotatt. ex Luciano pag. 41. ſqq. De Argumento ipſo ex hoc & ſequenti commate diſſerit Rev. *Jo. Laurent. Moshemius* tribus diſſertatt. de Theologo non contentioſo, Helmſtad. 1723. quarum ſummam habes in Annalibus Acad. Juliæ Semeſtri VII. pag. 163. ſqq.

Verſ.

Verſ. 24. Δῦλον δὲ Κυρίυ ὐ δεῖ μάχεσθαι κ. τ. λ. ] Comma hoc cum ſequentibus duobus illuſtrat *Alethaus* Parte III. der Erläuterung p. 365. ſqq.

διδακτικὸν ] *docibilem* reddidit *Vulg.* ( quem defendit *Goldaſt.* ad Parænet. veter. pag. 79. ) eo procul dubio *ſenſu*, quem alii clarius expreſſerunt, per *aptum ad docendum.* Vide ad 1 *Tim.* III. 2. & confer hic *Arnaldi* Defenſionem continuatam verſionis Gallicæ Montenſis pag. 537. quæ recte reddiderat, *capable d'inſtruire*, pro quo *Malletus* maluerat *docile.*

Verſ. 25. Εν πρᾳότητι παιδεύοντα τὺς ἀντιδιατιθεμένυς ] *cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo ſunt affecti.* Αντιδιαθέμενοι ſunt ἀντικείμενοι, quam vocem hic habet Codex Bœrnerianus, procul dubio ex interpretamento. Nonnulli Codd. addunt τῇ ἀληθείᾳ, forte ex cap. III. v. 8. ubi dicitur, ϰ̀ ὗτοι ἀνθίςανται τῇ ἀληθείᾳ. Idem quoque expreſſit *Vulg.* unde & à *Luthero* additum voluit *Emſerus*, à *Raithio* pag. 566. Vindiciarum ideo recte notatus. De verbo παιδεύειν lege *Svicerum* Tom. II. p. 546.

μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν ] *num aliquando det eis DEUS pœnitentiam.* Τὸ μὴ hic non eſt negativum, vel prohibitivum, ſed interrogativum, ut εἰ ἄρα *Act.* VIII. 22. quod nervoſe hic monet *Schmidius.* Confer *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sacr. pag. 123. & *Hackſpan.* Not. Miſcellan. Part. III. pag. 7. *Gatakerus* ad Antonin. IV. 24. poſt *Grotium*, ſubintelligi vult *exſpectando*, ſive, *experiendo*, num aliquando DEUS illis ſit reſipiſcentiam daturus, cujuſmodi ellipſin ait occurrere *Matth.* XXV. 9. & *Act.* V. 39. Recte *Iſidorus Peluſiota* : μετανοίας ἐλπίδα, ὐκ ἀναίρεσιν ἐμφαίνει. Simili fere ratione *Polybius* lib. IV. cap. 21. ἵν' ἄν ποτ' αὐτοῖς ὁ Θεὸς ἐνδῷ, *ut ſi quando clementius cum ipſis egerit DEUS.*

Verſ. 26. Καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τῦ διαβόλυ παγίδος ] *Et num ſobrietate mentis recepta evadant è laqueo Diaboli*, interprete *Schmidio*, vel, ut alii brevius, *& reſipiſcant è* &c. Tralatio ab iis facta, qui, ubi crapulam edormierint, veternumque, quem vini hauſtu copioſiore contraxerant, excuſſerint, ad priſtinum mentis ſtatum jam redeunt. Ita vim verbi apte explicat *Gatakerus* ad Antonin. VI. §. 31. cujus verba hæc ſunt : ἀνάνηφε, ϰ̀ ἀνακαλῦ σεαυτόν' καὶ ἐξυπνισθεὶς πάλιν καὶ ἐννοήσας, ὅτι ὄνειροί σοι ἠνώχλυν, πάλιν ἐγρηγορὼς βλέπε ταῦτα, ὡς ἐκεῖνα ἔβλεπες. Patrum expoſitiones lege apud *Svicerum* Tom. I. pag. 291. externorum Scriptorum auctoritates apud *Hombergium* pag. 335. & *Elsnerum* pag. 315. Prior ſpeciatim monet, *Lucianum* alicubi dicere ἀνανήψαντα μετανοῆσαι, ſicut Apoſtolus hic μετάνοιαν paulo ante commemorat. Eum tamen non puto probandum, quando totum comma ita vult converti : *ut reſipiſcant, ſervati vel vivi capti ex laqueis Diaboli ad illius* ( nempe DEI ) *voluntatem.* Idem placuit ante *Bezæ*, & *Pricæo*, qui propterea legi quoque mallet ἀπ' αὐτῦ i. e. ex ſervitute & poteſtate diaboli. *Pricæo* adſtipulatur *Svi-*

*verus* Tom. I. pag. 1302. Non diſſentit quod ad expoſitionem verbi ἐζωγρημένου *Jo. Henr. Schulzius*, obſervatione III. quæ præmiſſa eſt Sectioni II. Bibliothecæ noviſſimæ Obſervationum ac Recenſionum, quæ Halæ 1718. prodiit, quando non *detentos* laqueis Diaboli, ſed ex iis *ereptos* per eam putat ſignificari. Ex parte his accedit doctiſſimus *Jo. Alberti* pag. 30. Periculi Critici, ultima verba εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα ad DEUM itidem referens. Rationem ita ſentiendi hanc habent, quod vox ἐκεῖνος remotius aliquid indicet, atque adeo ad diabolum referri non poſſit: quam in rem *Alberti* ad III. 9. provocat: ἀλλ' οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον. ἡ γὰρ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔσται πᾶσιν, ὡς καὶ ἡ ἐκείνων ἐγένετο, ubi vox ἐκείνων ad Jannem & Jambrem v. 8. commemoratos ſpectat, ſicut αὐτῶν, τοὺς κατεφθαρμένους τὸν νοῦν proxime allatos, reſpicit. Urget præterea *Hombergius* verbum ζωγρέω, quod ſit ἀναζωπυρῶ, *vegetum reddo, ſuſcito*, teſtibus Lexicis; vel ſaltem *vivum capio*, aut *captum ſervo*. Enimvero vox ἐκεῖνος morari nos non debet, quo minus τὸ θέλημα ad diabolum referamus. Neque enim ſemper ad remotius refertur in oratione, etiam ubi αὐτοῦ antecedit. Ita *Matth.* XVII. 27. καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ (τοῦ ἰχθύος) εὑρήσεις στατῆρα· ἐκεῖνον λαβὼν δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. Hic enim vox ἐκεῖνος non ad ἰχθὺν tanquam ad remotius, ſed ad στατῆρα proxime antecedentem reſpicit. Taceo, ἐκεῖνος ſæpe idem eſſe, quod οὗτος, αὐτὸς, *ipſe* v. c. *Matth.* XII. 45. ἔσχατα τοῦ ἀνθρώπου ἐκείνου & XXIV. 43. ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε, 2 *Corinth.* VIII. 8. ἡ ἐπιστολὴ ἐκείνη ἐλύπησεν ὑμᾶς. Cauſa denique in promtu eſt, cur Apoſtolus hic τὸ ἐκείνου uſurparit. Anteceſſerat enim vox αὐτοῦ, quam repetere noluit. Ζωγρέω venaticum & militare eſt, & *vivum capere* infert. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacr. Tom. I. pag. 436. ſeq. & *Elsnerum* pag. 315. ex *Polybio* Hiſtor. III. cap. 84. pag. 326. ubi de Romanis, ut vivi caperentur rogantibus, ἐξαίροντες τὰς χεῖρας, καὶ δεόμενοι ζωγρεῖν. Confer *Jo. Alberti* pag. 30. Unde nec negaverim, τὸ ζωγρεῖσθαι in hac actione beneficii loco eſſe habitum, ab hoſte quippe in tantum profectum, quo ſenſu Petrus dicitur ἀνθρώπους ζωγρήσων *Luc.* V. 10. Interim non exiſtimo, hoc loco ad DEUM referri poſſe, ut talem, qui horum hominum rebus ſic conſulere velle dicatur. DEI enim beneficium ante erat commemoratum, in eo ſcilicet conſiſtens, quod pœnitentiæ locum faciat ad agnoſcendam veritatem. In noſtro vero commate finis affertur, ad quem illa tendere debeat, nempe ut laqueis Diaboli, quibus vivi capti ad ipſius voluntatem erant, iterum expediti reſipiſcant, atque adeo converti ſe patiantur. Ut itaque muneris divini ratio luculentior, & illuſtrior appareret, miſerrimam illorum, qui in Diaboli retibus hærent, conditionem expoſiturus efficaci admodum oratione utitur. Recte mihi mentem exprimere videtur *Feſſelius* loc. cit. *Quemadmodum fera*, inquit, *retibus capta circumducitur a venatore, quocunque eam ducere ipſi placuerit; & ſicut miles, vivus in bello captus, hoſti ſervire cogitur; ſic impii, poſtquam ſemetipſos retibus Satanæ ſponte induerunt, aut in palæſtra tentatio-*

num

Digitized by Google

*num Satanæ & mundi ſuccubuerunt, non trucidantur ſtatim omnes, ſed in ſervitutem plerique abripiuntur, h. e. ſecundum carnem vivunt Rom. VIII. regnante in ipſis peccato, cui obediunt per cupiditates Rom. VI. Dum enim peccatum faciunt, ſervi ſunt peccati, ac proinde etiam illius, cui in peccato ſerviunt, h. e. ipſius Diaboli. Joh. VIII. 34. Rom. VI. 20.* Communior itaque expoſitio hactenus ſe tuetur, quæ & laudato *Alberti* ſe magis probavit. Accipe verba ejus: *Ego ſic locum capio:* num forte, *vel*, aliquando det iis DEUS pœnitentiam &c. & ad ſe redeant e laqueo Diaboli, *ex laqueo, inquam, utpote* capti ab eo (*Diabolo ſcilicet*) ad ejus voluntatem, *i. e. ſic, ut arbitrio diaboli teneantur. Ita verba ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτῆ accipio, quaſi epexegeſin, qua declaret, ſe non immerito tales homines conſiderare, tanquam* laqueo *detentos. Elsnerus* ſimiliter *Bezæ* & *Pricæi* ſententiam, ad DEUM hæc referentium, ratione carere pronunciat. Interim non nova hæc eſt interpretatio. Eam enim una cum communiore noſtra *Theophylactus* pag. 818. his verbis promit: Ἐν πλάνῃ, φησὶ, νήχονται· ἀλλὰ ζωγρηθέντες ὑπὸ Θεοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα τουτέστι, τοῦ Θεοῦ, ἴσως ἀνανήψουσιν ἀπὸ τῶν ὑδάτων τῆς πλάνης· θέλημα δὲ τοῦ Θεοῦ, οὐ τὸ πιστεύειν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ βιοῦν ὀρθῶς. Ὥστε καὶ περὶ βίου ταῦτα νόει, μὴ μόνον περὶ δογμάτων. Τινὲς δὲ τὸ ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ τοῦ διαβόλου ἐνόησαν, καὶ τὰ ἑξῆς ὡσαύτως. Duo adhuc ſunt, quæ pro noſtra ſententia dici poſſunt. Alterum eſt, quod prius & magis conſentaneum eſt; τὸ ζωγρηθῆναι ad diabolum referre, cui tribuitur παγὶς, ſeu *laqueus*, tanquam inſtrumentum, quo & capti ſint, & detineantur. Alterum, quod, ſi Paulus voluntatem DEI indicare voluiſſet, ſcripturus fuiſſe videatur non εἰς τὸ θέλημα, ſed κατὰ τὸ θέλημα ἐκείνου, *ſecundum voluntatem ejus*, qua ſcilicet cupit, τοὺς πάντας σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν. Jam vero legitur εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, *ad voluntatem ejus*, i. e. diaboli, tanquam cujus ἔργα & ἐπιθυμίας ſectari & perficere debeant. Expendi denique hic velim, an non τῇ μετανοίᾳ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, quam DEUS daturus ſperatur τοῖς ἀντιδιατιθεμένοις verſ 25. opponatur τὸ ζωγρηθῆναι diaboli εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, verſ. 26? Scilicet pœnitentia, DEI munere conceſſa, finem habebat agnitionem veritatis, captura vero diaboli, obſequium ad nutum ejus.

# CAPUT III.

VErſ. 1. Τοῦτο δὲ γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται καιροὶ χαλεποί] Ἐσχάτας ἡμέρας *Grotius* hic confert cum phraſi ſacra & Judaica אחרית הימים, quam explicat per *poſthac*, & cum ὑστέροις καιροῖς 1 *Timoth.* IV. 1. atque adeo de iis agere Paulum putat, quæ Timotheo vivente eventura ſint. Rectius vero *Calovius* oſtendit, Paulum expo-

nere, tum, quæ Timothei ætate, tum, quæ inde uſque ad conſummationem ſeculi in Eccleſia ſint eventura. Scilicet phraſis אחרית הימים in Sacro Codice non ſemper de initiis Novi Fœderis, ſed ſeculis etiam longe poſt futuris accipi, oſtendiſſe mihi videor in ſingulari diſſertatione de *diebus poſteris*, Hamburgi habita. Nolim itaque cum eruditiſſimo *Schœtgenio* in Horis Hebraicis pag. 890. ἐσχάτας illas ἡμέρας de temporibus tantum Meſſiæ hic accipere, quæ ad excidium Hieroſolymitanum, tanquam ultima Reipublicæ Judaicæ tempora, extendantur. Quamvis enim Petrus, quod recte monetur, *Actor.* II. 17. Joëlis illud אחרי כן III. 1. per ἐσχάτας ἡμέρας convertat, hine tamen non conſequitur ἐσχάτας ἡμέρας ubique regni Meſſiæ origines in Nov. Teſtam. inferre, quemadmodum vir doctus ipſe per quadraginta annos h. e. ad excidium Hieroſolymorum producit. Idem interim video ſentire *Lightfootum* Tomo II. Operum Anglican. pag. 1185. ſqq. ubi comma inprimis octavum accipit de iis, qui Pauli ætate a fide ſalutari defecerint.

Verſ. I. Ἔσονται γὰρ οἱ ἄνθρωποι φίλαυτοι, κ. τ. λ. [ Ad hoc & ſequentia aliquot commata legantur *Davidis Vogelii* diſputationes tres de pietatis fuco & candore, *Gryphisw.* 1712. & *Regiomonti* 1718. & 1720. Vir doctus modo laudatus hæc & ſequentia ad Judæos refert, ad verſ. 11. provocans, ubi ſe ab iis Antiochiæ, Iconii & Lyſtris vexatum eſſe Apoſtolus profitetur. Sed, quod pace ejus dixerim, illa Judæorum commemoratio ad Paulinæ orationis nexum adeo non pertinet, ut potius ex facta, τῶν διωγμῶν & παθημάτων mentione obiter quaſi ſit ſubnata. Et quemadmodum ex eo, quod Paulus hic Judæos tantum, tanquam perſecutores, appellat, non conſequitur, eum a Gentilibus, imo & Pſeudapoſtolis nihil perpeſſum eſſe; ita non magis hinc confeceris, non de aliis, quam Judæis, & ſpeciatim Phariſæis, ſermonem h. l. inſtitui. Interim non nego, vitia commemorata etiam tunc in Judæos & Phariſæos cecidiſſe. Hoc ipſum vero efficit, ut credam, Apoſtolum inprimis ad ſecutura ſæcula reſpicere, cum nihil opus eſſet de illis monere, quæ in oculos incurrebant, ſcire vero intereſſet, quid inpoſterum ſit exſpectandum, non ſolum Timotheo, ſed & illis, qui ad Pauli & Timothei exemplum doctrinam ſalutarem ſectaturi ſint, verſ. 10. Nec ſane video, cur alioquin Apoſtolus non ſolum ἐσχάτας ἡμέρας appellet, ſed & ἐνστήσονται καιροὶ & ἔσονται ἄνθρωποι, dicat. De vitiis hic notatis lege, quæ ſcripta ſunt ad *Rom.* I. 29.-31. & *Picinellum* pag. 724.

Verſ. 3. ἄστοργοι, ἄσπονδοι] Vide ad *Rom.* I. 31. ex quo loco huc infarcta ſuſpicatur *Grotius*, ideo quod apud *Syrum* deſiderantur. Recte vero *Woltbius* ad h. l. *Agnoſcunt hæc verba* C. Alex. *Scholiaſtæ & verſiones. Cum vero deſint in unico Syro, ſi conjecturis & ſuſpicionibus hujusmodi coarguantur tot teſtimonia, quid certi de textu habere poſſumus?*

ἀχρα-

ἀκρατεῖς ] *intemperantes.* Sic etiam Verſio Gallica *Montenſis*, quæ a *Malleti* exceptionibus vindicatur in Defenſione ejus continuata p. 188 -- 202.

ἀφιλάγαθοι ] *bonorum minime amantes.* Verſio Montenſis ſimiliter: *ſans affection pour les gens de bien*, quam defenſam vide ibidem p. 202. ſqq. *Theophyl.* & *Oecumen.* ἐχθροὶ παντὸς ἀγαθοῦ, *omnis boni hoſtes*, qui non tam *hominum bonorum*, quam *virtutis* odium expreſſiſſe videntur. *Lutherus* utrumque complexus eſt, quando vertit **ungutig.**

Verſ. 4. Προδόται, προπετεῖς ] *Proditores, præcipites.* Nota paronomaſiam, cujus Paulum ſtudioſiſſimum eſſe aliquoties monuimus Sic paulo poſt: φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι. Vim vocis προπετὴς diligenter & erudite exponit *Svicerus* Tom. II. p. 849. oſtendens, adhiberi de *laſcivo, protervo* & in libidinem effuſo, tum vero de *inſtabili*, nec minus de *lingua* & *manu promto*, denique vero de eo, qui *conſiliis præceps* ſit & *temerarius*; quæ quidem poſtrema ſignificatio in voce προπετῶς obtinet *Actor.* XIX. 36.

τετυφωμένοι ] *inflati.* Vide ad 1 *Timoth.* III. 6. & VI. 4.

Verſ. 5. Εχοντες μόρφωσιν ἐυσεβείας ] *Habentes ſpeciem*, ſeu, *formam pietatis.* Vide ad *Rom.* II. 20. Confer præterea *Joannis Henrici Maji* diſſertationem de pietatis ſpecie atque virtute, Gieſſæ 1715. & *Robert. Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 398.-404. qui μόρφωσιν exponit per impreſſionem pietatis in mente, ejusdemque expreſſionem per verba, geſtus & actiones, quæ utraque poſſit eſſe tum ſincera, tum ficta, quæ poſterior a Paulo h. l. notetur. *Joannes Marckius* in Exercitationibus Miſcellaneis pag. 345. ſeqq. diligenter in explicanda phraſi hac occupatur, eamque pag. 349. accipit cum *Beza*, *de vera forma & effigie pietatis, ſicut in lege proponitur omnium oculis ſpectanda. Si meis*, ita pergit, *dicam verbis*, μόρφωσις *erit* ὑποτύπωσις, *ſeu typus, doctrina, formula, norma pietatis exhibita, quam habebant hi homines ſibi declaratam, & profeſſione ſua etiam acceptam, imo retinebant & defendebant hactenus.* Vide, quæ ibidem pag. 349. ſq. ad hanc expoſitionem firmandam promuntur, & convenienter ita dici intelliges. *Cum enim*, inquit, μορφὴ *ſit forma rei, tum externa, qua dignoſcitur, tum interna, qua conſtituitur, quid aliud eſt* μόρφωσις, *nomen verbale a* μορφόω, formo, figuro, delineo, formam do, *quo etiam uſus eſt Apoſtolus*, Galat. VI. 19. *quam* delineatio, eſformatio, deſcriptio pietatis, *quæ in doctrina Chriſtiana Scripturis comprehenſa deprehenditur? Semel porro illa vox tantum legitur in Nov. Teſt. nec alio, quam hoc ſenſu, ſcilicet Rom. II. 20. ubi Judæum* acquieſcentem in lege, & gloriantem in DEO &c. confidere *dicit*, ſe eſſe ducem cœcorum &c. ἔχοντα τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως, *h. e.* habentem deformationem ſcientiæ & veritatis in lege *&c. Planum utique eſt, hic non vanam & inanem ſpeciem,*

*nec*

*nec aliorum informationem, ſed formam, ſeu delineationem ſapientiæ & veritatis ſalutaris, in Scripturis, & parte quoque ejus legali, exhibitam reſpici, ſicut agnovit dudum cum aliis Chryſoſtomus. A qua unica vocis bujus ſignificatione in textu noſtro non eſt recedendum absque ratione, qua nulla datur.* Idem pag. 350. addit: *Sic oppoſitionem planam & facillimam eſſe inter μόρφωσιν εὐσεβείας, & δύναμιν αὐτῆς, vim ejus, ſive pietatis deſcriptæ & mandatæ, ſive potius μορφώσεως ejusdem. Eſt hæc enim vis, quam doctrina ſalutaris, pietatem commendans & declarans, per operam Spiritus habet in fidelibus, ut convertat animam, eandemque a vitiis omnibus abſtrahat, & ad virtutes oppoſitas trahat. Quamvim vere abnegant in ſe & ſuo exemplo, qui doctrinam eam audientes & profitentes ei nolunt tamen obſequi, ſed ſervi injuſtitiæ manent.* Idem denique pag. 352. contra *Coccejum* diſputat, qui cap. I. de Potentia Scripturæ Tom. VII. Operum per *μόρφωσιν* intelligit *libros ſacros, in quibus contineatur veritas & doctrina, quæ eſt ſecundum pietatem.* Copioſius hæc quidem repetenda putavi in eorum inprimis gratiam, qui hoc loco abuti conſueverunt ad ornandam illam ſuam ὑπόθεσιν, qua neminem vera doctrinæ ſalutaris cognitione imbutum eſſe poſſe profitentur, niſi qui eandem recte vivendo exprimat.

Verſ. 6. Ἐκ τούτων γάρ εἰσιν οἱ ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας, κ. τ. λ.] Conferenda erit B. *Jo. Guil. Baieri* diſſertat. de hæreticis mulierculas captivantibus *Altorfii* 1714. cujus cuput I. phraſes totius dicti explicat, II. exempla muliercularum, quibus veteres Hæreſiarchæ ad doctrinas ſuas diſſeminandas abuſi ſunt ex *Joannis Andreæ Schmidii* diſputat. *de muliere heterodoxa* affert; tertium denique poriſmata aliquot ſuppeditat. Adde D. *Philippi Jacobi Speneri* Reſponſa Theol. German. Tom. I. pag. 77.

καὶ αἰχμαλωτεύοντες] Nonnulli Codices legunt αἰχμαλωτίζοντες, eodem ſenſu, quod hic, more ſuo prætulit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. De verbo ipſo lege *Svicerum* Tom. I. pag. 139. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Tom. I. pag. 65.

τὰ γυναικάρια] Hunc Phariſæorum morem fuiſſe ex *Joſephi* Antiquitat. XVII. 3. obſervat *Elsnerus* pag. 315. Aliud exemplum ex *Tanchuma* fol. 42. 2. affert *Schœtgenius* pag. 891. Horarum.

σεσωρευμένα ἁμαρτίας] *cumulatas peccatis.* Fieri poteſt, ut ad impudicitiæ vitium inprimis reſpiciatur, quo ſenſu γυνὴ ἁμαρτωλὸς *Luc.* VII. 37. & 39. vocatur. Confer *Schœtgenium* loc. cit.

ἀγόμενα ἐπιθυμίαις ποικίλαις] Sic *Polybius* pag. 163. τὰ δ' ὑπὸ τῆς τοῦ λυσιτελοῦς ἐλπίδος ἀγόμενοι, *partim lucri ſpe ducti.*

Verſ. 7. καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθόντα] Ita idem *Polybius* p. 637. καὶ μὴν περί γε τῆς Ρωμαίων πολιτείας κατὰ ταύτην τὴν ἐπίστασιν μάλιστ'

*ἂν ἔλθοιμεν εἰς γνῶσιν καὶ τῆς συστάσεως.* Quemadmodum *Arrianus* Epictet. II. 16. *ἔξω ζητῶν ἀεὶ τὴν εὔροιαν, καὶ μηδέποτε εὑρεῖν δυνάμενος.* Vide *Raphelium.*

Verſ. 8. *Ον τρόπον δὲ Ιαννῆς καὶ Ιαμβρῆς* ] Pro Ιαννῆς *Jamnes* legit *Cyprianus*, pro Ιαμβρῆς vero *Mambres* idem cum *Vulg.* Conſtitutt. Apoſtol. VIII. 1 & Latinis aliquot, unde & Nov. Teſtam. Græco-Anglican. in contextum recepit. Hebræi ipſi varie exprimunt, nempe *Juchne* & *Mamre*, *Jonos* & *Jombros*, *Janos* & *Jambros*, *Janos* & *Jambrinos*, *Joannes* & *Ambroſius.* Unus liber *Zinni* in Jalkut Rubeni f. 81. 3. tria hæc affert nomina : יונוס ויוחני וממרא *Jonos*, *Juchne* & *Mambre.* Vide Cl. *Shœtgenii* Horas pag. 893. qui & in ſequentibus varia de illis ex Judæorum ſcriptis affert. De origine nominum ſolicitus inprimis eſt *Pfeifferus* in Quinquagena Locorum Hebraicorum & Exoticorum Novi Teſtamenti pag. 506. Operum Criticorum, & Rev. *Paul. Erneſt. Jablonsky* in diſſertatione de *Remphah* pag. 27. notis. Alios huc pertinentes copioſe affert præſtantiſſimus *Joannes Albertus Fabricius* noſter in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag. 813. ſqq. & in Codice Apocrypho Novi Teſtamenti pag. 249. ſq. & 342. ubi & de libro, qui illis a veteribus adſcribitur. Adde nunc illis B. *J. H. Majum* lib. II. Obſervationum Sacrarum pag. 42. edit. II. & *Jani Grot*, Dani, diſputationem de Janne & Jambre, Hafniæ 1707. ( de quibus etiam *Zentgravii* alia exſtat, *Argentorati* 1669.) nec non *Joannem Lightfootum* ſermone ſingulari, qui exſtat Tom. II. Operum Anglican. pag. 1185.-1190. *Petrum Gvarinum* Tom. II. Grammat. Hebr. p. 303. Patrum de illis locos lege apud *Svicerum* Tom. I. pag. 1430. *Spencerum* in notis ad Originem contra Celſum pag. 55. ſq. & *Andream Schottum* in Adagialibus Sacris pag. 139. Vide & *Colvium* ad Apulej. Apol. 2. pag. 375. Nomina illa in Codice Veteris Teſtamenti non exſtant, qui Magorum generatim meminerit, olim vero ibi exſtitiſſe *Guil. Whiſtonus* præceps ex eo colligit, quod Conſtitutiones Apoſtolicæ eadem referant, & Judaica Antiquitas omnis profiteatur. Sane illæ, quæ vocantur, Apoſtolorum Conſtitutiones, tanquam ſcriptis Pauli recentiores, ex Paulo, Judæi autem ex majorum diſciplina haurire potuerunt. Propterea & Apoſtolum illorum nominum notitiam ex traditione habuiſſe exiſtimant, ſpeciatimque *Surenhuſio* in libro *καταλλαγῆς* pag. 589. primus hic locus videtur, qui ex hoc fonte a Paulo derivatus ſit, quando alii, interque eos noſtratum non unus, tum vero *Joannes Buxtorfius* in Catalectis pag. 118. divinæ revelationi acceptum ferendum eſſe rectius pronunciant.

*ἄνθρωποι κατεφθαρμένοι τὸν νοῦν* ] Vide ſupra ad VI. 5.

*ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν* ] B. *Lutheri* Verſionem ab *Emſeri* criminatione vindicat *Raithius* pag. 566.

Verſ. 9. *Αλλ' οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον* ] Sic *Alcæus* in Fragment. pag. 12. edit. H. Stephani, *προκόψομεν γὰρ οὐδέν.* Adde *Epictet.* cap. 16. & 75. Enchiridii

ridii & Plutarchum aliquoties in libello: *πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ*. Vide hæc apud *Joannem Alberti* pag. 404. Obſervationum, cui etiam verbum h. l. eo ſenſu accipi poſſe videtur, quem *Grævius* ad Solœciſtam *Luciani* pag. 746. obtinuiſſe tradit, ut turpis lucri ſtudium innuatur, hominesque illi ex artibus ſuis nihil amplius lucri percepturi dicantur.

*ἡ γὰρ ἄνοια αὐτῶν ἔκδηλος ἔςαι πᾶσιν* ] Sic, eodem *Alberti* obſervante, *Ælianus* Var. Hiſtor. XIII. 2. *ἔκπυςα οὖν ἐγένοντο τὰ τολμηθέντα εἰς πάντας*, *palam itaque omnibus facta ſunt hæc facinora*; & XII. 51. *ἐμμελῶς πάνυ τοῦ Φιλίππου τὴν ἄνοιαν αὐτοῦ ἐκκαλύψαντος*.

Verſ. 10. *Σὺ δὲ παρηκολούθηκάς μου τῇ διδασκαλίᾳ* ] *Tu vero aſſecutus es doctrinam meam. Lutherus* vim verbi eleganter expreſſit: Du aber haſt erfahren. Vide ſupra ad 1 *Timoth.* IV. 6. *Philo* pag. 4. *παρακολουθήσαντες εἰκόνι τινί*. *Pricæus*, ſi codex ullus accederet, legere malebat hortandi ſenſu, *παρακολούθει*. Recte vero contra nititur *Jo. Alberti* pag. 30. Periculi Critici. Procul dubio Paulus ita, ut legimus, ſcripſit. Eodem enim nomine Timotheum laudat 1 epiſt. IV. 6. ubi *καλὴν διδασκαλίαν* commemorans addit: *ἧ παρηκολούθηκας*. Idem ſuadet adhortatio verſ. 14. facta: *σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες*. Hoc *μαθεῖν* vero idem eſt, quod *παρακολουθῆσαι*. *Eraſmus* vertit: *aſſectatus es*, eo ſenſu, quod tanquam perpetuus Pauli in itineribus comes ea perſpexerit, de quibus deinceps ſermo fit. Eadem eſt Rev. *Zeltneri* in notis ad Verſionem Lutheri Biblicam ſententia. At alium verbi ſignificatum eſſe ex 1 *Timoth.* IV. 6. patet, & contra *Eraſmum* jam *Beza* oſtendit. Neque vero Timotheus ea omnia, de quibus Paulus hic agit, v. c. perſecutiones ejus v. 11. præſens viderat, cum illæ quidem Apoſtolo ante obveniſſent, quam Timotheum comitem ſibi haberent. Recte hoc obſervatum eſt ab *Infantio* & *Beauſobrio* ad Novum Teſtamentum Gallicum.

*τῇ ἀγωγῇ* ] Duplici potiſſimum ratione verti poteſt. Vel enim *vivendi rationem*, quam in Paulo perſpexerit Timotheus, vel *manuductionem* & *inſtitutionem*, quam ab eo diligenter acceperit, ſignificabit. Prius placuit *Theodoreto* & *Theophylacto*, de quibus *Svicerus* Tom. I. pag. 72. tum *Luthero*, *Bezæ* & *Eraſmo Schmidio*; adſtruxit vero idem *Raphelius* in Polybianis pag. 623. *Polybius* enim aliquoties nunc ſimpliciter *ἀγωγὴν*, nunc *ἀγωγὴν βίου*, vel *βίων*, nunc *ἀγωγὴν τῆς πολιτείας* de vitæ ratione & inſtituto adhibet. Et quam bene *τῇ διδασκαλίᾳ* jungitur *ἡ ἀγωγὴ*, h. e. talis vitæ ratio, quæ doctrinam obſignet! quam bene etiam ſequentia præcipua illius *ἀγωγῆς* momenta exprimunt! Poſterius tamen ſe probavit *Emſero* & recentioribus quibusdam. Utriusque ſignificatus exempla habes apud *Ezechielem Spanhemium* ad Juliani Orationes pag. 98. Ab utroque abit *Amelius* Parte I. pag. 203. quando *ἀγωγὴν*, ut ſimplex pro compoſito *ἀναγωγὴ* poſitum opinatus, de animæ ad DEUM

reditu

reditu per pœnitentiam cogitat, & ad B. *Olearii* diſſertatioem de *κοινωνίᾳ* cum Chriſto & dæmoniis provocat.

*τῇ προθέσει* ] *propoſito.* Plenius *πρόθεσιν τῆς καρδίας*, hoc eſt: *firmum animi propoſitum*, dicit *Lucas* Actor. XI. 23. Cl. *Oederus* pag. 440. Centuriæ Conjecturarum mavult vertere *propoſitionem*, germanice Fürtrag, quem vocis ſignificatum vereor, ut unquam probet: ab hoc loco certe alienus eſt.

Verſ. 11. *Τοῖς διωγμοῖς, τοῖς παθήμασιν, οἷά μοι ἐγένετο* ] Cl. *Battierius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VIII. pag. 956. poſita poſt vocem *παθήμασι, τελεία στιγμῇ*, ita legi mavult: *οἷά μοι ἐγένετο ἐν Ἀντιοχείᾳ! qualia mihi acciderunt Antiochiæ! οἵυς διωγμὺς ὑπήνεγκα! quales perſecutiones ſuſtinui!* Affert ſimilem Æliani phraſin Var. Hiſtor. II. 9. *οἷα ἐψηφίσαντο οἱ Ἀθηναῖοι, καὶ ταῦτα ἐν δημοκρατίᾳ! quæ decreverunt Athenienſes, idque in Democratia!* Senſus, fateor, bonus & efficax eſt: neque tamen quicquam mutare velim, cum res ipſa *δείνωσιν* orationis ſatis inferat.

Verſ. 12. *Καὶ πάντες δὲ* ] *Quin & omnes*, ut recte *Eraſmus Schmidius*. Τὸ δὲ poſitum eſt pro *δὴ*, *ſane*, *omnino*, quod recte obſervat *Battierius* l. c. De re ipſa lege *Andreæ Schotti* Adagialia Sacra pag. 140.

Verſ. 13. *πονηροὶ δὲ ἄνθρωποι, καὶ γόητες* ] *Improbi autem homines & impoſtores.* Ita recte *Beza*, *Eraſmus Schmidius*, & *Lutherus.* Hæc enim eſt generalis vocis notio. *Suidas: γόης, κόλαξ, περίεργος, πλάνος, ἀπατεών.* Eodem ſenſu *Joſephus* Antt. XI. 6. *γόητας ἀνθρώπυς* appellat. Confer *Suicerum* Tom. I. pag 776. Hinc Sophiſtæ veteribus *γόητες* dicti, quibus & *γοητεία* tribuitur. Vide *Creſollii* Theatrum Sophiſtarum pag. 90. Inde vero ſpeciatim ad præſtigiatores, magos & veneficos transfertur: iisque *γοητεία* adſcribitur. Hoc ſenſu exſtat apud *Herodotum* lib. II. pag. 114. & lib. IV. pag. 293. obſervante *Raphelio.* Vide *Suidam* Tom. I. pag. 490. ubi *γοητείας*, *μαγείας* & *φαρμακείας* diſcrimen traditur prorſus ad *Syneſii* mentem de Inſomniis p. 363. quem locum ibi *Küſterus* affert. Recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani p. 788. *Impoſtores aut Magos* intelligi vult, & ad *Gnoſticos* ſpeciatim refert, quorum principibus *Prodicus* de ſecretis Zoroaſtris libris ſit gloriatus, teſte *Clemente Alexandr.* Strom. lib. I. pag. 304. Confer Interpretes Gallos Berolinenſes. *Celſus* Dominum noſtrum *γόητα* vocare non erubuit, contra quem vide, quæ graviter diſputat *Origenes* lib. I. pag. 53. De *Æthiopica* hujus commatis verſione lege *Caſtelli* Lexicon pag. 108.

*προκόψυσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον* ] Ita *Polybius* lib. IV. cap. 81. *ἐπὶ τἀναντία τραπείσης αὐτοῖς τῆς τύχης, καὶ τὔμπαλιν ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀεὶ καὶ μᾶλλον τῆς πολιτείας αὐτῶν προβαινύσης.* Adde ad verſ. 9.

Verſ. 14. Σὺ δὲ μένε κ. τ. λ. ] Hæc usque ad verſ. 17. illuſtrat D. *Chriſt. Langius* in Analyſi de Scripturæ auctoritate, ſufficientia & perfectione, quæ Lipſ. 1631. & 1706. lucem vidit. Adde *Gerhardi Titii* diſputatt. de Sacra Scriptura Canonica, Helmſtadii 1654. & Gieſſenſium Diſputationum Tom. VI. Diſputat. II. pag. 11. ſqq.

Σὺ δὲ μένε, ἐν οἷς ἔμαθες ] Vide ad *Galat.* III. 10.

καὶ ἐπιστώθης ] *quæ tibi concredita ſunt*, vertit *Beza*: *de quibus fides tibi facta eſt*, habet *Eraſmus Schmidius*, qui hanc ſuam expoſitionem egregie firmat. Si prius illud Paulus voluiſſet, ſcripturus erat ἐπιστεύθης. Ita acceperunt Græci enarratores. *Chryſoſtomus* ſimpliciter ἐπίστευσας, *Theophylactus* propius ad vocis δυνότητα accedens: μετὰ πληροφορίας ἔμαθες. Vide *Svicerum* idem aliunde firmantem Tom. II. pag. 743. *Colomeſium* Obſervatt. Sacr. p. 171. *Fullerum* Miſcellan. I. cap. 19. ex noſtratibus *Amelium* Tom. I. pag. 474. Id phraſis vult, Timotheum tenere debere, quæ non ſolum didicerit, ſed de quibus etiam pleniſſima animi perſuaſione ipſi conſtet, & quorum ἀσφάλειαν ἐπίγνω, quod *Lucas* ait I. 4.

εἰδὼς, παρὰ τίνος ἔμαθες ] Pauci Codices legunt παρὰ τίνων, *a quibus*. Præſtat vero lectio recepta, per quam meminiſſe Pauli jubetur Timotheus, a quo edoctus ſit. Vide ſupra II. 2. De aliis, v. c. avia & matre, cogitari hic non poteſt. Ad eas enim potius pertinet, quod v. 15. legitur.

Verſ. 15.-17. plures illuſtrarunt cum data opera, tum in aliis ſcriptis. Eorum nubem habes in B. *Severini Lintrupii* Protheoria Theologica, ubi hunc locum tanquam præcipuum oraculum doctrinæ de Scriptura Sacra affert, & urget. Adde illis nunc *J. G. Baieri* Analyſin & Vindicias illuſtrium Scripturæ dictorum Parte I. pag. 1. ſqq. Vide etiam *Samuelis Basnagii* Annales Politic. Eccleſiaſt. pag. 547. ſqq.

Verſ. 15. Καὶ ὅτι ἀπὸ βρέφους τὰ ἱερὰ γράμματα οἶδας ] Legatur huc *Sebaſtianus Schmidius* in præfatione ad Collegium Biblicum poſterius, & pag. 287.

ἀπὸ βρέφους ] *a puero*, ut *Beza*, vel *a prima infantia*, *ut Eraſmus Schmidius*, h. e. poſtquam infans tenellus vel lacteus eſſe deſiiſti. Talem enim infantem per βρέφος inferri patet ex *Luc.* I. 41. ubi confer *Schmidium*. Phraſin hanc in eandem, quam dixi, ſententiam accipiunt *Hackſpanius* in Notis Theolog. Philolog. Part. III. pag. 353. *Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. I. lib. III. cap. 33. pag. 233. nuperrimeque Cl. *Chriſtianus Ludovicus Schlichterus* in Decimis Sacris pag. 224. ſq. Hoc ſenſu præpoſitio ἀπὸ uſurpatur *Luc.* II. 36. ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς, *a virginitate ſua*, i. e. poſt illam. Ita *Ariſtoteles* Hiſtor. Animal II. 11. ἀποβάλλει δὲ κέρατα μόνον ἔλαφος κατ᾽ ἔτος, ἀρξάμενος ἀπὸ διετοῦς, καὶ πάλιν φύει. Sic *Matth.* II. 16. ἀπὸ διετοῦς. Græci idem alias dicunt.

cunt ἐν παιδὶ, ἐκ παιδὸς, ἐκ παίδων. Vide *Gatakerum* ad Antonin. I. 6. p. 7. De ſtudio Hebræorum, infantes ad ſanctiorem doctrinam ducendi, lege Beat. *Theod. Daſſovii* diſſert. de infante Hebræo liberaliter educato, Witteb. 1698. *Schlichterum* loc. cit. p. 226. & noviſſime *Schœtgenium* pag. 897. Horarum.

ἱερὰ γράμματα ] *Herodotus* ἱερὸν λόγον appellat narrationem de rebus ſacris lib. II. pag. 124. & 127. obſervante *Raphelio*, quemadmodum idem lib. II. p. 116. auctor eſt, Ægyptios aliis literis ad res ſacras, aliis ad profanas conſignandas uſos eſſe, quarum illas ἱερὰ, has δημοτικὰ vocarint. De ἱεροῖς illis γράμμασι lege *Menagium* ad Diogenem Laertium IX. 40. pag. 416. *Reineſium* Var. Lect. I. 22. *Pet. Zornium* Tom. I. Opuſcul. Sacr. p. 305. & Tom. I. Biblioth. Antiquario Exeget. pag. 774.

Ceterum prima hujus commatis verba ita verti debent, ut pendeant ab antecedente εἰδὼς v. 14. hoc ſenſu: *ſciens, à quo didiceris, & quod a prima infantia ſacras literas noviſti.* Alioquin enim non eſt, ad quod pertineat τὸ, ὅτι, nec quo referatur δυνάμενα.

τὰ δυνάμενά σε σοφίσαι ] *quæ te poſſunt ſapientem reddere.* Verbum σοφίζειν bono ſenſu Græcis, tum Eccleſiaſticis, tum profanis adhiberi oſtenſum eſt à *Suicero* Tom. II. pag. 989. & *Pearſono* ad Symbolum Apoſtol. pag. edit. Lat. & ad Ignatii epiſtolas p. 9. Ita *Philoſtratus* in Vita Apollonii II. 40. p. 92. edit. Olearianæ σοφίζεσθαι τὸν νόμον dixit.

Verſ. 16. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος κ. τ. λ. ] Lege *Pauli Ræberi* diſſert. de Impietate Papiſtica, Witteb. 1644. *J. G. Dorſchei* in Pentadecad. Diſſ. Theolog. pag. 319. ſqq. *J. B. Carpzovii* diſput. de Scripturæ Sacr. θεοπνευςίᾳ Lipſ. 1697. & in Diſputationibus ejus pag. 1304. ſq. & *J. F. Lütkenii* Collegium Biblicum pag. 14. ſq. Τὸ καὶ deeſt in uno Codice, omittitur vero etiam à Clem. Alex. Vulg. Syr. Arab. & Latinis quibuſdam Patribus, à *Millio* appellatis, cui propterea ad ambiguitatem vitandam inſertum poſtliminio videtur, ſicut ab Editore recente Novi Teſtamenti Græco-Anglicani prorſus expungitur. Uterque non cogitavit, hoc modo orationem Pauli hiulcam reddi, & ejusmodi ἀσύνδετον inferri, cujus in ſcriptis Paulinis exemplum fruſtra requiras. Diſputatur hic inter Interpretes, utrum vox θεόπνευςος ad γραφὴν inſtar *adjectivi*, quod Scripturam determinet, pertineat, an potius *prædicatum* æque ac vox ὠφέλιμος conſtituat. Ut hoc definiatur, præſtruendum eſt, Paulum hic ἱερὰ γράμματα, de quibus v. 15. appellare γραφὴν atque adeo de apocryphis, quæ circumferebantur, ſcriptis non cogitaſſe. Hoc poſito omnino vox θεόπνευςος æque ac ὠφέλιμος, ſubintellecto ἐςὶ, ad γραφὴν inſtar prædicati referri debet, ut non ſolum *utilitas* ſed & *divina* ejus *origo* innuatur. Alioquin enim τὸ καὶ locum habere non poſſet, ſed ſcribendum fuiſſet: πᾶσα γραφὴ θεόπνευςος ὠφέλιμός ἐςι. Vide quæ pro hac ſententia dixere noſtrates locis

 cita-

Digitized by Google

citatis, tum vero *Trillerum* in Examine locorum quorundam N. T. vernaculo pag. 3. ſq. (cum quo conferre licuerit Schœnlandium in oppoſitis Vindiciis pag. 16.) & *Jac. Cappellum* pag. 200. Obſervationum in N. T. Addam his, quæ habet *Guſſetius* in Addendis ad Commentarios L. Hebr. pag. 933. *Merito quidem tuemur, ſaubaudiri ἐςὶ ante θεόπνευςος æque ac ante ὠφέλιμος, cum nulla ſit rationis Grammaticæ diſparitas. Attamen etiamſi illis largiremur, meram appoſitionem fieri nominum, γραφὴ θεόπνευςος, in ſententiæ ſubjecto conſtituendo, nec incipere attributum niſi in ὠφέλιμος, nihil tamen proficerent. Nam particula καὶ non deberet negligi, & ſic vertendum foret: omnis Scriptura divinitus inſpirata eſt etiam utilis ad doctrinam. Eo pacto autem iſta utilitas proponeretur, tanquam profluens ex illo titulo, inſpirata divinitus. Prout Proverb. XXIII. 24. qui generat ſapientem, (וישמח) etiam gaudebit de eo, iſtud ו etiam notat rem, quæ ſequitur affectum rei præſtratæ in priori orationis membro.* Atque hanc interpretationem ſecutus ex veteribus eſt *Chryſoſtomus* in h. l. πᾶσα οὖν, inquiens, ἡ τοιαύτη ὠφέλιμος καὶ θεόπνευςος γραφή. Pro eadem ex ipſis Pontificiis contra *Perronum*, Cardinalem, de Tradit. Apoſtol. lib. III. cap. 4. pugnat *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica textus N. T. cap. 23. pag. 276. & contra *Grotium* in Reſponſione ad Defenſionem Judicii Theologorum quorundam Belgarum cap. X. ac denique contra *Arnaldum* in Obſervatt. Novis cap. VI. pag. 107-111. Non igitur erat cur *Caſaubonus* in *Caſaubonianis* pag. 97. Syri interpretationem præferret, cum ipſe non neget, altera illa Grammaticæ optime conſuli, quam præterea *Athanaſius* & *Chryſoſtomus* approbarint. Per γραφὴν, non tantum Codicem Sacrum Hebræorum, ſed & N. T. libros, qui tunc, cum Paulus hæc ſcriberet, fere omnes exſtabant, intelligunt noſtrates, interque eos nominatim *Chriſt. Lange* in laudata diſſertat & *Calovius*.

πρὸς διδασκαλίαν &c. ] De his Scripturæ uſibus vide Patres apud *Svicerum* Tom. I. pag. 787.

πρὸς ἐπανόρθωσιν ] Frequens vox eſt *Polybio*, cujus loca affert *Raphelius* pag. 623.

Verſ. 17. Ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος ] Vide *Jo. Maukiſchii καλὴν παρακαταθήκην Ἀποςόλου*, Lipſ. 1650. & D. *Georg. Fridr. Schræeri* Programma ſingulare, quo Profeſſionem Theologicam ſibi delatam indixit Witteberg. 1710. Lege præterea *Buddei* Inſtitutiones Theologic. p. 82. & 213. nec non *Jo. Melchioris* Opera Theolog. Tom. II. pag. 635. ſq. Ἄρτιος *perfectum* infert. *Sic* Auguſtus *apud* Svetonium ἄρτιος *&* ὁλόκληρος *pro eodem accipit. Sic* Syrus *vocem vertit. Sic ipſe* Hieronymus perfectum *pro* ἄρτιος *poſuit. Sed* Syrus *hoc amplius, quod de perfectione accipit etiam ſequentem vocem* ἐξηρτισμένος. *Neque aliter aut* Hieron. *aut* Chryſoſt. *acceperunt.* Ita Caſaubonus l. c. Ἄρτιον cum dici, *qui ad munus ſuum obeundum paratus, omni-*

*omnibusque rebus inſtructus eſt*, aliquot *Herodoti* locis evicit *Raphelius* pag. 585. ſq. Vide etiam *Svicerum* Tom. I. pag. 515. Argumentum ipſum perſequitur *Godofredus Jungſtius* in diſſertat. de homine DEI & vera ejus indole Bremæ 1721. Ex Græcis itaque malim hanc vocem interpretari, quam ex Hebræorum גמר *conſummatus*, ut idem ſit, quod *bene eruditus*, quæ *Vitringæ* ſententia eſt lib. I. cap. 16. Obſervatt. Sacrar. pag. 201, Illa enim eruditio per τὸ σοφίσαι verſ. 15. erat indicata, hic vero ſermo eſt de aptitudine ad ea ex Scriptura promenda, quæ ad momenta ante commemorata, nempe διδασκαλίαν &c. pertinent.

ὁ τῦ Θεῦ ἄνθρωπος] De verbi divini Miniſtro elogium hoc accipiendum puto, æque ac ſupra 1 ep. VI. 11. ubi vide. Sic etiam *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 64.

πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος] *ad omne opus bonum inſtructus.* Ita *Vulg.* & alii Interpretes. *Lamb. Bos* pag. 232. monet, de eo dici, qui probe exercitatus & verſatus ſit in aliqua arte aut ſcientia, perfectamque ejus cognitionem habeat. *Luc.* VI. 40. κατηρτισμένος vocatur, ſicut *Ariſtides* in M. Aurel. Anton. pag. 111. κατήρτισαι καὶ πεπαίδευται conjungit. Conf. *Svicerum* Tom. II. pag. 60.

# CAPUT IV.

VErſ. 1. Διαμαρτύρομαι ὖν ἐγὼ κ. τ. λ.] Quatuor hæc priora commata explicat *Jo. Henr. Urſinus* in Meletematibus lib. II. cap. 5. p. 209. ſqq. Recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ita hæc exhibet: διαμαρτύρομαι ἐνώπιον τῦ Θεῦ καὶ Ιησῦ Χριςῦ. Voces enim ὖν ἐγὼ & τῦ Κυρίυ in paucis aliquot codd. & verſionibus deſiderantur. Rectius *Millius* de facta interpolatione h. l. non cogitavit. Conf. ad 1 *Tim.* V. 21.

κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν αὐτῦ] Pauci Codd. legunt καὶ τὴν ἐπιφάνειαν. Hanc lectionem commodum ſatis ſenſum parere opinatur *Millius* ad loc. & *Chryſoſtomum* conferri vult. Hic vero ita: Κρίνειν πότε; ἐν τῇ ἐπιφανείᾳ αὐτῦ τῇ μετὰ δόξης, τῇ μετὰ βασιλείας. ἢ τοίνυν τῦτο λέγει, ὅτι ὐχ ὕτως ἥξει, ὡς νῦν. ἢ ὅτι διαμαρτύρομαί σοι τὴν περιφάνειαν αὐτῦ, καὶ τὴν βασιλείαν, μάρτυρα αὐτὸν καλεῖ ἐκεῖνον, δεικνὺς, ὅτι καὶ τῦτυ αὐτὸν ἀνέμνησεν. Senſus ſic foret: *obteſtor te per adventum ejus.* Atque ita Latini quidam, *Ambroſius*, *Cæſarius*, *Arelatenſis* & *Fulgentius* acceperunt. Sed rectius agunt, qui, communem lectionem tuentes, vertunt: *in illuſtri apparitione ſua*, ut nempe τὸ κατὰ tempus indicet, ſicut *Rom.* V. 6. & IX. 19. Ita vero etiam externi Scriptores v. c. *Polybius* pag. 722. αὐτῷ κατὰ τὴν ἀῤῥωςίαν συμπαρόντος, *cum illi ægrotanti adesſet*: *Arrianus* de Expedit. I. 12. 13. κατὰ πάροδον, *in tranſcurſu*, & alias. Vide

de *Raphelium* pag. 624. Polybianar. Eadem ſignificatio h. l. omnino tenenda eſt. Paulus aliquoties verbum διαμαρτύρεσθαι adhibet, ſed ſemper ſine addita re, per quam obteſtetur. Nunc enim ſimpliciter eo utitur, ut 1 *Theſſalonic.* IV. 6. & *Hebr.* IV. 6. nunc cum ἐνώπιον ut 1 *Tim.* V. 21. & 2. II. 14. Magis etiam conſentaneum eſt, ut cum de judicio habendo ſermo ſit, illius tempus ſimul ſignificetur. Sic v. 8. ὁ δίκαιος κριτὴς ἐν τῇ ἐκείνῃ ἡμέρᾳ ἀποδώσειν dicitur ςέφανον, τοῖς ἠγαπηκόσι τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ. Quæ vero illa ſit ἐπιφάνεια, diximus ad 2 *Theſſal.* II. 2.

καὶ τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ] Sunt, qui cum *Syro* & *Grotio* has voces cum prioribus ita jungunt, ut per ἓν διὰ δυοῖν inferant κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Rectius tamen ſeparantur, ut *antecedens* & *conſequens*. Ut enim adventum, judicium excipit, ita judicium ſequitur regnum glorioſum reſpectu eorum, qui illud fide & ſpe pleni præſtolantur.

Verſ. 2. Κήρυξον τὸν λόγον ] *Colomeſius* in Obſervatt. Sacr. pag. 29. veterum locos affert, qui prædicandi operam munus Epiſcopale eſſe profitentur. Confer. *Eraſmum* Tom. IX. Operum p. 1280. & *Saldeni* Otia p. 642.

ἐπίστηθι] *Polybius* p. 531. ἐφιςάνων οὐδενὶ τῶν τοιούτων, *nullo ſerio negotio attendens.* *Arrianus* Epictet. p. 233. ſine addito rei caſu nude: καὶ αὐτὸν οἶμαι ἐφιςάνειν ἄξιον συνεχῶς. Vide *Raphel.* p. 625.

εὐκαίρως, ἀκαίρως] Paronomaſias Paulinæ exemplum. De re ipſa lege *J. C. Dieterici* Antiquitt. Biblic. Nov. Teſtam. Tom. I. pag. 67. & *Svicerum* Tom. I. pag. 146.

Verſ. 3. Ἔσται γὰρ καιρὸς, ὅτε τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται ] Codex *Stephani* unus legit ὑγιαινούσης πίστεως καὶ διδασκαλίας forte ex 1 *Timoth.* IV. 6. Vide quæ ibi & 2 *Timoth.* I. 3. de ὑγιαίνουσι λόγοις diximus. Adde *Kirchmaieri* Parallelismum dictionis Novi Fœderis & Polybii pag. 52. ubi de voce ὑγιαίνουσα, & *Svicerum* Tom. I. pag. 343. ubi de verbo ἀνέχομαι.

ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους ] *ſibi ipſis coacervabunt doctores.* Vide *Svicerum* Tom. I. p. 1194.

κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν ] *auribus prurientes*, h. e. ζητοῦντές τι ἀκοῦσαι καθ' ἡδονὴν, *cupientes audire, quæ delectent.* Ita Patres quoque explicant apud *Svicerum* Tom. II. pag. 118. *Plutarchus* de Superſtitione pag. 167. μουσικὴν ait ἀνθρώποις οὐ τρυφῆς ἕνεκα καὶ κνήσεως ὤτων δεδόσθαι. Aures oppoſitas *M. Antoninus* ὑγιαινούσαν ἀκοὴν X. 35. appellat, & ὑγιαίνοντα ςόμαχον ſubjungit. De aurium prurigine exſtat ſingularis D. *J. D. Liebknechtii* diſſert. Gieſſæ 1717. habita & ibidem an. 1719. auctior recuſa.

Verſ.

Verſ. 4. *Καὶ ἀπὸ μὲν τῆς ἀληθείας τὴν ἀκοὴν ἀποστρέψουσιν, ἐπὶ δὲ τοὺς μύθους ἐκτραπήσονται*] Non video, cur *Grotius* h. l. *μύθους* illos ſeu *fabulas* de expiationibus peccatorum, quæ ex Chaldaica & Orphica diſciplina, aqua marina, fontana, ſcilla, ſulphure, bitumine inſtitui ſolebant, accipere voluerit, quamvis non ignorem, idem *Galeo* in libro Anglicano, *Atrio Gentium*, Part. I. lib. II. cap. 9. *Steph. le Moine* ad Varia Sacra pag. 721. & ex noſtratibus *Amelio* ſeu *Pet. Zornio* Tom II. der Erörterung pag. 834. & Tom. I. Bibliothecæ Antiquario Exeget. pag. 468. placuiſſe. Aliæ erant tum Judæorum, tum Gentilium fabulæ, quæ ut majorem ſpeciem habebant, ita ad illas recipiendas proniores eſſe prurientes auribus poterant. Has igitur notat Paulus æque ac 1 *Tim.* IV. 7. Vide quoque *Andr. Schotti* Adagialia Sacra p. 140.

Verſ. 5. *Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι*] Vide ad 1 *Theſſal.* V. 6. *Ignatius* in ep. ad Polycarpum pag. 8. *νῆφε ὡς θεοῦ ἀθλητής*, ubi verſio vetus: *vigila, caute te gere*, & in ep. ad Smyrn. *ἀνανῆψαι* adhibet. Adde, quæ ad priorem Ignatii locum ex Patribus affert *Jo. Pearſonus* in Notis ad edit. epiſtolarum ejus Oxonienſem Th. Smithi pag. 26. Cl. *Sam. Battierius* in Muſeo Bremenſi Vol. II. Part. II. pag. 189. ſq. voces *ἐν πᾶσι* jungi mavult ſequenti verbo *κακοπάθησον*, qua ratione verterit *Vulg. Tu vero vigila, in omnibus labora.* Urget præterea pag. 190. verbi *νήφειν* efficaciam, atque ex hac ita argumentatur: *Cum enim vox νήφω, ſicut oſtenſum eſt, magnam prorſus hic & excellentem officii, munerisque, quod à fideli homine præſtari debeat, partem ſua ſignificatione complectatur, nequaquam Apoſtolus putare neceſſarium eſſe potuit, ſuum monere diſcipulum, ut in omnibus ita ageret.* At non perſuadet rem vir doctus, quia illa, quam affert ratio, pro recepta interpunctione potius militat. Cum enim *τὸ νήφειν*, quod ipſe oſtendit, latiſſime pateat, *ſanctamque vigilantiam* inferat, quæ proinde in variis muneris ſacri partibus probari poſſit; patet omnino, Apoſtolum convenientiſſime ad vigilantiam illam, *ubique & ex* quavis muneris occaſione præſtandam, cohortari potuiſſe. Ita Paulus 1 *Tim.* III. 11. *γυναῖκας πιστὰς ἐν πᾶσι* eſſe vult, & Timotheo 2 ep. II. 7. *σύνεσιν ἐν πᾶσι* adprecatur, quemadmodum hic verſ. 2 *πᾶσαν μακροθυμίαν καὶ διδαχὴν* poſcit. Ita M. *Antonin.* I. 16. *τὸ νῆφον ἐν πᾶσι* h. e. *ſobrium in rebus quibusque eſſe*, ſibi tribuit. Ex altera parte verbum *κακοπάθησον* voces *ἐν πᾶσι* non commode admittit. Quod enim vir doctus omne calamitatum genus perferendum innui putat, id in ipſo verbo latet. Vereor etiam, ut Græce dici poſſit, *κακοπάθησον ἐν πᾶσι*. *Joſephus* de Bello Judaic. I. 8. *πολλὰ κακοπαθήντων* ait, non *ἐν πολλοῖς*. Vide ſupra ad II. 3. Non obverti poteſt, Paulum c. II. 9. dicere *ἐν ᾧ (εὐαγγελίῳ) κακοπαθῶ*. Ibi enim *τὸ ἐν ᾧ* eſt, *propter quod, cujus cauſa*; non autem infert calamitatis genus, cui ſe ſubjectum ſentiat.

*ἔργον ποίησον Εὐαγγελιστοῦ*] *opus perage Evangeliſtæ.* *Polybius* pag. 88. *ὁ δὲ καὶ λίαν ἐποίησεν ἔργον ἡγεμόνος ἀγαθοῦ*, *ille quidem prudentis ducis officio egregie functus eſt.* Locum hunc eique ſimiles affert *Raphelius* pag. 625. qui

& in Xenophonteis pag. 297. ſq. oſtendit, ἔργον accipi pro *officio*, proque eo, quod a quolibet muneris ſuſcepti ratio poſtulat. Ita *Xenoph.* lib. VIII. p. 159. τῦτυ τὴν περιμέλειαν ὐκ ἄλλοις προσέταττεν, ἀλλ᾽ ἑαυτῦ ἐνόμιζε τῦτο ἔργον εἶναι, *eam curam non aliis committebat, ſed ſui hoc muneris eſſe putabat.* De voce εὐαγγελιςὴς lege ad *Eph.* IV. 11. De officio Evangeliſtæ exſtat B. *Bierlingii* epiſtola ſingularis, quam laudat *Jo. Fabricius* in Bibliotheca Fabriciana T. VI. pag. 104. Ceterum tres, quas adhuc vidimus, phraſes militares eſſe exiſtimat B. *J. H. Majus* Obſervatt. Sacr. lib. VI. p. 19. ſq.

τὴν διακονίαν συ πληροφόρησον ] *miniſterio tuo plenam fidem facito*, ut *Beza* & *Schmidius*. *Jo. Pearſonus* ad Ignatii epiſtolas, ubi πεπληροφορημένοι εἰς τὸν Κύριον appellantur, pag. 9. *imple* vertit, & ſic B. Lutherus: richte dein Amt redlich aus. *Novi quidem Fœderis ſcriptores*, (audis *Pearſonum*) *ea* (voce) *non uno modo utuntur. Solus Paulus cum Luca ſuo* πληροφόρησον 2 Tim. IV. 5. *Nihil aliud hic quam* implere *ſignificat.* Πληροφορία ἀγάπης *Epiphan.* p. 15. C. *unde* Clemens πεπληροφορημένος ἀγάπης. *Hegeſippus apud Euſebium* II. 23. καὶ πολλῶν πεπληροφορημένων καὶ δοξαζόντων ἐπὶ τῇ μαρτυρίᾳ τῦ Ιακώβυ. *Rom.* IV. 21. & XIV. 5.

Verſ. 6. Εγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι ] Vide ad *Philipp.* I. 23. & compara *Pet. Zornii* Opuſculorum Sacrorum Tom. II. pag. 52. Totum comma una cum ſequenti illuſtrat Rev. *Salom Deylingius* Obſervatt. Sacrar. Tom. II. num XLVI. pag. 540. ſqq. edit. II. auctioris, & M. *Dan. Frider. Janus* de præſagio Pauli de ſupplicio ſubeundo Lipſ. an. 1715. in 4. quemadmodum v. 6-8. explicat *Jo. Behm*, Theologus Regiomontanus, in diſp. de confidentia Pauli boni Hieronicæ in Domino, agonotheta juſtiſſimo, Regiomonti 1721.

καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέςηκε ] Quo ſenſu ἀνάλυσις hic de morte dicatur, ſingulari diſput. diſquiſivit B. *Ritmeierus* de Analyſi Apoſtolo deſiderata, Helmſtad. 1702. Confer quæ dixi ad *Philipp.* I. 23. de verbo ἀναλῦσαι. Moris olim erat, ut, qui de conviviis diſcederent, Diis libarent. Diſcedentes autem dicebantur ἀναλύοντες, & litantes σπένδοντες. Utrumque veterum locis evincit Cl. *Elſnerus* ad h. l. pag 316. ſq. & tandem rationes ita ſubducit: *Itaque cum h. l.* σπένδειν *&* ἀναλύειν *conjungatur, alluſiſſe Apoſtolum ad* σπονδὰς *crediderim* ἀναλυόντων *è convivio, ſenſumque eſſe, ſeſe ex hac vita moleſtiisque exſatiatum abiturum, libato non vino, ſed ſanguine ſuo, inprimis cum ob eam duntaxat rationem libatio ſolennis in ſacrificiis valuerit, quod ſacrificia eſſent cibus ſacer, & convivium divinum, quibusque adeo pro more conviviorum libatio eſſet adjicienda.* Aliorum cogitata collecta vide ab *Herman. Reiners* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. p. 980. ſq. nec omitte *Windetum* de vita functorum ſtatu pag. 64.

Verſ.

Verſ. 7. & 8. τὸν ἀγῶνα καλὸν ἠγώνισμαι κ. τ. λ. ] In hæc commentatur *Cornel. Adami* in Obſervationibus pag. 380. & 441. ſqq. *Jo. Melchior* oratione ſingulari de corona juſtitiæ, quæ exſtat Tom. II. Operum ejus pag. 565. ſq. & *Jac. Lydius* in Agoniſtic. Sacris pag. 8. & 121. ſq. Ex Patribus Apoſtol. illuſtrat Rev. *Bernh. Raupach* in Decade I. Obſervat. 6. *Aeſchines* primæ phraſi convenienter τὴν καλὴν νίκην ταύτην νενικηκὼς dicit in Timarch. p. 179. fine, obſervante *Jo. Alberti* pag. 54. Periculi Critici ; ἠγωνισμένοι autem *Polybio* p. 624. dicuntur, qui ex prælio ſuperiores diſceſſerunt, & prædæ imminent. Conf. ad 1 *Tim.* VI. 12.

τὸν δρόμον τετέλεκα ] Phraſis eſt agoniſtica, de curſoribus, qui ſtadium abſolverunt. Inde ad *munus* & *vitam* hominis transfertur. Sic *Strabo* lib. V. p. 170. ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς & *Herodotus* VIII. cap. 98. κατανύσαι τὸν προκείμενον ἑωϋτῷ δρόμον dixit. Vide *Jo. Alberti* pag. 406. ſq. Obſervatt. qui & illud *Virgilii* affert Æneid. IV. 653.

*Vixi, & , quem dederat curſum fortuna, peregi.*

τὴν πίστιν τετήρηκα ] Phraſis *Polybio* frequentiſſima de fidelitate in officio probata. Ita pag. 695. ait, *ratus ſimulato illo reditu* τετηρηκέναι τὴν πίστιν, καὶ λελυκέναι τὸν ὅρκον, *fidem ſe præſtitiſſe, & religione jurisjurandi exſolviſſe.* Lege alia apud *Raphel.* pag. 626. qui hinc conficit, *fidei* nomine proprie non intelligi fiduciam in Chriſto poſitam, ſed fidelitatem, quam tanquam miles Chriſto, imperatori ſuo, Paulus debebat. Admitti hoc poteſt, cum *fidelitas* hæc omnino præſtruat *fiduciam* in Chriſto collocatam, quam qui abjecerit, nunquam id præſtiterit, quod in reliquis muneris ſui partibus obeundis præſtare debet. Rev. *Deylingius* l. c. pag. 419. ad certamen veterum lampadodromicum putat reſpici, quo qui Corinthi recte defungi volebant, lampada, quam ſuccenſam manibus tenebant, inexſtinctam ſervare oportebat. Vide *Cal. Rhodigini* Antiqu. Lectiones II. c. 27. & compara *Pet. Zornii* Bibliothec. Antiquario-Exegetic. Tom. I. p. 962. ſqq.

Verſ. 8. λοιπὸν ] *Quod ſupereſt*, ut *Beza* : vel *itaque* ; quo ſenſu *Polybio* dici, oſtendit *Raphelius* pag. 626.

ἀπόκειταί μοι ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, ὃν ἀποδώσει μοι ὁ Κύριος, ὁ δίκαιος κριτὴς ] Exponuntur hæc à *Jo. Behmio* modo laudato in Diſp. de agonothetis Græcorum §. 10. ſqq. & in altera ejusdem de confidentia Pauli boni hieronicæ §. 15. ſqq. In hac poſteriore inter cetera obſervat, *coronam juſtitiæ* dici *coronam juſtam* h. e. talem, quæ ſtrenuis athletis vi promiſſionum infallibilium impertiri juſtum eſt apud eum, qui eſt ὁ δίκαιος κριτής. Eam in rem provocat ad 2 *Theſſ.* I. 4. 7. ubi ἔνδειγμα τῆς δικαίας κρίσεως εἰς τὸ καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ commemoratur & additur δίκαιον εἶναι παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι —— τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν. Sic *Jac.* I. 12. στέφανον τῆς ζωῆς ὁ δόκιμος γενόμενος λήψεται dicitur, ὃν ἐπηγγείλατο ὁ Κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

*αὐτόν.* Idem de Agonothetis §. 14. ſq. oſtenderat coronas quondam, durante certamine, penes Agonothetas primum ſuper tripode, poſt menſa, repoſitas, aut interdum etiam è ſublimi ſuſpendi ſolitas, quæ poſtea, peracto legitime certamine, addita ſolenni virtutis commendatione, victoribus ab Agonothetis ſint tributæ, aut ab illis raptæ. Quæ quantopere huc quadrent, quivis intelligit. Ita Paulus *Coloſſ.* I. 5. *ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην* commemorans hanc coronam intelligit, quam nemo rapere aut occupare poteſt, quemadmodum ipſos victores nemo poteſt *ἁρπάσαι Joh.* X. 28. DEUS hic *δίκαιος κριτὴς* vocatur, tanquam qui & *juſtum ferat judicium*, & *verax* ſit in *præſtandis promiſſis.* Hoc poſteriore ſenſu צדיק occurrit *Nehem.* IX. 8. obſervante *Guſſetio* in Commentariis L. Hebrææ pag. 709. Qui certaminibus Græciæ ſolennibus præerant, *ἑλλανοδίκαι* dicti, illi quidem jure jurando fidem dare debebant, ſe in certaminibus dijudicandis & præmiis diſtribuendis recte & æque ſine exſpectato lucro verſaturos eſſe. Cum vero illi non raro fidem fallerent, ad ſuperiorem judicem provocare fas erat. Vide eundem de Agonothetis §. 18. Jam Paulus DEUM ſiſtit judicem *πιςὸν καὶ δίκαιον* 1 *Joh.* I. 9. qui pro *veracitate* ſua & *juſtitia* neminem defraudet. Ex his intelligitur, Pontificios gratis ad hæc provocare, quando meritum aliquod hominis reſpectu vitæ æternæ ſomniant. Conf. *Gatakerum* ad Antonin. XII. 5.

*οὐ μόνον δὲ ἐμοὶ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι*] Vox *πᾶσι* abeſt à paucis Codd. & verſionibus, adeoque addita poſt *Eſtium* videtur *Millio* in Proleg. §. 493. a recente vero Editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani penitus expuncta eſt. *Eſtius* non negat, *ſenſum eam videri poſtulare.* Cur non igitur a Paulo potius ſcripta, quam ab aliis addita credetur, præcipue cum in uno tantum alterove codice deſideretur? Præterea Apoſtolus ita loqui amat. Sic 1 *Corinth. I.* 2 *Τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ —— σὺν πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα τοῦ* Κυρίου *ἡμῶν.* Nec aliter 2 *Corinth.* I. 1. &c. Taceo Apoſtolum *τοὺς ἠγαπηκότας τὴν ἐπιφάνειαν* Domini à ſe diſtinguere non potuiſſe, qui ipſe inter eos eſſet. Poterat vero ſe ut *unum* diſtinguere à *τοῖς πᾶσι.*

Verſ. 10. *Δημᾶς γὰρ*] Vide ad *Coloſſ.* IV. 14.

*με ἐγκατέλιπεν, ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα*] *me deſeruit, amplexus præſens ſæculum.* Ita *Schmidius.* Ex his plerique Demam à fide prorſus defeciſſe conficiunt, & *Dorotheus* Theſſalonicæ *ἱερέα εἰδώλων* factum tradit. At phraſis Paulina tantum profectionem ejus Theſſalonicam verſus infert, quemadmodum in ſequentibus *Creſcens* in Galatiam, *Titus* in Dalmatiam dicitur abiiſſe. Hoc tamen intercedit diſcriminis, quod Demas ſæcularis commodi cauſa id feciſſe dicitur. Ita enim accipio hoc *τὸν νῦν αἰῶνα,* ſicut *Matth.* XIII. 22. *μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου* & *ἀπάτη τοῦ πλούτου* conjungitur. Vide in hanc ſententiam præter *Herman. Witſium* Meletematibus Leidenſibus p. 208. & in

Miſcel-

Digitized by Google

Miſcellaneis Tom. I. pag. 620. *Chyſoſtomus* ſimiliter, *ἀνέσεως ἐρασθέντα quietis cupidum* appellat. Cl. *Schœtgenius* quidem cum phraſi Hebr. עולם הזה confert, atque hinc ad Judaiſmum putat reverſum. Sed vereor, ut ſententiam probet.

Κρήσκης εἰς Γαλατίαν ] Ita MSS. omnes, ſi unum, alterumve exceperis, qui Γαλλίαν habent, & Patres Græci. Recte proinde Γαλλίαν pro interpretamento habet *Millius*. Recte etiam *Theodoretus*: Γαλατίαν τὰς Γαλλίας ἐκάλεσεν· οὕτω γὰρ ἐκαλοῦντο πάλαι. Scilicet Galatia apud veteres Scriptores, nonnunqam pro Gallia, & hæc viciſſim pro Galatia accipitur, atque in *Orientalem*, ſeu Aſianam, quæ proprie Galatia dicitur; & *Occidentalem*, ſive Europæam & Transalpinam, quæ *Gallia* eſt, diſpertitur. Id inter cetera conſtat ex *Julio Cæſare* lib. III. B. C. cap. 4. ubi Dejotarum 100 Gallos ait adduxiſſe, quos Cl. *Daviſius* ibi de Galatis ſeu Gallo Græcis accipit, prout *Appianus* B. C. lib. II. pag. 458. & 472. eorum regionem Γαλατίαν τὴν ἑῴαν & incolas Γαλάτας τῆς ἑῴας appellat. Confer, quæ Vol. II. pag. 690. diximus. Cave igitur hic quicquam mutandum cenſeas cum *Epiphanio* & *Hieronymo*, de quibus *Valeſius* ad Euſeb. pag. 44. Adde Acta Eruditorum Lipſienſ. Tom. IV. Supplementorum pag. 301. *Petavium* ad Julianum pag. 273. & *Jacobum Gothofredum* ad Philoſtorgium p. 411. quos affert *Colomeſius* pag 4. Obſervatt. Sac. vel ſic pro lectione Γαλλίας pugnans. Creſcentem ἐν Γαλλίαις κηρύξαι tradit *Sophronius*, Epiſcopum vero Chalcedonenſem in Galatia faciunt *Dorotheus* & *Hippolytus*. De ejusdem apud Græcos & Latinos cultu, aſſertoque ad Viennenſes & Moguntinos Apoſtolatu lege Acta Sanctorum Antwerpienſ. Tomo V. Junii pag. 250. De Creſcente ſingularis exſtat diſſertatio *Joannis Jacobi Bechleri*, Wittebergæ 1689.

Verſ. 13. Τὸν φαιλόνην ] Ita editi & MSS. plerique omnes: alii & inter hos *Curcellæus* φελόνην, quod MSS. aliquot apud *Millium* habent. φαινόλην in aliis legi *Curcellæus* monet, cujusmodi tamen codicem nullum affert *Millius*. De varia illa vocis φαινόλης & φελόνης ſcriptione lege *Caſaubonum* & *Salmaſium* ad Spartianum inter Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ Tom. I. pag. 26. ſqq. *Ferrarium* de re veſtiaria Part. II. lib. II. cap. 1. & *Jo. Baptiſt. Donium* in diſſertatione de utraque pænula Tom. II. Antt. Roman. pag. 1154. ſq. ubi ſpeciatim contendit, Græcos Chriſtianos vetuſtiores Φαιλόνιον, ſive φελόνιον, poſteriores vero φελόνην corruptius dixiſſe, quam vocem, etſi liquido appareat, per transpoſitionem literarum φαιλόνιον pro φαινόλιον ortam eſſe, *Salmaſius* tamen contra aliorum opinionem ex antiquiore voce φελλόνης, quæ Cretenſibus ( teſte *Heſychio* ) tunicam ſignificarit, deducat. Miratur idem, in pleriſque editionibus Novi Teſtamenti coruptum vocabulum Φαιλόνιον pro φαινόλιον legi, cum minime credibile ſit, jam D. Pauli ætate germanam ejus pronunciationem deſiiſſe. In quibus editionibus Φαιλόνιον legerit *Donius*, ) qui forte φαιλόνην ſcribere voluit, ) neſcio, cum nulla talis a me adhuc conſpecta ſit. Diſputatur

inprimis de eo, quid per φαιλόνην ſit intelligendum. Duæ vero potiſſimum ſunt diſſentientium claſſes. Alii *panulam*, ſeu *pallium*, itineribus faciendis accommodatum; alii manticam, ſeu thecam, libris inprimis recipiendis aptam, intelligunt. Utriusque ſententiæ patronos lege in B. *Hect. Gothof. Maſii* diſſertatione de Pallio Pauli Hafniæ 1688 habita, deinde Theſauri Philologici Tomo. II. pag. 707. inſerta, ac denique in Tomo II. Diſputationum Maſii Hamburgi junctim editarum pag. 208. ſqq. recuſa. Is vero Sect. I. *thecam*, Sacro Codice onuſtam intelligendam eſſe contendit, allatis variis argumentis, & rationibus, quæ pro pallio afferri ſolent, ſub examen vocatis, quemadmodum Sectionem II. totam opponit illis, qui hoc loco ad auctoritatem Scripturæ Sacræ ſuſpectam reddendam, aliove fine abuſi ſunt. Pro hac ſententia lege, quæ ab *Amelio* Parte I. der Erörterung pag. 721. ſq. & a D. *Joachimo Langio* in Commentatione Hiſtorico-Hermeneutica de Vita & epiſtolis Pauli Sect. III. cap. IV. §. 11. allata ſunt. Compara cum his eos, qui pro pallio pugnarunt. Hi ſunt, *Barthol. Bartholinus* in commentario de pænula pag. 69. ſq. quem recuſum habes Tom. VI. Antiquitatum Romanarum pag. 1167. ſqq. Anonymus Gallus, qui creditur eſſe Abbas *Boilavius* in diſquiſitione hiſtorica de re veſtiaria Clerici, de qua Nova Reipublicæ Literariæ Jacobi Bernardi An. 1705. p. 84. ſq. præcipiunt, & *Octav. Ferrarius* de re veſtiaria lib. I. cap. 36. Tomo VI. Antiquitatum Romanarum pag. 682. Eandem ſententiam *Jacobum Sirmondum* opuſculo ſingulari, quod una cum variis ad Concilium Arelatenſe Annotationibus perierit, probaſſe teſtis eſt *Stephanus le Moyne* in epiſtola de Melanophoris. Atque huic interpretationi, quæ veterum & recentiorum plerisque arriſit, non difficulter ſubſcribo. Non ſane de nihilo eſt, quod codices manu exarati omnes in ſcriptione vocis ita conſentiant, ut vel φαιλόνης, vel φελόνης appareat. Ex his merito conficitur, φαιλόνης vocem ab illa φαινόλης diſtinctam habitam fuiſſe, quamvis eundem ſignificatum interdum ſecum ferat. Accipe in hanc ſententiam *Salmaſii* verba ad Spartianum l. c. p. 27. Φελόνην, inquit, *recentiores Græci, imo & vetuſtiores, dixerunt, quæ Latinis pænula eſt: detortum eſſe ex φαινόλης, transpoſitis elementis, quidam arbitrantur, ſed non ita eſt: φελλόνης & inde φελόνης tunicæ genus. Certenſium eſſe vocem, notatum inveni apud Heſychium:* ἀμφιμωτὴς χιτῶνας ἢ φελλώνας. Κρῆτες Φελλώνην καλοῦσι. *Hinc paſſim* φελόνης *&* φελόνιον *apud recentiores Græcos pro pænula; & fortaſſe* φελλόνης *a voce* φελλὸς *deducitur, quæ corticem arboris ſignificat, & ſuperficiem cujuslibet rei. Unde & pro libri involucro pelliceo uſurpata eſt, nec dubium eſt, quin vox Latina* pellis *inde facta ſit.* Φελλὸς, pellis, *ut* φαινόλης, pænula: πορφύρα, purpura, φοινίκεον, puniceum. *Sed de his alibi.* Φελλὸς, φλοιὸς δένδρου, καὶ τὸ τῶν βιβλίων ἔξωθεν σκέπασμα. Vides, vocem alterutram ex altera adeo non eſſe natam, ut diverſam etiam originem agnoſcant. Φαινόλης, ſecundum Etymologicon Magnum dicitur: παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, φελόνης autem a φελλός. Idem eſt *Bartholi Bartholini* judicium in tractatu de Pænula modo citato cap. I. Per φελόνην autem non tam pallium itine-

itinerarium, quam veſtimenti genus, quod ab hiemis, frigoris aliisve injuriis corpus tutum præſtat, intellexerim. Germani noſtri Pelß dicerent. Quod ſi enim pallium itinerarium fuiſſet, cauſam non video, cur Paulus, in itinere conſtitutus, illud Troade reliquiſſet. Nec intelligo, cui uſui admodum Paulo fuiſſet futurum, quem de itineribus inpoſterum faciendis tunc temporis non cogitaſſe vel ex eo conſtat, quod abitum ſibi ex hac vita imminere non obſcure profitetur. E contra tunica ejusmodi pelliceа uti poterat Paulus. Hyems enim imminebat: ideo vult, ut Timotheus maturato adventu ſuo eam prævertat. Confer in hanc ſententiam *Michaëlis Mauduit* Galli, diſſertationem, quam Tomo II. Analyſeos epiſtolarum S. Pauli pag. 564-573. ſubjecit. Alteri illi ſententiæ de theca libraria, vel Codice Sacro onuſta, id inprimis obſtat, quod non apparet, cur Paulus eam a libris & membranis diſtinxerit, quibus aſportandis inſervire poterat. Quod ſi enim illud ſignificare voluiſſet, alia, puto, ratione mentem ſuam expreſſiſſet. Placet igitur in tantum, quod Bartholinus loc. cit. cap. VIII. ſcribit: *Paulus, æſtate iter facturus, veſtimentum, quod præcipue pluviæ cauſa ſumebatur, penulam videlicet, ne eſſet oneri, Troade reliquerat apud Carpum, quam iterum, inſtante hyemis tempore, exſpectabat. Quocirca Timotheum precibus urget, ante hyemem venire feſtinet, penulamque cum libris ac membranis ad ſe perferat. Certe ſi penula theca eſſet, qua libri continerentur, loculos a libris ſeparaſſet Paulus, quod credibile non eſt.* Lege præterea in hanc rem *Svicerum* Tom. II. pag. 1422. *Tac. Haj. van den Honert* in Diſſertatione de Stylo Novi Teſtamenti pag. 323. & 355. *Hoornbekii* Vet. &. Nov. lib. I. pag. 406. *Franciſci Fabricii* Diſſertationem de pallio Pauli, Lugduni Batavorum 1709. *Joannis Clerici* Bibliothecam Univerſalem, An. 1688. pag. 77. ubi de *Maſii* diſſertatione laudata, *Joannis Stephani Menochii* Trattenimenti eruditi, Parte I. pag. 418. & *Jo. H. Seelenii* Meditatt. Exeget. Tom. I. pag. 655. Noviſſime Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 898. per *pallium* interpretatur, quod Judæi פליון appellent.

καὶ τὰ βιβλία ] *& libros*. Hebr. ספרים. Hujus vocis notio ea eſt in Novo Fœdere, ut non tam Syſtema Sacri Codicis, quam unus alterve ejus liber innuatur. Ita adhibetur de *Jeſaiæ* prophetia *Luc.* IV. 17. de *Pentateucho Galat.* III. 10. de Evangelio *S. Joannis* XX. 30. &c. Uſurpatur vero etiam de aliis libellis v. c. repudii *Matth.* XIX. 7. Itaque vi vocis ipſius de quibuscunque libris τὰ βιβλία h. l. accipere poſſumus, ſive ſacri ſint, & Biblici, ſive alterius generis. Poſteriore ſenſu accipere phraſin Paulinam malim cum *Maſio* loc. cit. Atque ita intellexiſſe verba videtur *Chryſoſtomus*, cujus hæc ſunt verba: τί δὲ αὐτῷ τῶν βιβλίων ἔδει, μέλλοντι ἀποδημεῖν πρὸς τὸν Θεόν; καὶ μάλιστα ἔδει, ὥστε αὐτὰ τοῖς πιστοῖς παραθέσθαι, καὶ ἀντὶ τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας ἔχειν αὐτά. Si Biblia intellexiſſet Paulus, quæ nonnullorum eſt ſententia, non exiſtimem, Apoſtolum *membranas*, quas poſcit, addita voce μάλιστα, inprimis requiſiturum fuiſſe. Interim forte non fallitur Celeb. *Heumannus*, quan-

quando ex hoc loco Paulino factum putat, ut Sacer Codex Bibliorum nomine appellaretur. Vide eum in Pœciles Tomo I. lib. III. pag. 414. *Joannes Braunius* in Selectis Sacris pag. 603. per βιβλία Schedas intelligit, quibus Patrum traditiones, ſententiæ, ſtatuta, & jura religionis Judaicæ tradita fuerint. *Georgius Bullus*, Anglicanus quondam Epiſcopus, Tomo I. Concionum, Londini 1713. editarum Conc. X. hoc comma illuſtrans βιβλία illa in *hiſtorica* & *myſtica* ſeu *Cabbaliſtica*, quorum illa varia gentis Judaicæ fata, hæ interpretationes Legis & Prophetarum arcaniores ſint complexa, a Judæis autem ſuppreſſa & abolita, quod rebus & doctrinis Chriſtianorum nimis velificare viderentur. Confer Bibliothecam Anglicanam Gallice editam Tom. I. pag. 266.

*μάλιςα δὲ τὰς μεμβράνας* ] Membranæ ſunt *ſchedæ pelliceæ*, quibus veteres ea, quæ memoria digna ducebant, inſcribere ſolebant. Quæ cum Attalo Regi in acceptis ferantur, factum eſt, ut Pergamenæ appellarentur. Hinc B. *Lutherus* vertit *pergamen*, *Eraſmus Schmidius*, & *Zeltnerus* Pergament-Häute. Nolim tamen membranas nudas intelligi, quarum quippe copia Paulo aliunde fieri poterat, ſed tales, quibus aliquid memoriæ cauſa inſcriptum erat. *Theodoretus* intelligit eas, in quibus Sacer Codex, ut hodienum apud Judæos fieri ſolet, conſignatus fuerit. Cum hoc faciunt Interpretes Galli Berolinenſes. Mihi equidem vix perſuaſerim, Apoſtolum Sacro Codice Hebræo unquam fuiſſe deſtitutum. Itaque malim intelligere ſchedas ejusmodi, in quibus nonnulla, quæcunque demum fuerint, in uſum ſuum congeſſerit. *Georgio Bullo* loc. cit. ea comprehendiſſe videntur, quæ Apoſtolus inter legendum ex ſacris literis, vel libris aliis, ante commemoratis, annotarit. In eandem ſententiam vide *Svicerum* Tom. II. pag. 341. & *Jac. Nyloë* in Schriftuurlicke Aanteekeningen pag. 183. *Theophylactus* generatim *ὠφελιμώτερα* in his putat conſignata fuiſſe.

Verſ. 14. *Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς πολλά μοι κακὰ ἐνέδειξε* ] Non videtur hic diſtinguendus ab eo, de quo *Actor.* XIX. 33. & 1 *Tim.* I. 20. Confer *Wolfburgii* Obſervatt. Sacras pag. 592. Lutheri verſionem vocis *χαλκεὺς* defendit *Raithius* pag. 567. Fortaſſe etiam non fallitur conjectura ſua Cl. *Schœtgenius* Horis Hebraic. pag. 899. quando non tam opificem profeſſione, quam Rabbinum ſeu doctorem fuiſſe ſuſpicatur. Conſtat enim, Rabbinos frequenter opificium aliquod cum literarum ſtudiis conjunxiſſe, & nominibus propriis illud opificii junxiſſe. Vide hanc in rem *Bartoloccii* Bibliothec. Rabbin. Tom. III. pag. 793. ſq. *Buxtorfii* Lexicon Talmudico-Rabbin. in אמנות. *Georg. Urſinum* in Antiquitat. Academicis Hebræorum pag. 377. ſqq. & *Ligthfooti* Horas ad *Marc.* VI. 5. Sic in *Joma* fol. 54. 2. & alibi ר' יצחק נפחא R. *Iſaac Faber* appellatur. Id certum eſt, Alexandrum hanc imprecationem Paulo extorſiſſe non tam injuriis, tanquam privato homini illatis, quam noxa, Evangelio conciliata. Vide v. 15. Confer omnino *Simonis Epiſcopii* Opera Tom. I. Parte II. pag. 76.

ἀπο-

*ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος* ] *Reddat ei Dominus.* Codices nonnulli habent *ἀποδώσει*, procul dubio ex interpretamento marginali, quod ad mitigandam, quæ durior videbatur, ſententiam ſcriptum erat. Ita *Theophylactus: ἀντὶ τοῦ, ἀποδώσει. μᾶλλον γὰρ προφητεία ἐστιν.* De forma vocis lege ſupra ad II. 7.

Verſ. 16. *Ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο* ] Verbum *συμπαραγίνεσθαι* indicat patronos & amicos, qui alios, ad cauſam dicendam vocatos, nunc præſentia ſua, nunc etiam oratione adjuvare ſolebant. Id *Cicero* cap. XXIX. *pro Sulla adeſſe ſupplici*, & cap. XIV. *pro Milone* ſimpliciter *adeſſe* dicit. Græci dicunt nunc *παραγίνεσθαι*, nunc *παρεῖναι*, nunc *συμπαρεῖναι*. Vide hæc idoneis veterum locis adſtructa ab *Elsnero* pag. 318. ſeq.

Verſ. 17. *ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ* ] *ut per me præconio Evangelii fides fieret.* Ita *Beza* & *Schmidius*. Confer ſupra ad v. 5.

*καὶ ἐῤῥύσθην ἐκ στόματος λέοντος* ] Per *leonem* illum veteres & recentiorum plerique *Neronem* intelligunt, qui fruſtra hactenus fuerit. Vide loca eorum apud *Svicerum* Tom. II. pag. 233. Confer *Dilherri* Diſputationes Academicas Tom. I. pag. 266. & *Tillemontii* Memorias Eccleſiaſticas Tom I. p. 688. Idem tuetur *Rob. Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 404-407. ubi comma 17. & 18. diligenter explicat. Cum vero *Nero* eo tempore, quo hæc ſcripſiſſe Paulus creditur, in Græciam fuerit profectus, & Helio Cæſareano rerum ſummam conceſſerit, *Helium* hunc indicari malunt *Joannes Pearſonus* in Annalibus Paulinis pag. 24. Operum Poſthum. & Interpretes Galli Berolinenſes. In utrumque cadere hoc elogium poterat eodem jure, quo imperantes, & poteſtate ſua abutentes *leones* appellari conſueverunt. Cum Tiberius fatis functus eſſet, *Marſias*, accepto hoc nuncio, exclamaſſe fertur, *τέθνηκεν ὁ λέων*, auctore *Joſepho* Antt. Judaic. XVIII. 6. Sic in Apocryphis ad Eſtheræ librum cap. XIV. 13. Eſther Ahasverum *leonem* appellat. Nec apud externos Scriptores loca deſiderantur, in quibus homines cum feris beſtiis comparantur. Recitat ejusmodi *Jo. Alberti* pag. 408. Atque hoc quidem effecit, ut alii non de Nerone aut ejus vicario ſermonem h. l. eſſe exiſtimarent, ſed de *Alexandro* fabro, de quo verſ. 15. quem Paulus in prima ſui defenſione ſibi adverſatum fuiſſe tradat. Ita ſtatuunt ſcholia Aſtenſiana, &, qui ad ea provocat, *Robertus Valeſius* in epiſtolis Caſauboni Almeloveenianis pag. 670 b. At hæc opinio parum veri videtur ſimilis. Pauli enim oratio ab Alexandro illo jam deflexerat ad alios, non quidem cum ipſo malitiæ nomine comparandos, ſed timidos tamen ſui deſertores. Et Alexander ille non eo ſpeciatim tempore, quo Paulus cauſam ſuam agebat, adverſarium ſe præſtitiſſe recte exiſtimabitur, à quo *multa mala ſe perpeſſum* ſcilicet olim, profiteatur.

Alii itaque non certum quendam hominem indicari putant, ſed potius præſentiſſimum periculum paulo ante ſuperatum. Ex tali enim qui evaſerant, illi quidem *παροιμιωδῶς, ex ore leonis liberati* dicebantur. Vide v. c. *Pſalm.* XXII. 22. & *Siracide* LI. 3. ἐλυτρώσω μὲ κατὰ τὸ πλῆθος ἐλέους καὶ ὀνόματός σου, ἐκ βρυγμῶν ἑτοίμων εἰς βρῶμα. Vide *Valeſium* loc. cit. & Rev. *Moſſheimium* in diſputatione mox citanda pag. 5.

Cum vero ſic non conſtet, quodnam periculum evaſiſſe ſe Apoſtolus dicat, præcipue cum mortem ſibi imminentem præſagiat, laudatus *Moſſheimius* in diſputatione de Paulo ex ore leonis liberato (quæ Helmſtadii primum An. 1725. edita in Cogitationibus ejus ſuper loca Novi Fœderis ſelecta p. 203. ſqq. recuſa eſt) phraſin Paulinam non figurate, ſed proprie accipiendam cenſet. Suſpicatur autem, Apoſtolum, poſtquam in carcerem conjectus cauſa cedere nollet, inter eos numeratum eſſe, qui proximo ſpectaculo leonibus devorandi projicerentur; amicorum vero opera apud Neronem effectum eſſe, ut cauſam perorare poſſet, qua cognita Judicibus de innocentia ejus ita conſtiterit, ut mortis periculo adeoque & leonum faucibus tantiſper eriperetur. Cum vero Sacræ antiquitatis ſilentium obverti huic conjecturæ poſſit, vir doctiſſimus pag. 10. exiſtimat, ſufficere, ſi dicamus, virum ſanctiſſimum a gravi illo ſupplicio ſibi metuiſſe, idque ex temporum rationibus conjectura eſſe adſecutum. Si enim vel maxime hæc mortis ſententia lata in ipſum non fuerit, vel ſic tamen ex periculo, quod animo præſagierat, ſe evaſiſſe dicere poterat. Ex eadem ſententia Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. monet, parum abfuiſſe, quin Paulus leonibus projiceretur.

Affinis huic ſententiæ illa *J. C. Kochii* eſt, quam in Collectione Novantiquorum Theologicorum Anni 1723. pag. 1049. promulgatam lego. Ibi enim Paulus ad θηριομαχίαν illam, qua Epheſi ſe defunctum 1 *Corinth.* XV. 32. teſtatur, quamque proprie accipiendam nonnulli putant, alluſiſſe h. l. videtur, eo quidem ſenſu, ut profiteatur, perſuaſum ſibi eſſe, fore, ut non minus inpoſterum ab omni opere malo liberetur, quam olim Epheſi ex leonum ore evaſerit.

Utraque ſententia egregiam veri ſpeciem habet. Obſtant tamen nonnulla, quæ me ab aſſenſu prohibent. Ex ſerie ſermonis Paulini apparet, Apoſtolum hic Timotheo ea enarrare, quæ ſibi eo tempore, quo ſcribebat, contigerint, quorumque adeo Timotheus ignarus erat. Huc pertinent, quæ de Dema, Creſcente, Tito, Luca, Tychico, Alexandro narrantur. Itaque non ſine aliqua vi ultimum illud momentum de prima apologia, a ſe ſuſcepta, & περικειμένοις ex narrationum ſerie eximetur. Si vero hoc ponamus, liberatio ex ore leonis, tanquam ſub primam illam apologiam facta, merito eadem exiſtimabitur cum illa in qua DEUM ſibi tam potenter tunc adfuiſſe ad liberationem ſui teſtatur, quam male ſe ab omnibus deſertum ſenſerit. Taceo, θηριομαχίαν illam Epheſinam rectius ſenſu morali accipi, quam in rem vide, quæ Vol. II.

pag.

pag 547. ſunt admonita. Quod ad alteram ſententiam attinet, parum probabile eſt, Paulum non auditum ad beſtias damnatum eſſe. Id enim Romanorum legibus adverſabatur. Vide, quæ ſcripſimus ad *Actor.* XXII. 25. Itaque nec opus erat patrocinio apud Neronem, ut cauſam dicendi facultas fieret, quæ legibus competebat. Impropria vero phraſis eſſet, ſi Apoſtolus ex ore leonis, vel leonum ſe ereptum diceret, ad quos nondum damnatus erat, quosque fortaſſe animo tantum præſagierat. Simpliciſſimum mihi videtur, ſi ſtatuamus, Apoſtolum *leonis* nomine omnem illam hoſtium catervam ad exemplum *Pſalm.* XXII. 22. ubi adverſarii eum leone rugiente comparantur, ſignificare, quorum conatus in prima apologia, tunc facta, divina ope, humana interim prorſus deſtitutus, eluſerit. Interim non levi periculo obnoxius erat Apoſtolus, ad *gentes* quippe, quas commemorat, dicens, quarum plerisque præconium de Chriſto ſtultum videbatur. Qui ad apologiam in primo carcere Romano ſuſceptam reſpici hic volunt, non recogitant, hoc modo Paulum Timotheo aliquid ſcripſiſſe credi debere, de quo ipſi, tunc temporis præſenti, dudum conſtabat.

Verſ. 18. *καὶ σώσει εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπουράνιον* ] i. e. *ſalvum perducet in regnum ſuum cæleſte.* Senſus eſt, *σώζων ἄξει με*, quam loquendi rationem aliquot exemplis commonſtrat Rev. *Raphelius* in Xenophonteis ad *Actor.* XXIII. 24. & *Herodoteis* ad h. l. pag. 587. *Herodotus* inter cetera pag. 560. *ὥστε Πυθίᾳ οὕτω σωθῆναι ἐς Αἴγυπτον.*

Verſ. 19. *Ἄσπασαι Πρίσκαν καὶ Ἀκύλαν* ] Codices pauci legunt *Πρίσκιλλαν.* Atque ita vocatur *Rom.* XVI. 3. & *Actor.* XVIII. 18. ubi nos vide. Scilicet moris fuit, ut nomina propria diminuendi forma adhiberentur.

Verſ. 20. *Τρόφιμον δὲ ἀπέλιπον ἐν Μιλήτῳ ἀσθενοῦντα* ] Pro *Mileto* Arabs legit *Meliten*, quam lectionem germanam credunt *Baronius*, *Beza* & *Grotius.* At non obſervarunt illi, præter primam profectionem, a Luca *Actor.* XXVIII. 1. memoratam, ſecundum ad Romanos iter Apoſtolum ſuſcepiſſe, quo, viſis primum Hieroſolymis, Eccleſiisque Aſiaticis, poſt aliquam apud Macedonas ſuos moram, *Nicopolin* primum, deinde *Corinthum* ( ubi manſit *Eraſtus* ) poſtea *Troadem*, tum vero *Miletum* petierit, relicto illic *Trophimo* ægrotante. Vide huc *Pearſoni* Annales Paulinos pag. 23. *Ludovicum Cappellum* in Hiſtoria Apoſtol. illuſtrata pag. 30. *Millium* ad h. l. & *Rechenbergium* in Diſſertatione de Melitenſium judicio, pag. 132. Exercitationum in Nov. Teſtament.

Verſ. 21. *Ἀσπάζεταί σε —— Πούδης* ] *Pudentis* cujusdam mentio eſt in Inſcriptione Seſſinæ inventa. Eum a noſtro non diſtinctum putat Philipp. Antonin. apud Juſt. Ryequium pag. 10. Centur. nov. epiſt. 3. *Pudentis* & *Claudiæ* nuptiæ celebrantur a *Martiali* IV. 13. Epigramm. *Claudiam* idem IV. 54.

Britannam ortu appellat. A noſtris non diſtingui vult *Colomeſius* in Opuſculis cap. 12. Adde *Pitſeum* Tomo I. de illuſtribus Angliæ Scriptoribus p. 72.

Πρὸς Τιμόθεον δευτέρα κ. τ. λ. ] In hac hypographe conveniunt Codices, niſi quod pauci verba: τῆς Ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον Ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, omittunt, quæ etiam in *Copt.* usque ad finem deſiderantur. Pro Ῥώμης *Alexandr.* habet Λαοδικείας & Æthiops, *Coptus* quoque teſte *Millio* Λαοδικείας διὰ Ὀνησίμου. In editione tamen *Wilkinſii* legis: *Scripta* Romæ, *miſſa per* Oneſimum.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD TITUM.

TITUS, Ex-Gentilis, a Paulo, a quo *filius in fide* vocatur, fortaſſe ipſo ad Chriſtum perductus, a *Sophronio* Epiſcopus Cretæ dicitur conſtitutus, quam in rem lege etiam *Guil. Beveregii* Canonem Eccleſiæ vindicatum pag. 231. De vita ejus exponunt, præter *Cavium* & *Tillemontium*, Acta Sanctorum Antwerpienſium Tom. I. Januar. IV. pag. 163. ſqq. Conf. *Fabricii* Lucem Evangelii toti Orbi exorientem pag. 114. *Locum* & *tempus* ſcriptionis ita definit *Millius* in Prolegomenis §. 122. *Paulus, peragratis ulterioris Italiæ partibus, ac fortaſſe etiam Hiſpania, navigavit in Cretam; ( relicto ibi Tito Epiſcopo ) ac poſtea contendit in Judæam; indeque in Aſiam venit, ac viſit Coloſſenſes, ubi & Tychicum invenit, quem Roma ad hos Coloſſenſes cum epiſtola miſerat. Commoratus hic Apoſtolus aliquantulum ſcripſit epiſtolam ad Titum, de Eccleſiaſtico ſtatu compoſitam, ut Tertulliani verbis utar. Scripſit inquam Coloſſis: habebat enim jam Arteman ſecum & Tychicum. In epiſtola hac ſignificat Apoſtolus, ſe miſſurum ipſos ad Titum cap. III. 12. ( id quod feciſſe eum probabile eſt, dum Philippis in Macedonia moraretur. ) Ipſe interim Nicopoli ſe, DEO dante, hyematurum dicit; ( Nicopoli, in Epiro ſcilicet, quo petit, ut ad ipſum veniat Titus. ——— Scripta autem erat, ut videtur, A. C LXIV. hyeme appropinquante.* *Nicopoli* quidem ſcriptam eſſe ſubſcriptio vulgata teſtatur, cui tamen plerique omnes fidem habendam eſſe negant, de quo ſuo loco dicemus. Atque illorum multi vel generatim Macedoniæ aliquam civitatem ſubſtituunt, vel ſpeciatim *Philippos.* Inter priores eſt M. *Joannes Chriſtianus Herzogius* in diſſertatione de Subſcriptionibus Paulinis §. XIV. Confer tamen *Joannis Pearſoni* Opera Poſthuma pag.

p. 77. ſq. Nihil definit *Campeg. Vitringa* in Prolegomenis ad commentarium in hanc epiſtolam Belgicum.

Multa hujus epiſtolæ ad Judæos ſpectare exiſtimat *Jo. Braunius* in ſelectis Sacris pag. 141.

Interpretum notitiam hauries, ſi placet, ex *Schwindelio* & *Wendelero*, libris aliquoties citatis. Ad expoſitionem ejus pertinent diſſertationes ſingulares B. *Jo. Fechtii*, & *Brandani Henr. Gebhardi*, Theologi Gryphiswaldenſis, quarum illa inſcribitur *exegetica expoſitio S. Apoſtoli ad Titum, in qua idea veri Eccleſiæ miniſtri repreſentatur Roſtoch.* 1692. 4. hæc autem ſuccincta *Paraphraſis epiſtolæ ad Titum* ( *Germanica* ) *cum notis brevibus* ( Latinis ) *& cenſura in verſiones Reitzii ac Trilleri.* Gryphisvvald. 1714. 4.

# CAPUT I.

VErſ. I. Παῦλος, δοῦλος Θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ κ. τ. λ. ] Comma hoc & ſequens complures illuſtrarunt. Eos recitat B. *Severinus Lintrupius* in Prothcoria Theol. ubi ex hoc loco naturam & indolem Theologiæ tradit. Spectat eo inprimis *Mich. Fœrtſchii* diſſertatio de indole veritatis Theologicæ, quæ recuſa eſt in Decade Diſſertationum ejus pag. 108. ſqq. *Henr. Opitii* de Theologia pia, unice vera, Kilonii 1690. & *F. J. Lutkenii* Collegium Biblicum pag. 7. ſqq. ex ceteris vero *G. J. Voſſius* Tom. V. Opp. p. 6. & *Guilielmus Saldenus* in Otiis p. 480. ſq.

*κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν Θεοῦ* ] *juxta*, vel *ſecundum fidem electorum DEI* vertunt *Eraſm. Schmidius*, & *Beza*: minus quidem convenienter; rectius enim reddideris *ad fidem.* Ad hanc ſcilicet in electis gignendam & confirmandam conſtitutus erat Apoſtolus. Κατὰ enim, caſui quarto junctum, finem infert, ad quem quis tendit & collineat. Eodem ſenſu mox ἀλήθεια dicitur κατ' εὐσέβειαν, h. e. *veritas, ad pietatem ducens*, quæ 1 *Tim.* VI. 3. ἡ διδασκαλία κατ' εὐσέβειαν appellatur. Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas pag. 298. qui hanc notionem ex Xenophontis de Expedit. Cyri. lib. III. pag. 246. probat. Τῶν ἑλλήνων κατέκοψάν τινας τῶν ἐσκεδασμένων ἐν τῷ πεδίῳ καθ' ἁρπαγήν. *Nonnullos Græcos, ad prædam hinc inde in planitie ſparſos, interficiunt.* Lege in eandem ſententiam *Henrici Prætorii* Solutionem Nodi Gratiani, ſive conſiderationes de habitu Theologiæ non renati, §. 35. & ex ea Collectionem Novantiquorum Theologicorum an. 1723. pag. 389. Ibi inter reliqua *Albini* Introductio in Platonis Dial. §. 6. affertur, ubi διδασκαλία ἡ κατὰ σοφίαν eſt *doctrina ad ſapientiam ducens.* Nec omitte *Franc. Wokenii* Selecta Sacra diſſ. I. pag. 2. ſq. & *Vitringæ* commentarium Belgicum in hanc epiſtolam.

 Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 2. ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς Θεὸς] *Herodotus* lib. I. pag. 20. μαντήιον ἀψευδὲς *oraculum verax, veridicum* dixit, obſervante *Raphelio.*

πρὸ χρόνων αἰωνίων] Vide ad 2 *Timoth.* I. 9. Adde *Marckii* Exercit. Textual XLIII. p. 411. & Cl. *Polemanni* Exercitat. Programmatic. XV. p. 15.

Verſ. 3. Ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις τὸν λόγον αὐτοῦ] *Beza* hæc ita accepit, ut priora verba, ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις ad v. 2. reliqua autem, τὸν λόγον αὐτοῦ ad v. 3. referret, atque ita converteret: *patefecit autem temporibus ſuis. Videlicet ſermonem illum ſuum. Schmidius* in contextu quidem receptam interpunctionem retinuit, ſimul tamen verſionem eandem adoptavit. At recte hoc averſatur *Hombergius* pag. 337. quemadmodum nec opus eſt ſupplemento particulæ *videlicet.* Λόγος enim hic commemoratus reſpicit antecedens ἐπηγγείλατο *promiſit,* & *verbum* promiſſionis infert ab Apoſtolo promulgatum. Non magis audiendus eſt *Knatchbullus,* quando verba, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀ. Θ. χρ. αἰ. ἐφανέρωσε δὲ κ. ἰδίοις parentheſeos nota a ceteris diſtinguit. Id enim fieri non poteſt, cum nihil alioquin ſit, à quo vox λόγον pendeat, quam ad verbum ἐφανέρωσε, per parentheſin ejus interceptum, referri neceſſe eſt. Compara M. *Chriſtoph. Wolle* Commentationem de Parentheſi Sacra pag. 138.

Verſ. 4. Τίτῳ, γνησίῳ τέκνῳ] Vide ad 1 *Tim.* I. 2.

ἔλεος] Deeſt in *Latinis* aliquot, *Syro* item & Patribus nonnullis, ideoque ex ep. 1. ad Timotheum huc relatum videtur *Millio,* repugnante recte *Whitbio* pag. 74.

Verſ. 5. Τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ κ. τ. λ.] Spectat huc B. *Joh. Pet. Grunenbergii* diſput. de divina ſancti miniſterii conſtitutione, Roſtoch. 1706. Quo tempore Paulus Titum in Creta reliquerit, obſcurum & incertum videtur editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pag. 796. factum id eſſe in itinere in Macedoniam ſuſcepto, quamvis in *Actis* non commemorato, ex 1 *Tim.* I. 3. conjicienti. Vt *Leonh. Twells* in ExamineCritico illius N. T. Parte I. p. 13. ſqq. contigiſſe id potius putat, cum Paulus Roma poſt prima vincula in Aſiam reverſus eſſet, quod factum eſſe ipſe ille Editor Anglus monet ad *Actor.* XX. 5. vel etiam in ſecundo Apoſtoli verſus Romam itinere.

ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσῃ] *ut quæ* adhuc *deſunt, corrigeres.* Ita *Eraſm. Schmidius.* Malim tamen cum *Grotio* & aliis: *ut reliqua ordinares* ſeu *diſponeres.* Nam & hæc Græci verbi notio paſſim eſt apud Scriptores, & h. l. rei ipſi magis reſpondet. Neque enim de emendanda Cretenſi Eccleſia, quam de eadem, quæ a Paulo primum plantata erat, provehenda & amplificanda agebatur. Apparet illud ex eo, quod ſtatim de conſtituendis oppidatim Preſbyteris ſubjungitur. Editor Anglus N. T. Anonymus in notis ad h. l.

negat

negat, Titum Eccleſiis Cretenſium ſigillatim præfectum fuiſſe, qui ſub *Evangeliſtæ* tantum titulo Presbyteros, Sacerdotes aut Paſtores ibi tantum conſtituerit, hinc ſtatim in *Dalmatiam* profectus. Recte vero illi *Twelſius* l. c. p. 41. opponit antiquitatis, *Titum* Epiſcopi nomine celebrantis, teſtimonium; quemadmodum conſilia, eidem ab Apoſtolo de rebus Eccleſiæ recte adminiſtrandis data, credere jubent, Titum in Creta diutius commorari & res ſuas agere, non autem illa Presbyterorum creatione defunctum, ſtatim in Dalmatiam conferre ſe debuiſſe. *Metropolitam* ibi Titum egiſſe cenſet *Grotius*, & *Scheelſtratenus* p. 37. Antiquitat. Illuſtrat.

*κ̀ καταςήσῃς κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους* ] *& conſtitueres oppidatim Presbyteros.* De *Presbyteris* vide ſupra ad 1 *Tim.* IV. 14. & V. 17. *Vitringa* ad h. l. in de Vetere Synagoga lib. II. cap. II. pag. 478. ita: *Cura Titi, ut extraordinarii Legati Pauli Apoſtoli, conſtituendi erant Presbyteri plures in ſingulis oppidis Cretæ; cujusmodi erant plurima. Nulla heic rurſus occurrit diſtinctio Presbyterorum unius ab alio. Quin imo ex ſequenti contextu ſermonis Pauli liquet, hos Presbyteros eosdem eſſe cum Epiſcopis. Poſtquam enim Paulus Presbyterorum ordinandorum qualitates recenſuerat in ſequente verſu ſexto, ſic porro ſuam continuat orationem: δεῖ γὰρ ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι. Quos paulo ante Presbyteros vocaverat, heic vocat alternata ῥήσει Epiſcopos, easdem in utrisque deſiderans qualitates.* Lege in eandem ſententiam Commentarium ejus Belgicum & *Walonis Meſſalini*, i. e. *Salmaſii*, commentationem de Epiſcopis & Presbyteris pag. 12. De modo conſtituendi hos Presbyteros diſſerit *Vitringa* l. c. lib. III. Parte I. c. 14. pag. 821. ſq. Quo ſenſu B. *Lutherus πρεσβυτέρους* per Aeltiſten converterit, contra *Emſerum* oſtendit *Raithius* in Vindiciis pag. 568.

Verſ. 6. *μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ* ] Vide ad 1 *Tim.* III. 2. Ex ibi dictis patebit, quid habendum ſit de ſequenti *Caroloſtadii* aſſerto: *in Epiſcoporum numerum non referendus quispiam, niſi prius conjugem habuerit. Paulus perinde conjugium exigit, quam ſcientiam.* Compara Relationes innoxias de Nov-antiquis Theologicis an. 1713. pag. 570.

*τέκνα ἔχων πιςὰ* ] *liberos habens fideles*, h. e. credentes in Chriſtum, ut Hebræi uſurpant voces אמונים & מאמינים Vide *Vitringam* ad h. l. & de Vetere Synagoga lib. III. Parte II. c. 18.

*μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας* ] *qui* ( liberi ) *non ſint obnoxii crimini luxus.* Subintellige *ὄντα*. Sic plene dixit *Polybius* pag. 138. *ὁ Δημήτριος ἐν διαβολαῖς ὤν*, obſervante *Raphelio.* De voce *ἀσωτία* vide ad *Epheſ.* V. 18.

Virtutes & vitia Epiſcoporum eadem propemodum ratione enarravit Paulus 1 *Tim.* III. 1. ſqq. ubi proinde lege, quæ ſcripta ſunt. Adde hic *Juſti Henr. Oldecop* diſſertat. de Epiſcoporum virtutibus & vitiis, Svvobaci 1672.



Digitized by Google

*μὴ αὐθάδη* ] *non ſibi pertinaciter placentem*, ut recte *Beza* & *Eraſmus Schmidius* exprimunt, vocis origini convenienter. Αὐθάδης enim eſt quaſi αὐτοάδης, ex αὐτὸς & ἁδέω, quod *Ariſtoteles* in magnis Moralibus lib I. monuit, & *Gregorius Nazianzenus* Tom. II. pag. 190. expreſſit his verbis: τὴν δ᾽ αὐθάδειαν αὐταρέσκειαν λέγω. *Lutherus* commode vertit eigenſinnig. Lege, quæ plura de hac voce commentantur *Caſaubonus* ad Theophraſti Characteres cap. XVI. *Raphelius* in Annotatt. Herodoteis pag. 588. ſqq. & *Elsnerus* pag. 320. Nec omitte *Svicerum* Tom. I. pag. 572. & *J. C. Dietericum* Tom. I. Antt. Biblic. N. T. pag. 162. *Is eſt*, inquit, αὐθάδης, *qui ſuis cogitationibus aut ſententiis plurimum tribuit, qui ſibi videtur ſapere, qualem* Ariſtoteles VII. *Ethic* 9. ἰδιογνώμονα καὶ ἰσχυρογνώμονα *appellitat. Occurrit hæc* vox Tit. I. 7. *quod nonnulli de* pervicace *&* contumace *intelligunt, ſiquidem* αὐθάδης *Græcis quoque eſt idem, quod* præfractus, pervicax, *qui præconceptis ſuis opinionibus unice adhæret, & nil rectum putat, niſi quod ipſe facit, id quod oritur ex ſuperbia, unde &* Vulg. *h. l.* αὐθάδη *vertit* ſuperbum LXX. *hac voce utuntur* Geneſ. XLIX. 7. *pro* עַז pertinax, obfirmatus. *Græca ſcholia exponunt*, τὸ ἑαυτοῖς ἀρεστὸν μεταδιώκοντες, quod ipſis placet perſequentes. Heſychio *ſynonyma ſunt* αὐθάδης, ὑπερήφανος, θυμώδης, παράνομος, αὐτάρεστος ἐξουσιαστικός

*μὴ ὀργίλον* ] *non iracundum.* Vide *Elsnerum* pag. 321. ex Scriptoribus externis, inter quos *Demoſthenes* Orat. II. in Philipp. pag. 23. ὀργίλους καὶ τραχεῖς, & *Lucianus* Reviviſc. ὀργίλους καὶ ἀγανακτικοὺς conjungunt. *Ariſtoteles* Ethic. IV. 5. οἱ ὀργίλοι ταχέως ὀργίζονται. *Plutarchus* περὶ ἀοργησίας ita: ἡ συνέχεια τῆς ὀργῆς καὶ τὸ προσκρούειν πολλάκις, ἕξιν ἐμποιεῖ πονηρὰν τῇ ψυχῇ, ἣν ὀργιλότητα καλοῦσιν, εἰς ἀκροχολίαν καὶ πικρίαν καὶ δυσκολίαν τελευτῶσαν. Confer *Dietericum* l. c. p. 69.

Verſ. 8. *φιλάγαθον* ] *bonorum amantem.* Lege, quæ ad 2. *Tim.* III. 3. diximus de voce ἀφιλάγαθος, nec omitte *Svicerum* Tom. II. pag. 1426.

*σώφρονα, δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ* ] Hæc *Ludov. Cappellus* in Spicilegio ad nonnulla N. T. loca pag. 118. ita à ſe invicem diſtinguit, ut σώφρων opponatur μαινομένῳ καὶ ἄφρονι *Act.* XXVI. 25. ὅσιος *ſanctum* & pium in iis, quæ ad religionem pertinent, δίκαιος, *juſtum*, in rebus, quæ vitam civilem reſpiciunt, ἐγκρατὴς denique *temperantem* tam in cibo & potu, quam in reliquis, quæ corporis ejusque ſenſuum omnium voluptatem ſpectant, inferat. Vocem ἐγκρατὴς, de qua & *Svicerus* Tom. I. pag. 999. conferri poteſt, per *temperantem* reddiderat, verſio Gall. *Montenſis*, pro qua lege *Defenſionem* ejus Gall. editam pag. 236. ſq.

Verſ. 9. *Ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου* ] *Firmiter adhærentem fideli illi ſermoni, qui ad doctrinam facit.* Ita *Eraſm Schmidius*, nec aliter *Lutherus*: Der da halte ob dem Worte, das gewiß iſt, und lehren kan. Ἀντέχεσθαι

χεϑαι inſigne & pertinax ſtudium inferre Patres docent apud *Suicerum* Tom. I. pag. 371. quam verbi vim *Polybii* & *Herodoti* exemplis firmat *Raphelius*. *Polybius* v. c. pag. 916. ait ἀντέχεϑαι τῆς ἀληϑείας. *Pricæus* hic volebat legi κατὰ τὴν διδαχήν μȣ, quod recte averſatur *Jo. Alberti* pag. 31. Periculi Critici. Scilicet ἡ διδαχὴ non tam *doctrinam* infert, quam Paulus tradiderit, quam *doctrinam veritatis*, ſeu Theologiam generatim, quo ſenſu eadem vox occurrit *Joh.* VII. 17. Præpoſitio κατὰ finem indicat, ad quem πιςὸς λόγ☉ h. e. *Evangelium* tendat, quem ſignificatum etiam v. 1. locum habere oſtendimus. Διδαχὴ autem idem fuerit quod διδασκαλία. Id patere mihi videtur ex eo, quod ſtatim ſubjungitur, ἵνα δυνατὸς ᾗ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. Scilicet inſtitutio, exhortatio, adverſariorum ſolida confutatio &c. finem conſtituunt, in quem πιςὸς λόγ☉ collineat. Conf. 2 *Tim.* III. 16. Quod ſenſu reddere poſſis *ſermonem doctrinæ*, ſive *doctrinam* atque *inſtitutionem*, præeunte *Raphelio* in Annotatt. Polybianis pag. 628. Sic *Polybio* pag. 815. οἱ κατὰ τὴν παράκλησιν λόγοι ſunt *exhortatio* & pag. 819. ἡ κατὰ τὴν παράκλησιν ἐπαγγελία, *promiſſio ad exhortationem facta &c.* Non aliter hic ſenſit *Caſaubonus*, cujus hæc ſunt verba in Epiſtolis ex editione Almeloveeniana pag. 79. *Vult Apoſtolus Epiſcopum* ἀντέχεϑαι τȣ̃ πιςȣ̃ λόγȣ, h. e. σχολάζειν *& diligenter vacare ſtudio Theologiæ. Ait* τȣ̃ κατὰ διδαχὴν *i. e. ſic, ut ad docendum fiat indies aptior & inſtructior. Nam poteſt aliquis addiſcere aliquam ſcientiam, non ad aliorum inſtitutionem, ſed ſuam tantum. Si hoc ſentit Apoſtolus, nolim* ἀντεχόμενον tenacem *vertere*, *ſed* incumbentem *aut* adhærentem. *Chryſoſtomus pulchre:* φροντίζοντα, ἔργον τȣ̃το ποιȣ́μενον. *Nec minus apte Syrus verbo* בטיל *hic uſus, quod reſpondet Græco* σχολάζειν. *Non probem etiam hæc* τȣ̃ κατὰ τὴν διδαχὴν *verti*, qui ad doctrinam facit : διδαχὴ *enim ipſum docendi actum, niſi fallor, notat hic : non doctrinam, qua docetur.*

ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ] *in ſana, vera* & *incorrupta doctrina.* Vide ſupra ad 2 *Tim.* I. 13. Sic *Eunapius* Sopolid. pag. 128. τῆς ὑγιαινούσης μȣ́σης, *ſanioris Muſæ*, quem locum inter ceteros hic affert Cl. *Alberti* p. 409. Obſſ. De argumento, quod hic tractatur, lege *Jo. Bened. Carpzovii* diſſert. de orthodoxia & orthotomia in Eccleſiæ Miniſtro requiſita, Lipſ. 1688. edita, & in Theſauro Diſputatt. Tom. II. pag. 717. recuſa.

καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν]. *Gnoſticos* hic intelligi volunt *Grotius*, *Hammondus*, & *Vitringa* in commentario ad h. l. & lib. V. Obſervatt. Sacrarum, ubi in dogmatibus eorum exponendis multus eſt.

Verſ. 10. Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι] Ita *Stephanus*, *Bœclerus*, *Curcellæus*, *Millius* & plerique alii in editionibus ſuis, per καὶ, quod *Aldus*, *Colin. Frobenius*, *Beza*, & *Eraſm. Schmidius*, cumque iis B. *Lutherus* in verſione ſua omittunt. Pro καὶ faciunt plerique Codd. manu exarati, ex quibus

*Millius* ſex tantum afferre potuit, ubi deſideretur. Si retineas τὸ καὶ, ſenſus fuerit, *multos* eſſe τῶν ἀντιλεγόντων, de quibus v. 9. atque ita comparatos, ut *ſimul* ſint *refractarii* &c. Videtur tamen rectius abeſſe, quamvis quod ad ſenſum nihil utriusque interſit.

ματαιολόγοι] Vide ad 1 *Tim.* I. 6.

Verſ. 11. Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν] *quibus oportet os obturare*, ut *Beza* & *Schmidius*. Recte quidem. Sic *Theophylactus* ἐλέγχειν σφοδρῶς, ὥστε ἀποκλείειν αὐτοῖς τὰ στόματα, exponit; *Heſychius* itidem ἐλέγχειν, quemadmodum Scholiaſt. *Ariſtophanis* in Equitib. καταπνίγειν. Lege *Suicerum* Tom. I. pag. 1193. *Pricæus* quidem convertere maluit, *freno coërcere*, h. e. vaniloquii curſus nimios inhibere. Sed præſtat prius illud, cum vi argumenti, tum per uſum Scriptorum. De hominibus enim vaniloquis ſermo eſt, qui rationibus & rerum argumentis ſunt cohibendi. Hanc autem verbi apud veteres ſignificationem eſſe oſtendit Cel. *Elsnerus* pag. 322. Ita *Lucianus* Jove Trag. ἰχθύν σε ἀποφανεῖ ἐπιστομίζων, *te mutum reddet, ut piſcem.* Adde *J. C. Dieterici* Antiquitt. Biblicas Tom. II. pag. 320. & B. *Chriſtophori Sonntagii* Spicilegium Obſervationum ad ſex ἅπαξ λεγόμενα N. T. pag. 13. Nec omitte *Vitringæ* commentarium ad h. l.

ὅτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι] *Herodotus* lib. I. pag. 15. πολλοῖσι ὑποδέξας ὄλβον ὁ θεὸς προῤῥίζους ἀνέτρεψε, *multos Deus, quibus felicitatem oſtentarat, radicitus evertit.* Conf. *Suicer.* Tom. I. pag. 323.

αἰσχροῦ κέρδους χάριν] *Theophraſtus*, obſervante *Jo. Alberti*, impudentiam καταφρόνησιν δόξης αἰσχροῦ κέρδους χάριν appellat.

Verſ. 12. Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος προφήτης] De *Propheta* h. l. ſignificatu diſquirit M. *Jo. Caſp. Gottſchalck* ſingulari diſſertat. de Epimenide Propheta Altorf. 1714. rationibusque in ſummam collectis ſtatuit, eum ita appellari, quod Poëta fuerit inſignis, & Sacerdos, fatidicus quoque paſſim habitus morumque doctor egregius, & expiationibus celebris. Adde *Borremanſium* de Poëtis & Prophetis pag. 69. & præſtantiſſimum *J. A. Fabricium* noſtrum ad Sextum Empiricum lib. I. cap. 2. adverſus Grammaticos pag. 227. ubi Timon προφήτης τῶν Πύῤῥωνος λόγων, *interpres ſermonum Pyrrhonis*, appellatur. Ita ſcilicet Ἀριστοτέλους προφήτης pro Philoſopho Peripatetico apud Themiſtium in Sophiſta pag. 290. Grammatica προφῆτις, ſive interpres Poëtarum apud Sextum ibidem §. 279. Philoſophus προφήτης τῆς ἀθανάτου φύσεως *Dioni Chryſoſtomo* Diſſert. XII. pag. 207. quemadmodum Poëtis inprimis hoc elogium tributum eſſe ex illo Pindari: μαντεύεο Μοῦσα, προφητεύσω δ' ἐγώ, apparet. *Sacerdotes* vero etiam Prophetas fuiſſe vocatos oſtendit *J. G. Schelhornius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. V. pag. 859. ſqq. talemque Epimenidem apud Cretenſes egiſſe exiſtimat, niſi Philoſophicæ notitiæ nomine, ut apud Aegyptios olim, elogio hoc

hoc decoratum credere velis. *Vaticinandi furorem* illi tribuit Cicero de Divinatione, & cum Sibylla Erythræa conjungit, quod obſervat inter cetera *Alex. Morus* in Notis ad h. l. pag. 193.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι κ. τ. λ.] *Epimenidi* communiter tribuitur, tanquam Cnoſſio, atque adeo Cretenſi, in cujus libro περὶ χρησμῶν Hieronymo, Socrati Scholaſtico & Nicephoro exſtitiſſe verſus ille videtur. Confer *Fabricium* noſtrum lib. I. Biblioth. Græc. c. 6. §. 3. Sunt tamen, qui *Callimacho* tribuunt, apud quem hymn. in Jovem v. 8. legitur: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦςαι, ubi vide Illuſtrem *Spanhemium*. Sed nihil forte certi hic affirmari poteſt, cum proverbii inſtar in ore omnium fuerit, obſervante *Anna Daceria* ad Callimachum, & ſuffragante *Jo. Alberti* pag. 411. Lege interim *Guil. Canterum* Novarum Lectionum l. 15. in Tom. III. Theſauri Critici Gruteriani Parte I. pag. 530. *Andr. Schottum* Adagial. Sacr. pag. 140. *Colomeſium* Obſſ. Sacr. pag. 87. *Rittershuſium* Lection. Sacr. pag. 160. *Dilherrum* de uſu Scriptorum Secularium Tom. I. Diſputatt. pag. 278. ſq. *Saldenum* in Otiis pag. 713. *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 725. *J. S. Menochium* in Trattenimenti eruditi Parte V. pag. 516. *Cornel. Adami* pag. 317. & 320. Obſervatt. *Thom. Crenium* Parte XII. Animadverſion. Hiſtorico-Philolog. pag. 142. *Jo. Dougtæum* Analectorum N. T. pag. 141. *Jo. Buxtorfium* in Catalectis pag. 160. & *Jo. Henr. a Seelen* de dictis Poetarum in N. T. citatis pag. 11. ſqq. De malis Cretenſium moribus ad h. l. in univerſum diſſerunt M. *Chriſt. Schmidt* diſput. de Cretenſium vituperio, Lipſ. 1673. recuſ. in Theſauro Diſputatt. Tom. II. pag. 723. *Dan. Pfeffingerus* de Cretenſium vitiis Argentorati 1701. *Wolfgangus Stegerus* de Cretenſibus mendacibus Lipſ. 1684. & *Jo. Adamus König* Witteb. 1678. *Polybium* Cretenſium nunquam fere ſine vituperatione meminiſſe obſervavit *Raphelius* in Polybianis pag. 620. Ψεύςας ſpeciatim ex eo appellari, quod ineptiſſima de Deo ſuo ſummo jactarint, exiſtimat *le Moyne* ad Varia Sacra pag. 278. Jovis enim ſepulchrum apud ſe eſſe gloriati ſunt, cujus inſcriptionem *Porphyrius* de Vita Pythagoræ pag. 20. edit. Amſtelod. recitat, ad quem *Kuſterus* legi meretur. Hujus ſane ſepulchri meminit *Callimachus* l. c. quando Cretenſes mendaces appellat.

κακὰ θηρία] Homines malos cum *beſtiis* comparari ſupra ad 2 *Tim.* IV. 17. vidimus. Sic *Demoſthenes* contra Ariſtogitonem pag. 498. μιαρὸν τὸ θηρίον κ) ἄμικτον ait, & *Bion* Idyll. II. verſ. 13. Amorem κακὸν τὸ θηρίον vocat, quod notatum eſt laudato *Alberti*. Cum *Plutarchus* initio libelli de utilitate ex inimicis capienda tradat, Cretam inſulam eſſe χώραν ἄθηρον, h. e. regionem beluis carentem, *Alex. Morus* ad h. l. lepide hoc ab auctore carminis dici arbitratur, eo ſenſu, quod glorientur, nullas apud ſe feras eſſe belluas, cum tamen ipſi peſſimæ ſint beluæ. Lepor vero hic evaneſcit, ſi recogites, *Plutarchum* hoc ex aliorum fide tradere, (ὥσπερ ἱςορῦσι)

 veteres

veteres autem plures v. c. *Senecam* in Hippolyto v. 59. & *Heraclidem Ponticum* de Politiis Cretenſibus venandi ſtudium, quod ſine feris ſane non datur, tribuere, *Ciceronem* denique de Natura Deorum II. 126. Cretæ *capras, feras, venatis ſagittis configi* ſolitas, adſcribere. Ex his locis *J. H. Majus* in Obſſ. Sacr. lib. II pag. 121. ſq. edit. II. auctioris recte conficit, hanc potius mentem eſſe Poëtæ, Cretenſes, inde à juventute venationi adſuetos, propemodum in beſtias degeneraviſſe, talesque potius videri, quam homines.

*γαστέρες ἀργαὶ*] Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 737. *Colomeſius* Obſſ. Sacr. pag. 87. *ἀργὰς* vertit *albas* h. e. *luxu* & mollitie diffluentes, cum Poëtæ ea voce in hoc ſignificatu uti ſoleant. Explicavit hanc phraſin alia ratione *Adrianus Beverlandus* in Otiis Oxonienſibus MSS. cap. IX. cujus verba hic ſubjungere placet. *Cum ἀργὸς*, inquit, *ſignificet* otioſum, *quaſi ἄεργον*, inertem; *ideo Interpretes reddidere* pigros, marcidos, ignavos, ſocordes, ſegnes, deſidioſos, inactuoſos, *λορδουμένους*, *unde* lourdan, *fungorum caput*, laſſi inſtar colli papaveris. Martialis *remiges* Vatreno Eridanoque *pigriores vocat* Argonautas *lib.* III. 67. *cum tamen ἀνειβάται, qui Jaſonem fuere comitati ad Phaſin, dicti ſint ἀργοναῦται* ab Ἀργοῖ, *nave longa, ſic a velocitate dicta ἀργὸς* velox, *adeo ut γαστέρες ἀργαὶ potius ſint* veloces, *celeresque ventres, quam* pigri. *Barathronum ventriculus eſt σαρκοφάγος celerrime ingeſtos cibos conſumens. Quod guloſi belluones ſint inſatiabiles provenit exinde, quod recta habeant inteſtina, ſtatimque ventriculo celerrime digerente cibos, caſſa. Citæ alvi ſemper memores ſui. Ventres* Terentio *in Phormion.* V. 77. inanes; *Ovidio* VIII. 842. vacui; *Juvenali* XV. 100. capacioris alvi ſpecus, *Horatio* barathrum. *Oppian.* V. 52. *de alvo Boæ γαστρὸς χάος*, a *χαίω*, *hio. De ejusmodi improbis abdominum alvis* Sveton. *Neron* c. 37. &c. Hic, cave, credas *Beverlando, ἀργὸν* per *velocem* aut *celerem* vertenti, quod & *L. R. de Prado* feciſſe video in Pentecontarcho cap. 18. *Ἀργὼ* navis, tanquam *velox* dicta, nihil huc facit. Nam veteres in reddenda appellationis hujus ratione diſſentiunt. Quicquid vero hujus erit, ſatius eſt, in communi vocis *ἀργὸς* ſignificatu, tot Scriptorum exemplis probato, acquieſcere. Qui enim ventri ſtudent, libenter feriantur & otio litant. Favet tamen *Beverlando* Phavorinus, qui *γαστέρες ἀργοὺς* reddit *γαστριμάργους*, h. e. *guloſos.* Nec aliter *Guil. Canterus* l. c. totum verſiculum interpretatus:

*Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter edax eſt.*

Imo idem *ἀργαὶ*, carminis cauſa, poſitum credit pro *μάργαι*. Sed recte diſſentit *Andr. Schottus* in Adagialibus Sacr. pag. 140. & M. *Chriſtian. Sigism. Georgius* in diſſertat. de puritate N. T. à Bœotiſmis &c. libera, pag. 18. ſq. Dixi modo *Phavorinum ἀργοὺς* ſcribere pro *ἀργάς*. Prius *ἀττικώτερον* videtur *Schotto*. Nec negari poteſt, Atticis *ἀργὸς* de utroque ſexu plerumque adhiberi. Vide *Ludolphi Kuſteri* notas ad *Suidam* Tom. I. pag. 311. & ad *Ariſtophanis* Nubes v. 53. ubi tamen ſimul ex veteribus loca afferuntur in quibus

voci

voci terminatio fœminina tribuitur. *Γαςέρας οἶον* ſimiliter paſtores guloſos dixit *Heſiodus Θεογον.* v. 26. & *Aelian.* V. Hiſt. I. 28. *lurconem γάςριν* vocat, obſervante *Jo. Alberti* pag. 110. De voce *γάςρις*, hoc ſenſu adhibita, lege *Cuperum* Obſervatt. III. 10.

Verſ. 13. *δι᾽ ἣν αἰτίαν ἔλεγχε αὐτὺς ἀποτόμως*] Vide ad 2 *Corinth.* XIII. v. 10. *Αποτόμως* hic *præciſe*, i. e. ſine ambagibus, vertunt *Beza* & *Schmidius.* Rectius reddas: *ſevere*, *rigide.* *Heſychius σκληρῶς* interpretatur. Tralatio eſt a Medico, qui *ἀποτέμνει* noxias corporis partes. *Plutarchus* de Educat. liberorum pag. 13. *τὴν τῶν ἐπιτιμημάτων ἀποτομίαν*, *reprehenſionum ſeveritatem* dixit. Adverbium hoc, verbo *ἐλέγχειν* additum, manifeſtum facit, illud non *convictionem*, quæ argumentis fit, ſed *redargutionem*, ut recte *Beza* & alii, *gravem* & *ſeveram*, quæ verbis continetur, inferre. Vide in hanc ſententiam *Vitringæ* Commentarium.

Verſ. 14. *Μὴ προσέχοντες Ἰυδαϊκοῖς μύθοις*] Vide ad 1 *Timoth.* I. 4. & IV. 7. item VI. 4. Cabbaliſtarum atque adeo & Gnoſticorum, quæ inde manarint, doctrinæ h. l. notari videntur *Vitringæ* in Commentario.

Verſ. 15. *Πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς κ. τ. λ.*] Vide Vener. *Val. Erneſt.* *Læſcheri* Edle Andachts-Früchte pag. 102. & *Speneri* Vindicias locorum Scripturæ Sacræ, quibus homines profani abuti ſolent, pag. 395. Quomodo Patres hoc adagio uſi ſint, oſtendit *Andreas Schottus* in Adagial. Sacr. ad h. l.. Cl. *Lackemacherus* Parte III. Obſervationum Philologicarum pag. 271. ſq. hæc ad Judæos Cretenſes, vel ſaltem eos, qui licet Chriſtiani eſſent nomine, opinionibus tamen Judaicis, ſpeciatimque de cibis nonnullis vetitis atque adeo immundis faſcinati erant, ſpectare exiſtimat, ideoque ad vocem *πάντα* ſubintelligit *βρώματα.* Compara in eandem ſententiam *Grotium.* *Vitringa* in commentario ad *cibos* ex animalibus æque ac *conjugium* reſpici putat, cum *Gnoſticos* ab illis alienos fuiſſe conſtet.

Verſ. 16. *βδελυκτοὶ ὄντες καὶ ἀπειθεῖς, καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι*] Et hæc laudatus *Lackemacherus* ex ſacrificiis illuſtrat loc cit. tandemque expoſitionis ſuæ ſummam pag. 284. ſq. ita repræſentat: *Horrent quidem Judæi cibos quosdam, tanquam impuriſſimos, remque ſe facturos credunt Deo gratiſſimam, ſi ab eorundem uſu ſe abſtineant. Aſt, ſi tanta eos tenet munditiei cura, cur non de eo etiam ſoliciti ſunt, ut animum gerant mundum, ac vitam agant puram, nulliſque vitiorum ſordibus coinquinatam? ſed hac quidem longe potiori cura, qua Deo ipſos vel maxime commendabiles acceptosque reddere poterat, parum eos videas affici, quin potius in omni genere ſcelerum & flagitiorum volutantur. Unde fit, ut ipſos abominetur Deus, tanquam carnem ſacrificam deteſtabilem, qua nihilo ipſi puriores ſunt; ut eos dejiciat veluti hoſtias reluctantes, vitiisque plurimis corruptas fœdatasque.*

# CAPUT II.

Verſ. 1. Σὺ δὲ λάλει, ἃ πρέπει τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ] Vide ad 1 *Timoth.* I. 10. & 2 *Timoth.* I. 13.

Verſ. 2. Πρεσβύτας νηφαλίους εἶναι] Πρεσβύται ſunt ſenes ætate. Tales etiam erant πρεσβύτιδες ſequioris ſexus, quæ gubernandis junioribus præfici ſolebant. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 829. & *Vitringam* in Commentario ad h. l. De voce νηφάλιος lege ad 1 *Timoth.* III. 2. & 11.

σεμνοὺς] Vide ad 1 Timoth. III. 8. & 11. *Wittichius* ad h. l. tales eſſe ait, qui non juvenentur, & præter decorem ætatis ineptiant.

ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ ] h. e. qui recte ſentiant, recteque agant: quo ſenſu *Herodotus* lib. VII. pag. 496. ubi τὸ ὑγιαῖνον τῆς Ἑλλάδος, quod Græciæ ſincerum ſupereſt, proditoribus & otioſis opponitur. Vide *Raphelii* Herodoteas pag. 594.

Verſ. 3. Πρεσβύτιδας ὡσαύτως] Vide ad v. 2.

ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς ] *ut ſint habitu. qui religionem*, vel *ſanctitatem deceat.* Ita *Schmidius* & *Beza*. Nec aliter *Lutherus*: Daß ſie ſich ſtellen, wie den Heiligen ziemet. Referre hoc poſſis vel ad *veſtitum*, vel latius ad *inceſſum*, *geſtum* & decoram vivendi rationem. Patres fere de *amictu* interpretantur, quos *Suicerus* affert Tom. II. pag. 64. Hoc ſenſu ſupra dicitur καταστολῇ 1 *Timoth.* II. 9. Significationem latiorem præfert *Suicerus*, Porphyrium περὶ ἀποχῆς lib. IV. afferens, qui cum Sacerdotum Ægyptiorum inceſſum ordinatum & adſpectum modeſtum laudaſſet, illa quidem hac phraſi comprehendit: τὸ σεμνὸν αὐτῶν καὶ ἐκ τοῦ καταστήματος ἑωρᾶτο. Idem & mihi rectius videtur. Germanice diceres: äuſſerliche Aufführung. *Ignatius* epiſt. ad Trallianos §. 3. de Epiſcopo ipſorum loquens ait: οὗ αὐτὸ τὸ κατάστημα μεγάλη μαθητεία, ἡ δὲ πραότης αὐτοῦ δύναμις. Confer ibi *Pearſoni* notas pag. 51. qui alios Patrum locos affert. *Xenophon*, in Conviv. pag. 710. de Sacerdote: ἐν τῇ ἑορτῇ ἱεροπρεπέστατος δοκεῖς εἶναι τῶν προγεγενημένων. Lege in eandem ſententiam *Vitringa* commentarium ad h. l.

μὴ διαβόλους] *non calumniatrices.* Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 848. Conf. ad 1 *Timoth.* III. 11.

μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας ] δεδουλῶσθαί τινι, δουλεύειν τινὶ, & δοῦλον εἶναι τινὸς Græci eum dicunt, qui ita obnoxius eſt rei alicui, vel affectui, ut res illa vel affectus domini, ipſe vero ſervi more fungatur. Ita *Lambert. Bos* pag. 234. Exercitationum. Affert idem *Lucian.* Hermotimo pag. 510. *Ælian.* Var. Hiſt. 41. & 14. ubi de Xerxe dicitur: δεδούλωτο πλατάνῳ, nimio ſcilicet platani amore captus.

καλο-

Digitized by Google

*καλοδιδασκάλες*] *honeſtatis magiſtros;* ut *Beza*, vel *honeſta docentes ſuo exemplo*, ut *Schmidius*. *Bezam* probat *Caſaubonus* in epiſtolis edit. Almeloveenianæ pag. 79. a. Neque enim hic Paulus de publica inſtitutione v. c. in Eccleſia loquitur, quam alibi vetat; ſed de ea, quæ cum privatis monitis, tum inprimis bono vitæ exemplo continetur. Ita paulo ante *Ignatium τὸ κατάστημα μεγάλην μαθητείαν* appellantem audivimus.

Verſ. 4. *Ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας*] *ut ſapere doceant adoleſcentulas. Ita Beza* & *Schmidius*. Sed latius patere hoc verbum videtur *Elsnero* pag. 322. ita quidem, ut *erudire*, *inſtituere*, *emendare*, *monere*, *caſtigare* inferat. Vide locos ab eo allatos, interque hos nota illum *Dionis Caſſii* lib. LV. pag. 560. *δεῖ τοὺς μὲν λόγοις νουθετεῖν, τοὺς δὲ ἀπειλαῖς σωφρονίζειν*, *alios quidem verbis monere*, *alios minis corrigere & caſtigare decet*, & *Plutarchi* illum in Lycurgo pag. 47. *σωφρονίζειν τὰς γυναῖκας* dicentem. Vide alia de hoc verbo apud *Stephanum* in diſſertatione de Stylo Novi Teſtamenti pag. 7. Syntagmatis Honertiani, & in Schediaſmatibus Tom. V. Theſauri Critici Gruteriani in Supplementis pag. 80. Poſteriori loco ita: *σωφρονίζωσι puto idem valere, quod σωφρονίζουσαι διδάσκωσι, cum ſequatur Infinitivus. Ita autem exponendo apte dicetur: σωφρονίζουσαι διδάσκωσιν εἶναι φιλάνδρους, φιλοτέκνους*, i. e. ita caſtigent adoleſcentulas, ut doceant eſſe maritorum pariter & liberorum amantes; *vel*, caſtigatione ſua doceant. In eundem ſenſum accipit *L. R. de Prado* in Pentecontarcho cap. XIX. pag. 124. *ut prudentiam docentes cohibeant & caſtigent adoleſcentulas, eſſe virorum amantes.*

*φιλάνδρους εἶναι*] *viri amantes*. Id ſcilicet Gentiles quoque inter virtutes uxorum numerarunt. *Plutarch.* in Theſeo p. 12. Amazonas *φύσει φιλάνδρους οὔσας* laudat. Vide *Elſnerum* pag. 323.

Verſ. 5. *Σώφρονας*] De late patente vocis uſu vide ad 1 *Timoth.* III. 2. Hoc vero loco, ubi de uxoribus adhibetur, non unum officium inferri oſtendit *Raphelius* ex Xenophonte pag. 299. & Polybio pag. 630. Optime *Lutherus* ſittig vertit.

*οἰκουρούς, ἀγαθάς*] *Henricus Stephanus* locis modo citatis, uttamque vocem ſine *ὑποστιγμῇ* legi voluit, ut *bonæ matresfamilias* indicentur, quemadmodum Homerus *κουροτρόφον ἀγαθήν* dixerit. *Alioquin*, inquit, *quorſum illud adjectivum nomen, cujus tam late patet ſignificatio, illis quinque ſubjungeret?* At ratio illa nihil efficit. Si quid enim illa valeret, nec vox *σώφρων* antecedens, quam latiſſime patere conſtat, poni debuiſſet. Et habet præterea vox *ἀγαθὸς* ſignificationem ſpecialem, quæ huic loco optime convenit. Secundum Gloſſarium *ἀγαθὴ benigna* eſt, obſervante *Joanne Alberti* pag. 31. Periculi Critici. Talem vero ſe in domeſticos inprimis præſtare decet matresfamilias. Sic Paulus ad Romanos cap. XV. *μεστοὺς ἀγαθωσύνης*, *plenos benignitate* appellat. Adſcribam hic ſimilia *Caſauboni* cogitata ex Epiſtolis pag. 79.

Non

Digitized by Google

*Non aſſentior*, inquit, *eis*, *qui tollendam cenſent diſtinctionem inter* οἰκουρὰς, ἀγαθάς. *Duo requirit Paulus à pia matrona; ut ſit* οἰκουρὸς, *h. e.* ut domi ſe contineat, *ſicuti à te* (*Beza* ſcribit) *eſt recte expoſitum. Veteribus Latinis* οἰκουρὸς *eſt* caſaria, *Hebræis*: נבת. *Huic virtuti conjuncta eſt* rei familiaris cura, *propterea quidam* οἰκουρὸς *expoſuere*, quæ recte domum curat. *Naumachius*, *Poëta elegantiſſimus*, *utrumque præceptum hoc verſu expreſſit*:

Σοὶ δ' οἰκωφιλίη μελέτω, οἶκόν τε φυλάσσειν.

(Vide *Grotium* in Florilegio Stobæi pag. 328. ubi legis μεγάρόν τε) *Nam hoc vult*: *fac ſis* οἰκουρός. *Alterum*, *quod requirit Apoſtolus à matronis*, *eſt*, *ut ſint* ἀγαθαὶ, *h.e.* benignæ, *&* faciles *erga ancillas & famulos. Sic accipiunt Græci vocem* ἀγαθὸς, *&* *Poëtæ* ἐσθλός. *Naumachius* (ibid. pag. 319.)

Μήτε κακὴ δμώεσσι τεοῖς ἔσο, μήτε μαλ' ἐσθλὴ
φαίνεο.

*Quod Gallice dicimus*: être bon à ſes domeſtiques. *Syrus tamen aliter accepit*, *& tollit* ὑποταγὴν *ſed ita magnus* Chryſoſtomus. Hæc *Caſaubonus*. Non diſſentit *Vitringa* in Commentar. ad h. l. Stephanum tamen præceps ſequitur L. R. de *Prado* Pentecontarchi loc. cit. pag. 124. ubi & cum eodem Homeri phraſin κουροτρόφος ἀγαθή, urget ex Odyſſ. IX. 27. Sed diſpar eſt ratio. Οἰκουρὸς per ſe virtutem infert; & quæ talis eſt, in tantum non poteſt non eſſe bona. At poteſt eſſe mater κουροτρόφος, i. e. *filios nutriens*, quæ tamen non ſit *bona*, *facilis*, *æqua*, ſed moroſior, durior, difficilis. Ceterum φιλαγάθους hic legere mallet *Pricæus*, ut ſupra I. 8. recte contra nitente *Jo. Alberti* loc. cit. cum codices omnes conſentiant, & ſimplex ἀγαθὰς ſenſum convenientem inferat. Ita *de Prado* commode obſervat, Latinos quoque *bonam* fœminam dixiſſe, quæ officioſa, morigera & frugi fuerit, reſque domeſticas ſedulo curarit.. Sic *Ennius* Annal. III. *Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.* Cicero Philipp. III. *Tua uxoris*, *bona feminæ*, *locupletis quidem certe*, *Bombalio quidam pater fuit.* Sic *Ariſtoteles* Oeconomic. II. I. τὴν καλήν τε καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα πάντων μὲν δεῖ ἄρχειν τῶν ἔνδον, ἅμα δὲ καὶ πάντων ἐπιμελεῖσθαι.

Amplior eſt diſputatio de ſignificatu vocis οἰκουρός. *Vulgatus* reddidit *domus curam habentes*, atque adeo de provida rei familiaris cura accepit. *Beza* autem: *domi manentes*, & *Schmidius*: *domus cuſtodes*. Hos tuetur *Adrianus Relandus* ſingulari diſſertatione, quæ exſtat in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 314. οἰκουροὺς per *domiſedas* interpretans, quæ in Inſcriptionibus paſſim memorantur. Ab altera parte prioribus ſe jungit *Jacobus Haſæus* in eadem Bibliotheca Claſſ. II. p. 1028. Utramque notionem conjunctam h. l. mavult *Elsnerus*, ut non ſolum *domiſedam*, verum etiam, quæ *rem domeſticam & familiarem curet*, ſignificet, cum otioſe domi delituiſſe laudis & virtutis nihil ſecum ferat. Talia is utriusque ſignificatus exempla ex Scriptoribus attulit, quæ,

quæ, meo judicio, nihil dubii relinquuntur. Sic *Plutarchus* de Præceptis Conjugal. pag. 142. *Venerem* Phidiæ, *teſtudinem calcantem*, οἰκουρίας καὶ σιωπῆς σύμβολον γυναιξὶ eſſe ait. *Artemidorus* autem lib. I. cap. 66. pag. 55. γυναῖκα οἰκουρὸν καὶ πιστὴν laudat. Utramque ſignificationem conjunxit *Heſychius*: οἰκουρὸς, ὁ φροντίζων τὰ τοῦ οἴκου, καὶ φυλάττων· οὖρος γὰρ ὁ φύλαξ λέγεται. *Photii* Lexicon, quod MS. habeo: οἰκουρός· οἰκονομικὸς, ἢ οἰκοφύλαξ. οὖρος γὰρ ὁ φύλαξ. Non aliter accepiſſe *Caſaubonum* verba modo allata evincunt. Lege in eandem ſententiam *Cleffelium* in Bibliotheca Lubecenſi Tom. IV. p. 669. *Lutherus* convenientiſſime expreſſit per Häußlich. Nolim itaque cum *Amelio* Parte I. p. 105. ſeq. οἰκουρίαν illam de more veterum Orientis gentium accipere, ex quo feminæ ad ſervandam pudicitiam interioribus & abditis ædium conclavibus contineri ſolebant. Vide interim de ritu hoc exponentem *Joannem Philippum Pfeifferum* in Diſſertatione de cura virginum apud veteres, §. 3. quæ recuſa eſt in Syntagmate I. Diſſertationum Arkeliano, pag. 341. & in Antiquitatibus Græc. pag. 349. Hebræos Magiſtri jubent cogere uxorem, ne egrediatur in plateam, cum, quæ ſæpe evagetur mulier, tandem impingat. Vide *Bereſchith Rabba* Sect. VIII. fol. 9. 3. apud *Schœtgenium* in Horis Hebraicis p. 901. Adde *Cartwrighti* Mellificium Tomo VII. Criticorum pag. 822. Externorum Scriptorum loca aliquot habes apud *Picinellum* pag. 726.

Verſ. 7. Περὶ πάντα σεαυτὸν παρεχόμενος κ. τ. λ.] Comma hoc una cum ſequenti explicat *Fr. Sigismundus Papen* in Requiſitis τοῦ οἰκονόμου τοῦ Θεοῦ Sedini 1724. 4. editis. De his lege Acta Eruditorum Lipſienſium An. 1724. pag. 527.

ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν] *in doctrina integritatem*, ut *Schmidius* & *Beza*; ſic *Lutherus*: mit unverfälſchter Lehre. Deeſt in *Syro*. Ἀφθορίαν præter Cod. Alex. aliquot alii legunt. *Camerario* judice *alicubi ſcriptum fuiſſe*, δι' ἀφθορίαν *certis conjecturis colligi poteſt*, ut ſic ſenſus eſſet: *integritatem*, *gravitatem* &c. Unde vero id ſuſpicatus ſit vir doctus, non admodum video. *Pricaus* malebat ἀδιαφορίαν, eo quidem ſenſu, ut ἀπροσωποληψίαν ſignificet. Sed ut hanc ſignificationem voci nunquam vindicaverit, ita recepta & conſtans lectio tenenda eſt. *Non dubito*, inquit Cl. *Jo. Alberti* pag. 32. Periculi Critici, *quin talem* ἀδιαφθορίαν *jubeat Apoſtolus*, *qua doctrina ad virginis inſtar incorrupta maneat*, *aut nulla admiſtione alienæ doctrinæ adulteretur*, *a quo inſtituto diſcedunt* οἱ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *ut Apoſtolus 2 Corinth*. II. 17. *Huc pertinet elegans locus* Æliani *Var. Hiſtor*. XII. 1. p. 663. ubi de ingenua virgine Cyrum dixiſſe refert: ταύτην μόνην —— ἀδιάφθορον ἤγαγες· αἱ δὲ λοιπαὶ καπηλικῶς ἔχουσι. Neque vero inſueta hæc vox Scriptoribus. *Demoſthenes* pro Corona dixit: ἀπ' ὀρθῆς καὶ δικαίας καὶ ἀδιαφθόρου τῆς ψυχῆς πάντα μοι πέπρακται. *Cicero* lib. II. epiſtolarum ad Atticum: Dii immortales, neque tam me εὐελπιστία conſolatur, ut antea, quam ἀδιαφθορία

φθοϱία, qua nulla in re tam utor, quam in hac civili & publica. Confer *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. pag.45. ubi merito miratur *Hieronymum*, ex hoc verbo perpetuam Titi virginitatem concludentem. Venit prætcrea in mentem *Plutarchus* in Pædag. cap. XI. 1. *παιδείαν ἀδιάφθορον καὶ ὑγιαίνουσαν, eruditionem incorruptam & ſanam* laudantem.

ἀφθαρσίαν ] Pleræque editiones agnoſcunt. Omittunt autem *Aldin. Froben. Colin.* & *Curcellæi.* Habent & MSS. plerique, ita ut *Millius* ſex tantum afferre potuerit, ſed eos optimæ notæ, in quibus deſideretur. Ipſe tamen ex ora marginali natam putat, in qua vox ἀδιαφθορία per hanc explicata fuerit. Ita etiam ante cenſuit *Eraſmus Schmidius* ad h. l. Inter verſiones veteres, quas itidem *Millius* affert, non habet *Coptica* Wilkinſii. Ex interpretamento irrepſiſſe ego non dubito, cum non appareat, quo ſenſu eam vocem poſt alteram illam Apoſtolus adhibere voluerit.

σεμνότητα ] Vide ad 1 *Timoth.* II. 2. & III. 4.

Verſ. 8. λόγον ὑγιῆ ] Quicquid verum, rectum, integrum, non vitioſum eſt, id omne Græci ὑγιὲς vocant. Id aliquot *Polybii* locis oſtendit Rev. *Raphelius* in Polybianis pag. 630. ſq. Illis in Herodoteis pag. 595. accedit ille *Herodoti* lib. I. pag. 4. ubi Gyges ita ad Candaulem: δέσποτα, τίνα λέγεις λόγον οὐχ ὑγιέα; *quemnam, here, ſermonem profers haud quaquam ſanum, qui me jubes inſpicere heram meam nudam?* Idem lib. VI. pag. 418. βούλευμα οὐχ ὑγιὲς, *conſilium non ſanum, non ſincerum* appellat. Ibidem recte monet *Raphelius*, λόγον illum non ad διδασκαλίαν verſ. 7. reſpicere, ſed ſermonem familiarem inferre, quo utimur erga eos, quibuscum verſamur in communi vita. Id vero ei ex illo fit veriſimile, quod Paulus ſanum ſermonem ideo a Tito requirit, ne adverſarius ullam cauſam habeat de Chriſtianis male loquendi. Atqui ad doctrinam Chriſtianam quod attinet, utique gentiles ob eam male de Chriſtianis loquebantur, neque id evitari poterat, licet Eccleſiæ Doctores in docendo verbo divino ſermonem ſanum adhiberent. Sic etiam *Chryſoſtomus* accepit, qui & vitam ſplendentem & ſermonem modeſtum ait requiri.

ἀκατάγνωστον ] Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 273.

ἵνα ὁ ἐξ ἐναντίας ἐντραπῇ ] *ut, qui ſe ex adverſo opponit, erubeſcat.* Ita *Beza. Priceus*, adverſantibus codicibus omnibus, volebat addi σὲ poſt ἐντραπῇ, i. e. *ut te revereatur;* quia ſequitur: μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον. Hoc enim male cohærere ipſi videtur, ideo, quod propterea nemo erubeſcat, quia non habet, quod alii objicere poſſit. Sed recte obvertit doctiſſimus *Jo. Alberti* pag. 33. Periculi Critici, adverſarium, malitia & livore diffluentem, in ruborem dari poſſe, quando aliis fruſtra obgannire nititur, quorum ſuis præſtant mores.

μηδὲν

Digitized by Google

μηδὲν ἔχων περὶ ὑμῶν λέγειν φαῦλον] Codices MSS. multi habent περὶ ἡμῶν, quod & verſiones quædam, cum *Vulgata*, & noſtra quoque *Lutheri* exprimunt. Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recepit cum *Aldo*, *Eraſmo* in edit. 1. *Colinæo* & *Complutenſ.* Quod ad ſenſum nihil intereſt.

Verſ. 9. Δούλους ἰδίοις δεσπόταις ὑποτάσσεσθαι] Vide ad *Epheſ.* VI. 5.

Verſ. 10. Μὴ νοσφιζομένους] *Nil intervertentes.* Vide ad *Actor.* V. 3. Cl. *Elsnerus* externorum Scriptorum loca aliquot affert pag. 326. *Photii* Lexicon MS. νοσφιζόμενον explicat ὑφαιρούμενον, ἰδιοποιούμενον.

ἀλλὰ πίστιν πᾶσαν ἐνδεικνυμένους] *ſed omnem bonam fidem præſtantes.* Ita *Polybius* pag. 1357. πᾶσαν ἐνδεικνύμενοι φιλοτιμίαν, & *Herodotus* lib. VIII. p. 565. apud barbaros pretioſiores dicuntur eunuchi πίστιος εἵνεκα τῆς πάσης. Utrumque locum obſervavit *Raphelius.* Alia Scriptorum loca habes apud *Elsnerum* pag. 326. *Beza* verterat, *oſtendentes*, quod parum Latinum viſum eſt *Caſaubono* in epiſtolis pag. 97. Pro πᾶσαν *Theophylactus* legit πᾶσιν, & ſic vertit *Vulg.* nec aliter *Syrus.* *Caſaubonus* loc. cit. dubius videtur, ſed nihil definit. Non dubito, πᾶσαν Germanam lectionem referre. Ita enim alias Apoſtolus loqui amat, v. c. 2 *Timoth.* IV. 2. ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ. 2 epiſt. II. 2. ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ & 11. ἐν πάσῃ ὑποταγῇ &c. Infra II. 14. ἀπὸ πάσης ἀνομίας, & 15: μετὰ πάσης ὑποταγῆς, nec non III. 2. πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πρᾳότητα. Nec aliter *Polybius* & *Herodotus* ll. cc.

ἵνα τὴν διδασκαλίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ κοσμῶσιν ἐν πᾶσιν] Per σωτῆρα Θεὸν hic non *Deus Pater*, ſed *Chriſtus* intelligendus eſt. Hujus enim proprie eſt *doctrina* Evangelica 2 epiſt. *Joan.* 9. & *Hebr.* VI. 1. Hic etiam verſ. 13. μέγας Θεὸς καὶ σωτὴρ vocatur. Vide *Calovium* contra *Grotium* diſputantem, & *Vitringam* ad h. l.

Verſ. 11. Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.] Quæ hic usque v. 14. leguntur Apoſtoli verba, ea, tanquam Sectionem epiſtolicam, quæ pro concione exponi ſolet, conſtituentia illuſtrantur à *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 33. ſqq.

ἐπεφάνη] Alludi hic nonnullis videtur ad venditatas à Gentilibus ἐπιφανείας θεῶν, de quibus erudita exſtat *Joannis Gottlob Nimptſchii* Diſputatio Lipſiæ 1720.

ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις] Vocem σωτήριος proxime ad πᾶσιν ἀνθρώποις pertinere, ut gratiam omnibus hominibus ſalutarem inferat, non contemnendis argumentis oſtendit *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 408. ubi usque ad pag. 422. in his & ſequentibus verbis explicandis diligenter occupatur.



Digitized by Google

Verſ. 12. ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν] Τὸ ἀρνήσασθαι τὴν ἐκ διαθέσεως ὁλοψύχου ἀποστροφὴν σημαίνει, *abnegatio averſionem ſignificat, quæ ex animo totoque mentis affectu fit*, obſervante *Theophylacto*. Confer *Suicerum* Tomo II. pag. 510.

καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας] i. e. cupiditates, quæ circa mundum & res mundanas occupantur. Vide *Joannis Andreæ Boſii* Exercitationem ad 2 *Tim.* II. 22. cap. I. §. 7.

σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν] Tria hæc *Lucianus* quoque conjungit in Somnio pag. 8. καὶ τὴν ψυχὴν, ὅπερ σοι κυριώτατόν ἐστι, κατακοσμήσω πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς κοσμήμασι, σωφροσύνῃ, δικαιοσύνῃ καὶ εὐσεβείᾳ —— —— —— ταῦτα γάρ ἐστιν ὁ τῆς ψυχῆς ἀκήρατος κόσμος. Vide *Lambertum Bos* pag. 235. Exercitationum. Τὸ δικαίως ad *homines*, & τὸ εὐσεβῶς ad Deum refert *Raphelius* in Annotationibus Xenophonteis p. 301. *Wittichius* ad h. l. τὸ σωφρόνως ad duo Decalogi præcepta ex Reformatorum ſententia extrema, τὸ δικαίως ad reliqua poſterioris tabulæ Legis præcepta, τὸ εὐσεβῶς denique ad priorem tabulam refert. *Temperantia, juſtitia* & *pietas* ſignificari videntur *Limborchio* pag. 467. Theologiæ Chriſtianæ. Optime illi res inſtituunt, qui per τὸ εὐσεβῶς officia adverſus *Deum*, per τὸ δικαίως officia adverſus *proximum*, per τὸ σωφρόνως vero illa adverſus *hominem* ipſum indicari exiſtimant. Lege huc *Vitringæ* commentarium.

Verſ. 13. προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα] Metonymiam hic alii agnoſcunt cum *Grotio*, ut *vita æterna*, tanquam *beata*, indicetur; alii & quidem plerique hypallagen, per quam ἐλπιζομένη μακαριότης, ſeu *ſperata beatitas* ſignificetur. Vide *Ludovici Cappelli* Opera pag. 245. Malim poſterius. Confer tamen *Franciſci Wokenii* Pietatem Criticam Parte I. quæ Hypallagis oppoſita eſt, pag. 73. qui ſpem beatam de actu ſperandi accipit. Προσδέχεσθαι ἐλπίδα dicunt οἱ LXX. *Jobi* III. 9. & *Euripid.* Alceſtid. v. 129. quod *Lucianus* παραμένειν, *Ariſtænetus* autem προσδοκᾶν dicunt.

καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης] *& illuſtrem apparitionem gloriæ.* Vide *Nimptſchii* diſſertationem citatam ad verſ. 11. & *Valeſium* ad *Euſebii* H. E. lib. II. cap. 6. pag. 28. tum vero *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 278. ſeqq.

τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ] Filius Dei hic undiquaque intelligitur, quod ex *Clemente Alexandrino* & aliis argumentis evincit *Georgius Bullus* in Defenſione Fidei Nicenæ p. 142. Compara ex noſtratibus *Speneri* Tractatum vernaculum de Deitate Chriſti p. 522. ſqq. Non aliter acceperunt *Athanaſius* & *Cyrillus* apud *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. II. lib. II. c. 9. §. 3. qui recte ait, egregium eſſe locum contra perfidos Arianos, qui, Chriſtum utcunque Deum confitentes, magnum eundem eſſe negent. Grotius μέγαν Θεὸν ad Patrem refert, contra quem lege *Calovium* noſtrum &

*Vitrin-*

*Vitringam* ad h. l. quemadmodum adverſus Editorem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, idem ſtatuentem, diſputat *Leonh. Twells* in Examine illius Critico Parte I. pag. 139. Contra utrumque facit, primum quod vox ἐπιφάνεια in N. T. nunquam de Patre, ſed tantum de Chriſto, tanquam judice adventuro, adhibeatur; deinde quod articulus τοῦ præmittendus fuiſſet voci σωτῆρος, ſiquidem hic à μεγάλῳ Θεῷ diſtingui debuiſſet.

Verſ. 14. Ος ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν κ. τ. λ.] Pertinet huc D. *Philipp. Mülleri* diſputat de Satisfactione Chriſti, Jenæ 1675.

*καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον] & purificaret ſibi ipſi populum peculiarem.* Ita communiter Interpretes. Interim vocis περιούσιος notio obſcurior eſt, quippe quam *Hieronymus* ex nullo ſecularium literarum perito diſcere ſe potuiſſe ad h. l. ſcribit. *Eudemus* in Lexico MS. apud Suicerum T. II. pag. 678. duas recitat ita: περιούσιος λαὸς, ὁ ἔγκτητος, ὁ ὑπερέχων τοῦ ἄλλου λαοῦ, *quem aliquis ſuæ poſſeſſioni vindicavit, qui alium populum antecellit.* Priorem affert quoque *Suidas*, περιούσιος λαὸς, ὁ ἔγκτητος. Καὶ Ισραὴλ εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ ἀντὶ τοῦ εἰς κτῆμα, καὶ εἰς κτῆσιν. οὐσίαν γὰρ τὴν ὕπαρξιν. *Heſychius* περιούσιον. πολὺ, περισσὸν & περιποιητόν. Hinc tres ſignificatus oriuntur, ut vel *peculiarem*, vel *excellentem*, vel *abundantem* interat. Priores duos conjunctos hic voluit *Theophylactus*: περιούσιος, ὁ οἰκεῖος ἐκ μεταφορᾶς, τῶν περὶ τὴν οὐσίαν καὶ τὸν πλοῦτον τοῦ δεσπότου στρεφομένων οἰκετῶν, ἐξειλεγμένον, ἐξαίρετον, οὐδὲν ἔχοντα κοινὸν πρὸς τοὺς λοιπούς. *Περιούσιος ſignificat peculiaris ſive domeſticus, per metaphoram ſumtam à famulis, qui circa ſubſtantiam & facultates domini ſui verſantur: quaſi dicat, electum, excellentem, nihil habentem cum reliquis commune.* *Chryſoſtomus* poſteriorem elegit, reddens ἐξειλεγμένον, οὐδὲν ἔχοντα κοινὸν πρὸς τοὺς λοιπούς, *Theodoretus* vero priorem per οἰκεῖον ſimpliciter interpretatur. Uſi illa voce ſunt οἱ LXX. *Exod.* XIX. 5. *Deuter.* VII. 6. XIV. 2. & XXVI. 18. & ſimiliter voce περιουσιασμὸς Pſ. CXXXIV. 4. & *Eccleſ.* II. 8. utrinque vero tunc, ubi Hebr. סגלה exprimendum erat. Jam non dubito, Apoſtolum eodem ſenſu accepiſſe, quo illi quidem adhibuerunt, & qui voci סגלה reſpondeat. Illa vero non ſolum *poſſeſſionem*, ſed & *præſtantiam* & *excellentiam*, quæ in re poſſeſſa ſit, infert. Hinc ll. cc. pleriſque Judæi conferuntur cum gentibus, e quibus à Deo electi ſint. Ex eo factum quoque eſt, ut *Theodotion* Exod. XIX. 5. סגלה verterit per ἐξαίρετον. Propterea exiſtimo, Paulum h. l. per περιουσίους non tantum eos denotare, quos Deus *proprios* ſibi eſſe velit, ſed qui aliis etiam *præſtent*, & quos ſuæ curæ inprimis commendatos habeat. Similia his affert *Witſius* in Oeconomia Fæderum pag. 444. *Sunt ergo pii*, inquit, *eximia Dei poſſeſſio, quam ſibi vindicat, & ſervat, & in qua ſe oſtentat uti corona ornata & cidari Regia, Jeſ. LXII. 3. quam pro divitiis ſuis habet, & alterius eſſe non patitur, & hoc quoque modo ſanctitas ipſis adſcribi poteſt.* Accipe jam *Guſſetii* cogitata ex Commentariis

tariis L. Hebr. pag. 449. *Exempla*, inquit, *non figurata, ut* 1 *Chron.* XXIX. 3. & *apud Davidem*, & Eccleſ. II. 8. *oſtendunt*, opes *eſſe* reſervatas, *ut reliquis vel expenſis, vel quolibet diverſo modo alienatis, retinerentur, ac remanerent poſſeſſori. Iſta vero notio figuratis Dei ad Iſraëliticum populum promiſſis convenit, ut quæ maxime. Pariterque nomini περιούσιος Tit. II.* 14. *quippe περιεῖναι reſtare eſt, ſicque titulus ille notat id, quod poſt omnes alias res omiſſas ſibi dominus ſervare decrevit. Imo plus valet περιεῖναι, ut video ex* Aeliani *V. H. II.* 13. *τοσοῦτον περιῆν τῷ Σωκράτει, notat id excelſum, quo ſuperatur vulgus.* Germanice reddere optime poſſes ein beſonder Volck, quod monuit *J. C. Dietericus* Antiquitt. Biblic. Tom. II. pag. 113. *Segulla*, ita pergit, *eſt res peculiaris & propria, peculium ſelectum, res rara, & cara, ut ſiquis habet ſingularem theſaurum, præ aliis rebus carum, in bonis ſuis.* Et poſt pauca: *Uti autem ex* peculium *peculiare eſt ἰδιόκτητον, ad peculium pertinens, quod in bonis noſtris eſt, & in ære noſtro, dictum; poſtea vero* proprium & ſingulare *notat crebriori uſu; ita liceat etiam ſumere περιούσιον, ut transferatur ad ea, quæ* propria *ſunt*, & omnium cariſſima & deſiderabilia. *Vulg.* reddidit *acceptabilem*, *Hieronymus* autem *acceptum*, quod verſio Gall. *Montenſis* dixit *particulierement conſacré à ſon ſervice* Vide Defenſionem ejus continuatam pag. 159. ſq. contra Malletum, ubi & aliorum interpretationes diligenter congeſtas leges. Judaica vocis סגולה expoſitio ex *Debarim Rabba* Sect. I. f. 248. 3. à Cl. *Schœtgenio* pag. 901. Horarum Hebraic. hæc aſſertur, *quod, quæcumque Iſraelitæ acquirunt obedientia & bonis operibus, ea patri ipſorum cæleſti acquirunt* In Scriptoribus externis vocem περιούσιος fruſtra forte quæſiveris, quibus tamen περιουσία in abundantiæ ſignificatu non ignota eſt. De illa vide inter reliquos Ill. *Ezechiel. Spanhemium* ad Orationes Juliani pag. 126.

Verſ. 15. *Μηδείς σου περιφρονείτω*] *Nemo te deſpiciat.* Vide ad 1 *Tim.* IV. 12. Duplici modo hæc accipi poſſunt, nempe, ut Titus vel nihil ejusmodi committat, quod cum merito in contemtum apud alios adducere poſſit, vel etiam non patiatur, munus ſuum & auctoritatem ab alio contemni. Poſterius hoc præfert Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad Verſionem Lutheri Biblicam ex eo, quod de priori illo jam admonitus ſit Titus II. 7. *Raithius* in Vindiciis verſionis Lutheri pag. 569. apte utrumque conjunxit. *Summatim dicendo*, inquit, *poſtremum hujus capitis præceptum eſt, ne Titus vel committat vel permittat ſui deſpicientiam, ſive in doctrina, ſive moribus.*

CAPUT

# CAPUT III.

VErſ. 1. Ὑπομίμνησκε αὐτοὺς ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάσσεσθαι] Vide ad *Rom.* XIII. 1.

Verſ. 2. μηδένα βλασφημεῖν] *neminem maledictis inceſſere.* Verbi hujus vim & notionem exponit *Caſaubonus* ad Theophr. Characteres cap. 19.

ἐπιεικεῖς] Vide ad 1 *Timoth.* III. 3. Verſio Gall. *Montenſis* vertit *equitables.* Recte quidem, quod oſtenditur in Defenſione ejus continuata pag. 552.

πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραότητα] Vide ſupra ad II. 10.

πρὸς πάντας ἀνθρώπους] Lenitatem πρὸς τὸν ἀγνώμονα *adverſus imperitum* ſpeciatim requirit M. *Antoninus* IX. 42.

Verſ. 3. Ἦμεν γάρ ποτε καὶ ἡμεῖς ἀνόητοι, κ. τ. λ.] Vide *Jo. Vorſtii* Diſſertatt. Sacr. Parte III. pag. 79.

δουλεύοντες ἐπιθυμίαις] Eadem prorſus phraſi utitur *Xenophon* in Apologia Socrat. pag. 556. & *Polybius* pag. 1047. obſervante *Raphelio.* Vide de eadem Celeb. *Dav. Millium* in Miſcellaneis Philolog. pag. 13. & nos ſupra ad II. 3.

στυγητοὶ] *odioſi.* Vide ad *Rom.* XII. 7. ἀποστυγοῦντες; & *Dieterici* Antt. Biblicas Tom. II. pag. 195.

Verſ. 4-7. continetur Sectio epiſtolica, quæ pro concione exponi ſolet. Eam proinde illuſtrat *Franc. Wokenius* in Stromatibus Apoſtolic. Part. I. pag. 205. ſqq.

Verſ. 4. Ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Θεοῦ] Hoc & ſequenti commate phraſes quædam exſtant, quas Scriptores gentiles de Appolline & Aeſculapio adhibent. Eas affert Cl. *Chriſtian Gottlieb Schwarzius* in Expoſitione veteris Inſcriptionis de Aeſculapio & Hygea, Diis φιλανθρώποις, Altorf. 1725. edita, dubius, utrum Apoſtolus ad eas reſpexerit, an Gentiles Scriptores Paulinas phraſes ſint imitati. Confer *Acta Franconica* erudita & curioſa anni 1726. Parte IV. p. 250. ſqq.

φιλανθρωπία] Humanitas juſtitia eſt, copulata cum aliis virtutibus mitioribus, v. c. cum ἐπιεικείᾳ, manſuetudine, miſericordia, clementia, &c. Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas pag. 302.

ἐπεφάνη] Vide ad II. 11.

Verſ. 5-7. expoſuerunt ſingularibus diſſertationibus *Jac. Martini* de efficacia baptiſmi, Witteb. 1647. *Abr. Battus* de baptiſmi virtute & efficacia Gryphisvvald. 1655. & *Philip. Müllerus* de ſtatu hominis ante baptiſmum, Jen. 1684.

Verſ.

Verſ. 5. *ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος ἁγίου* ] De baptiſmo hæc accipienda eſſe Patres crediderunt, quorum loca leges apud *Suicerum* in Theſauro voce *ἀνακαίνωσις*, *παλιγγενεσία* & *λουτρόν*. Nec aliter Interpretes recentiores tantum non omnes, inter quos ex Reformatis eſt *Vitringa* ad h. l. ſi Socinianos exceperis, ex quibus alii per *lavacrum* ipſam *regenerationem*, alii *prædicationem Evangelii* intelligunt. *Jonas Schlichtingius* ad h. l. ita: Vox *Spiritus Sancti declarat iſtius* lavacri *tam efficacis aquam, qua fiat regeneratio ac renovatio. Nam Spiritum S. hic tanquam aquam conſiderari & vox lavacri docet, & ſequentia, cum dicitur in nos effuſus eſſe copioſiſſime. Non ergo hic agit de lavacro materialis ſeu proprie dictæ aquæ, quæ adhibetur in baptiſmo, ſed de lavacro aquæ, quæ eſt Spiritus Sanctus. Hic enim ſolus vim & efficaciam habet, ut nos regeneret, ac renovet. Lavacrum aquæ, quod baptiſmo continetur, hactenus tantum huc pertinet, quatenus lavacri Spiritus S. ſeu regenerationis ac renovationis, quæ per Spiritum S. fit, ſignum ac Sacramentum eſt inſtitutum divinitus.* In eaſdem partes nuper diſceſſit Cl. *Elsnerus* pag. 328. *Interpretes λοῦτρον* (ita ſemper operarum vitio pro *λουτρὸν* ſcriptum eſt) *παλιγγενεσίας vulgo exponunt de* Baptiſmo, *cujus tamen nulla in toto hoc capite mentio exſtat, nec veſtigium, & Apoſtolus ipſe interpretatur de* lavacro Spiritus S. *Addit enim καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου, & ne illum eſſe λουτρὸν dubitaret aliquis, continuo ſubjungit, οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως*, quem effudit uberrime in nos. *Quid deinde frequentius in Sacris literis, quam Spiritus S. cum aqua comparatio? Vide Joh.* VII. 38. 39. *qua perfunduntur &* lavantur *fideles* 1 *Cor.* VI. 11. *Hebr.* X. 22. &c. Per lavacrum igitur Spiritum S. intelligit. Non eſt, quod in his confutandis occuper. Hac enim opera erudite & diligenter perfunctum eſſe video M. *Jo. Gottlieb Stoer* in *diſputatione Philologica, qua λουτρὸν παλιγγενεσίας à Celeb.* Jac. Elsneri *interpretatione vindicatur.* Lipſ. 1730. 4. Vide etiam, ſis, quæ in Actis Eruditorum Lipſienſ. Latinis Tom. IX. Supplementorum pag. 395. contra hæc admonita ſunt, nec omitte, quæ *Calovius* in Bibliis Illuſtr. ad h. l. contra *Schlichtingium* diſputavit. Sane Spiritus S. tanquam cauſa regenerationis *primaria* clare ſatis diſtinguitur a *lavacro regenerationis*, tanquam *medio*. Paulus *Rom.* III. 24. ait, *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ* (Θεοῦ) *χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Nemo hic *τὴν ἀπολύτρωσιν* ipſum Chriſtum eſſe dixerit. Idem *Coloſſ.* I. 14. affirmat: *ἐν ᾧ ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ.* Quis, quæſo, h. l. *τὸ αἷμα* dixerit eſſe Chriſtum ipſum, aut *ἀπολύτρωσιν*? Omitto efficacia Scripturæ dicta, quibus lavacro illi ſacro remiſſio peccatorum *Act.* II. 18. *ablutio à peccatis*, cap. XXII. 16. purificatio 2 *Joh.* v. 26. *indutio Chriſti* Gal. III. 27. & ſalvatio, 1 *Petr.* III. 21. æque ac h. l. tribuitur. Non rectius vir doctus *Baptiſmum* ait *ex inſtitutione divina ante requirere regenerationem*, qui crediderit & baptiſatus fuerit. Ex hoc conſequeretur, infantes, tanquam nondum regeneratos, vi inſtitutionis divinæ nec Baptiſmi capaces eſſe, nec per illum regenerari. Aliter autem Ec-

Digitized by Google

Eccleſiam Chriſti inde à primis originibus illa Chriſti verba accepiſſe, & infantes nec ab uſu nec à fructu Baptiſmi excluſiſſe, patet ex egregia commentatione, quam *W. Wall* de Hiſtoria Pædobaptiſmi Anglice edidit Londini 1707. 4. ibidem 1731. tertium recuſam. Vereor denique, ne fallatur, quando Chryſoſtomum *hunc locum de Spiritu S.* ait *accepiſſe.* Lege verba ejus: *Βαβαὶ πῶς ἦμεν ἐν τῇ κακίᾳ βεβαπτισμένοι, ὡς μὴ δύνασθαι καθαρθῆναι, ἀλλ᾽ ἀναγεννήσεως δεηθῆναι; Τοῦτο γάρ ἐστι παλιγγενεσία. Καθάπερ γὰρ ἐπὶ οἰκίας σαθρῶς διακειμένης οὐδεὶς ὑποστήριγμα τίθησιν, οὐδὲ συῤῥάπτει ταῖς παλαιαῖς οἰκοδομαῖς, ἀλλὰ μέχρι τῶν θεμελίων αὐτὴν καταλύσας οὕτως ἄνωθεν ἀνίστησι καὶ ἀνακαινίζει, οὕτω καὶ αὐτὸς ἐποίησεν. οὐκ ἐπεσκεύασεν ἡμᾶς, ἀλλ᾽ ἄνωθεν κατεσκεύασε. τοῦτο γάρ ἐστι, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. Ανωθεν ἐποίησε καινούς· πῶς; διὰ τοῦ Πνεύματος. O rem mirabilem! Adeo vitiis eramus immerſi, ut ne purgari quidem poſſemus, ſed opus fuerit regeneratione. Hoc enim vult regeneratio. Ut enim ædificium peſſime affectum nemo ſuffulcit, & veteri ſtructuræ novum jungit, ſed funditus potius deſtruit, & novum ædificat conditque; ita & ipſe fecit. Non reconcinnavit nos, ſed denuo condidit. Hoc enim ſibi vult, per* renovationem Spiritus S. *Denuo fecit novos. Quomodo? per Spiritum Sanctum.* Meo quidem judicio hinc manifeſtum eſt, Sanctum Doctorem per phraſin illam, *πῶς ἦμεν ἐν τῇ κακίᾳ βεβαπτισμένοι* alludere ad *λουτρὸν* illud, quod *Baptiſmum* vocamus, tanquam vitiis illis & ſordibus abluendis divinitus deſtinatum. Alioquin enim non patet, cur phraſi illa metaphorica uſus ſit, quam cum alia magis propria commutare facile poterat. Diſerte vero in ſequentibus Baptiſmi non meminit, ſed Spiritus Sancti, qui crederet vocem *λουτρὸν* Baptiſmum illum, in Eccleſia quippe ubique receptum, per ſe cuique ingerere. Satis igitur habuit, primariam originem virtutis & efficaciæ Sacri lavacri à Spiritu S. repetere, quem & ipſe Apoſtolus bis appellat. Ne quis vero dubitet, *Chryſoſtomum* de Baptiſmo præclare & oraculo huic Paulino convenienter ſenſiſſe, afferam locum ex Homilia XL. in Geneſ. Tomo I. edit. Savilian. p. *ἡ δὲ ἡμετέρα περιτομὴ ἡ τοῦ βαπτίσματος, λέγω, χάρις, ἀνώδυνον ἔχει τὴν ἰατρείαν, καὶ μυρίων ἀγαθῶν πρόξενος γίνεται ἡμῖν, καὶ τῆς τοῦ Πνεύματος ἡμᾶς ἐμπιπλησι χάριτος. Noſtra vero circumciſio, Baptiſmi, inquam, beneficium, medicinam ſine dolore præſtat, & mille bona affert Spiritusque Sancti gratia nos replet.* Sic in epiſt. ad *Galat.* cap. IV. *ἐπὶ τῆς ἀναγεννήσεως τῆς ἡμετέρας τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ ἱερέως λεγόμενα, ἅπερ ἴσασιν οἱ πιστοὶ, διαπλάττει καὶ ἀναγεννᾷ τὸν βαπτιζόμενον.*

De loco *Joh.* III. 5. quem in eandem ſententiam interpretatur vir doctus, Vol. I. ſatis diximus. Vellem interim temperaſſet ſibi ab illis, quæ p. 328. leguntur: *Imitata hæc eſt paganorum κακοζηλία, inprimis, poſtquam à Patribus baptiſmum aquæ* regenerationis lavacrum *celebrari, & nimis ſæpe, ut oratores illi ſolent, laudibus efferri audiviſſent: nam Iſidis ſacris initiandi* lavacro abluebantur. *Apulej.* lib. II. *Metamorph. hic Sacris Mithræ* multis diebus

in aquis natabant, τὸ διανήξασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολύ. *Vide hæc, & plura alia apud* Spanhemium *ad* Juliani *Cæſares* pag. 316. 472. 473. & 474. Non crediderim equidem, Patres præclarius & honorificentius de Baptiſmo locutos eſſe, aut loqui potuiſſe, quam ſcriptura ipſa loquitur. Ablutiones, in *Iſidis* aut *Mithræ* ſacris receptas, tanquam inſtituto abluendi divino antiquiores, ex Chriſtianorum de Baptiſmo doctrina non repetierim. Si qua hic imitatio locum habet, illa quidem ad Judæorum morem, qui in ſuperſtitionem tandem degeneravit, rectius referetur. Sed illa quidem huc non admodum pertinent. Vide interim *Jo. Lomeieri* Epimenidem, ſive de Luſtrationibus veterum Gentilium, Zutphan. 1704. 4. & quæ de *Mithra* Sacris erudite commentatus eſt *Philippus de la Torre* in Monumentis veteris Anti.

Conferri denique huc velim *Joſ. Medi* Opera Anglicana pag. 62. ſq. ubi oraculum hoc de Baptiſmo recte interpretatus, rem ejus cœleſtem ſeu ſpiritualem, non ſanguinem Chriſti, ſed *Spiritum Sanctum* eſſe oſtendit, tum ex *Joh.* III. 5. tum ex eo, quod Spiritus S. alias in Scriptura Sacra cum *aqua* comparetur. Deinde pag. 63. idem ſuſpicatur, *ſacram* illam *lotionem* conſtitutam eſſe λϑτρὸν τῆς παλιγγενεσίας, reſpectu habito ad illud lavacrum, quod infantibus recens natis ad eluendas & abſtergendas corporis ſordes adhibetur. Ita enim ablutio à ſordibus corporis naturalibus index eſt lotionis & mundationis à ſordibus animæ ſpiritualibus, quæ in baptiſmo per Spiritum S. perficitur. Hanc in rem commode urget *Ezech.* XVI. 4. 5. affert etiam illuſtrationis cauſa illum veterum morem, quo, qui, inſtar mortuorum ante ſepulti, in vitam rediiſſent, aquis ablui & ὑστερόποτμοι, h. e. *poſtliminio nati* dici ſolebant. Auctor eſt *Plutarchus* in limine Quæſtionum Romanarum. De priori illo momento, lotione nempe infantum recens natorum, monuit etiam *Elsnerus* pag. 327. adducto ad illum ex antiquitate firmandum *Callimachi* in Jovem hymno verſ. 15.

> Ενθα σ' ἐπεὶ μήτηρ μεγάλων ἀπεθήκατο κόλπων,
> Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ᾧ κε τόκοιο
> Λύματα χυτλώσαιτο, τεὸν δ' ἐνὶ χρῶτα λόεσσαι.

Παλιγγενεσίαν à paganis commemoratam eſſe idem oſtendit, de qua itidem ex Stoicorum inprimis mente tradunt *Gatakerus* ad M. Antonin. XI. 1. *Jac. Thomaſius* de Stoica mundi exuſtione, *Burnetus* Archæolog. IV. 5. & *Godofredus Olearius* in Obſervationibus Sacr. ad Matth. XIX. 28.

Verſ. 7. Ινα δικαιωθέντες τῇ ἐκείνυ χάριτι] Verba hæc; ſi ad Deum Patrem referantur, eandem habebunt ſententiam, quam *Rom.* III. 24. ſin ad Jeſum Chriſtum, ea poterit intelligi gratia, qua is apud Deum Patrem tantum valet, ut propter ipſum à Deo pro juſtis habeamur. Quo ſenſu Lutherus vocabulum χάριτος interpretatus eſt *Rom.* V. 15. Ita *Raphelius* in Polybianis pag. 632.

χλη-

*κληρονόμοι γενώμεθα κατ᾽ ἐλπίδα ζωῆς αἰωνίου*] Judæi ſimiliter dicunt נחלת חיי עולם הבא *hereditatem mundi futuri* in *Sota* fol. 7. 2. Vide *Schœtgenii* Horas Hebraic. pag. 902.

Verſ. 8. Πιςὸς ὁ λόγος κ. τ. λ.] Spectat huc B. *Mart. Chladenii* diſputatio de aſſeveratione doctrinæ, Wittebergæ 1710. 4. & *Robert. Gell.* in Reliquiis Anglice editis pag. 423-432.

*ἵνα φροντίζωσι καλῶν ἔργων προΐςασθαι*] *quo curent bonis operibus præire:* ita *Erasm. Schmidius;* vel, *ut curent bene agendo præire;* quod Beza habet. Alii vertunt, *recte facta obire, recte factis fungi, bonis operibus ſedulo vacare, ſtudere, incumbere, bonis operibus primatum dare,* vel, *bona opera tueri.* Collegit hæc eruditiſſimus *Ellisius*, Anglus, auctor Fortuitorum Sacrorum *ἀνωνύμως* editorum pag. 229. Ipſe autem *προΐςασθαι* idem eſſe cenſet, quod *ἔμπροσθεν ἵςασθαι, atque adeo τοῖς ὄπισθεν βοηθεῖν, ferre opem, protegere, defendere; imo &* liti pro alio ſe opponere, cauſæ alienæ defenſionem ſuſcipere, eventumque præſtare; *metaphora a militum duce ſumta, qui primus in acie ante ſuos poſitus, ſaluti eorum proſpicit, vim illatam eis propulſat; loco cedentibus, ut fert occaſio, opem fert; uno verbo, quantum in ſe eſt, hos defendit.* Firmat hæc ex *Euſtathio* ad Homeri Iliad. ε. *Σοὶ δή τοι αἰὲν ἐγὼ παρὰ θ᾽ ἵςαμαι, ἠδὲ φυλάσσω*, ubi *τὸ παρίςασθαι, opem & auxilium ferre*, ſimile eſſe ait *τῷ προΐςασθαι.* Hanc verbi notionem invenit in *Demoſthenis* Orat. contra Timocr. initio: *καὶ τοσούτῳ ῥᾷόν ἐςιν ἰδίᾳ τινὰς θεραπεύειν, ἢ τῶν ὑμετέρων δικαίων προΐςασθαι, & tanto facilius eſt privatim nonnullos juvare, quam jura veſtra tueri & defenſitare.* Προΐςασθαι τοῦ δήμου dicitur ὁ δημαγωγὸς, cujus conſilio obſequitur populus, qualis *προςάτης* audit *Dionyſ. Halic.* Tom. II. p. 286. ed. Oxon. vel *δημοτικοῦ μέρους προϊςάμενος.* Vide *Perizonium* ad Æliani XII. 43. Denique pag. 236. ante perorata in hanc ſummam confert: *Qui Deo crediderunt, nihil prius in animo habeant, quam ut bonorum operum cauſam agant; videant (ut ita loquar) ne quid detrimenti capiant; tam verbis, quam re, vitæ ſanctimoniam, & quæ ad hanc faciunt, pertinaciter tueantur, & defendant; aperte palamque declarent,* hæc illa bona & utilia hominibus; *atque adeo crimen ſibi objectum diluant, nihil ipſis cum bonis operibus, qui unica fide, καὶ τοῦτο δωρεὰν, juſti coram Deo cenſentur.* Non dubito equidem, *Ellisium* vim verbi hujus recte eſſe adſecutum, ut ſcilicet non ſolum *ſtudium* bonorum operum, ſed & *patrocinium* eorum cuique commendetur. Similem ſignificatum verbum obtinet 1 *Tim.* III. 5. ubi *τοῦ ἰδίου οἴκου προςῆναι* & v. 12. ubi *τέκνων καλῶς προϊςάμενος.* *Philoſtratus* in Vitis Sophiſtarum lib. II. cap. 2. pag. 566 de Theodoto: *οὗτος προὔςι μὲν τοῦ Ἀθηναίων δήμου, is Athenienſium populo præfuit,* nempe inſtar Magiſtratus, quod idem de Lolliano dicit in Vita ejus §. 1. quemadmodum de Theodoto l. c. paulo poſt: *προέςη δὲ καὶ τῆς Ἀθηναίων νεότητος πρῶτος.* Ex his facile intelligitur, non audiendum eſſe

*Jo. Clericum*, quando ex occaſione libri *Elliſiani* in Biblioth. Vet. & Nova Tom. XXVII. Parte II. pag. 247. ſtatuit, Apoſtolum monuiſſe tantum Chriſtianos, ut *honeſto* alicui *opificio incumbant*. Hanc in rem urget, quod Græci τέχνης προΐςασθαι & προςάτην τέχνης eſſe eum dicant, qui opificium aliquod exerceat, & artem profiteatur. Recte vero jam monuerat *Eliſius* pag. 234. phraſin illam eum artis magiſtrum inferre, qui non tam artem pro ſe faciat, quam *artificio præſit, aliisque operas præſcribat*; ſicut ἐργαςηριάρχης vocatur *tabernæ* alicujus *præfectus*. Non magis pro *Clerico* facit, quod Chriſtianos illius ætatis tantum non omnes artes βαναύσους exercuiſſe exiſtimat, qui proinde ab otio inprimis avocandi fuerint. Vereor enim, ut hoc ſatis probet. Provocat denique ad ℣. 14. ex quo idem intelligatur. De hoc mox videbimus. Interim Clericus præeuntem ſibi *Grotium* habuit, contra quem lege *Calovium* noſtrum. Sic & *Gellus* l. c. pag. 427. ſq. poſtquam pro eadem interpretatione nonnulla dixiſſet, in communi & univerſali καλῶν ἔργων ſignificatu acquieſcit. Interim *Vitringa* in commentario Belgico ad h. l. *Grotii* expoſitionem amplectitur, tanquam ſine dubio certiſſimam. Ceterum προΐςαται *Heſychius* interpretatur per ἐπιπολάζει. Similiter *Photius* in Lexico MS. quod ejus nomine inſcribitur: Προΐςαται, ἐπιπολάζει. ἀπὸ τῆς τροφῆς μετενήνεκται. Verbum ἐπιπολάζειν idem h. l. eſſe puto, quod πλεονάζειν, quo ſenſu eo *Hippocratem* de natura hominis Text. 22. & *Galenum* ibidem uſum eſſe monuit *Spanhemius* ad Ariſtophanis Plutum v. 1208. Sic *Æſchines* Dialog. pag. 104. λεσχήνειαν ἐπιπολάζουσαν *garrulitatem copioſam* dicit. Ex *Photii* itaque mente copia bonorum operum indicaretur.

Verſ. 9. Μωρὰς δὲ ζητήσεις] Stultarum ejusmodi quæſtionum exempla ex Judæis adfert Cl. *Schœtgenius* in Horis pag. 902.

κ) γενεαλογίας] Vide ad 1 *Tim.* I. 4.

κ) ἔρεις κ) μάχας νομικὰς] Harum plenum eſſe opus Talmudicum res ipſa docet, & exemplis aliquot ab eodem *Schœtgenio* firmatur.

περιΐςασο] Vide ad 2 *Tim.* II. 16.

Verſ. 10. Αἱρετικὸν ἄνθρωπον —— παραιτοῦ] Lege *Caſparis Læſcheri* & *Gottlieb Schelgvigii* diſſertationes, illam *Witteberga*, hanc *Gedani* 1689. editas. Quis *hæreticus* proprie ſit in ſenſu Biblico & Eccleſiaſtico, de eo Scriptores Hæreſiologi abunde expoſuerunt. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 124. Hoc quidem loco αἱρετικὸς Editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pag. 796. is dici videtur, qui a Chriſti ſacris penitus receſſerit. Contra eum lege *Leonhardum Twells* in Examine Critico illius Novi Teſtamenti Parte II. pag. 43. recte oſtendentem, eum indicari, qui factionem in Eccleſia inſtituat, & a doctrina Apoſtolica in uno alterove momento deficiat. *Elliſius* in Fortunis Sacris pag. 241. expoſita generatim vocis αἱρετικὸς notione, *contentioſum* hominem

minem cenſet inferri, qui ſit φιλόνεικ☉ 1 *Corinth.* XI. 16. & ἐξ ἐριθείας *Rom.* II. h. e. in contentionibus frequens, & lites quaque de cauſa inſtruens. Verba itaque Pauli ita παραφράζει pag. 243. *Contentioſum poſt unam atque alteram admonitionem declina : ſciens eum, qui ſemel atque iterum admonitus, nec contentioſus tamen eſſe deſinit, e via, quam prius inierit, excidiſſe & ſuopte judicio damnatum peccare.* Non crediderim, molliorem illum vocis ſignificatum h. l. obtinere. *Contentiones*, atque adeo homines illarum ſtudioſos, averſari jam verſ. 9. juſſerat, ubi non ſolum ζητήσεις, ideo ſcilicet, quod μάχας γεννῶσι 2 *Timoth.* II. 23. ſed & diſerte ἔρεις ϰ̀ μάχας νομικὰς vitare jubet. Itaque hic aliquid amplius notare cenſendus eſt Apoſtolus, nempe ejusmodi hominem, qui non ſolum contentioni ſtudeat, ſed & perverſa doctrina, prout ipſe eſt ἐξεστραμμέν☉, verſ. 11. Chriſtianorum cœtui fraudi eſſe poſſit. Firmatur hoc verbo παραιτεῖσθαι, cujus vim & efficaciam mox exponemus.

μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν ] Ita Codices, qui adhuc inſpecti ſunt omnes habent. *Hieronymus* autem & Patres quidam voces, ϰ̀ δευτέραν omittunt, quam in rem lege *Millium*, comparato *Whitbio* pag. 74. b. in nonnulla recte animadvertentem. *Rich. Simon* de Verſione Novi Teſtamenti pag. 51. receptam, quam & *Vulg.* exhibet, recte tuetur.

παραιτοῦ ] Recte ad h. l. *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Part. I. cap. X. pag. 750. *Paulus exigit* νουθεσίαν, admonitionem *unam & alteram circa hominem* factioſum. *Eſt autem* νουθεσία *in hoc loco, idem, niſi fallor, quod* נזיפה (i. e. *correptio*, ſeu *excommunicatio privata*) *Chriſtus requirit* ἔλεγχον, *quod idem eſſe diximus cum Hebræo* תוכחה. *Quod ſi ejusmodi turbo ad has admonitiones non reſipiſceret, vult Paulus, ut* devitetur. παραιτοῦ, *inquit. Atqui Græcum* παραιτεῖσθαι *notat aliquem* repellere, repudiare, *imo* expellere, ἐκβάλλειν, ἀποπέμπειν: *unde Græcis auctoribus non infrequenter accipitur ſignificatu* repudii uxoris, *quod, ut notum, non tantum conſiſtebat in negatione* conſuetudinis, *ſed in* dimiſſione uxoris, *ejusque* expulſione ex ædibus. *Quod quid aliud eſt, quam* excommunicare, *quemadmodum nempe excommunicatio illo tempore apud Judæos in uſu erat?* Lege ibidem plura. Eodem modo *Henricus Dodwellus* in libro Anglicano: *the Caſe in view*, excluſionem a corpore Eccleſiaſtico indicari ſtatuit. Vide ad 1 *Timoth.* V. 11.

Verſ. 11. Εἰδὼς, ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτ☉ ] *Sciasque, quod everſus ſit, qui ejusmodi eſt*, ut *Eraſmus Schmidius. Vulg.* habet: *ſubverſus eſt. Caſtellio: perverſus.* Cl. *Joannes Alberti* mavult: *inverſus eſt.* Sic enim Gloſſæ: ἐκστρέφω, *inverto. Heſychius:* ἐξέστραπτο, μετέβαλεν. *Eſt metaphora*, ita pergit, *a veſtibus extrinſecus ſordidis, quæ mutantur, & ita* plane invertuntur, *ut interior veſtis fiat exterior, & tota novam acquirat faciem & ſplendorem.* Ita

*Ariſtophan.* Nub. Act. I. Scen. I. v. 89. ἔκστρεψον ὡς τάχιστα τοὺς σαυτοῦ τρόπους, ubi Schol. itidem monet, dici ita ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ῥυπουμένων ἱματίων καὶ ἐκστρεφομένων. Hinc ita verba Pauli παραφράζει: *quum noveris, talem hominem,* plus ſimplici vice jam admonitum, tandem *mores,* (ut ait Comicus loc. cit.) *inverſurum,* & foras bellam formam prælaturum ad inſtar veſtis ſordidæ inverſæ, ne novæ rurſus νουθεσία ſubjiciatur, *cum interim peccare pergit, conſcientia ipſius ipſum damnante.* Erudite hæc admonentur: ſed rem non conficere mihi videntur. Non negaverim metaphoram illam; at idem *Ariſtophanis* Scholiaſtes generatim vocem per μεταβάλλειν, & ἀλλάσσειν convertit. ἄλλαξον οὖν, φησι, τοὺς τρόπους σου, καὶ μεταβαλοῦ. Itaque non quidem mores mentitos, quam penitus in melius mutatos requiri exiſtimat. Atque hanc *Ariſtophanis* mentem eſſe, ex ſequenti verſu patet: καὶ μάνθαν' ἐλθὼν ἅ ν' ἐγὼ παραινέσω. *Et ego, quæ te juſſero, in his morem geras mihi.* Tum alter ille juſſa expetit, & ſubdit: πείσομαι νὴ τὸν Διόνυσον Similiter hoc loco hominem talem hic deſcribi exiſtimo, qui priſtinam mentem in pejus mutarit, & a vero ad falſum ita deflexerit, ut nulla emendationis ſpes ſuperſit. Hoc ſenſu video τοὺς LXX. Hebraicum הפך reddidiſſe *Jerem.* XXIII. 36. καὶ ἐξεστρέψατε τοὺς λόγους θεοῦ ζῶντος, & *Deuteron.* XXXII. 20. ὅτι γενεὰ ἐξεστραμμένη ἐστιν. Metaphora igitur ultra limites non eſt extendenda. Et neſcio ſane, num Apoſtolus hominem, meliora promittentem, ſed mentientem, penitus averſandum repræſentare potuerit. Præpoſitio ἐκ ſignificationem hic intendit, quemadmodum διὰ in voce διεστραμμένη *Matth.* XVII. 17. *Luc.* IX. 41. & *Philipp.* II. 25. Sic *Actor.* XX. 30. λαλοῦντες διεστραμμένα dicuntur. Latine recte dixeris, *perverſum, perditum,* Germanice: verkehrt, ut *Lutherus* habet. *Elliſius* loc. cit. pag. 244. vim vocis enervat, quando verti vult: *e via, quam prius inierat, excidit.*

ὢν αὐτοκατάκριτος] *ut qui ſuopte judicio ſit condemnatus.* Optime *Oecumenius* ita: ἢ ἀναπολόγητός ἐστιν, ἢ αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ καὶ τῆς οἰκείας συνειδήσεως κατακρινόμενος. *Theophylactus* per ἀναπολόγητος explicat. Subtilior eſt *Thomas Barlow,* quando in *Caſibus Conſcientiæ explicatis* reddi poſſe putat, *a ſe ipſo ſeparatus,* cum ſumplex κρίνω a Stephano per *ſecerno* explicetur: quemadmodum etiam *Hieronymus* ad h. l. dicat: *Hæretici in ſemet ipſos ſententiam ferunt, ſuo arbitrio ab Eccleſia recedentes.* Vide Acta Eruditorum Lipſienſ. An. 1692. pag. 564. Adplaudit illi *Amelius* Parte I. pag. 155. Sane verbum κατακρίνειν nunquam *ſegregationem,* ſed *condemnationem* infert. Et quem ſua conſcientia convincit ac damnat, is quidem recte, tanquam talis, merito procul eſſe jubetur. Confer *Schotti* Adagialia Novi Teſtamenti ad h. l.

Verſ. 12. Οταν πέμψω Αρτεμᾶν πρός σε] De *Artema* lege Acta Sanctorum Antverpienſia, menſe Junio Tom. IV. pag. 67.

Verſ.

Verſ. 13. 14. Vide *Joannis Martianæi* Conatum Novæ Verſionis pag. 385.

Verſ. 13. *Ζηνᾶν τὸν νομικὸν*] *Zenam Legisperitum.* Non video cauſam, cur à recepta in Novo Fœdere ſignificatione vocis recedamus, quæ legisperitum, ſive *Textuarium*, ut Triglandius diſſertat. de Karæorum Secta pag. 66. mavult, infert. Grotius tamen *Jurisperitum* indicari putat, cum Græci etiam jus Romanum didicerint. Sed magis veri fit ſimile, Zenam hunc ex Judæis fuiſſe, atque adeo inter eos olim *νομικόν*. Nec audierim admodum *Seldenum* de Synedriis Hebræorum lib. II. cap. 7. pag. 732. qui eum in Ordinatione, judiciaria facultate ſeu forenſi ait imbutum fuiſſe. *Nam licet*, inquit, *Presbyteros in alteram illam facultatem, ſine judiciaria, ordinatos, peritos eſſe legis oportuit cunctos, eo ſenſu, quo quid licitum illicitumve eſſet, quid ligatum, ſolutum, docerent, fidemque propagarent, nihilominus abſonum non eſt, vocem illam νομικὸν ibi, nec alibi, per epiſtolas, uſurpatam, ſignantius denotare Judiciaria etiam facultate illum præditum. Quorſum alias is ſolum ὁ νομικὸς præ aliis dictus? Adeoque reliqui in facultatem illam alteram ordinati ſunt; ſed Zenas etiam origine, ut videtur, Ebræus, in Judiciariam, idque intra ipſam Judæam, extra quam rite fieri nequibat ordinatio.* Adſtipulatur Seldeno *Vitringa* de Archiſynagogo cap. XVII. pag. 384. utrique autem M. *Chriſt. Henricus Bræmelius* in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. IX. pag. 148. ſeqq. Ratio, qua uterque nituntur, non admodum idonea eſt, cum fieri poſſit, ut Zenas hic inter Judæos olim *νομικὸν* h. e. legis Judaicæ peritum, egerit, non autem ceteri.

Verſ. 14. *Μανθανέτωσαν δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων προΐστασθαι*] *Grotius* ita: *adſueſiant* (nempe Apollo, Tychicus, & alii) habere domi officinam aliquam, me imitantes, Actor. XX. 34. Officinam vero illam, ut verſ. 8. de *honeſto opificio* intelligit, ut ſcilicet *ſuos laboribus honeſtis exerceant, nec vitam lenonum, paraſitorum* &c. *agant.* Idem volunt *Clericus* loc. cit. ad verſ. 8. & Interpretes Galli Berolinenſes, *Beauſobrius* & *Infantius*, ex noſtratibus autem *Zeltnerus* in notis ad Verſionem Lutheri Biblicam pag. 210. Sed non admodum video, cur & hic ut verſ. 8. & alias *τὰ καλὰ ἔργα* bonorum operum ſtudium generatim inferre negandum cenſeamus. Nihil enim neceſſe eſt, ut *τὰς ἀναγκαίας χρείας* de *vitæ ſubſidiis* cum *Grotio* interpretemur. Nam non perpetua eſt hæc vocis in Sacro Codice notio, cum de aliis quoque rebus & negotiis adhibeatur. Ita *Actor.* VI. 3. munus, ſeptem diaconis in Eccleſia Chriſtiana demandatum, vocatur *χρεία.* *Epheſ.* IV. 29. *λόγος* jubetur *εἶναι χρηστὸς πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, ἵνα δῷ χάριν τοῖς ἀκούουσι.* Itaque nihil obſtat, quo minus Apoſtolum id velle exiſtimemus, ut Chriſtiani omnes virtutis ſtudio ante expoſito fervide incumbant, atque adeo apti reddantur ad illa expedienda, quæ *uſus* & *occaſio* requirat. Si quis tamen illas *ἀναγκαίας χρείας*, de beneficentia aliis præſtanda, tanquam ſpeciali quodam virtutum momento & ſpecimine

mine cum *Chryſoſtomo* & *Camerario* accipere velit, me non habebit valde repugnantem, cum vel ſic generalis illa notio *τῶν καλῶν ἔργων* locum tueatur.

Πρὸς Τίτον, τῶν Κρητῶν ἐκκλησίας πρῶτον Ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα, ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας] Elogium Titi usque ad vocem χειροτονηθέντα omittunt Codices aliquot, tum vero *Syrus* & *Arabs*. Nicopoleos nomen Codices omnes, (inter quos Bœrnerianus Græco-Latinus totam ὑπογραφὴν omittit) conſtanter tuentur, Μακεδονίας vero omittunt *Alexandr.* Petr. I. Sin. *Syrus* & *Arabs*, à Millio appellati, quo judice nulla talis erat in Macedonia, ſed potius in Epiro. Confer *Chriſtophori Cellarii* Diſſertationes Academicas pag. 163. qui *Nicopolin* ſervari poſſe cenſet, ſi cum Hieronymo de illa *Epiri* accipiatur. Alii tamen de *Nicopoli* non recte cogitari exiſtimant, cum cap. III. 12. ad quod ceteri provocant, non teſtetur, Apoſtolum ibi cum hæc ſcriberet, fuiſſe, ſed venturum eſſe ad hibernandum. Confer *Prolegomena.*

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

PHILEMON, cui hæc epiſtola inſcripta eſt, *Hieronymi* judicio non ſolum incolatu, ſed & patria *Coloſſenſis* fuit. Argumenta ejus, ex ipſis literis petita, partim repetit, partim confirmat *Joannes Ens* in Bibliotheca Sacra pag. 282. Doctorem Eccleſiæ inter Coloſſenſes egiſſe vox *συνεργὸς* verſ. 1. inferre videtur, qua Paulus alias in hac cauſa uti conſuevit. Gazæ Epiſcopum fuiſſe tradit Pſeudo-Dorotheus, quemadmodum memoriam ejus celebrant Martyrologia 23. Nov. Plura de eo habet *Witſius* in Meletematibus Leidenſibus pag. 193. & *Tillemontius* in Memoriis Hiſtor. Eccleſ. Tom. I. Part. II. in Vita Pauli, nota 66.

Eodem tempore, quo illam ad *Coloſſenſes*, atque adeo A. C. LXII. circiter exaratam eſſe, & per *Oneſimum* ipſum perlatam, multi colligunt ex epiſtola ad *Coloſſenſes* IV. 9. Vide *Millium* in Prolegomenis §. 82. Alii vero poſt *Theodoretum*, aliquo tempore poſt ſcriptam contendunt, quibus Oneſimus à Paulo Coloſſas primum cum his literis miſſus, deinde vero à Philemone Romam ad Paulum captivum remiſſus, hinc denique à Paulo iterum Coloſſas cum novis literis ablegatus fuiſſe videtur. Vide hanc in rem *Sandhagenium* in Introduct. ad Acta Chriſti & Apoſtolorum p. 141. & Celeb. *Chriſtophori Matthæi*

Digitized by Google

*Matthæi Pfaffii* notas ad Orationem de chirographo Apoſtoli Pauli in favorem Oneſimi tansmiſſo.

Romæ & quidem in priore carcere ſcriptam eſſe non dubitatur. *Vinctum* enim ſe vocat Paulus verſ. 1. & ſpem tamen adventus ſui facit *Philemoni* v. 22.

De Interpretibus lege *Schwindelium* & *Wendelerum*. Inter hos Philologiæ copias inprimis explicant *Scipio Gentilis* in Commentariolo ſingulari, Norimbergæ 1618. in 4to. & *Chriſt. Fridericus Franckenſtein* in Obſervationibus, Lipſiæ 1665. 12. editis. Exſtat etiam B. *Joannis Fechtii* Diſſertat. Roſt. 1696. habita & ibid. 1719. recuſa, h. e. *Exegetica hujus epiſtolæ expoſitio, qua Chriſtianæ charitatis erga proximum exercendæ idea repræſentatur.* Nonnulla quoque ad illuſtrationem ejus generatim affert *Joannes Stephanus Menochius* in Trattenimenti eruditi Parte VI. pag. 440.

# CAPUT I.

VErſ. 1. *Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ* ] Pro *ἀγαπητῷ* ſicut & pro *ἀγαπητῇ* verſ. 2. Codices nonnulli habent *ἀδελφῷ* & *ἀδελφῇ*, atque hæ voces germanæ videntur *Millio* ad loc. & in Prolegomenis §. 1292. cujus exemplo recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani vocem *ἀδελφῇ* in contextum recepit. At *Jacobus Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. pag. 716. recte pro communiore lectione pugnat, & alteram illam ex ſcholio marginali natam putat, cum *ἀγαπητὸς* obſcurius ſit illo *ἀδελφὸς*, nec inſuetum Sacris Scriptoribus, fidei ſocios & ſocias *ἀδελφοὺς* & *ἀδελφὰς* appellare. Vide v. c. infra verſ. 7. & 20. & 1 *Corinth.* IX. 5. VII. 15. &c. Interim vox *ἀδελφὸς* utrinque ſubintelligenda eſt, ſicut plene verſ. 16. dicitur *ἀδελφὸς ἀγαπητός*. Fortaſſe etiam Apoſtolus *ἀδελφοῦ* nomen, quo Timotheum inſigniverat, deſtinato conſilio repetere noluit: niſi ad nomen *Philemonis* alludere voluiſſe cenſeas, ceu infra fit ad nomen Oneſimi verſ. 10. Vide etiam *Whitbii* Examen p. 74. b.

Verſ. 2. *Καὶ Απφίᾳ ἀγαπητῇ* ] Appiam Philemonis conjugem fuiſſe, hinc plerique non ſine veri ſpecie efficiunt. Atque ita quoque capienda eſt ſubſcriptio hujus epiſtolæ in MS. Cryptoferratenſi pag. 708. Monumentorum Zacagnii: *πρὸς Φιλήμονα καὶ Απφίαν δεσπότας Ονησίμου, καὶ πρὸς Αρχίππον, διάκονον τῆς ἐν Κολοσσαῖς ἐκκλησίας ἐγράφη ἀπὸ Ρώμης διὰ Ονησίμου οἰκέτου.* Confer *Muratorium* ad Paulini Natalem XIII. Felicis v. 64. *Αγαπητῇ* B. *Lutherus* vertit der Lieben, præter rem hoc nomine notatus ab *Emſero*, contra quem lege *Raithii* Vindicias pag. 570. Conſtat alioquin, vocem *ἀγαπητὰς* & *συνεισάκτης* ſequioribus Eccleſiæ temporibus famoſum ſenſum induiſſe. Lege, ſis, *Suicerum* Tom. I. pag. 28. & *Muratorii* ſingularem diſquiſitionem in Anecdotis Græcis pag. 218. ſqq.

κ᾽ Ἀρχίππῳ ] Vide ad *Coloſſ.* IV. 17.

κ᾽ τῇ κατ᾽ οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ ] Lege, quæ ſcripſi ad *Rom.* XVI. 5. & adde *Joſ. Mede* Opera Anglicana pag. 324.

Verſ. 5. Ἀκούων σου τὴν ἀγάπην, καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν Κύριον Ἰησοῦν, κ᾽ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους ] Per conſuetum χιασμὸν hæc exponi debere, ut ἀγάπη ad Sanctos, πίστις autem ad Chriſtum referatur, rectè monuerunt Interpretes. Vide *Caroli le Cene* Conatum Novæ Verſionis pag. 554. & *Franciſci Wokenii* Pietatem Criticam Parte II. Synchyſi oppoſita, pag. 134.

Verſ. 6. Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει ] *Ut communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione.* Pro ἐνεργὴς unus Codex legit ἐναργὴς, quod *Vulg.* per *evidens* expreſſit, quodque verius viſum eſt *Eſtio*, cum ſenſum planiorem & inſtituto Pauli congruentionem fundere videatur. Utraque, fateor, lectio locum habere poſſit, quod *Franckenſteinius* ad h. l. oſtendit; ſed præſtat tamen ἐνεργὴς communi codicum, qui adhuc inſpecti ſunt, conſenſione firmata, & æque commoda, ac 1 *Corinth.* XVI. 9. Id ſcilicet vult Paulus, precari ſe Deum verſ. 4. ut Philemonis fides & amor, de quibus v. 6. magis magisque *efficaces* ſe ſiſtant. Quo ipſo tacite ſubindicare voluit, talem occaſionem nunc quidem Philemoni repræſentari in Oneſimo, quem amori & benevolentiæ ejus erat commendaturus. Πίστις igitur Philemonis debebat eſſe δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη *Galat. V. 6.*

ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ὑμῖν ] *in agnitione omnis boni operis*, h. e. beneficiorum a Deo Philemoni & aliis, tanquam Chriſtianis, præſtitorum, quorum memoria & viva recogitatio efficere poterat, ut aliis ſe amoris & beneficentiæ plenos præſtarent. Confer infra ad verſ. 14. Ante vocem ἀγαθοῦ unus alterve Codex ἔργου habet. Sed nec apud *Hieronymum*, nec in antiquis Latinis Codicibus, teſte *Eraſmo*, invenitur. Itaque non erat, cur *Emſerus* ex omiſſo illo *Lutherum* reprehenderet Vide *Raithium* in Vindiciis pag. 570. Nec rectius pro ἐν ὑμῖν, quod MSS. aliquot & editio quoque *Complutenſis* exhibet, Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum ἐν ἡμῖν recepit. Paulus alloquitur Philemonem cum ceteris, quos antea a fide & charitate laudaverat. Itaque veri eſt ſimilius, de iisdem eundem adhuc loqui, quam ſermonem ad alios quoque transferre.

εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν ] Recte *Camerarius* vel per enallagen idem eſſe putat, quod ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vel πᾶν ἀγαθὸν ad laudem Chriſti tendere dici arbitratur.

Verſ. 7. Χαρὰν γὰρ ἔχομεν πολλὴν ] Ita *Curcellæus*. Plerique vero Codices & editi quoque habent χάριν. Idem legit *Theophylactus*, ſed explicat per χαρὰν, *gaudium*; quemadmodum *Heſychius*: χάρις, δωρεά, χαρά

*Lutherus.*

Digitized by Google

*Lutherus* per *gaudium* convertit, quod & *Vulgat.* cum *Syro* & *Arabe* habet. Confer M. *Petri Adolphi Boyſenii* Diſſertationem de Codice Græco Novi Teſtamenti pag. 38. Apoſtolus, ſive *χάριν*, ſive *χαρὰν* ſcripſerit, ſine dubio *gaudium* ſuum de miti & benevola Philemonis indole teſtari voluit, quandoquidem illud *τῇ παρακλήσει*, *conſolationi*, jungit. Utrumque enim conjungit 2 *Corinth.* VII. 4. *πεπλήρωμαι τῇ παρακλήσει, ὑπερπερισσεύομαι τῇ χαρᾷ.* Adde verſ. 13. *διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακεκλήσει ὑμῶν. περισσοτέρως δὲ μᾶλλον ἐχάρημεν.*

Verſ. 9. *τοιοῦτος ὤν*] Ita *Xenophon* Oeconom. pag. 677. *πάνυ γάρ μοι δοκεῖ ἤδη πολλοῦ ἂν ἄξιος εἶναι ἐπίτροπος, ὢν τοιοῦτος*: nec minus *Herodotus* lib. I. pag. 54. Vide ex utroque *Raphelium*. Apoſtolus à ſua conditione repetit argumenta, ceu ſequentia oſtendunt, quæ non permittunt, ut phraſin illam ad Philemonem cum *Vulg.* referamus, hoc ſenſu: *cum talis ſis.* Argumenta autem tria ſunt, deſumta à Pauli perſona, ætate provectiore, & præſente conditione. Recte utique *Chryſoſtomus*: *βαβαὶ, πόσα δυσωπητικά! Παῦλος, ἀπὸ τῆς ποιότητος τοῦ προσώπου, ἀπὸ τῆς ἡλικίας, ὅτι πρεσβύτης, ἀπὸ τοῦ δικαιοτέρου πάντων, ὅτι καὶ δέσμιος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quot argumenta moventia! à qualitate perſonæ, quia Paulus; ab ætate, quia ſenex; ab eo, quod eſt omnium æquius, quia etiam vinctus Jeſu Chriſti.*

*πρεσβύτης*] Ratione ætatis provectioris Paulum ita ſe appellare nemo, quem ſciam, adhuc dubitavit, præter Cl. *Oederum* in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 661. eo fine, ut efficiat, epiſtolam hanc non Romæ, ſed longe ante una cum illa ad Epheſios exaratam eſſe. Ait ſcilicet, Paulum adeo grandem ætatem non eſſe adſecutum, qui, cum capite plecteretur, fortaſſe quinquagenario non major fuerit. Non inquiram nunc in hoc argumentum, cum Paulus ſe vel ſic *πρεσβύτην reſpective* appellare potuerit, quod in annis ætatis computandis fieri conſtat. *Ductorem* interim fidei intelligere mavult ex illo *Num* X. 31. *καὶ ἔσῃ ἐν ἡμῖν πρεσβύτης.* At iidem illi Interpretes alias vocem Hebr. זקן & ישיש, i. e. *ſenem* & *decrepitum*, *πρεσβύτην* dixerunt. Eadem vocis notio eſt *Tit.* II. 2.

Verſ. 10. *τέκνα, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς*] *Ον* refertur non ad vocem *τέκνον*, ſed ad ſenſum. Sic *Homerus*: *τέκνον φίλε.*

*Ονήσιμον*] Reſpicit phraſin *ὃν ἐγέννησα*, quem genui, nempe eo fine, ut & tibi & mihi utilis eſſet. Familiare ſervis inter Græcos & Latinos nomen, quod patet ex Inſcriptionibus variis à *Valent. Chimentello* ad Marmor Piſanum de honore Biſellii cap. VIII. Tom. VII. Antiquit. Roman. Grævii p. 2052. allatis. Iidem, quod ab eodem oſtenditur, *χρήσιμοι* & *πάγκαρποι* appellati. Latini *Utilium* dicunt. Vide *Ægidii Menagii* Amœnitates Juris cap. 31. & quos præterea affert *Jo. Albertus Fabricius* Bibliothecæ Græcæ lib. IV cap. 5. p. 158. *Oneſimum* noſtrum Berœenſibus Epiſcopum datum fuiſſe Conſtitutt.

Apoſtol. tradunt VII. 46. Alii *Ephesinum* fuiſſe ex *Ignatii* epiſtola ad Epheſios pag. 12. & 14. edit. Oxonienſ. ſtatuunt. Media inter hos via incedunt, qui utrumque diſtingunt, & noſtrum, *Beræenſem* illum, ab *Epheſino* altero diſcernendum putant. In hanc ſententiam lege *Tillemontium* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. Tom. II. Parte II. in Vita Pauli nota 70. & Parte I. in Timothei Vita not. 6. Rectiſſime agere mihi videntur, qui *Oneſimum* noſtrum Epiſcopum unquam fuiſſe inficiantur cum Auctoribus Actorum Sanctorum Antvverpienſium menſe Majo Tom. III. pag. 17. Hoc video placere ex Patribus *Theodoreto*, *Oecumenio* & *Theophylacto*. Frequens ſane in hiſtoria hoc nomen eſt, nec propterea de noſtro ſtatim accipiendum. Epheſinum tamen fuiſſe cum *Uſſerio* ſtatuit *Witſius* in Meletematibus Leidenſibus pag. 196. ubi & plura de eo traduntur.

Verſ. 11. *Τὸν ποτέ σοι ἄχρηστον*] Ad *Oneſimi* nomen, vi cujus prodeſſe Philemonis rebus & utilem ſe præſtare debebat, hic alludi non dubium eſt. Quando vero *inutilem* vocat Apoſtolus, non tam *inutilem*, quam *noxium* Philemoni fuiſſe, indicare videtur, ea dicendi ratione, quam Græci *λιτότητα*, vel *εὐφημισμὸν* appellant. Ita *Xenophon* lib. I. Memorabil. pag. 720. ungues & callos moleſtos, quos non modo abjiciunt homines, ſed & medicis amputandos præbent, *ἀχρεῖόν τι καὶ ἀνωφελὲς* vocat, quemadmodum quæſtiones ſtultæ *Tit.* III. 9. *ἀνωφελεῖς* eodem ſenſu vocantur. Vide Cl. *Elsnerum* pag. 330. & *Schurzfleiſchium* in diſſertatione de Euphemiſmo Paulino §. 10. nec non *P. de Vitry*, Profeſſorem Theologum, in Diſſertatione de ſignificatione vocis Latinæ *inutilis*, quæ exſtat in Memoriis Trevultinis An. 1721. Parte II. pag. 1588. ſqq. inde vero in Actis Eruditorum Pariſienſ. An. 1722. Octobr. edit. Belgicæ. Poſtquam enim is *inutile* Latinis pro *noxio* dici, ex Auctoribus oſtenderat, hoc loco *τὸ ἄχρηστον* idem velle pag. 1600. affirmat. Et res ipſa ita ſtatuere jubet. Debebat enim aliquid Philemoni, & alia ratione injuria affecerat verſ. 18. atque adeo officio non functus erat, ut decebat, imo fraudi & noxæ fuerat.

Verſ. 12. *τουτέστι, τὰ ἐμὰ σπλάγχνα*] *Viſcera* hic *filium* denotare poſſunt, ſicut Apoſtolus Oneſimum ante vocaverat. Atque hæc vocis apud Græcos & Latinos notio eſt. De Græcis lege *Suicerum* Tom. II. pag. 998. ubi *Artemidori* appoſitus affertur locus; de Latinis *Barthium* ad *Statii* Silvas pag. 501. & Thebaid. pag. 630. Confer *Guſſetii* Commentarios L. Hebraic. radice רחם lit. B. & *Picinellum* pag. 727. Luminum Reflexorum.

Verſ. 14. *χωρὶς δὲ τῆς σῆς γνώμης*] Ita *Polybius* pag. 983. *χωρὶς τῆς Ρωμαίων γνώμης.*

*ἵνα μὴ ὡς κατὰ ἀνάγκην τὸ ἀγαθόν σου ᾖ*] id eſt: *ut beneficium tuum non quaſi coactum ſit.* Hanc enim notionem vox *ἀγαθὸν* habet apud Græcos

optimæ

optimæ notæ, adeoque omnis Hebraiſmi ſuſpicione vacat. Vide Cl. M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 23. hic ſupra v. 6. *ἀγαθὸν beneficia* divina ſignificat.

Verſ. 15. *Τάχα γὰρ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη πρὸς ὥραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς*] Alludere videtur Apoſtolus ad morem inter Judæos receptum, ex quo ſervi quidam aurem ſibi pertundi faciebant, perpetuo tales futuri. Vide *Guſſetium* l. c. rad. שמט lit. M.

Verſ. 16. *Οὐκέτι ὡς δοῦλον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ δοῦλον*] *Pricaus* legere malebat *ὑπὲρ δούλου, pro ſervo*, quod & *Vulg*. expreſſit, procul dubio ex facili *τοῦ*, *ν* cum *υ* in legendo permutatione. Tenenda eſt recepta lectio, ut *plus quam ſervus* eſſe dicatur Oneſimus, *frater* ſcilicet in Chriſto. Vide, quæ ſcripſimus ad 2 *Corinth.* XI. 23.

Verſ. 18. *Εἰ δέ τι ἠδίκησέ σε, ἢ ὀφείλει*] Prius ad injuriam, quocunque modo factam, fortaſſe etiam ad ſurreptam furto pecuniam; poſterius ad æs alienum aliunde contractum, quod herus ex legibus ſolvere tenebatur, pertinere videtur.

Verſ. 19. *Ἐγὼ Παῦλος ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ἐγὼ ἀποτίσω*] Interceſſionem hic eſſe nemo non intelligit, dubium vero, quod ejus genus, utrum *conſtitutum*, an *fidejuſſio*, an denique *expromiſſio*. De hoc diſputarunt JCti, interque eos *Zach. Huberus* lib. I. Diſſertationum Juridico-Philologicar. diſſ. II. & III. non obligationem conſtitutoriam, ſed veram ſolidamque expromiſſionem hic dari exiſtimans. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1702. pag. 420. Aliorum ſententias recitatas lege in laudata in Prolegomenis Oratione *Pfaffii* de chirographo Philemoni miſſo. Ille quidem nullum ex tribus illis interceſſionis generibus locum habere exiſtimat, ex difficultatibus nonnullis, quibus ſingula premi videntur. *Verba Pauli in ſenſu nativo & proprio accipi poſſe* negat, *quaſi re vera Paulus promiſiſſet, ſe pecuniam, ab Oneſimo ſurreptam, ſoluturum, cum circumſtantiæ doceant, id ſaltem figurata dictione velle Paulum, ut Philemon Oneſimo remittat, quæ peccaverat. Bene quippe noverat Paulus, Philemonem a ſe nil poſtulaturum pecuniæ, vel accepturum unquam. Imo tantum aberat, ut Paulus debitorem ſe Philemoni ſcriberet, ut potius Philemonem ſibi debere ſe ipſum his ipſis verbis aſſeveraret, certus, Philemonem in omnibus obſecuturum, imo plus facturum adhuc, quam poſtularet.* Sub cenſuram hæc vocavit Anonymus, eruditus ille quidem, ſed falſus nimium & mordax, in *Examine Orationis* illius, quod cum oratione ipſa prodiit Lipſiæ 1732. 4. Non jam arbitrum me utrique diſſentientium interponam; ſatius tamen & argumento convenientius futurum erat, ſi major hinc humanitas, hinc æquitas in Orationis Auctorem probata fuiſſet. De phraſi: *ἔγραψα, τῇ ἐμῇ χειρὶ*, quæ ad totam epiſtolam referenda videtur, lege ad 2 *Theſſal.* III. 17.

ἵνα μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις] *Ut ne dicam tibi, quod tu etiam te ipſum mihi inſuper debeas.* Id vult, quod Philemon non tantum in fide ſua acquieſcere, ſatiſque ſibi factum putare, ſed plura ſibi, nempe ſe ipſum, accepta ferre debeat. Eodem verbo utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. III. p.59.& Oeconom. p.684. οὐδὲ τὰ ἀναγκαῖα δύνανται πορίζεσθαι, ἀλλὰ καὶ προσοφείλουσιν. Nec minus *Polybius* pag. 49. & 89. Vide utrinque *Raphelium*.

Verſ. 20. Ναὶ] *Etiam*, ut *Beza*; vel, *obſecro*, ut *Eraſmus Schmidius.* Ille pro *aſſeverandi* particula habuit. Utraque notio exemplis veterum conſtat. Poſterioris habes apud *Tobiam Eckhardum* in Obſervatt. Philologic. ex Ariſtophane pag. 20. ubi eam h. l. etiam obtinere putat: prioris apud *Elſnerum* ad Matth. XV. 27. & ad h. l. qui ita vertendum putat: *optime, itaque te fruar.* Malim quidem ego *obſecrandi* aut *obteſtandi* ſignificatum hic tenere, quemadmodum v. 9. & 10. verbum παρακαλῶ adhibetur. Germani dicerent: Ey ja, laß mich deiner genieſſen.

ἐγώ σου ὀναίμην ἐν Κυρίῳ] fac, *ut ego te frui poſſim in Domino.* Ita *Lucian.* in Philopſeud. pag. 489. οὕτως ὀναίμην ἔφη τούτων, *ſic his* (filiis) *frui mihi liceat.* Hunc & ſimiles veterum locos affert *Elſnerus* pag. 331. qui recte averſatur, quod vir cetera doctus, nec alias profanus in Obſſ. Saer. lib. II. pag. 81. phraſin hanc ex uſu ejus in re venerea illuſtrare inſtituit. Seilicet generalis ejus eſt notio, & de fructu ex re vel perſona aliqua capiendo adhibetur. *Photius* in Lexico MS. ὄνασθαι, ὠφεληθῆναι. Ὀνήσασθαι, ὠφεληθῆναι, ἀπολαβεῖν. De Parentibus ſpeciatim adhiberi, qui ex liberis gaudium & fructum vel optent, vel percipiant, oſtendit veterum locis *Pearſonus* in Vindiciis Ignatian. Part. II. c. 15. pag. 421. & ad Ignatii epiſtolas pag. 23. edit. Oxon. ad verba *Ignatii:* οὗ ὀναίμην ἐν Θεῷ. Eundem alias frequenter uti hac phraſi oſtendit *Bernhard. Raupach*, collega mihi amiciſſimus, Decade II. Obſervatt. Sacr. ex Patribus Apoſtolicis obſerv. VIII. Conf. *Suicerum* Tom. II. pag. 491. Fortaſſe & hic, ut ſupra, ad Oneſimi nomen alluditur. Conf. *Glaſſii* Rhetoric. Sacr. Tract. II. cap. 2. & *Leighii* Criticam Sacr. pag. 227.

ἐν Κυρίῳ] i. e. *per* vel *propter Dominum ;* ſine hebraiſmo. Vide M. *Georgii* Vindicias N. T. ab Hebraiſmis pag. 153.

Verſ. 22. Ἅμα δὲ καὶ ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν] ſcilicet τράπεζαν *menſam*, prout plene dixit *Homerus*. Vid. *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. pag. 132. & *Perizon.* ad *Æliani* V. Hiſt. III. cap. 37.

Verſ. 23. Ἀσπάζονταί σε] Edit. *Eraſmi* prima, & *Aldi* illa, una cum codd. paucis habet ἀσπάζεται, quod & *Vulg.* expreſſit, ab editore Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum receptum. Cum vero plures hic appellentur, quorum nomine Paulus ſalutat, receptiorem lectionem merito tenemus.

Ἐπα-

Επαφρᾶς] Vid. ad *Coloſſ.* IV. 22.

Μάρκος] de quo ſupra ad *Coloſſ.* IV. 10. Confer hic *Franckenſteinium.*

Verſ. 24. Δημᾶς] De quo Paulus queritur 2 *Timoth.* IV. 10. Hæc enim ante noſtram hanc ſcripta eſt epiſtola, quod contra Maſſutium oſtendit *Franckenſteinius.*

Πρὸς Φιλήμονα ἐγράφη ἀπὸ Ρώμης] Vide Prolegomena. Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſſ. Sacr. pag. 660. *Romæ* ſcriptam negat, ex iis argumentis, quibus idem de epiſtola ad Epheſios adſtruere conatus eſt. Inſpice itaque noſtra ad eam Prolegomena.

# PROLEGOMENA IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

De *Auctore* ejus diſputatum eſſe inter eruditos conſtat. Quod quidem argumentum nemo diligentius & luculentius tractavit, quam *Frider. Spanhemius* libro ſingulari, quem de auctore epiſtolæ ad Hebræos conſcripſit, primum quidem an. 1658. 8. ſeorſim, hinc à *Lud. de Tena* cum aliis ad eandem epiſt. lucubrationibus Lond. 1661. fol. denique vero Tom. II. Operum Spanhemii in Miſcellaneis Sacris pag. 171. ſqq. editum. Atque ille quidem Paulo vindicat, cujus argumenta in compendio repræſentat *Alethæus* in Enarratione Interpretum Scripturæ Sacræ vernacula Tom. IV. pag. 193. ſqq. Ex noſtratibus, qui tantum non omnes Paulo acceptam ferunt, idem præſtiterunt *Abrah. Calovius* in Prolegomenis ad hanc epiſtolam, & in Oratione auſpicali Regiomontana, quæ præmiſſa eſt ejus Veſtibulo in Portam Veteris & munimentum Novi Teſtamenti, & noviſſime D. *Joach. Langius* in Commentatione de Vita & Scriptis Pauli. Ex Anglis induſtriam ſuam huc retulerunt *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 433. ſqq. *Jo. Pearſonus* in Operibus Poſthumis, ubi de Serie & Succeſſione Epiſcoporum Romanorum cap. VIII. *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 83. ſqq. & in præfixis ipſi epiſtolæ veterum teſtimoniis, *Dan. Whitby* in Prolegom. ad commentarium in hanc epiſtolam, Anonymus auctor Animadverſionum in libros quoſdam anglice editarum pag. 174. ſq. contra *Jo. Clericum*, *Wilh. Wall* in Notis Criticis in N. T. p. 318. ſq. *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Parte II. pag. 308. ſqq. (ubi contra eos diſputat, qui eam ex Hebræo à *Luca*, vel *Barnaba*, vel *Clemente* Romano Græce converſam credunt) & noviſſime *Leonh.* *Twells*

*Twells* in Examine Critico N. T. Græco Anglicani Parte II. pag. 47. - 82. contra editorem illius Anglum Anonymum.

Ex Reformatis idem ſaxum volverunt *Jo. Braunius* & *Jo. d'Outrein* in Prolegomenis ad commentarios ſuos luculentis, & *Guſſetius* in Diſſertatione I. in epiſtolam ad Hebræos, in calce Confutationis libri *Chiſſuk Emuna* pag. 461. ſqq.

Ex *Pontificiis* legantur *Claud. Fraſſenius* in Diſquiſitionibus Biblicis p. 718. & 848. ſq. *Jo. Morinus* in Exercitatt. Biblicis lib. I. Exercitatt. Biblic. Exercit. III. cap. IV. pag. 73. *P. D. Huetius* in Demonſtrat. Evangelica Propoſit. I. n. 11. & noviſſime *Auguſtinus Calmetus* in Prolegomenis & Diſſertatt. Biblicis Latine converſis & Lucæ editis Tom. II. p. 263. ſqq.

Præcipuum hujus ſententiæ argumentum petitur ex 2 *Pet.* III. 15. 16. unde conſtat, Paulum ad eos ſcripſiſſe, ad quos tunc ſcribebat *Petrus*, h. e. ad Ex-Judæos, hinc inde diſperſos, de quibus 1 *Petr.* I. 1. Illa vero ſcriptio de hac epiſtola non poteſt non accipi, cum a ceteris Pauli epiſtolis ibi diſtinguatur, nec ulla præter hanc alia ſub Pauli nomine exſtet, quam intelligere poſſis; denique vero nemo veterum teſtetur, ejusmodi Pauli epiſtolam periiſſe. Tum vero ex XIII. 18. 19. 23. 24. ubi preces eorum efflagitat, liberationem ſui ſperare jubet, *Timotheum* denique fratrem ſuum appellat, quæ in aliis Pauli epiſtolis fieri omnibus conſtat, prout in illis aliorum fruſtra ejusmodi quicquam quæri itidem compertum eſt. De Timotheo ſimilia cum addito fratris nomine lege 2 *Cor.* I. 1. *Coloſſ.* I. 1. 1 *Theſſal.* III. 2. De precibus *Rom.* XV. 30. *Epheſ.* VI. 19. *Philipp.* I. 19. *Coloſſ.* IV. 3. & 2 *Theſſal.* III. 1. De ſperata liberatione ex vinculis *Philipp.* II. 24. &c. Merito etiam huc advocatur mentio vinculorum Pauli X. 34. τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε, quæ recte ita legi infra ſuo loco oſtendemus. Nec minus convenientia cum dictione Paulina, cujus exempla habes apud D. *Joach. Langium* in Commentatione laudata pag. 157. ſqq. Sic ſpeciatim varias paronomaſias in ea obſerves, ſuis locis a me indicatas, quarum Apoſtolum etiam alibi ſtudioſum eſſe conſtat. His, ut alia omittam, accedit denique veterum Eccleſiæ Doctorum, Paulino nomini inſcribentium, auctoritas. Ad eam jam provocavit *Origenes* apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. VI. 25. pag. 227. de quo loco mox videbimus. Similiter *Hieronymus* ep. 123. ad Dardanum: *Illud noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed etiam ab omnibus retro Eccleſiis & Græci ſermonis Scriptoribus quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi.* Inter hos *Caſſiodorum* quoque numerandum eſſe patet ex Complexionibus ejus in Epiſtolas, Acta Apoſtol. & Apocal. pag. 88. edit. Florentin. 1721. 8. pag. 88. collatis Illuſtris Scip. Maffeji notis p. 244. Ceterorum Patrum loca à *Calovio*; *Spanhemio* & *Millio* ll. cc. ſunt allata.

Ab

Ab altera parte nonnullorum Patrum loca in contrariam ſententiam recitat Annotator Anglus ad N. T. Græco-Anglican. pag. 838. ſqq. confutatorem nactus *Twelſium*, cujus vindicias in ſummam redactas Latine hic adponemus. Annotator ait, *Irenæum* & *Hippolytum*, Epiſcopum Portuenſem, *Irenæi* diſcipulum, & librorum ejus adverſus Hæreſes epitomaſten, negaſſe epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe, teſte *Photio* Biblioth. cod. 121. 232. Reſpondet *Twelſius*, rem ipſam recte ita tradi, notandum vero eſſe, *Photium* in *Hippolyti* judicium animadvertere his verbis; *λέγει δὲ ἀλλά τε τινὰ τῆς ἀκριβείας λειπόμενα, καὶ ὅτι πρὸς Εβραίους ἐπιστολὴ οὐκ ἔστι τοῦ Αποστόλου Παύλου.* Ita *Stephanus Gobarus* eandem *Hippolyti* & *Irenæi* ſententiam recitans, ait: *Κλήμης μέντοι καὶ Ευσέβιος, καὶ πολὺς ἄλλος τῶν θεοφόρων πατέρων ὅμιλος ταῖς ἄλλαις συναριθμοῦσιν ταύτην τὴν ἐπιστολαῖς, καὶ φασιν αὐτὴν ἐκ τῆς Εβραΐδος μεταφράσαι τὸν εἰρημένον Κλήμεντα.* Vid. *Phot.* c. 232.

Alterum teſtimonium eſt *Caji* Presbyteri Romani, quem *Euſebius* VI. 21. H. E. auctor eſt in Diſputatione contra Proclum tredecim tantum Pauli epiſtolas, omiſſa illa ad Hebræos, numerare, quemadmodum ipſe (*Euſebius*) ait, hodienum multos *Romanorum* epiſtolam hanc Paulo abjudicare. Enimvero nemini hoc mirum videri debet. *Cajus* enim Presbyter erat Eccleſiæ *Occidentalis*, quemadmodum *Irenæus* & *Hippolytus* in iisdem partibus Epiſcopos agebant, atque adeo omnes & ſinguli vel hoc nomine præjudiciis adverſus hanc epiſtolam erant occupati. Præterea *Caji* in illa diſputatione adverſarius erat *Montaniſta* quidam. Id teſtatur *Euſebius*, quam tamen circumſtantiam Annotator callide diſſimulavit. Jam exſtat in hac epiſtola VI. 4. 5. 6. locus, qui obiter inſpectus *Montaniſtarum* opinioni, de non ſperanda poſt baptiſmum relapſorum converſione, favere videri poſſit. Ad hunc locum hæretici illi pro firmando errore ſuo provocabant, nominatim *Tertullianus* in libro de Pudicitia c. 20. quem poſt ſuam ad Montaniſtas diſceſſionem ſcripſit. Idem poſtea faciebant *Novatiani*, ejusdem erroris patroni, quod patet ex *Theodoreti* commentar. in Hebr. VI. Dubitari igitur non poteſt, *Proclum* loco illo in rem ſuam uſum eſſe; diſſentientes vero vel ideo epiſtolam hanc ex Paulinarum numemo expunxiſſe. Facilius forte *Cajo* videbatur nodum hunc, rejecta integra epiſtola, ſcindere, quam inſtituto accurato loci examine, ſolvere. Quartum & ultimum antiquitatis teſtimonium contra hanc epiſtolam ab *Origene* ex *Euſebio* l. c. c. 25. petitur, quem tamen, ubi ſuam ipſe ſententiam exponit, Paulo eam tribuere ex ſequentibus patebit. Ex his relinquitur, tria tantum ex antiquitate teſtimonia Scriptorum Occidentalium contra hanc epiſtolam hactenus eſſe allata, atque adeo talium, qui difficultatibus, ex illa objici ſolitis, tum vero conſuetudine Eccleſiæ Latinæ, quæ eidem in Lectionariis ſuis ob eandem cauſam locum non faciebat, in hanc ſententiam abripi ſe patiebantur.

Inter teſtimonia, quæ Paulo epiſtolam vindicant, *Clementis Alexandrini* locum habere non diffitetur Annotator ex *Euſebio* l. c. cap. 14. eadem vero opera illud deprimit, ex eo, quod à Paulo primum Hebraice ſcriptam deinde vero à *Luca* Græce translatam affirmat. Hoc vero omne *Clementis* ignorantiæ tum Hebraici, tum Græci ſermonis acceptum ferri debere contendit. Largiamur hoc, quamvis nonnulla excipi poſſint. Poteſtne enim error *Clementis*, qui ad linguam, qua ſcripta eſt epiſtola, ſpectat, efficere, ut teſtimonium ejus pro auctore epiſtolæ ipſo pro nullo vel levi habeamus? Sane ille uno poſt ſcriptam epiſtolam ſæculo vivebat, imo vero in *Palæſtina* & aliis Orientis partibus commoratus erat, atque adeo præſtantiſſima traditionis documenta in hoc argumento comparare ſibi poterat. Præterea vero ſententiam ſuam dicit, non *in calore diſputantis*, aut alia ejusmodi occaſione conſtitutus, qua permoveri poterat, ut præclarius, quam res ipſa permitteret, de ea judicaret. Non mitius aut æquius Annotator cum reliquis antiquitatis teſtimoniis agit, exclamans: *Quod ad reliquos Scriptores Eccleſiaſticos attinet*, Clementis *ætate inferiores, illi quidem vel* Clementem *exſcribunt, vel à ſe invicem ita diſſentiunt, ut alii epiſtolam* Lucæ, *alii* Barnabæ, *alii* Apolloni *tribuant, atque adeo teſtimonium ſuum omni pondere deſtitutum ſiſtant*. In his callide quidem agit, teſtimonia illa ſigillatim appendere non auſus, conſciusque ſibi, omnem illam Scriptorum ſeriem, ſi paucos exceperis, Paulo omnino tanquam Auctori adſcribere, quamvis in eo diſſentiat, quisnam transtulerit, aut Græcam, qualis nunc eſt, fecerit. Hic vero diſſenſus teſtimonium eorum, quod ad cauſæ caput ſpectat, adeo non elevat, ut potius pondus afferat. Argumento enim eſt, eos Clementis Alexandrini exſcriptores non fuiſſe, ſed ſuum ſecutos eſſe judicium.

Audacius idem agit, quando Patres, ad conjecturam ſuam juvandam, eo ait proceſſiſſe, ut ipſa Scriptoris verba X. 34. corrumperent. Ibi ſcilicet legimus: *τοῖς δεσμοῖς μὴ συνεπαθήσατε*. Codices nonnullos pro iis habere; *τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε*, obſervatum eſt ab aliis, & à *Millio* quoque, qui & ipſe *τὸ μὴ ab aliquo additum haud dubitat, qui vincula hæc, ut & ipſam epiſtolam Pauli eſſe volebat*. Ponamus, *τὸ μὴ* à librario aliquo eſſe additum; quod *Millius* ait, num crimen hoc in Patres aut Scriptores Eccleſiaſticos transferri poteſt? Vide tu, quæ infra ad h. l. ſcribentur.

Annotator præterea obſervat, eruditum quendam Anglum, (is vero eſt *Jo. Pearſonus*) argumentum petere ex *Hebr.* XIII. 23. ubi Timotheus frater appelletur. Hoc fere ridiculum putat, cum Timotheus etiam aliis, præter *Paulum*, notus & familiaris eſſe potuerit. At ſi verba l. c. expendamus, talia omnino nobis videbuntur, quæ, judice *Pearſ.no*, nec à *Barnaba*, nec à *Clemente*, nec à *Luca*, de Timotheo ſcripta cenſeri poſſint: *γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον, μεθ᾽ ȣ̓, ἐὰν τάχιον ἔρχηται, ὄψομαι ὑμᾶς.* Num illa nudam aliquam amicitiam, nec potius auctoritatem quandam in *Timotheum*

*um*

*um* ejuſque conſilia inferunt? Non veri eſt ſimile, ***Barnabam*** id ſibi in ***Timotheum***, Pauli filium ſpiritualem, Apoſtolo adhuc ſuperſtite, & res ejus moderante, ſumſiſſe. Multo minus etiam probabile eſt, ***Clementem***, aut ***Lucam***, Timothei ſub Paulo ſocios, Timotheo quicquam præſcripturos, ipſumque adeo iter ejus ſimpliciter promiſſuros fuiſſe.

His exceptionibus vel criminationibus tot veterum Doctorum teſtimonia valide opponi poſſe recte obſervat *Twelſius*, quæ ſummatim ab eo repetita in limine epiſtolæ ad Hebræos apud *Millium* legi poſſunt. Inter hæc vero idem ***Origenis*** teſtimonium, quod Annotator pro ſua ſententia adduxerat, diligentius vindicat, oſtendens, eum non epiſtolam ipſam quod ad ſententias rerum Paulo abjudicare, ſed has ipſi tribuere; ſtilum vero & ſtructuram alii acceptam ferre. Verba apud ***Euſebium*** VI. 25. Hiſt. Eccleſ. ita habent: *Ὅτι τὰ μὲν νοήματα τȣ̃ Ἀποςόλȣ ἐςὶν, ἡ δὲ φράσις, καὶ ἡ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντός τινες τὰ ἀποςολικὰ, καὶ ὡσπερεὶ σχολιογραφήσαντος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τȣ̃ διδασκάλȣ. εἰ δέ τις ȣ̓ν ἐκκλησία ἔχει ταύτην ἐπιςολὴν ὡς Παύλȣ, αὕτη εὐδοκιμείτω καὶ ἐπὶ τȣ́τῳ· ȣ̓ γὰρ εἰκῆ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παύλȣ αὐτὴν παραδεδώκασι. τίς δὲ ὁ γράψας τὴν ἐπιςολὴν, τὸ μὲν ἀληθὲς Θεὸς οἶδεν.* Ex his ſane intelligitur, epiſtolæ ipſius argumentum & ſententias Paulo, ex veterum traditione, tribui, Interpretis autem nomen ut incertum ab Origene declarari. Et niſi ita ***Origenes*** cenſuiſſet, quomodo in ep. ad Africanum ſcribere poterat ſequentia: *Εἰκός τινα θλιβόμενον ἀπὸ τῆς εἰς ταῦτα ἐπιδείξεως συγχρήσασθαι τῷ βȣλήματι τῶν ἀθετȣ́ντων τὴν ἐπιςολὴν, ὡς ȣ̓ Παύλῳ γεγραμμένην· πρὸς ὃν ἄλλον λόγον κατ᾽ ἰδίαν χρῄζομεν εἰς ἀπόδειξιν τȣ̃ εἶναι Παύλȣ τὴν ἐπιςολήν.* Omitto alia ***Origenis*** loca, in quibus hæc epiſtola ſub Pauli nomine diſertè aſſertur, à *Millio* l. c. producta.

Idem *Twelſius* canonicam epiſtolæ auctoritatem porro ex eo probat, quod ab Orientalibus Eccleſiis inde a tempore Inſpirationis recepta fuit. Scripta illa fuit ante A. D. LXX. quia mentionem facit tabernaculi, cultus ritualis & Levitici, tanquam tunc adhuc ſubſiſtentis. Imo *Clemens* Romanus ante illud deſtructum ipſa epiſtolæ hujus verba in hanc rem citat in epiſt. ad ***Epheſios***, quamvis ſine appellato ejus nomine, quemadmodum nec alios N. T. libros, qui nunquam in dubium vocati ſunt, nominatim appellat. Ex quo conjectura fieri poteſt, ipſam Eccleſiam ***Romanam*** eam primum ut Canonicam agnoviſſe, quamvis ſententiam ſuam deinde mutarit, cum hæreſes quædam ſub umbra ejus latere ſibi poſſe viderentur. Hinc ***Theodoretus*** in præfat. ad commentarium in hanc epiſtolam profitetur, Eccleſias inde ab Apoſtolica ætate fructum ex ea cepiſſe. *Ἐξ ȣ̓ γὰρ τῶν Ἀποςολικῶν γραμμάτων αἱ τȣ̃ Θεȣ̃ μετέλαβον ἐκκλησίαι, ἐξ ἐκείνȣ καὶ τῆς πρὸς Ἑβραίȣς ἐπιςολῆς τὴν ὠφέλειαν καρπȣ̃νται.* Ad hæc accedit, quod epiſtola hæc æque ac reliqui libri N. T. Canonici in antiquiſſimis & celebratiſſimis verſionibus, ***Italica*** ſcilicet ſeu ***Latina***, & ***Syriaca*** exſtiterit.

ſtiterit. Prior harum docere videtur, quod Romana & reliquæ Occidentis Eccleſiæ, ante ortam *Montaniſtarum* hæreſin, nihil inter hanc & reliquas Apoſtoli epiſtolas diſcriminis eſſe ſtatuerint. Alioquin enim credi vix poteſt, locum illi in hac Verſione conceſſum fuiſſe, ſi jam eo tempore pro apocrypha habita & ex Lectionariis amota fuiſſet. *Syriaca* vero translatio teſtatur, Eccleſias, *Palæſtinæ* vicinas, eam ut non dubiam inter germana N. T. monumenta numeraſſe.

His ita diſputatis *Twelſius* reſpondet ad dubia, quæ ab eodem Annotatore in *γνησιότητα* & Canonicam epiſtolæ auctoritatem ex IX. 16. X. 5. & XI. 21. mota ſunt. De his infra ſuis locis dicemus. Ultimo loco id quoque in rem ſuam verterat, quod Scriptor ejus *Philone* uſus ſit. Fieri id per ætatem potuiſſe non negat *Twelſius*, vere autem id factum, non ſolum *non certum*, ſed & *non probabile* eſſe pronunciat. Duo enim Scriptores ejusdem *ætatis* & *inſtitutionis*, iisdem præterea *principiis* inſiſtentes, & eadem argumenta tractantes, ſæpe res ſibi invicem ſimillimas tradunt, quamvis alter alterius commentationem non conſpexerit. Atque ita res habet de Scriptore epiſtolæ hujus, & *Philone*. Præterea Apoſtolus ſæpe a *Philone* aliqua mutua ſumſiſſe ſupponitur, quæ uterque vel Veteri Teſtamento, vel aliis ſcriptis debent. Mirum quoque videri non debebat Annotatori, quod nullus Apoſtolorum *Philonis*, nec *Philo* vel Meſſiæ vel Apoſtolorum ejus mentionem fecerit. Num enim Apoſtoli unquam Scriptorum ſibi æqualim meminerunt? Et quæ ratio eſt, cur *Philonis* debuerint meminiſſe? Quod ad *Philonis* ſilentium attinet, id quidem Hiſtoriæ Evangelicæ fraudi eſſe non poteſt. Primo enim non conſtat nobis, *Philonem*, religionem Chriſtianam cognitam habuiſſe, cum libros, quos ipſi debemus, ſcriberet. Incerti de ea nuncii *Alexandriam* perferri poterant, *Philone* ſuperſtite: Evangelium vero ibi non ante prædicatum fuiſſe, quam Marcus eo veniret, omnis teſtatur antiquitas. Quo id anno acciderit, definiri vix poteſt: poſt ſcriptum vero Evangelium factum eſſe, dubitari nequit. Hoc vero ſcriptum eſt, teſte *Irenæo* III. 1. poſt *exodum* Petri & Pauli. Per eam *exodum* utrum mors Apoſtoli utriusque, an diſceſſus ab urbe *Roma* intelligi debeat, inter eruditos eſt diſputatum. Si prior intelligenda ſit, concio Evangelii non ante A. C. LXVIII. vel LXIX. in Ægyptum deferri potuit; ſi poſterior, Marcus non ante A. C. LXIV. Chriſtum ibi notum fecit. Ponamus poſterius, tanquam exceptioni minus obnoxium, & videamus, quos ætatis annos tunc temporis Philonem habuiſſe neceſſe ſit. Quod ſi apparuerit, Philonem tunc non amplius vixiſſe, cum Chriſtiana religio prædicaretur; aut, ſi vixerit, a ſcribendo abſtinuiſſe; aut, ſi a ſcribendo non penitus abſtinuerit, perpauca ſcripſiſſe; mirum non videbitur ejus de Chriſto ejusque Apoſtolis ſilentium. Jam *Philo* in limine libri de *Legatione ad Cajum* ſe ipſum inter *γέροντας* numerat, & in libro ipſo pag. 1018. majorem ſibi cognitionem præ ſociis ſuis *δι' ἡλικίαν, per ætatem*, ſcilicet provectiorem, tribuit. His vero ex loco quodam Hippocratis à Philo-

ne

ne de Mundi opificio pag. 24. allato, patet, nemini ἡλικίαν tributam eſſe ante annum ætatis LVI. Hac igitur ætate Philonem fuiſſe neceſſe eſt, eum Legationem illam ad Cajum obiret, quamvis fortaſſe plures etiam annos habuerit, quod maxime veri ſit ſimile. Neque enim gravitas & modeſtia Philonis, aliunde cognita, patitur nos credere, quod ſapientiæ prærogativam, quæ ætati provectiori propria eſt, tribuere ſibi, in limine ejusmodi ætatis conſtituto, voluerit. Sexagenarium itaque fuiſſe merito credemus, cum Legationi Judæorum Alexandrinorum ad Cajum capitis inſtar præeſſet. Hanc vero Annotator noſter in A. C. XXXIX. collocat. Ab hoc tempore usque ad prædicationem *Marci* Evangelicam in Ægypto XXV. anni excurrerunt, qui, ſexaginta illis aditi, ætatem Philonis eo tempore, quo Chriſtiana religio in Ægypto tradi cœpit, ad annos LXXXV. perducunt. Itaque mirari non debemus, quod *Philo Chriſti* aut Apoſtolorum ejus mentionem non faciat, niſi mirari eadem opera velimus, quod *Philo* LXXXV. annos natus non vixerit, aut libros exararit Annotator quidem opinatur, Philonem Chriſtianæ religionis notitiam diu ante Marci in Ægyptum adventum, eo tempore, quo Romæ ad *Caligulam* & *Claudium* legatione perfunctus eſt, hauſiſſe. Hoc vero nullo modo veri eſt ſimile. Legationem enim ad Caligulam A. C. XXXIX. obiit, atque adeo ante, quam *Romæ* Chriſtianus ullus, vel ſaltem plures Chriſtiani exiſterent, qui certi quid de hac doctrina ad ipſum perferre poſſent. Altera vero illa ad *Claudium* legatio admodum dubia eſt. *Euſebius* enim, primus ejus Auctor, nihil aliud ait, quam λόγος ἔχει, *ita fertur;* imo vero fidem rei elevat, addens, *Philonem* tunc familiariter cum *S. Petro* eſſe verſatum, qui ſane ſecundum exactiſſimum annorum computum Romam ante primum Neronis annum non venit. Vide *Antonii Pagii* Criticam Vol. I. pag. 37. Et ſane tota *Euſebii* Chronologia, quatenus ad hæc tempora ſpectat, nimis anticipata eſt, eo conſilio, ut fidem faceret opinioni ſuæ falſiſſimæ, quod Philonis Therapeutæ Chriſtiani fuerint, S. Marci opera ad veritatis agnitionem perducti. Veri itaque ſimillimum eſt, Philoni Chriſtianiſmum parum fuiſſe cognitum, atque adeo ſilentium ejus nemini mirum videri debere. Neque tale etiam videri debebat, ſi vel maxime illum cognitum habuiſſet. Nam ne Sectarum quidem, quæ inter ſuos erant, omnium meminit. Tres enim earum erant Philonis tempore, nempe *Sadducæorum*, *Phariſæorum* & *Eſſenorum*. Ex his *Eſſenos* tantum commemorat, cum tamen ceteræ illæ & illuſtriores eſſent & antiquiores, Philonique non adeo incognitæ.

Fuſius hæc ex *Twelſio* excerpenda putavi, eo quod potiora, quæ huc pertinent, argumenta non ſolum in compendio ſiſtunt, ſed & adverſus diſſentientes muniunt, ſpeciatimque *Philonis* de Chriſto & Apoſtolis ſilentium, quod multos ſuſpenſos & ancipites tenuit, alios vero in Chriſtianam religionem injurios reddidit, eo modo amolitur, quo ab aliis id factum eſſe non memini.

 Sunt

Sunt interim alia quædam argumenta, quæ epiſtolam hanc Paulo abjudicare nonnullis viſa ſunt. Ea cum ab aliis, quos dixi, profligata ſint, non repetam. Unum tamen non omittam, quod inprimis urgeri ſolet, nempe, quod Paulus præter morem nomen ſuum omiſerit. Ad illud autem *Clemens Alexandr.* apud *Euſebium* Hiſt. Eccl. VI. 14. jam reſpondit, ideo id factum tradens, ne nominis mentio legentes ab agnoſcenda veritate averteret. Eandem rationem reddit *Caſſiodorius* in Complexionibus pag. 88. *Prima enim fronte nomen ſuum ideo velavit Hebrais, ne propter odium perſonæ ſuæ cæleſtem non reciperent ſoſpitatem.* Vide ibi illuſtris *Maffeji* notas pag. 244. Rev. *Zeltnerus* in Diſſertatione de *Bircath Hamminim*, ſeu fragmento Pauli quondam perverſi ἀθεοπνεύστῳ pag. 80. alia ratione ita: *Cum enim ad Hebræos Palæſtinos, & quidem imbecilliores potiſſimum, ſcribenti non convenire videretur peregrina* Pauli *adpellatio; iisdemque* Pauli *nomen Latinum haud cognitum eſſet, nec Hebræum* Paulo *amplius uſitatum:* Samuelis, (quo ſcilicet olim in Judaismo appellatum fuiſſe putat,) *vero adſcititium uſurpare ipſummet Apoſtolum vitæ quondam actæ memoria atque religio prohiberet; ſatius eſt illi viſum, noſtra quidem ſententia id plane reticere, & ad res conſiderandas potius, quam Scriptorem, Dei miniſtrum,* τοὺς νεοφύτους *manuducere.* Et ſane aliam omiſſi nominis cauſam, quæcunque tandem fuerit, fuiſſe neceſſe eſt, quam quæ in eo quæritur, quod illius commemoratio epiſtolæ ipſi, veritatique in ea traditæ, præjudicio eſſe potuerit, cum illa non ad Judæos, ſed ad Ex-Judæos ſcripta eſſet.

De argumento, quod non ſine veri ſpecie ex cap. II. 3. ducitur, ad ipſum locum dicemus.

Qui Pauli eſſe negant, illi quidem nunc *Barnabæ*, nunc *Lucæ*, nunc *Clementi Romano*, nunc *Apolloni*, de quo *Actor.* XVIII. 24. adſcripſerunt. Patronos harum ſententiarum recitat *Fabricius* noſter in Bibliotheca Græca lib. IV. Bibliothecæ Græcæ, cap. V. pag. 161. *Lucæ* eſſe cum *Boberello* nuper affirmavit *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 98. *Appolloni* poſt B. *Lutherum* in Poſtilla Eccleſ. Feſt. S. Joannis Evangel. pag. 44. & diſertius Commentar. in Geneſ. XLVIII. fol. 710. vindicare præ aliis conatus eſt Celeb. *Heumannus* in Schediaſmate de libris Anonymis & Pſeudonymis pag. 39. ſqq. iterumque in Pœcile Tom. II. lib. II. pag. 169. Conſentit *Joannes Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. IV. pag. 410. & in Hiſtoria Eccleſiaſtica pag. 459. & *Laurentius Müllerus* in ſingulari Diſſertatione, Schleuſingæ 1717. edita. *Heumannus* in Pœcile loc. cit. pag. 170. monet, *Clericum* non voluiſſe videri alienam ſequi ſententiam, ideoque non laudaſſe libellum ſuum (de Anonymis) quem tamen Tom. XXV. Bibliothecæ Selectæ pag. 395. recenſuerit. At, quod pace ejus dixerim, *Clericus* jam Tom. IV. Bibliothecæ Selectæ Anno 1704. editæ, pag. 410. hujus conjecturæ ſuæ indicium fecerat ante, quam *Heumanni* ille liber anno 1711. prodiret. Ibi enim poſtquam *Græcum* aliquem Alexandrinum auctorem dixerat, in margine nominatim *Appollonem* appellat.

Interim

Interim non perſuadet ſententiam vir doctiſſimus. Argumentum ejus ex eo repetit, quod *Apollos Actor.* XVIII. 24. 28. dicatur δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, qui Judæos etiam διὰ τὰς γραφὰς convicerit, ἀνὴρ item λόγιος, ſeu *eloquens*, monetque, talem ſe Scriptorem hujus epiſtolæ probare. Hoc vero efficit quidem, Apollonem eam ſcribere potuiſſe, ſcripſiſſe, non item. Altero loco poſt *Grotium* id urget, quod Scriptor in *Philonis Alexandrini* lectione verſatus fuerit, idque de *Appollone*, cive Alexandrino, minime mirum ſit. Recogitet hic lector ea, quæ de hoc argumento paulo ante ex *Twelſio* attulimus, & hoc ipſum nun ſolum incertum, ſed & minus veriſimile eſſe fatebitur. Hæ ſunt rationes, quibus vir doctus ſententiam ſuam ſuperſtruit. Illi autem majori veri ſpecie opponi poſſe exiſtimen veterum de *Apollone* hac in cauſa ſilentium, quibus tamen *Apollos* non minus notus erat, quam *Lucas*, *Baruabas* & *Clemeus Romanus.* Si qua *Apollonis* ſcriptio extaret, ex qua de tractandi vel ſcribendi ratione, ipſi alias recepta, conſtare poſſet, fortaſſe conjectura hæc ornari magis poterat. Cum vero nihil ejusmodi detur, eam firmari amplius poſſe vix crediderim. Obvertit ab altera parte vir doctus, cum *Eraſmo*, differentiam à phraſi Paulina in aliis ſcriptis Apoſtoli obviam. Hic videri velim, quæ *Spanhemius* & *Langius* ll. cc. in contrarium attulerunt. Mihi ſane parentheſes in epiſtola ad Hebræos æque ac in aliis ejus epiſtolis dominari videntur, ut de ablegationibus ad reconditos Veteris Teſtamenti typos, quos hic inprimis urget, taceam, cujusmodi in epiſtola ad *Galatas* v. c. de *Agar* & *Sina* dari nemo negaverit. Taceo paronomaſias, ad quas ſupra jam provocavi, & δυσνόητα quædam, qualia in epiſtola ad Romanos non minus dantur. De loco epiſtolæ ad *Galatas* II. 3. qui obvertitur, infra dicemus. De omiſſâ nominis Paulini mentione modo diximus. Denique pag. 43. ita ſcribit: *Sed nec illud animadverſione eſt indignum, quod* Timotheus, *cujus tanto flagrabat amore Apoſtolus, ut nunquam eum nominarit, niſi adjecto encomio, in epiſtola ad* Hebræos (XIII. 23.) *cum ſimplici* ἀδελφοῦ *nomine commemoratur; ut hinc quoque colligere in proclivi ſit, alium quemvis, quam Paulum, eam ſcripſiſſe.* Compara hæc cum aliis epiſtolarum Paulinarum locis, & judica, an non Paulus Timotheum alias ſimplici ἀδελφοῦ nomine appellarit. Sic 2 *Corinth.* I. 1. & *Coloſſ.* I. 1. Παῦλος Ἀπόστολος, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός. 1 *Theſſalon.* III. 2. Καὶ ἐπέμψαμεν Τιμόθεον τὸν ἀδελφὸν ἡμῶν, ubi quæ adduntur, καὶ διάκονον τοῦ Θεοῦ, καὶ συνεργὸν ἡμῶν, non tam encomium aliquod, quam officii mentionem inferunt, quam Apoſtolus etiam alias, ubi de aliis ſermo eſt, facere conſuevit. Denique *Philemon.* 1. Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφός. Rectius ſane *Whitbius* in præfatione ad Commentarium in hanc epiſtolam ſimplicem hanc Timothei, tanquam fratris, appellationem in argumentum vertit, quo inter cetera conſtare poſſit, Paulum epiſtolæ hujus eſſe Scriptorem.

*Hebraice* ne an *Græce* Paulus ſcripſerit, diſputatum eſt. Prius illud veterum nonnulli affirmarunt, atque adeo de Interpretibus Græcis nunc *Luca*, nunc

nunc *Clemente* Romano, nunc ignoto aliquo, ut *Origenes* loco ſupra allato, cogitarunt. Sententiæ hujus origo ex eo repetenda mihi videtur, quod convenientius illis viſum eſt, ut Paulus ad Hebræos ortu Hebraice etiam ſcripſerit. Quæ quidem ratio ut per ſe infirma eſt, ita tanto minus hoc loco valet, quod Ex-Judæi, hinc inde diſperſi, Græcæ Linguæ ea ætate peritiores erant, quam Hebraicæ, inprimis ejus, quæ purior eſt & Biblica. Præterea Syriace potius vel Syro-Chaldaice Paulus ſcripſiſſe exiſtimandus erat, cum hanc dialectum illa ætate inter Judæos receptam fuiſſe, ex Novi Teſtamenti tabulis pateat. Ceterum lege, quæ pro Græca lingua, tanquam originali, dixerunt *Spanhemius* in libro de Auctore epiſtolæ ad Hebræos, Part. III. cap. 2. & *Millius* in Prolegomenis. §. 95. Huic tamen, cave, fidem in eo habeas, *quod ex plurimis Veteris Teſtamenti, quæ in hac epiſtola paſſim adducta ſunt, teſtimoniis, ne quidem unum aliquod* exſtare putat, quod non expreſſum ſit ad verſionem LXX. Interpretum. Aſſertum hoc, & nonnulla alia in epiſtolam hanc injuria recte caſtigavit Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum p. 548. ſq. ubi in limine loca nonnulla ſummatim affert, in quibus Apoſtolus à τοῖς LXX. diſcedit. Talia & nos infra paſſim notabimus. Inter cetera argumenta, quibus conſtare poſſit, qua lingua ſcriptus ſit liber; paronomaſiæ, quas verſiones vel difficulter vel obſcure ut plurimum adſequuntur, non ultimum præbere merito exiſtimantur. Talium vero amantem eſſe Paulum epiſtolæ ejus oſtendunt, ex quibus exempla ſummatim poſt *Piſcatorem* repræſentat *Suicerus* Tom. II. pag. 658. Talia etiam in hac epiſtola exſtare ſuis locis monebo. Vide v. c. V. 8. 14. VII. 3. XI. 37. &c. Idem apparet ex uſu vocis διαθήκη, quando ad Teſtamentum ſignificandum IX. 16. adhibetur. Illa enim ſignificatio voci Hebraicæ ברית in Vet. Teſtam. nunquam tribuitur; adeoque obſcura erat Apoſtoli oratio, ſi Hebraice ſcripſiſſet. Vide, quæ ad illum locum dicentur. De verſione hujus epiſtolæ Hebraica à *Münſtero* edita, & nova illa *Friderici Alberti Chriſtiani*, Ex-Judæi, vide, quæ Vol. II. Bibliothecæ Hebrææ pag. 418. & Vol. IV. in Supplementis dixi.

Ad *Hebræos* ſcriptam eſſe epiſtolam ἐπιγραφὴ ipſa, & veteris Eccleſiæ conſtans conſenſus teſtatur. Per eos, cave, intelligas homines in Judaiſmo conſtitutos, quod vir quidam doctus opinari videtur. Tota enim epiſtolæ ſeries, & inprimis extrema ejus capita oſtendunt, Apoſtolo rem eſſe cum iis, qui in Chriſtiana religione firmandi potius & contra adverſariorum, inprimis judaizantium, inſultus muniendi, quam ad eandem perducendi erant. Atque id ipſum nomen Hebræorum infert, quod alioquin cum *Judæorum* illo permutandum erat. Recte hanc in rem *Salmaſius* de Lingua Helleniſtica pag. 237. *Nec enim* ἑβραΐζειν *&* ἑβραϊσμὸς *de religione dicitur, ut* Ἰουδαΐζειν *&* Ἰουδαϊσμὸς, *ſed de genere. Sic cum opponuntur in Scriptura* Ἰουδαῖοι *&* Ἕλληνες, *reſpectu religionis eos opponi certum eſt. Alioquin ſi natale ſolum ſpectatur, multi etiam Judæi* Ἕλληνες *fuere, utpote in Græcia nati, & à loco originis ſuæ,*

*ut*

*ut ſupra notavimus, appellati. Ea de cauſa Paulus, cum ad fideles Judæos ſcriberet, non inſcripſit epiſtolam ſuam* πρὸς Ιȣδαίȣς, (*hoc enim nomine* πρὸς τὺς Ιȣδαΐζοντας *ſcripta potuiſſet videri*) *ſed* πρὸς Ἑβραίȣς. *Quo nomine gentili Judæos jam Chriſtianos, & non amplius judaizantes intellexit.* Quæ ut certa ſunt, ita minus exploratum eſt, ad quos Hebræos vel Ex-Judæos exarata ſit, utrum ad *Hieroſolymitanos*, an ad alios, per *Aſiam*, *Macedoniam*, *Græciam* &c. diſperſos. Prius placuit hactenus plerisque, v. c. *Jacobo Cappello*, *Joanni Braunio* in Selectis Sacris pag. 144. ſq. & *Millio*, quamvis hic ſententiam nonnihil temperet, in Prolegomenis §. 83. ita ſcribens: *Per Hebræos autem, iſtos* potiſſimum fideles Hieroſolymitanos *intelligit, apud quos ante duos annos verſatus fuerat.* Poſterius ſe probavit *W. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 318. Rationes ita ſentiendi has habet. In illis, quas diximus, regionibus tot fere annos exegerat Paulus, quot hebdomades confecerat Hieroſolymis, quæ urbs præterea longius remota erat, cum illarum regionum civitates parum a ſe invicem eſſent ſejunctæ. Præterea ad illas regiones iterum proficiſci conſtituerat Apoſtolus, quod patet ex epiſtolis ad *Philippenſes*, *Coloſſenſes* &c. eodem, quo hæc, tempore ſcriptis: de Hieroſolymis vero iterum adeundis, vel poſtea ſalutatis, nihil usquam vel in epiſtolis ejus vel in antiquitate alias traditur. Accedit denique, quod neceſſe ſit, Paulum ad eos Ex-Judæos ſcripſiſſe, quibus *Petrus* ſuas inſcripſerat, quod patet ex hujus epiſtola poſteriore III. 15. Jam vero Petri epiſtolæ datæ erant ad Ex-Judæos in *Aſia*, *Ponto*, *Galatia*, *Cappadocia*, & *Bithynia*, quos locos omnes Paulus adierat, cum Epheſi & circa Epheſum verbum Evangelii per triennium prædicaverat. Per illam porro epiſtolam, a Petro laudatam, non alia, quam hæc ad Hebræos, intelligi poteſt, cum nulla alia Paulo tribuatur, Hebræis ſpeciatim inſcripta, & illa quoque in eam cadant, quorum *Petrus* loc. cit meminit, v. c. δυσνόητα, & quæ ad longanimitatem Dei, tempus adventus Chriſti differentis, ſpectant, de qua Paulus X. 35-37. Non inconvenienter hæc ita dici exiſtimo. Conf. infra ad XIII. 19.

Accedit his locus VI. 10. ubi Deus dicitur non immemor eſſe amoris Hebræorum, quem præſtiterint, Sanctis opem ferentes. Hæc enim cum v. c. de eleemoſynis & largitionibus, in uſum pauperum collatis, accipi debeant, ſane in Hieroſolymitanos cadere non poſſunt, quos reliquæ Pauli epiſtolæ ita comparatos fuiſſe teſtantur, ut Eccleſiæ Galaticæ, Macedonicæ, Corinthiæ & Antiochenſes inopiæ eorum ſubvenire neceſſe habuerint, tantum abeſt, ut Hieroſolymitani hanc vicem aliis præſtare potuerint, aut præſtiterint. Ex Actis quidem Apoſtolicis id conſtat, quod ſub primam Chriſtianæ religionis originem pecunioſiores opes ſuas in communem uſum contulerint; at ſequenti tempore egeſtas eorum aliorum liberalitate ſublevari debebat. Itaque in eos verba Pauli vix cadunt, quando heic eos Sanctis *adhuc miniſtrare* h. e. ſuccurrere affirmat.

*Locum* & *tempus* ſcriptionis definit *Millius* in Prolegom. §. 83. *Interea mox ut è carcere evaſit Apoſtolus, receſſit in ulteriorem aliquam Italiæ partem, ibique ſcripſit Epiſtolam ad Hebræos. - - - Et quidem ad Jacobi martyrium, ceterorumque, qui durante, quæ ex morte Feſti contigit, per tempus aliquod ἀναρχίᾳ, anno Aeræ Vulg. LXII. Neronis VIII. ob Chriſti fidem trucidati erant, reſpexiſſe auctorem epiſtolæ hujus, nullus dubito, motus verbis iſtis*: Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. cap. 13. v. 7. *Illud nempe monet, ut fortiter perſeverent in fide ad exemplum Jacobi, aliorumque quorundam fratrum, quos forti nuper ac intrepido animo mortem obeuntes conſpexiſſent. Scripta eſt epiſtola ex Italia, quod notant librorum multorum ὑπογραφαὶ, loco aliquo ultra Romam, ubi plurimos ad fidem convertiſſe videtur Apoſtolus: unde & Hebræos ſalutat nomine τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας.* Ex his *Millius* tempus ſcriptionis in A. C. LXIII. refert recte quidem, quod ex Annalibus Paulinis plerique omnes patere putant. Ante deſtructum Templum, atque adeo ſacra Levitica abolita, exaratam eſſe, patet ex IX. 9. ubi vide quæ ſcribentur. Quod vero idem per τῆς ἡγεμένης ad Jacobum Hieroſolymorum Epiſcopum, tanquam nuper violenta morte abrepum, reſpici putat, in eo vereor, ne fallatur, ea ſcilicet perſuaſione abreptus, quod epiſtola ipſa ad Ex-Judæos Hieroſolymitanos potiſſimum ſpectet. De eo enim recte dubitari ex modo dictis apparet. Taceo, verba Pauli XIII. 7. nihil admodum habere, quod de doctoribus Hebræorum, religionis cauſa trucidatis, cogitare nos jubeat. Jubentur enim Hebræi meminiſſe eorum, & doctrinæ ab illis traditæ, imitari fidem, & recogitare vitæ exitum. Hic vero de conſtantia in fide, usque ad vitæ finem probata, æque recte cogitatur, quam de eadem martyrio obſignata, præcipue, cum nihil in hoc quidem capite antecedat, quod ad patientiam, in adverſis atque adeo ipſo martyrio probandam, cohortetur. Ponamus tamen de Doctoribus, religionis cauſa ex vita ſublatis, ſermonem eſſe, ἡγέμενοι convenientius de Doctoribus plurium Eccleſiarum, quam unius Hieroſolymitanæ accipientur.

*Scopum* Apoſtoli ſcribentis eum tantum non omnes fuiſſe cenſent, ut Ex-Judæos ad conſtantiam in agnita Evangelii veritate probandam cohortaretur, quo fine primum quidem de perſona Θεανθρώπε, hinc de officio ejus mediatorio, ac denique de Chriſtianorum officiis commentetur. Atque hæc nexui totius epiſtolæ adprime reſpondere exiſtimo. Aliam interim viam nuper ingreſſus eſt doctiſſimus *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 904. *Ejus enim judicio propoſitio epiſtolæ eſt*: Jeſus Nazarenus eſt verus Deus. *Quam theſin*, (Ita pergit,) *ut Judæis perſuaderet, non niſi tribus argumentis probat, quia Chriſtus melior eſt Angelis, melior Moſe, melior Aarone. Hæc argumenta quod non omnibus eodem modo tam clara & perſpicua fuerunt, variæ ſunt rationes. Et primo quidem diſtinctio in capita magnum affert impedimentum,*

*quo*

*quo minus ſingula clare adpareant. Is enim, qui hanc capitum diviſionem medio ævo ſuſcepit, in ſacris literis non admodum exercitatus fuiſſe videtur. Deinde quod non obſervarunt, Apoſtolum poſt ſingulorum argumentorum tractationem ſtatim quoque uſus, quos vocamus, ſive adplicationem & adhortationem ſubjunxiſſe. Culpa hæc non in Apoſtolo, ſed in lectoribus, non ſatis attendentibus, poſita eſt. Denique. quod rationes probandi, quæ magnam partem Judaico more, ut in epiſtola ad Galatas, & κατ' ἄνθρωπον inſtituuntur, non ſufficienter perſpectas habuerint, in ſcriptis Judæorum non admodum exercitati.* Qua quidem in re idem Apoſtolum in mente habuiſſe putat priſcam Judæorum traditionem, quæ exſtat in *Tanchuma*, citante *Jalkut Schimoni* Part. II. fol. 53. 3. ad *Jeſ.* LII. 23. Ecce ſapienter aget ſervus meus. זה מלך המשיח. *Intelligitur Rex Meſſias.* Extolletur & elevabitur valde. *Extolletur ultra Abrahamum, & elevabitur ultra Moſen, & ſublimis erit* ממלאכי השרת *præ Angelis miniſterialibus.* Ea tamen hic eſt differentia, quod *Abrahami* loco *Aaronem* ſubſtituerit. Addit denique rationem, cur his tribus argumentis ad Judæos de divinitate Meſſiæ convincendos uſus ſit, quia ſcilicet Judæi Angelis, Moſi & Aaroni magnam excellentiam tribuant. Hæc quidem expendenda aliis relinquo, quibus diſpiciendum fuerit, num commode ad tria illa momenta tota Apoſtoli tractatio referri poſſit. Id inprimis admodum me ſuſpenſum tenet, quod perſuadere mihi vix poſſim, Apoſtolum Deitatem Chriſti his tribus argumentis ſuperſtruere voluiſſe. Nec ſuffecerit, regerere, *κατ' ἄνθρωπον* tantum diſputari. Deinde vir doctus præſtruere videtur, quod & ipſæ annotationes hinc inde præ ſe ferunt, epiſtolam hanc ad Judæos, nondum converſos, quibus *verus de Meſſia noſtro conceptus formari debebat*, quod pag. 909. ait, ſcriptam eſſe. Id vero nemo, credo, admiſerit. Video interim *L. M. Artemonio* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto idem de tribus his epiſtolæ argumentis perſuaſum fuiſſe pag. 98. & 238. Poſteriore loco ita ſcribit: *Obſervavimus ſupra* pag. 98. *divinum auctorem tribus primis hujus epiſtolæ commatibus Dei Filium Angelis, Moſi & Aaroni jam compendioſe anteferre, quod in ſequentibus prolixius exſequitur.* Et pag. 239. *Præterea notum eſt, divinum Auctorem contra Judaizantes Chriſtianos in tota agere epiſtola, qui Angelos, Moſen & Aaronis ſplendidum Sacerdotium Chriſto, Evangelio ejus & Sacerdotio præferebant.* Hoc vero non eo animo moneo, ut Cl. *Schœtgenii* hypotheſin ſuſpectam reddam. Novi, aliam ipſi mentem, aliud conſilium eſſe, quam *Artemonii*, ſeu *Crellii*, qui ea tum alias ad *κυρίας* ſuas *δόξας* ornandas, tum in ipſo limine epiſtolæ ita abutitur, ut verſ. 1. pro *ἐν τοῖς προφήταις* ſubſtituere audeat *ἐν τοῖς ἀγγέλοις*.



Digitized by Google

# CAPUT I.

AD caput hoc integrum ſpectant obſervationes, quæ leguntur im frenwilligen Heb-Opfer Tom. I. pag. 391. ſqq. ubi inprimis divina Jeſu Chriſti natura ab Arianorum & Socinianorum exceptionibus vindicatur. Nec non Anonymi diſſertatio Latina de Meſſiæ divinitate contra Judæos, Arianos, Mahumedanos, & Socinianos, quæ Romæ an. 1719. 4. lucem vidit ex Typographia Vaticana. Vide Memorias Literarias Trevoltienſes an. 1521. T. I. p. 990. ſqq. quarum auctores teſtantur, germanum totius commatis ſenſum idoneæ oraculorum Propheticorum, quæ in hoc capite afferuntur, interpretationi ſuperſtrui.

Commata hujus capitis duodecim priora, quibus Sectio epiſtolica conſueta abſolvitur, illuſtrantur à *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Part. I. pag. 49. Ad eadem & ſequentia nonnulla relata quoque eſt B. *Chriſtiani Kortholti* diſputatio de Chriſto Θεανθρώπῳ, Kilonii 1679. quemadmodum idem ex variis hujus epiſtolæ locis de modis divinæ revelationis, Jenæ 1653. diſſeruit.

In novem commata prima commentatur diligenter *Robertus Gell* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 433-549.

Ad expoſitionem quinque priorum commatum pertinent *Jacobi Guſſetii* Diſputationes quinque, quæ ejuſdem Confutationi libri *Chiſſuk Emuna* pag. 461. 509. ſubjectæ leguntur.

Verſ. I. Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως] *Multipliciter, & multis modis*, ut *Eraſmus Schmidius;* multis vicibus, multiſque modis, ut *Beza*; vel, *multifariam, ac multimode*, ut *Scaliger* in Actis Schurzfleiſchii Literariis pag. 33. Phraſin ab re Muſica, h. e. a varietate partium & modorum in harmonia Muſica, petitam vult *Lambert Bos* in Obſervationibus Miſcellaneis cap. 25. pag. 109. eo quidem ſenſu, ut *Vates ſacri, divino inſtincti Spiritu, variis temporibus oracula Dei populo Judaico ceciniſſe, variis quaſi tonis & ſonis, aliquando querulo, aliquando lætiore, aliquando vehementiore & acutiore, aliquando remiſſiore tono* dicantur. Ita *Maximus Tyrius* Diſſ. XXXVII. pag. 363. Εἰ μὲν γὰρ ἐστὶ τις χρόνος βίου ἐν τῷ μακρῷ τούτῳ καὶ διηνεκεῖ αἰῶνι ἀνενδεὴς φιλοσόφου λόγου, οὐδὲν δεῖ τῆς πολυμεροῦς ταύτης καὶ πολυτρόπου μούσης τε καὶ ἁρμονίας. *Si enim ita ſe res ferrent, ut in tam longo perpetuoque ævo pars vitæ eſſet, quæ Philoſophia opus non haberet, diverſa hac multimodaque modulatione Muſica nihil opus foret.* Adplaudit *Boſio Lampius* in Exercitationibus ad Pſalm. XLV. pag. 31. *Amelius* Parte I. pag. 206. & Cl. *Joannes Alberti* in Obſervationibus Philologicis, adducto ſimili *Clementis Alexandr.* loco ex Protrept. pag.

Digitized by Google

pag. 7. ubi inter cetera : *πολύφωνός γε ὁ Σωτὴρ, καὶ πολύτροπος εἰς ἀνθρώπων σωτηρίαν.* Quidquid hujus erit, ſane *Jac. Tollius* ad Longinum *περὶ ὕψους* Sect. 39. recte in his verbis, & ſequentibus illam ſublimitatem orationis agnoſcit, quæ Scriptorum Gentilium omnem ſuperet. Quod ad *πολυμερῶς* attinet, non crediderim diverſas tantum *vices* aut *tempora*, quæ ſententia eſt *H. B. Starckii* in Notis Select. in ep. ad Hebr. p. 1. ideo, quod Hebr. vocem פרקים de temporibus uſurpant, teſte *Buxtorfio* in Lexico Talmud. col. 1841. ſed & diverſas *partes*, h. e. capita & momenta doctrinæ Evangelicæ, ſeu Fœderis gratiæ, innui, quæ ſucceſſu temporis per Prophetas ad Judæos ſint perlata. Τὸ *πολυτρόπως* vero varios *revelationis divinæ modos* infert. Horum quinque nonnulli appellant, nempe במראה *in viſione*, בחלום *in ſomnio* בחידה *in ænigmate*, cum aliud apparet, aliud innuitur, בתמונה *in figura*, cum rerum imagines apparent, ac denique בפה ſive *allocutione divina.* Vide *Fagii* notas ad Paraphraſin Onkeloſi Chaldaicam *Num.* XII. 8. Judæos gradus Prophetiæ, ſed non ſine diſſenſu mutuo, diſtinxiſſe oſtendit *Hottingerus* in Theſauro Philolog. lib. II. p. 565. ſq. & 569. ſq. & ex noſtratibus *Jo. Friſchmuthus* in diſſert. de diviſione Sacr. Scripturæ Judaica in Legem, Prophetas & Hagiographa. Adde, ſi placet, quæ olim in Biblioth. Hebr. Vol. II. pag. 130. monere me memini. Cl. *Schœtgenius τρόπους* revelationis dividit in eos, qui obtinuerint apud Patriarchas ante exitum ex Ægypto, & qui poſt illum usque ad tempora captivitatis Babylonicæ à Deo recepti ſint, poſt quæ *τρόπος*, quidem retentus ſit, ſed *μέρη* quædam ceſſarint, aliis in eorum locum ſurrogatis, quando arca fœderis, Urim & Tummim, prophetiæ quoque demum ceſſarint, Codex vero V. T. cum *Bath Kol* ſucceſſerit, donec Chriſtus rem ipſam retinuerit, ſed *τρόπον* prorſus immutarit. Ad illud *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* reſpici, quando *ἐπαγγελίαι* Patribus in plurium numero factæ dicuntur, exiſtimat *Feſſelius* in Adverſar. Sacris lib. III. c. 6. §. 1.

*πάλαι ὁ Θεὸς λαλήσας τοῖς πατράσιν ἐν τοῖς Προφήταις*] i. e. *per Prophetas.* Hebr. בנביאים ubi τὸ ב τῷ ἐν reſpondet. Cave tamen, de Hebraiſmo hic cogites cum *Vorſtio* Parte I. Philolog. Sacr. pag. 173. & aliis. Nam & externi Scriptores præpoſitionem ἐν eadem ſignificatione adhibent. Vide inprimis M. *Chriſtiani Sigiſmundi Georgii* Vindicias N. T. ab Hebraiſmis lib. II. pag. 152. Ita *Xenophon* Cyropæd. pag. 30. bis in paucis verbis uſurpat : *παρὰ ἱερὰ καὶ οἰωνοὺς μήτ' ἐν σεαυτῷ μηδέποτε, μήτ' ἐν τῇ στρατιᾷ κινδυνεύσῃς, neque per te ipſum, neque per exercitum quicquam ſine ſacrificio expedire tentato.* Sunt, qui cum *Eraſmo Schmidio* in Grammat. Græca τὸ ἐν Προφήταις de codice ſeu ſcriptis Prophetarum per metonymiam explicant. Minus quidem recte, cum antecedens *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως* inter cetera innuat, id dici, quod Deus diverſis vicibus & diverſis modis nunc hoc nunc alio Propheta, tanquam ſuo interprete, ad populum uſus ſit. Rectius ab aliis eſt admonitum, commode imo emphatice τὸ ἐν ſenſum proprium obtinere, vertique *in Pro-*



*phetis*,

*phetis*, ut ſcilicet ὄργανα θείας φωνῆς eſſe ſignificentur. Vide inprimis Cl. *Jo. Alberti* p. 416. Obſſ. Sacr. Si *L. M Artemonium* i. e. *Sam. Crellium* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto, vel potius deſtructo, Parte I. c. 43. p.238. ſqq. audias, legendum fuerit, ἐν ἀγγέλοις, *per angelos*. Sed bonum factum, quod ipſe profitetur, *ex ſolo fere ingenio*, dixerim potius *ex ſolo*, lectionem hanc ſibi ſubnatam eſſe. Circumſpiciamus paucis rationes ejus. Apoſtolum ait *his tribus primis commatibus Dei Filium* Angelis, Moſi & Aaroni *compendioſe anteferre, quod in ſequentibus prolixius exſequatur*. Ponamus in ſequentibus hoc fieri, exinde non ſequeretur, Paulum his etiam commatibus id ſummatim repræſentare. Certe Cl. *Schœtgenius* idem alioquin, ceu vidimus in Prolegomenis, ſentiens, nihil horum hic vidit, propoſitionem potius ſeu theſin Apoſtoli primariam his verbis comprehendi exiſtimans, quæ hæc ſit: *Jeſus Nazarenus eſt verus Deus*. Vide Horas ejus Hebraicas pag. 904. & 907. Interim lege ipſa illa commata, & miraberis fidiculas, quibus ad hanc ſententiam extorquendam utitur. At *Clemens Alexandrinus* lib. V. Stromatum p. 663. edit. Pariſ. & p. 687. ed. Oxonienſis Potterianæ ita legiſſe videtur. Accipe verba: Ἔχει δέ τι καὶ ἄλλο αἴνιγμα ἡ λυχνία ἡ χρυσῆ τοῦ σημείου τοῦ Χριστοῦ, οὐ τῷ σχήματι μόνῳ ἀλλὰ καὶ τῷ φωτεμβολεῖν πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς τοὺς εἰς αὐτὸν πιστεύοντας, ἐλπίζοντάς τε καὶ βλέποντας διὰ τῆς τῶν πρωτοκτίστων διακονίας. Φασὶ δὲ εἶναι ἑπτὰ ὀφθαλμοὺς Κυρίου τὰ ἑπτὰ πνεύματα, ἐπαναπαυόμενα τῇ ῥάβδῳ τῇ ἀνθούσῃ ἐκ τῆς ῥίζης Ιεσσαί. *Habet autem alind quoque ænigma aureum candelabrum, ſigni Chriſti, non figura ſola, ſed eo etiam, quod lucem immittit* multimode & multoties *in eos, qui in ipſum credunt, ſperant, & reſpiciunt per miniſterium eorum, qui ſunt primo creati. Dicunt autem eſſe* ſeptem oculos *Domini*, ſeptem Spiritus, requieſcentes in virga, quæ floret ex radice Jeſſæ. Ex h. l. ſic argumentatur. Alluditur ad noſtrum Pauli locum per verba πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, commemoratur ſimul *miniſterium* πρωτοκτίστων i. e. ut ipſe quidem explicat, Angelorum. Itaque *Clemens* hic legit ἐν ἀγγέλοις, pro ἐν Προφήταις. At Clemens per πρωτοκτίστους h. l. non intelligit *Angelos*, quod Reverendiſſ. *Potterus* recte vidit, in notis monens, indicari *Apoſtolos, aliosque Chriſti diſcipulos, quorum* miniſterio *Evangelica lux per orbem* diffuſa *eſt*. Miratur hanc expoſitionem *Crellius*, ideo quod *Clemens* alias Spiritus cœleſtes Angelicos primarios in hoc libro & in Eclogis Propheticis τοὺς πρωτοκτίστους appellet. Largiar hoc tantiſper. Fierine vero nequit, ut Clemens Apoſtolos, tanquam voluntatis divinæ nuncios & interpretes, cum Angelis illis comparet, atque adeo eodem nomine appellet? Atque hanc ejus mentem fuiſſe facile oſtendero. Clemens in eo eſt, ut ex V.N. oſtendat typos quosdam myſterii Evangelici in Novo Fœdere. Inter hos numerat candelabrum illud aureum Moſaicum, quod propterea *ænigma ſigni Chriſti* appellat: hoc ſcilicet ſenſu, quod, quemadmodum illud ſanctuarium illuſtrarit, ita Chriſtus lucem quoque immittat ſuis, non quidem ἀμέσως, ſed miniſterio τῶν πρωτοκτίστων. Per πρωτοκτίστους itaque *Angelos* proprie ſic dictos intel-

Digitized by Google

intelligere *Clemens* non potuit, qui non ignoraret, Deum in N.T. miniſterium præconii Evangelici non Angelis, ſed primum quidem Domino noſtro, hinc vero ejus Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus commiſiſſe. Propterea advocat huc *ἑπτὰ ὀφθαλμοὺς τοῦ ἀρνίου, οἵ εἰσι τὰ ἑπτὰ τοῦ Θεοῦ πνεύματα*, de quibus *Act.* V. 6. Quemadmodum vero per illos *ſeptem Spiritus* non Angeli, ſed partim infinita Domini noſtri ſcientia & intelligentia, (de qua *Jeſ.* XI. 1. 2. quem locum hic *Clemens* diſerte innuit) partim varia Spiritus Sancti dona, Apoſtolis primum conceſſa, innuuntur; ita neceſſe eſt, ut *Clementem* h.l. non de Angelis, ſed de Apoſtolis, tanquam *πρωτοκτίστοις*, loqui cenſeamus. Itaque de Angelis non cogitavit *Clemens*, at multo minus *ἐν ἀγγέλοις* hic legit. Et quomodo legere ita poterat, quod Apoſtolus nullo modo ſcribere potuit? Itane infrequens in N.T. phraſis eſt, qua ad Prophetas provocatur, ubi de myſterio Evangelico ſermo eſt? Inter cetera expende phraſin Petri *Act.* III. 24. *Καὶ πάντες δὲ οἱ Προφῆται ἀπὸ Σαμουὴλ καὶ τῶν καθεξῆς, ὅσοι ἐλάλησαν* (en noſtram Pauli phraſin!) *καὶ προκατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας.* Et illam *Act.* X. 43. *τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν*; tum vero iſtam 1 *Petr.* I 10. *περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν καὶ ἐξερεύνησαν προφῆται, οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προφητεύσαντες.* Profeſrat *Crellius* vel unum V. aut N.T. locum, ubi Deus de Evangelico myſterio ad homines per Angelos locutus dicatur. In lege ferenda miniſterium Angelorum prædicari memini *Gal.* III, 19. ubi vocatur *λόγος διαταγεὶς δι᾽ ἀγγέλων*, quemadmodum *Hebr.* II. 2. *ὁ δι᾽ ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος* audit. Sufficere hoc poterat ad depravationem loci retundendam, cum præcipuum conjecturæ audaciſſimæ fundamentum ſit everſum. Nihilominus breviter luſtrabimus cetera. Ad Chriſtianos judaizantes epiſtolam ait eſſe directam, qui Angelos, Moſen & Aaronis ſplendidum ſacerdotium Chriſto, Evangelio ejus & Sacerdotio, non autem Prophetas prætulerint. Atque hinc conficit, de *Prophetis* hic ſermonem eſſe non poſſe, ut Dominus illis ſuperior eſſe agnoſcatur. Reſpondeo, primum quidem, nec Apoſtolum hoc velle, qui id tantum velit, ut conſtet, quæ prærogativa iſti ætati nata ſit ex eo, quod Deus non jam per Prophetas, ut homines, ſed per Filium ſuum ad homines loquatur. Nego præterea, Chriſtianos illos Angelos, Moſen & Aaronem Chriſto prætuliſſe. Tales enim ſi fuiſſent, non amplius fuiſſent Chriſtiani, aut judaizantes Chriſtiani, ſed Judæi. Ad tales autem non ſcripſiſſe Apoſtolum tota epiſtola evincit. Ponamus, quod Crellio quidem videtur, ſed ex epiſtola ipſa nequaquam conſtat, eos legem Moſis cum Evangelio conjunctam ad ſalutem voluiſſe, hoc ipſo certe Moſen non præferebant Chriſto, vel, ſi præferebant, Prophetas quoque, qualis Moſes ipſe erat, Chriſto præferebant. Denique id potius tota epiſtola docet, Apoſtolum Ex-Judæos, qui adhuc vere credentes ſe præſtiterant, præmunire voluiſſe, ne à Judæis vel Pſeudapoſtolis turbari ſe paterentur, ſed conſtanter ea tenerent, quæ accepiſſent. Vide II. 1. Urget *ſecundo* loco, quod II. 2. commemoretur ſermo per Angelos *λαληθεὶς prolatus*, cui v. 3. opponatur *σωτηρία ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου*, atque

hinc

hinc conficit, *quod, quemadmodum iſta verba*, ab ipſo Domino dici aut prædicari cœpta, *reſpiciant id, quod ante dixerat*, Deus locutus eſt nobis in Filio; *ita quoque* ille ſermo per Angelos dictus, *reſpiciat illa;* olim Deus Patribus locutus in Angelis; atque adeo ibidem Angelorum mentio facta credi debeat. Efficerent ſane hæc aliquid, niſi poſt verſum illum primum Angelorum diſerta & frequens mentio facta fuiſſet. *Tertio* loco inculcat, per ea, quæ Deus Patribus olim locutus dicatur, de legislatione Sinaitica præcipue & potiſſimum intelligenda eſſe, quæ tamen nunquam Prophetis ſed Angelis adſcribatur, *Act.* VII. 38. 53. & *Gal.* III. 19. Hoc autem precario dici vel ex eo conſtat, quod ſic non appareat, quomodo Deus per Angelos πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus fuiſſe dici poſſit. Legem enim illam, accedente Angelorum miniſterio, ſemel latam & per Moſen populo promulgatam, non autem variis modis repetitam fuiſſe novimus. *Quarto* loco monet, vocem πολυτρόπως *multimode*, i.e. locutione multimoda, opponi locutioni in Filio, adeoque negari, Deum in Filio locutum eſſe multimode; hoc autem de Filio negari non poſſe, qui æque, ut Prophetæ, variis modis, nunc clare, nunc obſcure, &c. locutus ſit. At enimvero ex ipſa vocum πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ſignificatione, antea expoſita, patet, Apoſtolum hic prædicationem, a Filio factam, illi Prophetarum ideo opponere, quod hæc a diverſis, diverſis temporibus, diverſis quoque gradibus & partibus, ſe invicem excipientibus, diverſis etiam modis facta ſit, cum illa ſemel, intra muneris Prophetici annos, ab uno, eodem modo h.e. plene & quod ad omnes partes, fuerit expedita. Quæ *quinto* & *ſexto* loco adducuntur, adeo obſcura & impedita ſunt, ut, qui legerit, mecum ſit dubitaturus, an Autori ipſi ſatis conſtiterit, quid ſibi velit. Itaque abſit, ut in his vel illuſtrandis vel refellendis operam collocemus, quam *Crellius* ſane perdidit, dum novam illam lectionem invehere conatus eſt. Nec felicius conjecit, quando pag. 243. originem lectionis receptæ ita aperire inſtituit: *Sed illi, qui Filium Dei jam ſub Veteri Fœdere re ipſa exſtitiſſe, & toties apparuiſſe, ac olim Deum per Filium locutum eſſe credebant, videntur hic pro* in Angelis *poſuiſſe* in Prophetis, *& correxiſſe* Magnificat. Ludit hic in re ſeria *Crellius*, ſed ipſe ſe ridiculum præſtat, qui ad ſententiam, in ſe veriſſimam, fraude ejusmodi opus fuiſſe cenſeat. Num quis enim Veterum unquam ad h. l. provocavit, ut divinam Chriſti naturam ejusque ſub V. T. exiſtentiam adſtrueret? Num etiam illa labefactatur, ſi legamus ἐν ἀγγέλοις? Nonne poterat ante exiſtere Filius apud Patrem (vide *Joan.* XVII. 5.) quam carne indutus hominibus appareret, & ad eos loqueretur? Utinam tandem aliquando auctor male ſedulus ingenio ſuo diffidere diſceret!

ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν] Codd. quidam legunt ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν, quod & editio *Rob. Stephani* prima habet, nuper autem Editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit. Quod ad ſenſum nihil intereſt, itaque rectius lectio receptior tenetur. Reſpondet phraſis Hebraicæ illi, אחרית הימים

Digitized by Google

הימים Hanc vero *οἱ* LXX. nunc per *ἔσχατον ἡμερῶν*, nunc per *ἐσχάτας ἡμέρας*, atque id frequentius, converterunt. Vide v. c. Gen. XLIX. 1. *Jeſ.* II. 2. *Jer.* XXIII. 20. XXXVI. 20. *Ezech.* XXXVIII. 8. & 16. &c. Quod ad rem attinet, tempora ſeu origines potius Novi Fœderis indicari per ſe patet. Confer diſſertat. meam de diebus poſteris, & *Marckii* Exercitat. exeget. n. XLV. pag. 721. ſq.

Verſ. 2. *Ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων*] *quem conſtituit hæredem omnium.* Hanc verbi *τιθέναι* ſignificationem eſſe oſtendit *Elſnerus* pag. 232. ex v. 13. hujus capitis, & 1 *Theſſal.* V. 9. tum vero ex Scriptoribus, ex quibus *Arrianus* Epictet. III. 1. pag. 294. *τοιοῦτόν σε θῶμεν πολίτην τῶν Κορινθίων; num te talem conſtituemus civem Corinthium?* Hæres idem hic eſt, quod Dominus, ſeu *herus*, quo nomine Latini etiam *heredem* appellant. Reſpectus autem ſimul habetur ad *υἱὸν*, jusque adeo & origo illius hæreditatis ſeu Dominii ſignificatur, quod illi, qua homini nato, ſit conceſſum, cum antea jam ut Deus poſſideret. Conf. Pſ. II. 8. & adde *Calovium* ad h. l.

*δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν*] *Grotius* *δι' οὗ* vertere malebat *propter quem*, ac ſi eſſet *δι' ὃν*. Sed vide contra eum *H. B. Starckii* notas ſelectiores ad h. l. Quid per *αἰῶνας* intelligant Patres, patebit ex *Suicero* Tom. I. pag. 141. & *Petavio* Tom. I. Dogmatum Theologic. lib. III. cap. 5. §. 6. ſqq. Nonnulli Angelos intelligunt. Vide *Coteleriam* ad Conſtitutiones Apoſtolicas VIII. 12. & *Ignatii* epiſt. ad Magneſios §. 19. item Grotium ad Irenæum p. 9. Cum illis facit ex noſtratibus *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 22. Ex Socinianis alii Eccleſiam novam, alii Secula N. T. alii vitam æternam, ſignificari contendunt. Contra hos lege *Speneri* tractatum vernaculum egregium pro Deitate Chriſti pag. 33. ſqq. Patrum plerique & noſtrates, quos ſciam, omnes, de *mundo* accipiunt. Nec illi falluntur. Phraſis enim hæc, *ποιεῖν αἰῶνας* reſpondet illi inter Judæos frequentiſſimæ, qua Deum רב
עולם, רב עולמים. בורא עולם & בורא עולמים tum in precibus ſuis, tum alias appellant. Vide *Ludov. Cappelli* Spicilegium notarum ad 1 *Tim.* I. 17. & quæ nos ibi diximus, tum *Schœtgen.* ad h. l. Eadem vocis *αἰῶνος* notio procul dubio locum habet loco modo citato, tum *Hebr.* XI. 3. & ex parte in phraſi *χρόνοι αἰώνιοι.* Eadem loquendi ratione non aliter utuntur Scriptores alii. v. c. *Gregorius Syncellus* in Chronographia pag. 13. *Θεὸς τῶν αἰώνων* & *Κύριος τῶν αἰώνων* & alibi *βασιλεὺς πάντων τῶν αἰώνων.* Vide præſtantiſſimi *Jo. Alberti Fabricii* noſtri Codicem Pſeudepigraphum V. T. pag. 188. A noſtro denique loco non eſſe alienam Interpretes oſtendunt, & in hoc argumento multus eſt *Rob. Gellus*, Anglus, in Reliquiis pag. 454. ſq. Nuper vero interceſſit Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 434. ſq. Is enim per *αἰῶνας varios æonas regni gratiæ in V. T.* intelligit: hoc ſenſu: *Ne quis putet, quia Chriſtus N. T. eccleſiam ampliſſimam, per omnes nationes propagatam, poſſidere dicitur, eum forte ad Eccleſiam V. T. quæ paulo obſcurior fuerat, plane non pertinuiſſe, huic dubio occurrendum eſt;*

 *nam*

*nam per eundem Chriſtum etiam illos* αἰῶνας, ſæcula illa *Deus conſtituit, neque per alium redemtorem veteres beati ſunt, per alium nos. Diſcrimen in ſolo modo* proponendi poſitum eſt. Hanc expoſitionem firmaturus provocat ad id, quod Deus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως locutus ad Patres dicatur, atque hoc ipſo *varii modi Evangelium in regno gratiæ proponendi* innuantur. Non nego hoc, ſed non video, ex eo ſequi, quod αἰῶνες tantum ad *ſecula gratiæ* ſint referendi, cum alia eſſe cauſa poſſit, cur creatio τῶν αἰώνων Filio adſcribatur. Hæc vero ratio in eo poſita eſt, quod, cum Filii mentio in genere facta eſſet, ejusdem perſona ratione dignitatis ſuæ ſummatim deſcribenda videretur. Ita agit *Joannes* Evangeliſta I. 1-3. cum itidem in eo eſſet, ut oſtenderet, qualem ſe Dei Filius in regno gratiæ adverſus homines præſtiterit. Ita idem 1 ep. I. 1. ubi itidem primum omnium Dominum noſtrum à perſonæ, h. e. divinæ æque ac humanæ dignitate deſcribit, cum, quid præſtiterit hominibus, ſignificare vellet. Itaque nihil obſtat, quo minus & h. l. ſummariam perſonæ Domini noſtri deſcriptionem legi cenſeamus, eo comparatam, ut appareat, quis ſit ille υἱὸς, per quem locutus extremis mundi temporibus ſit Deus, & quanta hominum, quibus id contigerit, ſit felicitas. At negat vir doctus p. 434. *de condito hoc* univerſo *ideo explicari poſſe, ideo, quod ordini Apoſtolico parum conveniat, prius dicere*, Chriſtum eſſe hæredem omnium, *deinde demum*, conditum eſſe mundum per eum, *cum* conditi mundi *narratio præcedere deberet alterum* de mundo hereditate accepto. Si recogitemus, Apoſtolum hic de τῷ υἱῷ, ſeu Chriſto, Domino noſtro, agere, qua carne induto (ſic enim per eum ad homines locutus eſt Pater) hæc exceptio nulla erit. Ita enim apparet, cur hæreditatis illius primo loco fiat mentio, nempe, ut indicetur dominium in omnia Chriſto, qua homini, qualis proxime ante repræſentatus fuerat, conceſſo; deinde vero ſubjungatur creatio univerſi, eo ſcilicet fine, ut divina ejusdem natura, conditis rebus univerſis demonſtrata, innuatur. Itaque in deſcribenda Chriſti perſona gradatione utitur vir Sanctus. Hæc cauſa eſt, cur addatur τὸ καὶ δι᾽ οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε, *per quem* etiam *ipſum mundum condidit.* Non vero mirabitur quisquam, univerſi inprimis creationem in hoc argumento afferri, qui meminerit, eadem ratione egiſſe *Joannem* I. 3. Non omittendum hic eſt, quod vir doctus ibidem *hereditatem omnium* non recte ad *regnum gratiæ* tantum reſtringat, in quo *ſingulari jure omnia ad Chriſtum redemtorem pertineant.* Latius enim hanc phraſin patere ipſa verba *Pſalmi* II. 8. ad quæ provocat, tum *Pſ.* VIII. 6. 7. oſtendunt: imo & ea, quæ Dominus de ſuo in res omnes dominio profitetur *Matth.* XI. 27. & XXVIII. 18. Adde 1 *Cor.* XV 27. & *Philip.* II. 9. ſqq. Vide præter hæc, quæ de voce αἰῶνας hic præcepit *Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. I. pag. 199.

Verſ. 3. Ὃς ὢν ἀπαύγασμα κ. τ. λ.] Vide huc ex noſtratibus *Jo. Deutſchmanni* diſputat. de γεννήσει τοῦ λόγου Witteberg. 1689. *Mich. Waltheri* Quadragen. Miſcellan. Theologic. pag. 643. Programma Pentecoſtale Jenæ 1709.

1709. de Spiritu S. luce glorioſa illuminante propoſitum, Programma aliud *Jo. Joach. Weidneri* Roſtochienſe (de quo Collectio II. Recenſionis Actorum Eruditorum Roſtochienſium p. 125. ſqq. exponit,) *Jo. Guil. Baieri* Analyſin & Vindicias locorum S. Scripturæ illuſtrium Parte I. pag. 131. ſqq. & Miſcellanea Lipſienſia Tom. I. Obſerv. XVI. cujus ſummam cum acceſſionibus quibusdam habes in Cl. *Schœtgenii*, auctoris, Horis Hebraicis pag. 911. ſqq. Ex Anglis copioſus hic eſt *Rob. Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 451-498. Patrum ſententias habes apud *Suicerum* ſub potioribus hujus commatis vocibus & *Petavium* in Dogmatibus Theologicis Tom. II. lib. VI. cap. 6. Tom. I. lib. VIII. c. IV. §. 15. & Tom. V. lib. III. cap. XI. & cap. VIII. §. 7.

*ἀπαύγασμα τῆς δόξης*] Phraſin hanc ex Scriptoribus externis illuſtrarunt *Schœtgenius* l. c. *Elsnerus* pag. 333. & *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 122. & in Obſſ. Sacr. p. 418. Uterque horum *Philonis* afferunt locum, qui de Mundi opificio pag. 33. ita: *πᾶς ἄνθρωπος κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ᾠκείωται θείῳ τῆς μακαρίας φύσεως ἐκμαγεῖον, ἢ ἀπόσπασμα, ἢ ἀπαύγασμα γεγονώς.* Confer etiam *Th. Galei* notas ad Jamblichum de Myſteriis Aegyptiorum pag. 299. *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. pag. 123. & *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 137. *Steph. le Moyne* in diſſertat. ad *Jerem.* XXIII. 6. cap II. §. 4. comparat cum זיו כבוד, de quo tamen aliter ſentit *Vitringa* in Commentario & *Jeſaiæ* Tom. II. pag. 937. quem & conferri velim lib. V. Obſervationum Sacr. cap. 17. §. 8. pag. 220. & lib. II. pag. 72. Cl. *Schœtgenius* in Horis pag. 913. tres affert phraſes Judæorum, Paulinæ ſimiles, nempe זיו יקרא *ſplendor gloriæ*, זיו איקונין *ſplendor imaginis*, & קלסתר פנים i. e. *ſimilitudo ſplendida, ex unius facie ad alterius faciem derivata.* Cl. *Oederus* l. c. p. 434. verba hæc ad *repræſentationem eſſentiæ & gloriæ divinæ, per Chriſtum ἐνσαρκωθέντα non* in regno potentiæ, *ſive creatione mundi, ſed* in regno gratiæ *factam*, refert ad *Joh.* I. 14. ſimul provocans. Non video, cur vir doctus utrumque diſtinctum cupiat, niſi ut ea, quæ antea de *αἰῶσι*, tanquam *ſeculis gratiæ*, dixerat, firmet & adſtruat. Sane viderunt homines *δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς in regno gratiæ*, quando loquebatur, *ὡς ἐξουσίαν ἔχων Matth.* VII. 29. ut alia taceam. Viderunt vero etiam in *regno potentiæ*, cum tot miracula patraret, eo fine, ut miraculis fidem haberent homines, ſi verbis nollent. Propterea enim ad illa provocabat frequenter, & præſtitum ejusmodi miraculum obſignabat his verbis: *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι.* Utroque operum genere ſe demonſtrabat verum & glorioſum Deum. Taceo, hic non primario dici, qualem ſe Chriſtus inter homines in regno gratiæ præſtiterit, ſed quis qualisque fuerit ante, quam, ut homo, hominum peccata tolleret: *ὃς ὢν ἀπαύγασμα* &c. *qui, cum eſſet ſplendor* &c. Sic *Philipp.* II. 6. *ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων ἑαυτὸν ἐκένωσε.* Confer *Elsnerum* l. c. & *Schœtgenium* pag. 918. Propterea *τῷ ὢν* opponitur v. 4. *γενόμενος*, ubi vide, quæ dicentur. *Placet* Vitringa *lib. V. Obſſ. Sacr. c. 17. §. 9. ita diffe-*

 *rens:*

*rens:* ὁ λόγος manifeſtatus in carne, *demonſtratus eſt variis argumentis eſſe verus Dei Filius, proin omnem habere perfectionem, quam Pater. Omnes illæ excellentes perfectiones & virtutes, quæ in Deo vero inſunt, demonſtratæ ſunt, Deo ineſſe, in Chriſto Jeſu. Sapientia, Potentia, Gratia, Miſericordia, Veracitas, Juſtitia Dei, aliæque his ſimiles Dei virtutes, ex quibus diximus, Deum gloriam ſive excellentiam ſuam potiſſimum æſtimari velle ab homine, vel demonſtratæ ſunt in Chriſto, vel exercitæ per Chriſtum.* De re ipſa hic convenienter diſſerit *Jac. Triglandius* in diſſertat. ſingulari de ἀπαυγάσματι δόξης Lugduni Batav. 1698. habita. *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 8. præter rem vocis ἀπαύγασμα vim & efficaciam deprimit, quando non αὐγὴν, nec ἄυγασμα ſed ἀπαύγασμα dici ait. Scilicet non vidit, vel videre ſaltem noluit, τὸ ἀπὸ hic referri potiſſimum ad homines, ad quos ſplendor ille gloriæ & majeſtatis divinæ ſuo tempore pleniſſimus pervenerit.

καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ] χαρακτὴρ eſt *nota, imago* impreſſa, vel inſculpta. *Ariſtoteles* imaginem nummo impreſſam ita appellat l. II. Oeconom. pag. 698. ἀνενεχθέντος δὲ τοῦ ἀργυρίου ἐπικόψας τὸν χαρακτῆρα. Hæc itemque alia affert *Elsnerus* pag. 333. ſq. recteque contra *Clericum* ad *Hammondum* & *Limborchium* ad h. l. obſervat, non de humana Chriſti natura, in qua ſplendor miraculorum apparuerit, ſed de divina ſermonem eſſe, cum, quæ ſequitur, phraſis, φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, non niſi de Deo intelligi poſſit. χαρακτῆρα de *vultu* ſpeciatim dici in vocibus εὐχαράκτηρος, λεπτοχαράκτηρος, μακροχαράκτηρος, oſtendit *Chilmeadus* ad Malelæ Chronographiam pag. 114. Quid ſibi ὑπόστασις hoc loco velit, ab Interpretibus ſatis eſt oſtenſum, quæ repetere nolim. Confer interim & examina, quæ habent *Petavius* Tom. II. Dogmatum lib. IV. cap. 1. & quoad noſtrum locum lib. VI. cap. 6. de Trinitate, & *Richard Simon* in Hiſtoria Critica verſionum pag. 387. & Interpretum pag. 189. ac 754. Placent illi, qui vertunt cum *Beza* & *Eraſmo Schmidio*, character perſonæ ejus. *Schmidius* ait: *Reddidi potius* perſonam, *quam* eſſentiam, *aut* ſubſtantiam; *quum* eſſentia *ſui ipſius* χαρακτὴρ *aut* εἰκὼν *non ſit, ſed illud ipſum* εἶναι *præſtet:* perſona *autem* perſonæ χαρακτὴρ & εἰκὼν *eſſe poſſit, ita ut, qui Filium videt, etiam Patrem videat, quippe* εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου aſpiciens. Lege in eandem ſententiam *Calovium* ad h. l. *Suicerum* Tom. II. p. 1394. & H. B. *Starckium* in Notis Selectis ad h. l. Nihil agit *Crellius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto, quando, pag. 99. ὑπόστασιν *in N. T. de hominibus ſumtam* ait *eorum in fide, de Deo autem ſumtam ejus in promiſſis præſtandis conſtantiam & immotam perſeverantiam* ſignificare. De hoc momento infra ad *Hebr.* XI. 1. plura dicemus. Socinianorum ſtrophas diluit *Spenerus* in Tract. vernaculo de Deitate Chriſti pag. 602. ſq. & 717. ſq.

φέ-

*φέρων τε τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως ἀυτȣ̃*] Illuſtratur hæc phraſis a *Chriſtophoro Sonntagio* in diſſertatione de verbo virtutis, quo omnia portantur, Altorfii 1700. Afferam, quæ *Stephanus le Moyne* in Notis ad Varia Sacra pag. 603. habet: *Certe omnia ſuſtentat verbo robuſtiſſimo. Dixit, & omnia facta ſunt. Dixit, & omnia conſervantur. Nam conſervatio eſt ipſa creatio. Terra, ponderibus librata ſuis, libratur tamen imperio ſuo, & ipſe montes & colles ad trutinam portat & ſuſtentat. Omnia* בלימה *fundavit & erexit ſuper nihilum, Jobi XXVI. 7. Vel fibula verbi & voluntatis ſuæ ita fixit, & firmavit, ut nullo modo convelli, & loco moveri poſſint. Sed tamen ibi*, (nempe hoc loco) *φέρειν non tantum notat portare, ſed regere & gubernare, & omnia dicitur φέρειν, quia omnia dirigit, & ad illius nutum & arbitrium fluunt, & diriguntur, ſemper obnoxia illius voluntati, & æternis imperiis. Et certe verbum iſtud,* fero, *apud ipſos Latinos etiam ſumitur pro* rego & adminiſtro. *Sic apud Auctorem de cauſis corruptæ eloquentiæ, ſive Quintilianus ſit, ſive Rhetor alius, ubi de Eprio Marcello, Criſpioque Vibio loquitur:* Per multos annos potentiſſimi ſunt civitatis, &, donec libuit, principes fori nunc principes in Cæſaris amicitia, agunt feruntque omnia. *Et fatum ipſum, quod omnia regit, & gubernat, dicitur etiam φέρον, quaſi ferens, portans & dirigens omnia. Sic Pallada Chalcidenſis ingenioſe & argute Anthol. lib. I. pag.* 29. edit. Wechel.

Ει τὸ Φέρον σε Φέρει, Φέρε καὶ Φέρȣ. ἰι δ' ἀγανακτεῖς,
Καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ Φέρον σε Φέρει.

Idem pag. 693. oſtenderat, Hebræos verbum נשא, *portare*, eodem ſignificatu adhibere, v. c. *Num.* XI. 4. & *Deuter* I. 9. Magiſtros Judæorum *συνώνυμον* סבל non aliter uſurpare oſtendit *Schœtgenius* pag. 919. Deus enim ab illis dicitur nunc סובל בריותיו, *portans creaturas ſuas*, nunc סובל עולמו, *portans mundum ſuum*, nunc סובל כל העולמות בכוחו, *portans omnes mundos robore ſuo.* Vide, quam egregie poſtrema phraſis Paulinæ noſtræ reſpondeat. Ex his omnibus recte conficio, Paulum hic Dominum noſtrum, tanquam *conſervatorem* & *rectorem* rerum omnium potentiſſimum repræſentare, quem paulo ante *conditorem mundorum* atque adeo & *ſeculorum dixerat. Seneca* epiſt. 31. *Deus*, inquit, *ille maximus potentiſſimusque ipſe vehit omnia*, quæ verba a Paulo mutuo ſumta *Muretus* credidit. Vide *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 728. Itaque nondum perſpicio, cur Cl. *Oederus* pag. 435. hæc itidem ad *regnum gratiæ* trahere poſſit, quaſi *Chriſtus ſuſtentare illa omnia* (i. e. æones iſtos) *verbo ſuo efficaci* dicatur. Urget in hanc ſententiam articulum *τὰ* ante *πάντα*, tanquam qui innuat, *illa omnia* eſſe intelligenda de rebus paulo ante dictis, nempe de *œconomiis gratiæ divinæ*. Enimvero articulus *τὰ* non magis hic emphaticus eſt, quam *Hebr.* II. 8. *νῦν δὲ ȣ̓́πω ὁρῶμεν ἀυτῷ τὰ πάντα ὑποτεταγμένα.* Nam quæ hic *τὰ πάντα* dicuntur in initio commatis hujus ſimpliciter per *πάντα* exprimuntur. Propius & convenien-

tius eſt, ut quemadmodum τὸ φέρων proxime ad antecedens ὢν ἀπαύγασμα, quo divinæ Chriſti naturæ poſſeſſio innuitur, pertinet, ita τὰ πάντα intelligamus de iis, quæ Chriſto, ut vero Deo, ejusque conſervationi & gubernationi ſunt ſubjecta. Vox ῥῆμα quidem, quod itidem urget, de *verbo* Dei *Evangelico* adhibetur, ſed non ſemper. Vide *Hebr.* XI. 3. *Luc.* V. 5. ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου χαλάσω τὸ δίκτυον. Sic & συνώνυμος vox λόγος *Matth.* VIII. 8. ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον (vel λόγῳ *Luc. VII. 7.*) καὶ ἰαθήσεται ὁ παῖς μου.

τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ] i. e. *verbo ſuo potenti*, phraſi Hebræis quidem familiariſſima, ſed nec Græcis inſueta. Vide Cl. M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 214.

δι' ἑαυτοῦ ] Deeſt in aliquot Codicibus, ideoque *Millio* & recenti Editori Novi Teſtamenti Græco-Anglicani inſititium videtur, contra quem lege *Whitbium* pag. 75. Examinis.

καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ] Vide *Amelium* Parte II. p. 802. & *Rhenferdium* in Comparatione anniverſaria Pontif. Max. in V. T. cum unica atque æterna expiatione J. C. §. 70.

ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ ] *conſedit ad dextram*, vel potius *collocavit ſe*, ſubintellecta voce ἑαυτὸν, quam addit *Ælianus* Var. Hiſtor. IV. 22. ἵνα μὴ καθίζωσιν ἑαυτὰς, & VII. 1. obſervante *Joanne Alberti* pag. 418. qui & de hac ſeſſione ſeu collocatione conferri vult *Vitringam* lib. II. cap. 5. Obſervationum Sacrarum. & *Spanhemium* ad Callimachum in Apoll. v. 29. Confer infra ad verſ. 13. & *Picinellum* pag. 728. Ita, quando *Epheſ.* I. 20. de Patre dicitur: καὶ ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ *& collocavit* (ſcil. Chriſtum) ad dextram ſuam, neceſſe eſt, ut pronomen αὐτὸν ſubintelligatur.

Verſ. 4. Τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων κ. τ. λ. ] Vide *Robertum Gellum* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 499-506. & Programma Helmſtadienſe an. 1707. promulgatum de gloria & majeſtate Chriſti cum Angelis collati. & M. *Joannis Friderici Schomeri*, ſub titulo: Χριστὸς ὁ Θεοῦ υἱὸς τῶν ἀγγέλων ἐξοχώτερος, Wiſmariæ 1729. 4. tum vero *Guſſetii* Veſperas Groninganas pag. 72. ſqq.

κρείττων γενόμενος ] Γενόμενος opponitur hic antecedenti ὢν, quorum hoc Filio tribuitur in ſe & ante carnem aſſumtam conſiderato, ad Deitatem ejus indicandam; illud vero ipſi tribuitur, tanquam Salvatori hominum, poſt incarnationem & redemtionem præſtitam, indicata ſic ſimul humanæ naturæ exaltatione. Recte hæc monentur in Memoriis Trevoltinis An. 1719. p. 1915. Itaque nolim cum *Starckio* in Notis Selectis ad h. l. idem eſſe putare, quod τὸ ὤν.

κεκλη-

*κεκληρονόμηκεν ὄνομα*] Κληρονομεῖν non tantum eſt *hereditatis jure*, ſed etiam *quocunque modo* aliquid *conſequi*. Oſtendit id *Raphelius* variis *Polybii* locis pag. 633. qui pag. 1077. ait: *παραπλησίαν δέ τινα τούτῳ φήμην ἐκληρονόμησεν ἐπὶ γήρως καὶ Πτολεμαῖος*. Conf. eundem pag. 39. & *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 122.

Verſ. 5. *Τίνι γὰρ εἶπέ ποτε τῶν ἀγγέλων, κ. τ. λ.*] Legi velim *Robertum Gellum* in Reliquiis Anglice editis, Tom. II. pag. 507. 519. *Richardum Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Parte II. pag. 261. ſqq. *Guil. Surenhuſium* in libro *καταλλαγῆς* pag. 591. ſqq. *Jacobum Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. II. cap. 95. & ex noſtratibus *Franciſcum Wokenium* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti Part. II. pag. 218. ſq. Contra Socinianos loci hic allegati vindicantur à *Theodoro le Blanc* in Principiis contra Socinianos Gallice editis Part. I. pag. 557. & ab Auctoribus des freywilligen Heb-Opfers Tom. I. pag. 398.

*Υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε*] Locus eſt *Pſalmi* II. verſ. 7. quem de Chriſto ex mente divini Vatis accipiendum eſſe contra Judæos & Socinianos evicerunt B. *J. C. Dorſcheus* ſingulari diſſertatione in Pentadecade Diſſertationum pag. 68. *Joannes Fechtius* de generatione Meſſiæ æterna, Roſtochii 1694. *Joannes Friſchmuthus* diſputatione de Meſſia Dei filio, quæ in Theſauro Philologico Tom. I. exſtat, Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris Part. III. num. XIV. *Hillerus* in Syntagmate Hermeneutico pag. 381. & *Richardus Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Part. I. pag. 285. Judæos veteres non aliter intellexiſſe, ex iis patet teſtimoniis, quæ à *Cartwrighto* in Mellificio Hebr. & *G. E. Edzardo* in præfatione ad caput I. *Avoda Sara* pag. 15. ſqq. ſunt allata. Patrum loca habes in notis *Chriſt. Kortholti* ad Juſtini Martyris Apolog. I. pag. 28. edit. Oxonienſis. Myſtice tantum oraculum hoc ad Chriſtum referri poſſe, plerique, ſi noſtrates exceperis, opinantur. Inter hos *Limborchio* ſe inprimis in commentario ad h. l. recte oppoſuit Cl *Oederus* in Diſſertatione de ſenſu myſtico Sacræ Scripturæ, quæ in Bibliotheca Theologica Selecta vernacula primum edita pag. 185. ſq. hinc autem recuſa exſtat in Centuria Conjecturarum pag. 540. ſq.

*Καὶ πάλιν ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα, καὶ αὐτὸς ἔσται μοι εἰς υἱόν*] Locus eſt 2 *Sam.* VII. 14. in quo explicando in diverſa abeunt Interpretes. Alii enim ad *Salomonem* tantum; alii totum locum ad *Chriſtum*, pertinere volunt; alii ex parte ad *Chriſtum*, ex parte ad *Salomonem* referunt. Poſtremam ſententiam noſtrates fere omnes tuentur. Media placuit inprimis B. *Joanni Petro Grunenbergio*, Theologo Roſtochienſi, in diſſertatione *de Semine Davidis Chriſto ſolitarie intelligendo, ad 2 Sam.* VII. 11-16. Roſtochii 1707. & *H. B. Starckio* in Notis Selectis ad h. l. Prima ſe probavit Cl. *Oedero*, primum quidem

quidem in Syntagmate Obſervationum Sacrarum pag. 133. ſq. deinde in laudata modo diſſertatione, pag. 536. ſqq. Ibi inter cetera tradit, expoſitioni illi Apoſtolicam allegationem non obeſſe. *Hoc certum*, inquit, *videtur, ſcopum Apoſtoli eſſe, aſſerere Chriſto infinitam eminentiam, præ ceteris rebus creatis omnibus, & docere, ſpeciatim Angelos eſſe longiſſime Chriſto inferiores. Ad hunc obtinendum ſcopum cumprimis noſtra, quam lectori modeſte, ut decet, examinandam damus, interpretatio facit*: Cui Angelorum unquam dixit Deus, quod de Chriſti æterna generatione in II. Pſalmo exſtat: *Filius meus tu es, ego hodie genui te?* Imo, quem Angelorum dignatus eſt Deus tam honorifico alloquio, quale illud eſt, quod vel de Salomone, mero homine, legitur. *Ego illi pater ero, ipſe mihi filius. Hoc modo graviſſime retunditur eorum, qui Angelos Chriſto opponunt, inſania, docendo, homini quoque nudo, ſed ob Chriſtum in gratiam recepto, tribui, quod Angelis, quibus cum gratia fœdus non eſt initum, & quibus Chriſti meritum (quo quidem nec opus habent) non imputatur, nuſpiam legitur attributum.* In hac interpretatione id inprimis ſcrupulum mihi movet. Non negat vir doctus, antecedentem *Pſalmi* locum ad Chriſtum ex mente tum Davidis, tum Pauli pertinere. Jam Paulus *ἀμέσως* in eundem ſcopum alterum illud oraculum ex Samuele affert. Credine poteſt de alio, nempe Salomone, cui, ut nudo homini, dictum ſit, non autem de Chriſto cogitaſſe? Apoſtolus etiam alias cumulare ſolet teſtimonia Veteris Teſtamenti, ſed vereor, ut nullus mihi locus afferatur, qui huic ſit ſimilis. Conſtat præterea, Angelos in Vet. Teſtam. *filios Dei* appellari, v. c. *Jobi* I. 6. XXXVIII. 7. & *Danielis* III. 25. ex quo forte factum eſt, ut Patrum multi בני אלהים *Geneſ.* VI. 2. quamvis omnino falſi, de Angelis acciperent. Hoc poſito, dicere non poterat Apoſtolus, elogium hoc nemini unquam Angelorum à Deo collatum fuiſſe. Itaque hactenus in eorum ſententia acquieſco, qui verba hic citata ad Dominum noſtrum ſpectare etiam apud Samuelem exiſtimant, in quantum Salomon Chriſti fuerit typus. Lege præter citatos *Guſſetii* Veſperas Groninganas pag. 462. ſq. & *Spenerum* de Deitate Chriſti pag. 54.

Verſ. 6. *Οταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκυμένην κ. τ. λ.*] Ad hæc ſpectat Programma Jenenſe natalitium an. 1713. quod de gloria Angelicæ adorationis Chriſti in orbem introducti exponit, collato Pſalm. XCVII. 7. item *Robert. Gelli* Reliquiæ Tom. II. p. 520-526. & *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. II. cap. 95. §. 7. Rectiſſime hæc plerique Interpretes ita accipiunt, ut novum oraculum Propheticum de præſtantia Chriſti præ Angelis afferre cenſeatur, quo *mundo* jam ante nativitatem, tanquam in mundum venturus, ſit patefactus. Idem eſt, ac ſi Apoſtolus ſcripſiſſet: *ϗ πάλιν δὲ, ὅταν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκυμένην, λέγει.* Ita accepit *Syrus*. Vide tamen *Wokenium* Part. II. Pietatis Criticæ p. 135. Sic video, Apoſtolum *Rom.* XV. 10. 11. 12. triplici vice τὸ, *πάλιν* adhibere, quando tria diver-

diverſa Veteris Teſtamenti oracula in eundem ſcopum recitat. *Starckius* quidem loc. cit. pag. 7. *πάλιν* alio ſenſu accipit, quem vereor, ut multis perſuadeat. Sunt etiam, qui totam phraſin *εἰσάγειν εἰς τὴν οἰκουμένην* ita intelligunt, ut idem ſit, quod in *reconditam ſapientiam* producere. Id olim Anonymus Tom. VII. Obſervationum Halenſium pag. 271. ex L. Arabica adſtruere conatus eſt, à quo non admodum diſſentit doctiſſimus *Joannes Conradus Schwarzius* ad Olearium de Stilo Novi Teſtamenti pag. 357. vocem Hebraicam עולם Eccleſiaſtæ III. 11. *diſciplinam arcanam* ſignificare exiſtimans. Mihi quidem hoc parum veri videtur ſimile. Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis ita *παραφράζει*: *Eo vero tempore, quo Deus Pater Filium ſuum Meſſiam ex virgine natum in hunc mundum produxit, eumque inter homines quaſi introduxit; hæc verba Pſalmiſtæ de eo impleta ſunt:* adorent ipſum omnes Angeli Dei. Provocat ille ad phraſin Hebraicam בא בעולם, *venit in mundum*, h. e. natus eſt *Joh. I. 9.* cui convenienter הביא בעולם idem ſit, quod, *fecit, ut naſcatur.* Implementum oraculi in Angelica acclamatione: *Gloria in Excelſis Deo*, quærit. Confirmari hæc ſententia forte poterat ex eo, quod *Hebr.* X. 5. de Chriſto legitur: *διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον λέγει· θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι.* Sed amplius tamen cogitandum cenſeo. *Epictetus* apud Arrianum p. 421. obſervante *Raphelio*, Deum hominem, qui naſcitur, *εἰσάγειν* ſimpliciter dicit, ſicut p. 422. *ἐξάγειν ἐκ τοῦ ζῆν* de morte immiſſa adhibet.

*τὸν πρωτότοκον*] i. e. *Chriſtum*, de quo nomine vide, quæ ſcripſi ad *Col.* I. 15. hic vero nota loca Judæorum à Cl. *Schœtgenio* allata, quibus Meſſias בכור i. e. *primogenitus*, appellatur. Cl. *Oederus* loc. cit. pag. 540. ex diſerta *primogeniti* appellatione colligit, proxime antecedens dictum ad Chriſtum non pertinuiſſe, ex quo factum ſit, ut ad eum ſe nunc ſermone ſuo redire, Apoſtolus indicet. At alia poteſt illius appellationis ratio reddi. Orationem ſuam nonnihil mutaverat Apoſtolus de introductione Chriſti in mundum loquens; itaque neceſſe erat, ut diſerte appellaret eum, de quo ſibi ſermo eſſet, alioquin id quidem non facturus, ſi, quod alias facit, ſimpliciter ſcripſiſſet: *καὶ πάλιν λέγει.*

*Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ*] Ex *Pſalmo* XCVII. 8. hoc petitum eſſe, ut alios taceam, *Surenhuſius* oſtendit loc. cit. pag. 593. Sed intercedunt poſt veteres nonnullos ex recentioribus *Colomeſius* in Obſervationibus Sacris pag. 103. *Millius* in Prolegomenis ad Novum Teſtamentum §. 95. & *Guil. Whiſtonus* in Conatu textum Hebr. reſtituendi pag. 311. qui ex *Deuteronom.* XXXII. 43. ſecundum *τοὺς* LXX. cum in Hebræo non exſtent, allatum eſſe exiſtimant. *Colomeſius* quidem & *Whiſtonus* hinc Codicem Hebræum corruptelæ poſtulant, *Millius* autem ex eo conficit, Paulum Veteris Teſtamenti oracula non ex Codice Hebræo, ſed Græca verſione allegaſſe. Utroſque falli ab aliis oſtenſum eſt. Contra *Millium* lege Cl. *Oederum* loc. cit. pag. 549. adverſus

ſus alios idem ſentientes *Petrum Allixium* in libro Anglicano, quem *Judicium Eccleſiæ Judaicæ contra Unitarios* inſcripſit, pag. 295. ſeq. Noviſſime in easdem partes conceſſit *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 588. ſqq. qui & pag. 591. verba Hebraica, qualia olim in Codice Hebræo lecta & a τοῖς LXX. expreſſa videantur, reſtituere conatur. De hoc argumento, quod paucis expediri non poteſt, nec admodum ad rem ipſam facit, alibi, Deo dante, copioſius dicemus.

Verſ. 7.-9. illuſtrantur nonnihil in Diſſertatione de Judiciis Criticorum & nuperi Interpretis Gallici, ſuper loco S. Chryſoſtomi homilia III. in epiſtolam ad Hebræos, Pariſ. 1691. 4. Vide Acta Eruditorum Lipſienſium 1692. pag. 521. ſqq.

Verſ. 7. Καὶ πρὸς μὲν τὺς ἀγγέλυς λέγει κ. τ. λ.] Exponunt hæc *Auguſtus Varenius* in Angeloſophia Sacra, *Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 367. *Surenhuſius* in lib. καταλλαγῆς pag. 597. ſqq. & *Robertus Gellus* in Reliquiis pag. 527-533. Hi omnes comparant cum Pſalm. CIV. v. 4. Atque hic iterum *Millius* loc. cit. τὺς LXX. quos Paulus ſecutus ſit, ab Hebræo abire exiſtimat, in viam revocatus ab *Oedero* loc. cit. pag. 550.

πρὸς μὲν τὺς ἀγγέλυς] Τὸ πρὸς pleriſque h. l. idem videtur, quod περὶ, *de*, ut *Luc.* XX. 19. Vide *Jacobi Cappelli* Notas ad h. l. *Camerarius* elliptice ita accipit: ὅσον πρὸς τὺς ἀγγέλυς προσήκει, *quantum ad Angelos attinet.* Eum ſequuntur *Eraſmus* & *Sebaſtianus Schmidii*, *Wittichius* & fere *H. B. Starckius.* Similiter *Herodotus* lib. V. pag. 377. κὶ πρὸς ἵππον, τῦ σὺ τὰς μηχανὰς μηδὲν φοβηθῇς. *Et, quod ad equum attinet, non eſt cauſa, cur ejus artificium extimeſcas.* Obſervavit locum *Raphelius*, qui tamen mavult in ſententia *Heinſii* acquieſcere. Hic enim ita diſtinguit, κὶ πρὸς μὲν τὺς ἀγγέλυς, λέγει, i. e. *& quod ad Angelos, ait.* Sic Græci: πρὸς μὲν τὺς ῥήτορας, πρὸς μὲν τὺς φιλοσόφυς. Judæos, de Angelis loquentes, hæc Pſaltis verba adhibere oſtendit *Schœtgenius* pag. 923.

κὶ τὺς λειτυργὺς ἀυτῦ πυρὸς φλόγα] Miraberis forte *Joſ. Medi* cogitata ad h. l. quæ in Fragmentis ejus Sacris Faſciculo X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectantium pag. 245. leguntur. *Mirum,* inquit, *Scripturam de cometis ſilere. Forſan h. l. ſignificantur, quaſi faces in manibus Angelorum. Sic de ventis.*

Verſ. 9. Πρὸς δὲ τὸν υἱόν· Ὁ θρόνος συ] Vide præter *Surenhuſium* loc. cit. *Robertum Gellum* pag. 533-542. *Guſſetium* contra *Chiſſuk Emuna* Parte II. cap. 95. §. 15. ex noſtratibus *Joannem Grammium* diſputat. III. de allegatione τῶν LXX. in Nov. Teſtam. pag. 46. & *Wokenium* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 332. ſqq.

Ο

Ο Θρόνος σου, ὁ Θεὸς, Ο Θεὸς in vocativo accipiendum eſſe, vel ex eo patet, quod ſequentia verba ad Chriſtum prolata dicantur, ut taceam, commate nono phraſin, ἔχρισέ σε, ὁ Θεὸς σου idem requirere. Et vel ſic tamen *Grotius* pro nominativo habere potuit, hoc ſenſu, quod Deus ipſe thronus nempe vel Salomonis, vel Chriſti eſſe dicatur. Eum ſecutus eſt Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani ita ſimiliter vertens. *Grotio* ſatisfecit *Calovius*; huic vero *Leonh. Twells* in Examine Critico Parte II. pag. 139. qui parallelum quod ad phraſin locum affert ex *Thren.* V. 17. Σὺ δὲ, Κύριε, εἰς τὸν αἰῶνα κατοικήσεις, ὁ θρόνος σου (ſcilicet Κύριε) εἰς γενεὰν καὶ γενεάν. Eandem cum illis tibiam inflat *Artemonius* loc. cit. pag. 284. qui tamen ipſe non negat, *Euſebium* in Demonſtratione Evangelica lib. V. cap. 217. locum hunc citantem, ὦ Θεὲ, legiſſe. Pſalmum XLV. ex quo hæc afferuntur, Judæos quoque non ad Salomonem, ſed Chriſtum, retuliſſe oſtendit *Schœtgenius* p. 924.

ῥάβδος εὐθύτητος] Ita *Æſchylus* Perſ. verſ. 766. σκῆπτρον εὐθυντήριον, *ſceptrum dirigens*, ſeu, *rectum faciens*, dixit, obſervante *Joanne Alberti* p. 418. De ſceptro, imperii indicio, vide *le Moyne* ad Varia Sacra p. 387. & *Cornelii Adami* Exercitationes Exegeticas pag. 428.

Verſ. 9. Ηγάπησας δικαιοσύνην κ. τ. λ.] Vide *Robertum Gellum* loc. citat. pag. 543-549.

διὰ τοῦτο] Non *cauſam* hic, ſed potius *finem* & ordinem indicari ex *Pſalm.* CX. 7. & *Philipp.* II. 9. obſervat *Starckius*. *Schœtgenius* cum *Noldio* in Concordantiis Particularum vertit, *quia*, vel, *quandoquidem*.

ἔχρισέ σε] Lege *Alexandri Mori* Notas ad Novum Teſtamentum pag. 194.

ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου] Et hic *Artemonius* loc. cit. prius ὁ Θεὸς, quod omnino vocativo ſenſu ſumendum eſt, in nominandi caſu, ut verſ. 8. accipi vult, ut Deus Pater indicetur. Affert in hanc ſententiam *Euſebii* verba ex loco citato iſta: *De hoc igitur ait*, o Deus (ὦ Θεὲ) *ad eum, qui unctus eſt, ſermonem dirigens*: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, (ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου) *ut ſi diceret, Deus Pater unxit te oleo.* Hinc ita argumentatur. Quia Euſebius verſ. 8. pro vulgato ὁ Θεὸς habet ὦ Θεὲ, hic vero ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου, retinuit, indicare voluit, hic duos eſſe nominativos. At rectius invertitur argumentum ita: quia *Euſebius* verſ. 8. ubi Codices omnes exhibent ὁ Θεὸς, exhibet ὦ Θεὲ, fecit id, non quod ita legebat, ſed, quod ſcriptione ipſa ſignificationem vocis indicandam cenſebat. Hoc autem facto, non opus erat, ut in ſequenti commate voces, ὁ Θεὸς, ὁ Θεός σου in vocativo iterum exprimeret. Non felicius in eandem ſententiam abripit *Origenem* lib. VI. contra Celſum pag. 330. ita ſcribentem: *Quapropter & eos unxit Deus, ille inquam Chriſti Deus, oleo exultationis.* Loquitur hic *Origenes* de unctio-

ne fidelium, qui per *μετόχυς* in ipſis his verbis indicantur, non autem de Chriſto, ad quem in Pſalmo ſermo fit. Ita non poterat non Deum illum Deum Chriſti appellare, tanquam a quo reſpectu Chriſti unctio illa facta erat.

*παρὰ τὺς μετόχυς σε* ] Vide *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. voce חבר lit. A. *Oederi* Centuriam Conjecturarum pag. 502. & *Schœtgenii* Horas Hebr. pag. 925.

Verſ. 10-12. *Καὶ. Σὺ κατ' ἀρχὰς, κ. τ. λ.* ] Cum Pſalmo CII. hæc comparant *Surenhuſius* in lib. *καταλλαγῆς* pag. 599. ſqq. & *Joannes Grammius* Diſputat. III. de allegatione *τῶν* LXX. in Nov. Teſtam. pag. 48. ſqq. Contra Socinianos locum vindicat ex noſtratibus *Spenerus* in tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag 44. ſqq. tum vero *Theodorus le Blanc* in Principiis contra Socinianos Gallice editis Parte II. pag. 56. ſqq. Et hoc dictum ad Patrem pertinere, oſtendere conatur *Artemonius*, ſive *Crellius* pag. 599. ſqq. lib. cit. & inſtituta totius fere Pſalmi inde a verſ. 14. paraphraſi monſtrare annititur, quomodo hinc vel ſic Chriſti præ Angelis eminentia conſequatur. Argumentum, quo præcipue utitur, illud eſt, quod, quemadmodum verſ. 7. *καὶ πρὸς μὲν τὺς ἀγγέλυς λέγει* idem ſit, quod, *de Angelis dicit;* ita verſ. 8. ac proinde & verſ. 10. *πρὸς τὸν υἱὸν* non *ad filium*, ſed, *de filio* explicari debeat. Diſparem vero hic eſſe rationem, ex inſpectis verbis apparet. Verſu 7. non fit compellatio *ad* perſonam: itaque nec tanquam *ad* Angelos dicta ea, quæ ſequuntur, accipi poſſunt. In ſequentibus vero locis, quæ *πρὸς υἱὸν* dicta afferuntur, compellatur perſona. Itaque ad eam ex mente Pauli referri neceſſe eſt.

*κατ' ἀρχὰς* ] *initio*. Bene Græcum eſſe oſtendit *Raphelius* in Herodoteis pag. 599. ex Herodoto pag. 250. *κατ' ἀρχὰς ἔφησε*, *initio*, ſcilicet obſidionis, *dixerat*. Adde pag. 253.

*τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σε εισιν οἱ ὐρανοί* ] Non de mundo viſibili creato, ſed de mundo potius, hinc Veteris, hinc Novi Teſtamenti hæc intelligi debere ſuſpicatur *Braunius* in Selectis Sacris pag. 145. ſeqq. ideo inprimis, quod de duplici mundo loquatur Apoſtolus. Ejusdem veſtigiis inſiſtit *Amelius* Parte I. pag. 421. Mihi quidem res non perſuaſa eſt.

*Καὶ ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτὺς* ] Pro *ἑλίξεις*, unus alterque Codex habet *ἀλλάξεις*, quod & *Vulgat.* expreſſit. Hinc *Grotius* colligit, *τὺς* LXX. primum ſcripſiſſe *ἀλλάξεις*, quod poſtea a librariis mutatum ſit in *ἑλίξεις* ex *Jeſ.* XXXIV. 4. Ideo recens editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicacani in contextum recepit, quemadmodum ante prætulerat *Druſius* Miſcellan. II. 24. Sane *τὸ ἀλλάξεις* magis reſpondere videtur Hebraico תחליפם. Cum tamen Codices in LXX. Interpretibus æque ac hoc loco, ſi pauciſſimos exce-

exceperis, conſentiant, non dubito, utrinque ita ſcriptum fuiſſe, & quidem ſenſu *immutandi*, quem Hebraicum infert. Verbum enim ἑλίσσειν non ſolum *volvere* ſignificat, ſed etiam *vertere*. Hinc *Heſychius* ἑλίσσεσθαι exponit per στρέφεσθαι. Reſpicere videtur ad veſtem, quæ veteraſcens vel *invertitur*, vel abjicitur, & cum nova alia *permutatur*. Doctiſſimus *Grammius* l. c. pag. 50. ita: *Alterutrum fieri, neutrum vero ſine exemplis, potuit; vel ut S. Paulus ad duo V. T. loca reſpiciendo* ἑλίξεις *ex Jeſ. XXXIV. 4. deſumſerit, quod librarii poſtea in Codd.* τῶν *LXX. Pſ. CII. imitati ſint; (utrumque enim in aliis locis atque plus ſimplici vice accidiſſe fruſtra negaretur;) vel in LXX. viralem verſionem iſta mutatio* τῦ ἀλλάξεις *ſcil. in* ἑλίξεις, *etiam ante Apoſtoli tempora illata, perpetuo poſthac inhæſerit, non advertentibus, qui ſecuti ſunt, nullamque adeo emendationem ſenſu expoſcente.* Memini, Rev. *Urbanum Godofred. Siberum* in diſſertat. de Græcorum collaribus pag. 25. in notis, hæc verba ad mentem Græcorum ita commode explicari poſſe cenſere, ac ſi dicas: *ut veſtimentum ſplendidum & acu pictum exornabis.* Id quod ſingulari diſſertatione ſe alias oſtenſurum pollicetur, quam tamen lucem adhuc vidiſſe non puto. Ceterum de cœlorum mutatione vide, quæ ex Patribus tradit *Suicerus* Tom. II. pag. 151. 365. & 520.

Verſ. 13. Πρὸς τίνα δὲ τῶν ἀγγέλων εἴρηκέ ποτε· κ. τ. λ.] Vide *Surenhuſii* librum Καταλλαγῆς pag. 603. ſq. doctiſſimi *Jo. Grammii* diſput. II. de Græcæ verſionis V. T. allegatione in Novo pag. 8. 9. & *Franc. Wokenii* Harmoniam V. & N. T. pag. 368. qui omnes oraculum hoc cum Pſalmo CX. 1. comparant. Pſalmum vero illum ad Meſſiam pertinere complures oſtenderunt, quos ad Matth. XXII. 44. appellavimus. Iis nunc adde *Schœtgenium* in Horis Hebraicis, pag. 192. ubi Judæorum quorundam, idem affirmantium, teſtimonia affert.

Κάθȣ ἐκ δεξιῶν μȣ] Phraſin ex antiquitate profana illuſtrant *Vitringa* Obſſ. Sacr. lib. II. cap. 4. & 5. & *Jac. Nyloë* in Obſervationibus Scripturariis belgice editis, pag. 42. ſqq. tum *Rich. Ellis* in Fortuitis Sacris pag. 245. ſqq. *Callimachus* Hymn. in Apollinem v. 29. de Minerva: δύναται γὰρ, ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἧσαι, ad quem locum Illuſtr. *Spanhemius* monet, eum, tempore Ptolemæorum Alexandriæ viventem, phraſin hanc ex verſione τῶν LXX. hujus Pſalmi hauſiſſe. Hoc autem minus veri ſimile videtur *Elliſio*, cum *Pindarus* dudum ante, teſte *Ariſtide*, de Minerva idem dixerit. Confer ſupra ad verſ. 3.

ἕως ἂν θῶ τȣ̀ς ἐχθρȣ́ς σȣ ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σȣ] De voce ὑποπόδιον lege ex Patribus diſſerentem *Suicerum* Tom. II. pag. 1394. Orientis Regibus ſolemne fuiſſe hoſtium cervices pedibus calcare, conſtat ex *Joſ.* X. Idem in Valerianum Imperatorem egit Perſarum Rex *Sapor*, *eo incurvato, pedem*

*cervicibus ejus imponere, & equum aſcendere ſolitus*, quæ verba ſunt *Aurelii Victoris.*

Verſ. 14. Οὐχὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα κ. τ. λ.] Explicant hæc *Jo. Gothofr. Olearius* in Angelologia Apoſtolica, Jenæ 1664. *Jo. Deutſchmannus* de cuſtodia Angelorum, Witteberg. 1682. *Chriſtian. Chemnitius* in Exegeſi loci claſſici de Sanctis Angelis, Jen. 1661. hinc Wittebergæ 1701. iterumque ibidem 1733. 4. & *Jo. Guil. Baierus* in Analyſi & Vindiciis locorum illuſtrium S. Scripturæ Parte I. pag. 102. ſq. Vide præterea *Petavium* Tom. II. Dogmatum Theologic. lib. II. cap. 14. §. 9. & Tomo III. ubi de Opificio Dei lib. II. cap. 4. nec non *Cloppenburgium* Tom. I. Opp. pag. 824. & *Hoornbeckium* in Vett. & Novis pag. 94.

λειτουργικὰ πνεύματα] Hebræi ſimiliter Angelos frequentiſſime מלאכי השרת appellant. Vide *Jac. Cappelli* notas pag. 117. & *Hottingerum* ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu pag. 35. Gentilium de Angelis, tanquam in miniſterium hominum conditis, dicta copioſe affert *Tobias Pfannerus* in Syſtemate Theolog. Gentilis cap. VI. §. 9. Patrum loca habes apud *Petavium* l. c. & *Suicerum* T. I. pag. 43. qui & vocem λειτουργικὰ illuſtrat Tom. II. pag. 222. Voce λειτουργίας de excubiis agendis uti *Polybium* pag. 667. monuit *Raphelius* pag. 634. Adjiciam hic B. *Jo. Fechtii* verba ex Philocalia Sacra, in Theſibus Polemicis §. 10. *Angeli*, inquit, *non ſunt miniſtri hominum, multo minus ſervi. Nec enim ſuperior ſervit minori. Eſt hæc prærogativa Servatoris noſtri*, Matth. IV. 11. Contrarium conſtare ex hoc loco ideo negat, quia Angeli non dicantur mitti in miniſterium hominum, ſed propter eos, ut Miniſtri Regis ad ſubditos mittantur, quorum tamen ſervi non ſint.

# CAPUT II.

VErſ. 1. Διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσι] Προσέχειν emphaticum eſſe, & non tantum animum ad audienda, quæ dicuntur, attentum ſed & vitanda peccata intentum, inferre obſervat *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 634. Vide eundem in *Xenophonteis* pag. 304.

μήποτε παραῤῥυῶμεν] Varias phraſeos interpretationes recenſet *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 173. ſq. ubi cum *Wittichio* & *Petro van Hæcke* ad h. l. ſtatuit, idem eſſe, quod Latine dixeris, *ne præterlabamur*, metaphora à navibus petita, quæ per fluxum & refluxum maris, vel ventos etiam, prohibeantur, quo minus adpellant ad portum, ſed potius alioſum vehantur, atque adeo caveri, ne fideles rerum ſecularium æſtu aut perſecutionum falſarumve

rumve doctrinarum turbine à portu ſalutis abducantur. Idem tamen Parte I. pag. 258. *Gothofredi Olearii* in Analyſi epiſtolæ ad Hebræos pag. 9. ſententiam probaverat, qui, ad Hebræorum phraſin נשפך כמים *inſtar aquæ effundi*, Pſ. XXII. 15. h. e. *ſummos animi angores perpeti*, provocans, id Apoſtolum jubere exiſtimat, caveant, ne, in audiendo magno Propheta inſolentes, corda, inſtar aquæ effuſæ, vero ſuo ſolatio privent, & in angoribus ac tenebris fluctuantia iræ divinæ agitanda permittant.

Alii malunt, *ne præterfluere ſinamus*, h. e. ne prædicata nobis aures noſtras præterlabi ſinamus. Ita *Eraſm. Schmidius*, qui in hoc ſignificatu adſtruendo multus eſt. Eadem eſt ſententia *Lamb. Boſii* in Exercitatt. pag. 237. *Locus ille*, inquit, *quem præterfluit amnis, dicitur παραῤῥυεῖσθαι. Per metaphoram in genere παραῤῥυεῖσθαι dicitur res, quæ prætermittitur, & ex incuria omittitur.* Lucianus Diſſertat. cum Heſiodo pag. 489. Ει τι ἐν τῷ τῆς ποιήσεως δρόμῳ παραῤῥυὲν λάθῃ, *ſi quid in poëſeos curſu per imprudentiam omiſſum fuerit. In ſpecie eleganter παραῤῥυεῖσθαι dicuntur* auditores, *vel* diſcipuli, *quos dicta ac dogmata doctorum aquæ fluvii ad inſtar præterlabuntur; quorum aures ea præterfluunt, ſive, qui ex incuria & ſecuritate monita præterfluere ſinunt. Appoſite.* Quintilianus *Inſtitut. Orat. lib. II. cap. 5.* Sic auditoribus ſecuritas aberit, nec, quæ dicentur, præterfluent aures. - - - *Ergo τῷ παραῤῥυεῖσθαι hic idem eſt, quod ἀμελεῖν & παραχεῖν, oppoſitum τῷ προσέχειν, quemadmodum apud* Cebetem *in Tabula*: ὑμεῖς οὖν προσέχετε, καὶ μὴ παραχεῖτε. *Apud LXX. Intt. opponitur τῷ τηρεῖν* Proverb. III. 21. υἱὲ, μὴ παραῤῥυῇς, τήρησον δὲ ἐμὴν βουλὴν, Fili, ne ſinas præterfluere, ſed ſerva meum conſilium. Ita hic: μήποτε παραῤῥυῶμεν, ne quando præterfluere ea ſinamus. Eadem expoſitio ſe probavit Clerico in Bibliotheca Selecta Tom XV. pag. 354. & *Starckio* in Notis Selectis ad h. l. aliisque ab eodem laudatis.

Idem nonnulla affert contra *Bezam*, qui verterat, *perfluamus*, ita, ut reſpiciatur ad vaſa rimarum plena, quæ liquorem infuſum continere nequeunt. Hoc ſcilicet Græcis dicitur διαῤῥεῖν vel διαῤῥυεῖν, non παραῤῥυεῖν. & non de *negligentibus*, ſed *garrulis* auditoribus adhibetur. *Bezæ* interpretatio placuit *Vitringæ* lib. I. Obſſ. Saerar. cap. XVIII. pag. 219. qui & ſimilia ex Hebræis affert. Rev. *Zeltnerus* ſimiliter in gloſſa ad h. l. daß wirs nicht durchrinnen oder wegflieſſen laſſen.

Proverbium Alexandrinum, ὕδωρ παραῤῥύει, quod ex *Plutarchi* opuſculo, tum temporis non edito, jam vero Tom. X. Antiquitt. Græcar. Gronovii exſtanti, hie affert *Alex. Morus* pag. 195. parum huc pertinet, quod inſpicienti patebit.

Cl. *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraic. pag. 927. exponit : *ne excidamus*, nempe veritate religionis, & gratia ſalvante; metaphora ab aquis depromta, quas, in vas aliquod ingerendas, ex inadvertentia præterlabi ſinimus. Hoc ſenſu *Symmachus Prov.* IV. 21. אל יליזו מעיניך reddit: *μὴ παραῤῥυησάτωσαν ἐξ ὀφθαλμῶν σου*, *ne* (verba mea) *recedant*, vel, *excidant ab oculis tuis.* *Provocat* etiam ad *Heſychium* : *παραῤῥυῇς*, *μετεωρισθῇς*, *παραπέσῃς*. Sic video, *Photium* in Lexico MS. *παραῤῥυῶμεν* interpretari per *παραπέσωμεν*, qui omnino noſtrum locum reſpexiſſe videtur. Sic quoq; *Chryſoſtomus*, *μήποτέ*, *φησι*, *παραῤῥυῶμεν*, *τουτέστι*, *μὴ ἀπολώμεθα*, *μὴ ἐκπέσωμεν.* Eandem interpretationem ornat *Elsnerus* pag. 337. Affert is inter cetera *Plutarchum*, in Amatorio pag. 754. de annulo excidente dicentem : *ὡς μὴ παραῤῥυῇ δεδιώς*, *ne defluat timens*, & *Curtium* VII. 7. qui ex equo in terram defluere dixit. Non diffiteor, hanc ſententiam præ ceteris & mihi probari. Hic enim ſignificatus verbi *παραῤῥυεῖσθαι* reſpondet egregie uſui *τῶν* LXX. Proverb. III. 21. ſi reſpiciatur ad radicem Hebraic. לוז & comparentur, quæ de eadem commentatus eſt *Guſſetius* in Commentar. L. Hebr. pag. 433.

Verſ. 2. *Εἰ γὰρ ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος ἐγένετο βέβαιος*] Diſputatur hic ab Interpretibus, quo ſenſu lex per Angelos prolata dicatur; utrum ſcilicet nuda eorum *præſentia*, an *promulgatio* per eosdem facta ſignificetur. Vide, quæ de hoc argumento diximus ad *Actor.* VII. 53. & compara inprimis Celeb. *Elſneri* eruditam Exercitat. Theologicam de Lege Moſis per Angelos data, Lugd. Bat. 1719. quæ inter cetera hoc & ſequentia aliquot commata illuſtrat. Interim omni hac diſputatione ſuperſedere liceret, ſi *λόγον* non de lege Moſaica, ſed de quibuscunque aliis promiſſis, præceptis vel minis, per Angelos ad homines etiam ante Legem, delatis interpretemur. Ita ſentiunt multi à *Calovio* noſtro allati. Illis acceſſit *Theodorus le Blanc* in Principiis contra Socinianos Gallice editis Part. I. pag. 36. ſqq. & Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis p. 927. Ajunt illi inter cetera, non omnino contemnenda, quod de promulgatione legis diſerte dicatur, *& dixit Deus.* At non dubito, de lege hic æque ſermonem eſſe atque *Act.* VII. 53. & *Gal.* III. 19. Et Deus tanquam auctor legis æque dici poteſt locutus eſſe, ſi miniſterio Angelorum uſus fuit, quam ſi ipſe legem promulgavit : quemadmodum l. 1. locutus dicitur per Prophetas. Quamvis dubium mihi adhuc ſit, quod ad *Act.* VII. 53. etiam profeſſus ſum, num illa *locutio*, per Angelos facta, de *præſentia* eorum, an ipſo *miniſterio* ſit interpretanda. Ad h. l. nihil refert, utrum amplectaris. Utrinque enim neceſſe eſt, præconio Evangelico majorem conſtare auctoritatem, quippe quod non per Angelos, ſive *præſentes*, ſive *adminiſtrantes*, ſed per Chriſtum, Dei Filium, ad homines eſt perlatum. Ad legem tamen reſpici ex commemorata mox pœna, transgreſſoribus inflicta, perſuaſum mihi

mihi eſt. Per eam enim omnino indicantur ſupplicia, prævaricatoribus legis divinæ inflicta.

Per *ἀγγέλους*, non *ſpiritus* illos *cæleſtes*, ſed Prophetas, Doctores & Sacerdotes V. T. intelligi vult B. *Gothofr. Olearius* in Analyſi epiſtolæ ad Hebr. pag. 11. tanquam qui angelorum nomine paſſim appellentur. *Id enim,* inquit, *hic maxime agitur, ut Chriſti, magni Prophetæ, præ ceteris oſtendatur ἐξοχὴ, quibus* עולם הבא *οἰκουμένην μέλλουσαν*, h. e. *Eccleſiam & regnum Meſſiæ non ſubjecerit.* Cum vero in toto fere capite antecedente Chriſti dignitas, tanquam Angelis ſuperior, demonſtrata ſit ab Apoſtolo, non video, qui fieri poſſit, ut Angelorum nomen alio ſenſu hic induamus.

Verſ. 3. Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα ] *quomodo nos effugiemus ?* i. e. quomodo nos abſolvemur; Hoc certe ſenſu occurrit verbum apud *Ariſtophanem* in Veſpis v. 988. - - - *ἐκπέφευγας, ὦ Λάβης*, ubi Latinus Interpres ad literam vertit; *effugit Labes*, cum ſenſus requirat, *abſolutus es, ô Labes.* Scholiaſtes ita : *ὡς ἀριθμηθεισῶν τῶν ψήφων, καὶ τῶν ἀπολυουσῶν τῶν πλειόνων.* Ibid v. 991. *Οντως ἀπέφυγε; vere ne abſolutus eſt?* Scholiaſt. *ὑπεξελύθη, γενόμενος ἐκτὸς τιμωρίας τοῦ φεύγοντος.* *Εκφεύγειν* igitur idem eſt, quod *ἀποφεύγειν*, & utrumque de eo uſurpatur, qui non condemnatur inſtar rei, ſed excuſatur vel abſolvitur : quemadmodum *φεύγειν* idem Atticis eſt, quod *κατηγοροῦμαι, accuſor, reus ſum.* Confer *Thomam Magiſtrum* de dictionibus Atticis pag. 191. ſub *φεύγω*, ibique notas *Lamb. Boſii.* Senſus loci fuerit, *quomodo cauſam noſtram ita agemus, ut non illa cadamus, & condemnemur?*

*ἥτις ἀρχὴν λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ Κυρίου* ] Phraſi illa *ἀρχὴν λαβεῖν* frequenter uti *Polybium*, oſtendit *Raphelius* in Annotatt. Polybian. pag. 634. Sic v. c. p. 185. *ὁ πόλεμος ταύτην ἔλαβε τὴν ἀρχήν.* De argumento, de quo hic agitur, commentatur *Rob. Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 550-554.

*ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη* ] *Τὸ εἰς ἡμᾶς* Hebr. לנו i. e. *nobis*, reſpondere, atque adeo pro hebraiſmo habendum viſum eſt multis, quos affert *Starckius* ad h. l. & ipſe ita ſentiens. Sed commode particulæ *εἰς* communior ſignificatus relinquitur, ut idem ſit, quod *usque ad nos*, qui ſcilicet opponuntur illis, ad quos primum præconium Evangelicum ex ore Chriſti devenerit, hinc ad ceteros, qui non ex eodem audiverant, cum certitudine & animi convictione derivatum. Ceterum *Platonem* in *Timæo* pag. 1040. & de Republ. pag. 641. idem exprimere per *βεβαιοῦν τι παρά τινι*, Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. ab Ebraismis lib. III. p. 352. obſervat. Porro pugnare hæc nonnullis viſa ſunt cum *Gal.* I. 12 ubi Paulus ait, ſe nihil a quoquam doctum eſſe, ex eoque factum eſt, ut iidem Pauli eſſe epiſtolam negarent. Sed recte his repoſitum eſt, Paulum ita per communicationem, ipſi alias receptam, loqui, quamvis Ex-Judæos, doctrinam Chriſtianam ab aliis edoctos, proxime intelli-

gat. Vide quæ ex noſtratibus hanc in rem dicit *Seb. Schmidius* in commentario h. l.

Verſ. 4. *Συνεπιμαρτυροῦντος τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ.*] Vide *Rob. Gellum* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. p. 554-563.

*σημείοις τε καὶ τέρασι καὶ ποικίλαις δυνάμεσι*] De harum vocum differentia lege Vol. I. pag. 833. De argumento ipſo vide *J. G. Abichtii* diſſertationem ſingularem de miraculis Apoſtolorum.

Verſ. 5. *Ου γὰρ ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν*] Per *mundum futurum* hic procul dubio tempora Novi Teſtamenti indicantur. Hoc enim & nexus ſermonis Apoſtolici poſtulat, in quo præconii Evangelici initium ſermoni, per Angelos olim facto, opponitur, & phraſis, Judæis ſimili ſenſu familiariſſima, עולם הבא requirit. Confer *Lightfootum* Tom. I. Operum Anglican. pag. 209. & 331. *Witſium* Tom. I. Miſcellaneorum p. 631. & inprimis B. *J. G. Neumannii* Programmata pag. 178. ſq. ubi de ſilentio Revelationum Angelicarum poſt exceſſum Apoſtolorum diſſeritur. Adde quoque *Jo. Marckium* in Exercitatt. Exegeticis num. XLVI. pag. 730. ſqq. & *Elsneri* diſſertat. laudatam pag. 46. ſq. ubi prærogativa Novi Teſtamenti præ Veteri ex hoc etiam momento derivatur. *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto p. 596. ſq. de ſeculo illo accipit, quod adventum Chriſti ſecundum excipiet, i. e. de regno millenario. Totum comma exponit *Rob. Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 564-568. & *Joſ. Mede* in Opp. Anglican. pag. 577.

Verſ. 6. *Διεμαρτύρατο δέ πού τις λέγων*] Hæc allegandi Scripturam formula alias vix occurrit. *Schœtgenius* eam confert cum illa Judæorum אמר כתב ההוא *Dicit Scriptura quædam.* Iidem vero ההוא pro *quidam* adhibent, ſicut Græci dicunt *ὁ δεῖνα.*

*Τί ἐστιν ἄνθρωπος, ὅτι μιμνήσκῃ αὐτοῦ, κ. τ. λ.*] Petita hæc ſunt ex *Pſalmo* VIII. 5. cum quo allegationem Paulinam comparant, & rem ipſam, de qua agitur, exponunt ex noſtratibus Auctores des frenwilligen Heb-Opfers Tom. III. pag. 266. ſqq. *Jo. Grammius* diſput. III. de allegatione verſionis τῶν LXX. in N. T. pag. 51 ſqq. & *Wokenius* Harmonia V. & N. T. Part. II. pag. 263. ex aliis vero *Rob. Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 569. ſqq. & *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 604. Ter Pſalmus ille allegatur in N. T. nempe *Matth.* XXI. 16. 1 *Corinth.* XV. 27. & h. l. ſemperque ad Meſſiam transfertur, & in primo quidem loco adverſus Phariſæos, qui, cum nihil contra exceperint, *Schœtgenio* pag. 929. Horarum teſtimonium edidiſſe videntur, hymnum illum de Meſſia intellectum fuiſſe, quamvis alias Judæi verba hæc nunc de *Adamo*, nunc de *Moſe*, quod idem oſtendit, interpretentur. Ipſe vir doctus pro objectione habet, quod & *Eraſm. Schmidius* obſervavit, quam Paulus

non

Digitized by Google

non ex mente ſua, ſed adverſariorum, formet, hoc ſenſu: Tu tam magnifice de Meſſia veſtro, qui homo eſt, tradis: atqui vero, ipſo Spiritu S. teſte, homo non dignus eſt, quem Deus ad tantum faſtigium extollat. Ad eam vero putat reſponderi v. 9. quod ſcilicet omnia, quæ Judæi adeo detorqueant, in Meſſiam ſingulari quadam ratione cadant. Ceterum præter Pſalmorum Interpretes comparari hic poterunt *Guſſetius* in Veſperis Groninganis pag. 380. ſq. & *Druſius* in Quæſt. Hebraic III. 77. & 78. & lib. II. 22.

Verſ. 7. Ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλȣς, κ. τ. λ.] Vide *Robertum Gellum* in Reliquiis Tom. II. pag. 572-574. *Richardum Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Parte II. pag. 265. ſq. & *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emmuna* Parte II. cap. 96. §. 1. & 6. Verba hæc commatis prima recte ita vertuntur: *Feciſti eum pauliſper angelis inferiorem.* Hæc enim eſt vis vocis ἐλάσσων & ἐλάχιςος *Matth.* V. 19. 1 *Corinth.* XV. 9. & *Matth.* II. 6. Non probo *Guſſetium*, quando in Commentar. L. Hebr. voce אלהים nota E. 3. vocem אלהים in Pſalmo ipſo de *Deo* accipiendam contendit, Paulum autem verſionem τῶν LXX. non tam approbaſſe, quam in uſum ſuum convertiſſe exiſtimat. Idem ante ſenſit *Jac. Faber*, Stapulenſis, de quo lege *Rich. Simonis* Hiſt. Criticam Interpretum N. T. pag. 491. Conf. etiam *Clerici* Biblioth. Selectam Tom. V. pag. 225. ſq. Sane Judæi ipſi, & verſionem illam & Paulinam interpretationem ignorantes, de Angelis expoſuerunt. Vide Paraphraſin Chaldaic. R. *Salomon Iſaacidem*, *Aben Eſram*, & *Kimchium*. Longius à ſcopo Apoſtoli omnino receſſit *Nicol. Holtius*, V. D. M. in Apophoretis Sacris diſſ. II. pag. 45. ſqq. quando Pſalmum illum non de Chriſto, capite Eccleſiæ, ſed de Eccleſia, ſeu corpore Chriſti myſtico, interpretatur. Lege Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1732. pag. 568. & quæ ibidem recte opponuntur. Quæ *Emſerus* contra verſionem & gloſſam Lutheri attulit, ea diluit *Raithius* in Vindiciis pag. 571.

Verſ. 9. τὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλȣς ἠλαττωμένον βλέπομεν τὸν Ἰησȣ͂ν κ. τ. λ.] Inſpice B. *Thom. Ittigii* commentarium in partem Pſalmi octavi Paulinum expenſum Lipſ. 1702. ed. & in Opuſculis ejusdem num. II. recuſum. Per ἀγγέλȣς hic iterum B. *Gothofr. Olearius* intelligit Prophetas & doctores V. T. tanquam, quibus Chriſtus, *legi* ſcilicet *ſubjectus*, una cum aliis fidelibus Vet. Teſt. pro œconomiæ illius indole ſubjectus fuerit. Vide ejus Analyſin epiſtolæ ad Hebræos pag. 11. & compara, quæ ad v. 2. contra hæc dicta ſunt. Secutus eum eſt *Amelius* Parte I. pag. 356.

Voces βραχύ τι de menſura vel deminutionis, vel temporis, quo deminutio duravit, accipi poteſt. Utriusque ſententiæ rationes expoſuit *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. voce מעט p. 476. ſq. recte exiſtimans, de temporis menſura ſermonem eſſe, ejusque initium inde ab ipſa incarnatione repetens. *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. p. 48. poſt βραχύ τι intelligit *διάςημα*, *intervallum*,

 Cete-

Digitized by Google

Ceterum hæc verba vix ſine trajectione aliqua explicari poſſunt. Eam vero alii aliam ſtatuunt. *Beza* ita vertit : *Sed Jeſum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui pauliſper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſſionem, ut beneficio Dei pro omnibus mortem guſtaret.* Idem ſcilicet eſt, ac ſi ita ſcriptum fuiſſet : βλέπομεν δὲ τὸν Ἰησοῦν δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους ἠλαττωμένον διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Eum ſequitur *Gatakerus* in Adverſariis Poſthumis cap. 37. pag. 821. Opp. Critic. & ex noſtratibus *Starckius* ad h. l. *Hombergius* vero ſic : *Cernimus vero Jeſum illum, qui pauliſper inferior fuit factus Angelis, ut gratia Dei pro omnibus mortem guſtaret, gloria & honore coronatum.* Ita quoque *Olearius* in Analyſi pag. 11. Conſuli vero etiam ſenſui poteſt, ſi verba, διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον per parentheſin à reliquis ſeparemus, quæ Rev. *Zeltneri* ſententia eſt in notis ad h. l. Parum refert, quid ex his eligas. Ceterum δόξαν καὶ τιμὴν ſimiliter *Lucianum* & *Herodianum* conjungere oſtendit *Lamb. Bos* in Exercitationibus pag. 238.

ὅπως χάριτι Θεοῦ] Codices aliquot pro χάριτι legiſſe χωρὶς, teſtis eſt *Hieronymus* Comment. in *Gal.* II. atque ita Patres quoſdam Græcos & Latinos citaſſe oſtendit *Millius* ad h. l. triplicem præterea ſenſum promens, qui phraſi illi χωρὶς Θεοῦ tribui potuerit. Ipſe interim tum h. l. tum in Prolegomenis paſſim pro recepta lectione pugnat, monens præterea, codices Græcos & Latinos omnes in ea conſentire. Confer *Pet. Fabrum* Semeſtrium lib. III. pag. 158. *Whitbium* pag. 75. & *Pfaffii* Diſſertat. de Variant. Lection. N. T. pag. 195. Placuit tamen ex altera parte illud χωρὶς *Bezæ*, & *Colomeſio* pag. 46. Obſervat. Sacrar. & in idem inclinare videtur Cl. *Bengelius* in Prodromo N. T. Græci adornandi, (qui libris Chryſoſtomi de Sacerdotio ab ipſo editis præmiſſus eſt) pag. 10. ideo inprimis, quod ita in membranis Uffenbachianis diſerte legatur. Illi vero ita interpretantur, ut Chriſtus perpeſſus dicatur, μὴ ὢν ἴσα Θεῷ ex *Philip.* II. Recte his opponit *Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova T. XXVI. Part. II. pag. 420. quod hæc phraſis χωρὶς Θεοῦ nuſquam, altera vero illa χάριτι Θεοῦ aliquoties in N. T. legatur. Vide, quæ pro hac tenenda dixit *Ittigius* in diſſertat. ante laudata.

ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου] Phraſin hanc Hebraiſmi ſuſpicione onerant multi, v. c. *Moſes Solanus* de Stilo Nov. Teſt. contra Pfochenium in Syntagmate Rhenferdiano pag. 309. & *Gatakerus* de Stilo N. T. pag. 243. Vide tu, quæ ſcripſi ad *Matth.* XVI. 28. & *Joh.* VIII. 52. Illius mentionem non video fieri in Cl. *Georgii* Vindiciis Nov. Teſt. ab Hebraiſmis, opera alioquin egregia, & lucernam olente.

Verſ. 10. Ἔπρεπε γὰρ αὐτῷ, δι᾽ ὃν τὰ πάντα κ. τ. λ.] Ad tacitam quandam Judæorum objectionem hic reſponderi exiſtimat *Schœtgenius* pag. 931.

Illi

Illi enim Meſſiam non moriturum pugnabant, quorum veſtigiis inſiſtit *Bechai* in Pentateuchum fol. 21. 1. & *Maimonides* de Rege Meſſia in calce capitis I. Senſum commatis exponunt inter noſtrates diſputationibus ſingularibus, *J. J. Zeugravius* de eo, quod Deum decet, Argentorati 1677. *J. Fr. Mayerus* de Principe ſalutis ex eo, quod Deum ita decebat, per paſſiones conſummato. Kilonii 1693. & *Michael Færtſchius*, de Decoro divino in ordinandis in Chriſto rationibus ſalutis & pietatis, pag. 24. ſq Conf. præterea Rev. *Henr. Scharbau* in Parergis Theolog. Parte III. pag. 129. Programma Paſchale Wittebergenſe An. 1718. in *Gabr. Terne* Sylloge Programmatum recuſum pag. 814. Programma Paſchale Jenenſe anni 1732. de Duce ſalutis ſuppliciis perfecto, *Petavium*, item Tom. V. Dogmatum lib. II. cap. XV. §. 3. ſqq. & lib. XII. cap. IX. §. 7. & cap. X. §. 9. necnon *Coccejum* Tom. VI. Operum inter epiſtolas p. 24. b.

πολλὺς υἱὺς εἰς δόξαν ἀγαγόντα] i. e. *qui multos filios in gloriam ducturus, eſſet*, quem ſenſum & participii forma & res ipſa inprimis commendat. Vide *Calovium*, *Sebaſtianum Schmidium* & *Starckium* in Notis Selectis p. 14.

διὰ παθημάτων τελειῶσαι] *per adflictiones conſecraret.* Ita *Eraſmus Schmidius* & *Beza*, cujus notas compara. Nec aliter *Joſ. Medus* in Fragmentis Sacris Faſcic. X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectantium pag. 255. LXX. Interpretes eo verbo hoc ſenſu utuntur, ubi de conſecratione & inauguratione Sacerdotum ſermo eſt. Compara in eandem ſententiam *Schœtgenium* pag. 932. Scilicet Sacerdotes Veteris Teſtamenti per mortem & victimas animalium, Chriſtus vero per mortem & victimam ſui corporis inauguratus eſt. Interim cum Chriſtus etiam ante mortem Sacerdotio illo functus ſit pro hominibus, variis perpeſſionibus exantlatis, adeoque huic officio inauguratus cenſeri debeat, non video, quomodo inauguratio illa ſimpliciter ad mortem ejus referri poſſit, inprimis, cum, vita functus, ſacerdotio ſuo in tantum perfunctus ſit. Itaque perſtiterim fere in ſignificatu *conſummandi*, vel, *perficiendi*, de quo conferes *Jacobi Lydii* Agoniſtica Sacra pag 129.

Verſ. 11. Ὅτε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες] Legendi hic ſunt *Feſſelius* Tom. II. Adverſariorum Sacrorum pag. 502. *Jo. Franciſc. Buddeus* in Programmate de aucta per incarnationem Chriſti humani generis dignitate, quod exſtat in Meditationibus ejus ſacris à M. Joanne Davide Leonardo, Jenæ 1725. editis, pag. 191. ſqq. *Henricus Scharbau*, in Parergis Philologico-Theologicis Parte III. pag. 105. ſqq. ubi de una origine Sanctificantis & Sanctificatorum, *Cloppenburgius* Tom. I. Operum pag. 934. *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. cap. 17. §. 9. & *Ewaldus* in Emblematibus Sacris Parte I. pag. 166.



Digitized by Google

ἁγιαζόμενοι] i. e. purificandi à labe peccati per Chriſtum. Vide *Vitringam* ad Jeſ. LVI. 3. Tomo II. Commentarii pag. 727.

οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν] Fecit vero illud tanquam גואל. Lege *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. red. גאל, in Addendis pag. 949. Deum Iſraëlitas cognatos ſuos vocaſſe tradunt ex Pſalm. CXLVIII. 14. Judæi: vide *Schœtgenium* pag. 932.

Verſ. 12. Λέγων. ἀπαγγελῶ τὸ ὄνομά σου τοῖς ἀδελφοῖς μου] Ex Pſ. XXII. 23. ſq. hæc deprompta eſſe conſtat, quæ cum codice Hebr. & τοῖς LXX. comparata leges à *Surenhuſio* in lib. καταλλαγῆς pag. 607. & *Wokenio* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 308.

Verſ. 13. Ἐγὼ ἔσομαι πεποιθὼς ἐπ' αὐτῷ] Unde hæc petita ſint, ampla eſt & impedita inter Interpretes diſputatio, adeo, ut Celeb. *Joannes Grammius* Diſputat. III. de allegatione verſionis LXX. viralis in Nov. Teſtam. pag. 52. moneat, *ſe vix majora ſententiarum diſſidia de aliis inventionis difficillimæ allegatis obſervaſſe.* Nihil definit B. *Olearius* in Analyſi epiſtolæ hujus pag. 12. quamvis in eam pendere videatur ſententiam, quod ipſa hæc verba conſtituant partem non *Pſalmi* XVIII. ſed *Jeſaiæ* cap. VIII. 18. unde ſequentia: ἰδοὺ ἐγὼ, petita ſunt, & quibus in τοῖς LXX. noſtra hæc: ἐγὼ ἔσομαι &c. eadem ratione præmittuntur. *Veruntamen*, ita pergit, *dixerit forte aliquis, ex præcedentibus, amanuenſis errore, eas* (voces) *irrepſiſſe. Antiquus autem ſit oportet ille amanuenſis error, cum verſiones veteres notas quidem omnes occupaverit.* Hæc quidem τῷ μακαρίτῃ nollem excidiſſe. Repræſentabo rem omnem laudati *Grammii* verbis, qui potiora luculente eſt complexus. *Primum*, inquit, *ſine dubio momentum* (diſſenſionis) *in hoc extitit, quod viderent, verba Hebr. II. v. 13. pertinere omnino ad Meſſiam, de quo nonnulli locum Eſaianum cap. VIII. verſ. 17. intelligere prorſus noluerunt: ideoque vel ad Pſalmum XVIII. 3. ubi LXX.* ἐλπιῶ ἐπ' αὐτὸν *(quaſi Apoſtolus ſua:* ἐγὼ ἔσ. πεπ. ἐπ' αὐτὸν*, non ex veteri translatione ſumſiſſet, ſed ex Hebr. vertiſſet ipſe) vel ad 2 Sam. XXII. 3. ubi eadem atque in Eſaia, verba, nos ablegarunt. Alteram rationem ex particula* πάλιν *deductam illis videas, interpoſita in hoc verſu (Hebr. II. 13.) inter utrumque dictum, ab Apoſtolo ibidem allegatum; quaſi iſta nunquam particula fuiſſet uſus, ſi ex una eaque continua Propheta oratione utrumque locum deſumſiſſet: eam vero tunc tantummodo adhiberi, cum ex diverſis aut libris Vet. Teſtam. aut ſectionibus loca promantur. Hoc qui ſolo fundamento nituntur, eos non tantum ad Pſalm. XVIII. aut 2 Sam. XXII. ſed etiam ad Eſ. XII. 2 (ubi ipſa hæc verba:* πεποιθὼς ἔσομαι ἐπ' αὐτῷ *in LXX.) videbis inclinare. Nos autem rectiſſimum arbitramur iis accedere, qui ex Eſaiæ VIII. utrumque volunt dictum arceſſitum, neque in diſſentientium argumentis, Bezæ ſcilicet, Zegeri, Fr. Junii, Parei, Hunnii, Gerhardi, Piſcatoris, Deodati, Genevenſium, Belgarum, Winarienſium, Mareſiorum, Cocceji*

ceji, Oweni, Altingii, Wittichii, Surenhuſii, aliorumque, multum adeo ponderis ineſſe perſuaſi ſumus. Nempe hoc extra dubium collocamus, Eſaiæ VIII. v. 17. Meſſiæ potius orationem referri, quam Prophetæ, ut recte locum expoſuerunt Brentius, Schnepſius, Heinſius, Schmidius, alii, uberrimeque Vitringa, quorum conſuli poſſunt commentarii. Neque neceſſe erat, ut Surenhuſius, in Conciliat. pag. 608. a nobis quæreret, quid commune habeat verbum, קוה, exſpectare, (quod Eſaiæ VIII. eſt) cum חסה, fiduciam collocare? Quaſi adeo magnum eſſet diſcrimen inter ſpem & fiduciam, talemque exſpectationem, qualis Pſalm. XXV. 5-21. Pſalm. XXVII. 14. Pſalm. XXXIX. 8. Pſalm. XXXVII. 34. Pſalm. XL. indicatur. Igitur illud ipſum verbum קוה οἱ LXX. non tantum verterunt ὑπομένειν, (quomodo pleriſque Veteris Teſtamenti locis, atque hoc noſtro Eſaiano Aquila; Symmachus autem, καὶ ἀναμενῶ αὐτὸν,) ſed & πείθω, cum hic, tum & Eſaiæ XXXIII. 2. item ἐλπίζω Eſaiæ XVIII. v. 7. & XXV. 7. & XXVI. 8. Pariter & יחל ſæpe ipſis ἐλπίζω in Pſalmis, & Eſaiæ XLII. 4. Suffecerit igitur ad ſcopum Apoſtoli accommodata inveniri Prophetæ verba, ſive Hebræus textus, ſive Græca Interpretatio conferatur. Sed & magna urgent fiducia diſſentientes argumentum a particula πάλιν ſumtum, ut nonnullis quoque, pro vindicando Eſaiæ loco militantibus, ſolicitudinis haud parum injiciant. Fruſtra ſane. Et quis docuit illos, rogabo, vel Hebræorum Magiſtris, vel præſertim Apoſtolis voculam πάλιν nunquam in uſu eſſe, niſi diverſus locus indicetur? Ipſene doctiſſimus vir, ex cujus libro pag. 608. verba iſta exſcribo, adeo ſui eſt immemor, ut ſcriptorum ſibi jam ante theſi XV. de Formulis allegandi pag. 11. oblitus ſit? Sic autem ibi: ואומר, & dicit, i. e. porro dicit; nempe Dominus in verbo ſuo. Aliquando additur: ועוד, & amplius, qua formula uti ſolent, quando ex primo loco allegato veritas nondum ſatis probata eſt, verum ex commate NB. ſequenti, vel alio quodam loco confirmari debet. Sic in Berachoth fol. 2. 2. allegatur Nehem. VI. 15. & poſtea comma 16. additur per ואומר. Quid quod in fine ejuſdem Theſeos adducit exempli loco V. C. locum noſtro geminum, videlicet Hebr. X. 30. nec minus in ipſa Conciliat. pag. 645. agnoſcit duo teſtimonia, ex uno contextu Cantici Moſaici Deuteron. XXXII. 35. 36. Apoſtolum produxiſſe, ex duobus proxime conjunctis verſibus, interpoſita eodem modo, atque Hebr. II. 13. formula πάλιν. Et poſt pauca: Plura pro noſtra ſententia ſubminiſtrabunt præter laudatos (Heinſium & Grotium) Druſius in Parallelis, Eſtius, Menochius, Camero, Calovius, Dorſcheus, David Martinus, Samuel S. Nemethus aliique. Hæc, etiam prolixiora, ex diſſertatione, quæ in paucorum eſt manibus, deſcribenda putavi, cum rem omnem mihi conficere videantur. Dignus quoque eſt, qui in eandem ſententiam legatur Vitringa in commentario ad h. l. Tom. I. pag. 224. Inter cetera velim ad illa attendas: Imo vero, inquit, Apoſtolum hunc potius locum noſtrum reſpicere, (quam Pſalm. XVIII. 3.) patet ex ipſo themate, quod ſibi hic probandum ſumit, quod eſt in verſ. 11. cum qui ſanctificat, & qui ſanctifi-

Digitized by Google

ctificantur, eſſe *ex uno, h. e. unius naturæ humanæ conſortes eſſe debere. Nimirum Apoſtolus hunc ipſum locum noſtrum in oculis habuit, ubi* Jehova *dicitur* futurus *populo ſuo* in SANCTVARIVM, *medium luſtrationis & ſanctificationis; cui tamen mox tribuitur oratio, quæ non poterat niſi* homini *convenire, qualis hæc eſt*: Ego confidam ipſi, *vel* exſpectavi, *aut*, exſpectabo ipſum, (*perinde enim eſt, & Hebræa utrumque ferunt*) *&*: Ecce ego, & pueri &c. *unde evicit ille*, Jehovam, ſanctificaturum populum, *ſe manifeſtum facere debuiſſe, & facturum eſſe in natura humana, ut magnum hoc opus gratiæ abſolveret.* Eadem ſententia ſe probavit *Starckio* loc. cit. fere etiam Cl. *Wokenio* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 292. ſqq. qui tamen denique cum *Seb. Schmidio* ad Pſalm. XVIII. reſpectum fuiſſe exiſtimat.

Nuperrime Cl. *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 933. ad Jeſ. XLII. 1. hæc refert. Rationes apud ipſum legantur.

*Καὶ πάλιν· Ἰδοὺ ἐγὼ, καὶ τὰ παιδία, ἅ μοι ἔδωκεν ὁ Θεὸς* ] Vide, quos paulo ante laudavimus.

Verſ. 14. *Ἐπεὶ οὖν τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος κ. τ. λ.* ] Conſulendæ ſunt ſingulares diſſertationes *Andreæ Kunadi* de Incarnatione filii Dei, Wittebergæ 1655. *Abrahami Calovii* de præexiſtentia Filii Dei ante Mariam, ibidem 1669. & *Michäelis Waltheri* de Jeſu ante Mariam, ibidem 1688. Ex Patribus ad hæc commentatur *Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. V. lib. II. cap. 8. §. 5. & lib. III. cap. 8. §. 7. & cap. 11. §. 5. De re ipſa diſſerunt *Philippus Jacobus Spenerus* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag. 406. *Joannes Jacobus Cramerus* in Theologia Iſraëlis, Parte I. pag. 220. & *Robertus Gellus* in Reliquiis, Anglice editis, Tom. II. pag. 575 - 586.

*καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν* ] Vox *παραπλησίως* non eſt *propemodum*, aut, *fere ſimiliter*, ſed *plane ſimiliter*, h. e. *οὐ δοκητῶς, οὔτε φαντασικῶς, ἀλλ᾽ ἀληθῶς καὶ ὄντως.* Hoc ſenſu adjectivo *παραπλήσιος* utitur *Arrianus* de Expedit. Alexand. VII. 1. 9. *ἄνθρωπος ὢν παραπλήσιος τοῖς ἄλλοις.* *Herodotus* autem lib. III. pag. 230. vim vocis *παραπλησίως* nonnihil diminuturus *σχεδὸν* addit: *μεσοῦσα δε ἡμέρη σχεδὸν παραπλησίως παίει τοὺς τε ἄλλους ἀνθρώπους καὶ τοὺς Ἰνδούς.* Lege, quæ hanc in rem obſervavit Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis & Arrianis.

*καταργήσῃ τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου* ] *Κράτος ἔχειν* dicitur, penes quem ſumma eſt imperii. Sic *Ariſtophanis* in Theſmophoriazuſ. pag. 814. *τίς τῶν δ᾽ ἐρυμνῶν δωμάτων ἔχει κράτος*; *Herodotus* lib. III. pag. 215. *τὸ Περσέων ἔχων κράτος, qui regnum Perſarum obtinet.* Hæc & plura alia loca afferunt *Lambertus Boſius* ad h. l. *Raphelius* in Herodoteis pag. 601. ſq. & *Jo. Alberti* pag. 419. qui monet, *θανατοκρατοῦντα* dici poſſe, ſicut *θαλασσοκρατεῖν* dixit *Arrianus* de Expedit. Alex. lib. II. pag. 90. 91. 92. & 94. *Κράτος* etiam Impe-

Imperatorem, ſed *αὐτοκράτορα*, dici, oſtendit Cl. *Geſnerus* ad Luciani Philopatr. pag. 203.

*τȣτέςι, τὸν διάβολον*] Ita Satanam Judæi מלאך המות, *Angelum mortis* appellant, סמאל alias vocatum. Vide loca apud *Starckium* in Notis Selectis pag. 16. *Schœtgenium* pag. 935. & *Eiſenmengerum* in Judaiſmo detecto Part. II. pag. 821. ſq. Ridiculum errorem hic erravit recens Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quando pag. 841. in Notis hanc in rem citat *Talmud Baba Bathra in Maimonidem de morte Moſis.* Scilicet non recte intellexerat *Grotium*, ex quo hoc omne mutuum ſumſerat. Is vero Codicem Talmudicum *Bava Bathra* à libro de morte Moſis, quem *Maimonides* afferat ſatis diſtinxerat.

Verſ. 15. *Καὶ ἀπαλλάξῃ τȣ́τȣς, ὅσοι κ. τ. λ.*] Inſpice *Roberti Gelli* Reliquias Tom. II. pag. 587. 597. Intelligendum ex ſequentibus eſt, *τȣ̃ φόβȣ θανάτȣ.* Sic etiam *Polybius* pag. 108. *ἐπὶ ποσὸν αὐτȣ̀ς ἀπαλλάξας τῆς προγεγενημένης δυσελπιςίας.* Vide *Raphelium.*

*ὅσοι φόβῳ θανάτȣ*] Vocibus his bis utitur *Achilles Tatius* lib. III. pag. 163. obſervante *Alberti*, pag. 419.

*διὰ παντὸς τȣ̃ ζῆν*] *per omnem vitam.* Sic *Polybius* pag. 151. *ἐκ τȣ̃ ζῆν ἐξεχώρησαν.*

*ἔνοχοι ἦσαν δȣλείας*] *obnoxii erant ſervituti*, h. e. ita animo affecti, ut ſervi ſolent, qui heros ſuos metuunt, tanquam vitæ & necis eorum dominos. Ita *Arrianus* de Expedit. Alexandri III. 11. 2. *τὸ δέος* ait *τὰς γνώμας δȣλωσάμενον.* Vide *Raphelii* Annotationes Xenophonteas & Polybianas, nec minus *Elsnerum* pag. 338.

Verſ. 16. *Οὐ γὰρ δήπȣ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται κ. τ. λ.*] Explicant hæc ex noſtratibus *Jo. Guil. Baierus* Diſputat. de aſſumtione ſeminis Abrahæ, Jenæ 1693. *Joannes Steenbuchius*, Theologus Hafnienſis, de Chriſto homines Angelis præferente. Hafniæ 1731. Auctores Programmatum Natalitiorum Wittebergenſium, hinc de felicitate hominum præ Angelis an. 1701. hinc de Angelorum natura à filio Dei non aſſumta an. 1726. & Helmſtadienſis an. 1727. (de quo lege Annales Acad. Juliæ Semeſtri XV. pag. 132.) ac denique Regiomontani an. 1729. auctore Rev. *Quandtio*, quo contra Apocataſtaſeos patronos diſputatur. His adde ex noſtratibus B. *Spenerum* de Deitate Chriſti pag. 406. & 413. ſqq. *Wolfburgium* in Obſervationibus Sacris pag. 47. *Joannem Marckium* in Exercitationibus Exegeticis pag. 752. & *Robertum Gell* in Reliquiis pag. 593-597.

*Οὐ γὰρ δήπȣ*] *Neque enim ſane.* Hoc ſignificatu *τὸ δήπȣ* adhibet *Plutarchus* frequenter, quod obſervavit *Bryanus* in notis ad Tom. II. Vitarum Plutarchi pag. 567. edit. Londinenſis.

ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται] *Semen Abrahæ* hic *humanam naturam* denotat, & quidem ſine Hebraiſmo, quem B. *Olearius* de Stilo Novi Teſtamenti pag. 266. huc advocat, rectius autem depellit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 245. eo quod *Thucydides* lib. V. σπέρμα Διὸς, *homines naturam divinam habentes*, & σπέρμα Ἀτρέως ſimili ratione appellat.

Verbum ἐπιλαμβάνεται *Eraſmus Schmidius* & *Beza* per *aſſumſit* exponunt, ex conſueta temporum enallage, quam exemplis munit Cl. *Georgius* loc. cit. pag. 253. Præſtat tamen, meo judicio, dicere, idem eſſe, ac ſi dixeris, nunquam ſane dicitur, nempe in ſacris literis, Angelos aſſumere, ſed ſemen Abrahæ. Ita ſupra v. 6. Idem non de *aſſumtione* humanæ naturæ, ſed de *vindicatione* & *liberatione* cum *Grotio* nonnulli interpretantur, alii quidem bona, ut puto, mente; alii vero prava, quod Sociniani faciunt. Vide contra hos *Calovium* & alios ante citatos, una cum *Starckio* pag. 17. Admitti interim poſſit, ſi *nativitas* Meſſiæ, tanquam Goëlis, præſtruatur, qui vindex eſſe poterat & debebat ex jure ſanguinis & affinitatis. Atque hoc puto velle Cl. *Schœtgenium* pag. 935. Horarum. Interim prætulerim expoſitionem priorem, quæ firmatur uſu verbi apud LXX. v. c. *Jeſ.* III. 6. IV. 1. & V. 29. *Richard. Simon* in Bibliotheca Critica Tom. IV. epiſt. 46. pag. 459. ſq. itidem vertit: *met en liberté*, in *libertatem vindicat*, atque hoc ſenſu verbum hoc occurrere putat *Eccleſiaſt.* IV. 11. Confer eundem in Hiſtoria Critica Interpretum Novi Teſtamenti pag. 753. & 922. *Ignatio* relinquendum eſt, ſiquidem, quod nonnulli volunt, ſtatuit, ne ipſos quidem Angelos ſine fide in ſanguinem Chriſti ſalutem conſequi poſſe. Vide hanc in rem *Thomæ Smithi* notas ad Ignatii epiſtolas pag. 64. & *Joannis Pearſonii* Vindicias Ignatian. II. 90.

Verſ. 17. Ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι κ. τ. λ.] Vide huc *Lütkenii* Collegium Biblicum pag. 210. *Robertum Gellum* in Reliquiis Tom. II. pag. 598 - 607. & *Henricum Morum* in Operibus Latinis p. 237.

ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς] B. *Theodorus Daſſovius* in Diſſertatione de Pontificis Hebræorum Summi Ingreſſu in Sanctum Sanctorum §. 14. exiſtimat, alludi hic ad fidelitatem, quam, interpoſito jurejurando, olim polliceri debebat Sacerdotibus aliis, facturum ſe, ne Sanctum Sanctorum ingreſſurus thus prunis injiceret, Sadducæorum more, ſed faceret illud poſt ingreſſum. Vide *Joma* cap. I. §. 5. & *Siphra* paſſim. Confer Cl. *Schlichteri* Decimas Sacras pag. 516. ſqq. cui Apoſtolus reſpicere potius videtur Moſen, ſervum Dei, qui interceſſione ſua Deum populo rebelli benevolum reddiderit ac propitium, cujusque fidelitas capite III. integro ſummis laudibus extollatur, quemadmodum *Philo* Moſen vocet ἄριστον βασιλέα, καὶ νομοθέτην, καὶ Ἀρχιερέα καὶ προφήτην δοκιμώτατον. Conf. *Hebr.* III. 1. 2.

τὰ

τὰ πρὸς τὸν Θεὸν] id eſt: *κατὰ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, in iis, quæ apud DEUM forent agenda.* Confer infra V. 1. & Rom. XV. 17. Vide *Raphelii* Annotationes Xenophonteas pag. 305. cui hac phraſi generatim innui videtur cultus divinus, quatenus ad Sacerdotum officium pertinet, ſpeciatim vero ſacrificium, quod Chriſtus corpore ſuo præſtitit, *Hebr.* VIII. 3. IX. 12. 14. cum ſtatim ſubjiciatur: *εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ.*

*εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ*] Phraſeos hujus vim omnino detrivit *Grotius* ad h. l. quando *τὸ ἱλάσκεσθαι* idem eſſe ait, quod, *efficere ne peccetur, vires ſuppeditando pro modo tentationum.* Vide contra eum *Calovium.* Ipſe Grotius de Satisfactione Chriſti cap. VII. Tom. III. Operum pag. 323. rectius ita: *Eſt hic enallage, ex Hebraiſmo veniens, ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας, cum uſitate dici debuerit ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν. Ita Hebræi* סלח *uſurpant ἐξιλάσκεσθαι ἁμαρτίας (expiat peccata) in Eccleſiaſtico ἐυιλατεύειν πάσαις ταῖς ἁμαρτίαις propitiari omnibus peccatis. Pſalm. CIII. v. 3. Significat ergo ibi expiationem, ſed eam, quæ fit placando. Alioqui hic vocis uſus nihil haberet commune cum natura vocis, ac perpetua ejusdem ſignificatione. Quare talem expiationem, qualem Socinus lib. II. cap. 16. comminiſcitur, i. e. peccati deſtructionem, quæ fit ſine placamento, iſta quidem vox ἱλάσκεσθαι, & inde derivata ἱλασμὸς denotare non poteſt.* Confer D. *Pauli Erneſti Jablonskii* Diſſertationem de inauguratione Pontificis Novi Teſtamenti, Francofurti 1730. 4.

Verſ. 18. *Ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς κ. τ. λ.*] Commentatur in hæc *Robertus Gellus* in Reliquiis Tom. II. pag. 608-615.

# CAPUT III.

Verſ. 1-6. illuſtrantur ab eruditiſſimo *J. C. Schwarzio* in Explanatione priorum verſuum capitis hujus, quæ Programmatum aliquot loco prodire cœpit Coburgi 1732. 4.

Verſ. 1. *Ὅθεν, ἀδελφοὶ ἅγιοι, κ. τ. λ.*] Videri hic poſſunt *Alethæus* Tomo III. der Erläuterung pag. 655. *Salomon Deylingius* Obſervationum Sacrarum Parte I. pag. 201. & ex editione II. auctiore pag. 331. ſqq. *Petrus Zornius* in Opuſculis Tom. II. pag. 222. *Paulus Fridericus Opitius*, Profeſſor Kilonienſis, in Programmate de Chriſto Apoſtolo & Pontifice confeſſionis noſtræ, Kilonii 1721. *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis, Tom. II. pag. 616-626. *Joannes Marckius* Exercitat. Biblic. XLV. pag. 947. *Joannes Rudolphus Salchlinus* ſingulari diſſertatione Bernæ 1722. habita, de qua Nova Literaria Helvetica anni 1722. pag. 114. exponunt, & *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. II. lib. II. cap. 3. §. 10. & Tom. V. lib. VI. 17. & XII. cap. 12. §. 1. ſqq.



Digitized by Google

*κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι*] Per *κλῆσιν* non tam actionem vocandi hic denotari, quam ſtatum vocatorum, recte obſervat *Schwarzius* loc. cit. Vide 1 *Corinth.* VII. 17. ſqq. Cur *ἐπουράνιος* vocetur, nempe, cum ratione originis, tum ratione finis, ut ad res cœleſtes perveniamus; oſtendit *Starckius* ad h. l.

*κατανοήσατε τὸν ἀπόστολον*] *conſiderate Apoſtolum*, ſeu *legatum*, ſcilicet Dei ad nos. Ita Judæi Summum Pontificem in *Joma* cap. I. §. 5. appellant שליח *Apoſtolum* ſuum, in Gemara vero etiam *Apoſtolum Dei*. Vide & hunc & alia item loca à *Daſſovio* & *Schlichtero* locis ad II. 17. citatis, *Deylingio* loc. cit. pag. 202. & *Schœtgenio* pag. 936. producta. De generaliori vocis *ἀπόστολος* ſignificatu alias diximus, de quo etiam videri poteſt doctiſſimus *Fabricius* noſter in Bibliotheca Antiquaria pag. 445. edit. prioris, & in Luce Evangelii exoriente pag. 42.

*καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν*] *& Pontificem confeſſionis noſtræ*, ut *Eraſmus Schmidius*, vel, *& Pontificem profeſſionis noſtræ*, ut *Beza*. Et ſic B. *Lutherus* : den wir bekennen. Dubium ſcilicet eſt, quid per *ὁμολογίαν* ſit intelligendum. Sunt, qui *ſponſionis*, ſeu *promiſſi* & *conventi* notionem hic obtinere cenſent. Inter hos eſt *Camerarius* & *Deylingius* loc. cit. ut ſic Chriſtus hic dicatur *ἔγγυος*, ſive *ſponſor* & *fidejuſſor* noſter, ſicut infra VII. 22. Alii *confeſſionem peccatorum* intelligunt, quam ſcilicet Summus Sacerdos populi nomine edere ſolebat. Ita *Salchlinus* & *Opitius* ll. cc. ut alios omittam. Plerique ita accipiunt cum *Luthero*, ut *confeſſionis noſtræ* idem ſit, quod, *quem nos confitemur*, ſeu, *profitemur*, quemadmodum ſcilicet Judæi ad Moſen & Aaronem, tanquam legatum Dei & S. Pontificem, provocabant. Atque hoc rectius videtur. Sic enim *ἡ ὁμολογία* ad Apoſtoli æque ac Pontificis nomen quadrat, cum alioquin, ſi ad *confeſſionem peccatorum* vox referatur, Chriſtus tantum ut *ἀρχιερεὺς* ſpectari poſſit. In hanc ſententiam lege ex noſtratibus *Calovium*, *Starckium* p. 20. & *Schœtgenium* loc. cit. ex Reformatis vero *Altingium*. His acceſſit nuper *J. C. Schwarzius* in Programmate citato pag. 15. *Malim igitur*, inquit, *ὁμολογίαν per* profeſſionem *interpretari, ut ſententia ſit, quem nos profitemur. Nam præſtantiſſimi codices pronomen ἡμῶν adjungunt nomini ὁμολογίας, non ὑμῶν. Et veritas magis illud, quam hoc poſtulat. Etenim in præceptis fidei non fere doctor ſe à diſcipulis ſegregat : ne aliter de iis ipſe, aliter diſcipuli ſentire videantur.* Idem in ſequentibus nonnulla ex Græcis Scriptoribus affert, quæ evincunt *ὁμολογεῖσθαι* & *ὁμολογίαν* in ſcriptis Hiſtoricorum ſæpe ac pene ſemper *conſenſum* & *approbationem fœderis alicujus*, vel, *pacti*, vel, *conditionem fœderis* inferre. In quam ſententiam etiam *Zornius* de hoc loco pronunciat Tomo II. Opuſcul. pag. 240. Malim ego in *profeſſionis* ſignificatu acquieſcere, inprimis ideo, quod infra cap. IV. v. 14. *κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας* idem omnino obtineat, nec alio ſenſu unquam in Nov. Teſtam. uſurpetur, quemadmodum

Digitized by Google

admodum & τὸ ὁμολογεῖν ſimiliter uſurpatur v. c. *Luc.* XII. 8. ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοί. & *Rom.* X. 9. 10.

Verſ. 3. Πιϛὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτὸν] Lege *Henr. Scharbau* Obſervatt. Sacras Parte II. pag. 147. ſqq. & *Rob. Gellum* in Reliquiis p. 627-633. Interpunctionem hic mutatam cupit doctiſſimus *Schwarzius* in Programmate laudato pag. 18. ut ſic poſt voces, ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτῦ non ſubintelligi debeat vel ἦν, vel ἐγένετο. *Lingua Græca*, inquit, *ratio & natura rei poſtulat, ut vel ex ſuperioribus verbis κατανόησε repetatur; vel inciſio minor fiat poſt nomen Moſis, major poſt verba τῷ οἴκῳ αὐτῦ. Ita ſenſus vel iſte exiſtet:* Sancti fratres, conſiderate legatum & principem Sacerdotem, quem nos profitemur, Jeſum Chriſtum, Deo muneris ſui auctorem fidelem, ſicut illum Moſes in tota ejus domo conſideravit: *vel ille*: conſiderate Jeſum fidelem (ut Moſes etiam erat) in tota domo ejus, qui tantum munus ei demandavit. Potior ſententiæ hujus ratio in eo poſita eſt, quod alioquin ratiocinatio, quam v. 3. Scriptor divinus proponit, minus cohæreat cum v. 1. & 2. *Quæ enim,* inquit, *eſt ſententia ſermonis illius?* conſiderate Jeſum Deo fidelem, ut eidem Moſes fidem ſuam probavit. Etenim majore Jeſus, quam Moſes, honore eſt dignatus. *Verum*, ita pergit, *ſi nos audias, ex priore interpunctione ſententia exiſtet illa*: Conſiderate Jeſum, Deo fidelem, ut Moſes eum in domo ſua conſideravit. Etenim majorem Deus Jeſu, quam Moſi honorem habuit. *E poſteriore vero ſententia emerget illa*: Conſiderate Jeſum in domo ſua Deo fidelem, ut Moſes itidem fuit in ſua. Nam major etiam Jeſu honor contigit e domo ſua, utpote præſtantiore. Sed, quod pace Viri eruditiſſimi dixerim, nil video, quod nos à recepta interpunctione recedere jubeat. Ellipſis illla verbi ἦν, vel γέγονε, ſimplicior eſt, magis obvia, & Scriptorum Sacrorum uſu frequentata, quam altera illa verbi κατανόησε. Hinc factum eſt, ut ipſe τὸ γέγονε in calce commatis hujus ſubintelligi voluerit, in Commentatione de Solœciſmis Diſcipulorum Jeſu antiquatis p. 124. Apoſtolus alludit hic ad *Num.* XII. 7. ubi Moſes à Deo ipſo *fidelis* dicitur *in tota domo ſua*. Sic iterum v. 5. κ͵ Μωσῆς μὲν πιϛὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ αὐτῦ ὡς θεράπων, quæ ipſa ſunt τῶν LXX. verba l. c. quos Apoſtolus utplurimum in hac epiſtola ſequitur. Hinc merito colligitur, Chriſtum hic comparari cum Moſe ratione *fidelitatis*, in obeundo munere ſuo adverſus Deum præſtitæ. Hoc fine Chriſtus II. 17. vocatur πιϛὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεόν, ſicut hic vocatur πιϛὸς τῷ ποιήσαντι αὐτόν. Hæc comparatio omnino poſtulat, ut verba Apoſtoli ita accipiamus: Conſiderate Jeſum, ut Apoſtolum, qui non minus fidum ſe præſtitit in munere ſuo, erga Deum, qui ipſum conſtituit, quam olim Moſes in munere ſuo & œconomia legali ſe probavit. In hac theſi jam latet argumentum dignitatis Chriſti, qui non minus atque Moſes fidum ſe Dei legatum præſtiterit. Cum vero Apoſtolo hoc eſſet propoſitum, ut Jeſum Moſe etiam præſtantiorem eſſe oſtenderet, accedit v. 3. alterum, nempe ex eo ſumtum, quod Moſes miniſter tantum in domo Dei ſeu



Digitized by Google

Eccleſia V. T. fuerit, cum Jeſus etiam ſit Dominus. Qui vero Dominus eſt domus, illi præ miniſtro, etiam fideli, dignitas competit, & præ illo obſequium debetur. Itaque v. 3. cum antecedentibus probe cohæret.

Vocem πιςὸς B. *Olearius* in Analyſi pag. 14. vertere mavult per, *qui fidem meretur*. Sic idem ait *Thucydidem* lib. VIII. pag. 379. dicere: δόξας δὲ Ἀλκιβιάδης ὐ πιςὸς εἶναι, & *Iſocratem* in Helenæ Encomio μάρτυρα πιςότερον dicere. Deinde Hebraiſmum advocat, ſecundum quem id, quod eximium & excellens eſt, *tale Deo* vel *coram Deo* eſſe dicatur: ut proinde πιςὸς τῷ ποιήσαντι αὐτὸν idem ſit, ac ſi dixeris: magnus eſt auctoritate, & fide coram Deo, qui ipſi hoc munus demandaverit; vel Germanice: es habe der HErr ſo wohl als Moſes ſich in ſeinem Prophetiſchen Amte legitimiret. Enim vero non poteſt vox πιςὸς hic alio ſenſu ſumi, quam II. 17. ubi Chriſtus non ſolum vocatur πιςὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ſed & præcipuum momentum illius fidelitatis præſtitæ non in demonſtratione poteſtatis ſuæ, vel factæ à Patre miſſionis, ſed in expiatione hominum collocatur. Nec poteſt alio ſenſu accipi, quam quo de Moſe adhibetur *Num.* XII. 7. Præterea Hebraiſmus ille adhuc non omnibus ſe probavit, tantum abeſt, ut ad eum tuto hic provocare liceat: ut taceam, etiam ab illis, qui eum admittunt, non alio id modo fieri, quam ſi vox ▭אלהים, Θεὸς &c. diſerte exprimatur, quod h. l. factum non eſſe apparet. Vide quæ ſcripſi ad *Act.* VII. 20. Conf. quæ de voce Hebr. נאמן i. e. πιςὸς ex Hebræis hic commentatur *Schœtgenius* pag. 938.

τῷ ποιήσαντι αὐτὸν] *qui ipſum conſtituit*, nempe Apoſtolum & Sacerdotem Summum. Hanc enim eſſe Græci verbi notionem ad *Marc.* III. 14. oſtenſum eſt. Vide alia Græcorum loca apud M. *Georgium* in Vindiciis Nov. Teſt. ab Hebraiſmis pag. 138. Adde *Cloppenburgium* Tom. I. Opp. p. 332.

Verſ. 3-6. illuſtrantur & vindicantur à *Spenero* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag. 516. ſqq. Confer *Franc. Fabricii*, Theologi Leidenſis, Diſſertat. IV. de Fide Patriarcharum pag. 281. ſqq. & *Rob. Gellum* in Reliquiis T. II. pag. 634. ſqq.

Verſ. 3. πλείονος γὰρ δόξης οὗτος παρὰ Μωσῆν ἠξίωται] Judæos quoque Meſſiam venturum Moſi prætuliſſe patet ex Midraſch *Tanchuma* ad Paraſch. תולדות fol. 11. col. 1. & aliis locis, quos affert hic *Starckius*.

καθ᾽ ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτὸν] *Vulg.* ita vertit: *quando ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* Et ſic etiam B. *Lutherus*: nach dem der eine gröſſere Ehre am Hauſe hat, der es bereitet, qui tamen illuſtrationis loco ſubjicit: denn das Hauß. Hoc vero ut in Græco non exſtat, ita rectius omittitur. Senſus eſt *quanto majorem gloriam in* vel, *ex domo habet, qui eam fecit.* Cumque οἶκος illo verſ. 3. de fidelibus expliceetur, patet, illud hic innui, quod ab illis, tanquam domeſticis, Chriſto ut Domi-

Digitized by Google

Domino, major honor debeat exhiberi, quam Moſi. Vide, quæ pro hac interpretatione dicit *Hembergius*, pag. 338. qui eam tum ex terminis comparationis probat, tum ex iis, quæ v. 5. ſequuntur. *Dominus igitur*, inquit, *& filius majore digni ſunt honore in domo, quam ſervus. Vel, ad Filium magis pertinet honor domus, quam ad ſervum.* Ita addit in Fragmentis Pythagoricis (Th. Galei) pag. 746. dici: ἀρχὴ δέ ἐςιν οἴκω πρώτη γυναιξὶ, *primum imperium domus*, vel *in domo, competit mulieribus.* Compara, quæ nuper in eandem ſententiam recte dixit Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 145. ſq. Quæ Cl. *Schwarzii* de his verbis ſit ſententia, dicere non habeo, cum continuationem Programmatum ante laudatorum nondum viderim.

Verſ. 4. Πᾶς γὰρ οἶκος κατασκευάζεται ὑπό τινος κ. τ. λ.] Vide *Rob. Gellum* in Reliquiis Tom. II. pag. 642-644. Totum hoc comma parenthetice ad cavendam cavillationem quandam, quæ fieri poterat, interjectum reliquis putat *Oederus* l. c.

Verſ. 5. Καὶ Μωσῆς μὲν πιςὸς κ. τ. λ.] Explicat hæc idem *Gellus* pag. 645-652.

εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων] *in teſtimonium eorum, quæ* olim *dicenda erant.* Reſpicitur hic ad teſtimonium, quod Moſes non ſolum inſtitutis typicis & ſacrificiis, ſed & diſerta voce de Meſſia, tanquam futuro Evangelii præcone, *Deuter.* XVIII. 15. 18. edidit, ad quod Dominus ipſe provocat *Joh.* V. 46. Fidelitatis hoc argumentum in Moſe erat, qui nollet populum ex ſe potiſſimum pendere, ſed in eo potius ſpem ac fiduciam collocare, qui erat venturus. Nolim itaque cum Rev. *Zeltnero* in gloſſa ad h. l. accipere de teſtimonio Moſis illo, quod editurus erat de iis, quæ in monte a Deo accepiſſet. Obſtat, ut alia taceam, forma verbi λαληθησομένων, quæ commutanda erat cum λαληθέντων, ſiquidem alterum illud ſignificari debuiſſet. Videtur etiam ipſa hac phraſi indicari novum argumentum præſtantiæ CHRISTI præ Moſe, quippe qui de CHRISTO jam ante ſit teſtatus, quemadmodum Joannes Baptiſta inferiorem ſe CHRISTO profitebatur, tanquam de quo teſtetur. *Joh.* I. 34.

Verſ. 6. Χριςὸς δὲ, ὡς υἱὸς ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ] Ita editi plerique, *Beza* vero & *Eraſm. Schmidius* exhibent ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, & vertunt, ille quidem: *At Chriſtus, ut filius domui ſuæ præeſt;* hic vero: *Chriſtus autem, tanquam Filius ſuper domum ſuam* conſtitutus eſt. Et ſic Lutherus: Chriſtus aber als ein Sohn über ſein Hauß. Nec aliter *Vulg. tanquam Filius in domo ſua.* Recte omnino. Chriſtus enim hic præfertur Moſi ex eo capite, quod non ſit nudus miniſter, ut Moſes, ſed dominus & poſſeſſor domus. Id patet ex eo, quod antea domum illam ſtruxiſſe dicitur, quodque ſtatim ſubjicitur: *cujus domus ſumus nos.* Valide hoc comma contra Socinianos urget *Theod. le Blanc* in Principiis contra Socinianos gallice editis Parte I. p. 586. ſqq. Phraſi ἐπὶ τὸν οἶκον ad Jeſ. XXII. 15.

15. ubi *Sebna* dicitur על הבית ſcilicet ממונה *præfectus domui*, alludi exiſtimat *Vitringa* Tom. I. Commentarii pag. 650.

ἐάνπερ τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν] Voces μέχρι τέλους βεβαίαν omittunt *Calarit.* & *Æthiops*, ideoque *Millio* in Prolegom. §. 1208. ſcholion marginale videntur. Cave, audias *Millium*; cum eadem phraſis infra v. 14. recurrat, & Apoſtolus, ubi in hoc argumento eſt, efficaciter loqui amet. Sic VI. 19. ἄγκυραν ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν appellat. Omiſſionis origo inde videtur repetenda, quod vox βεβαίαν non quadrare videretur ad proxime antecedens καύχημα, unde & codex Stephani unus habet βέβαια, ut nempe in neutro genere ad utrumque, nempe παῤῥησίαν & καύχημα referri poſſet. Receptum enim eſt Scriptoribus, ut adjectivum, quandoque duo Subſtantiva ſequens, potiori, qua rem, non qua genus, licet ſit remotius, jungant. Oſtendit id exemplis Cl. *Georgius* in Vindiciis N. T. ab Hebraiſmis pag. 207. ſq. Idem quoque monet, non opus eſſe, ut per hypallagen καύχημα τῆς ἐλπίδος poſitum putemus pro, ἐλπίδα καυχήματος.

Totum comma explicat *Robertus Gellus* in Reliquiis Anglice editis Tom. II. pag. 652-655.

Verſ. 7-11. idem illuſtrat pag. 656-680. Cum Pſalmo XCV. comparant *Surenbuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 610. *Jo. Grammius* in diſſert. III. de allegatione Verſionis LXX. viralis in N. T. pag. 56-59. & *Franc. Wokenius* in Harmonia V. & N. T. pag. 355.

Verſ. 7. Διὸ] Spectat illud ad Τὸ βλέπετε v. 12. ex Starckii ſententia; ſed vide, quæ ibi & ad v. 9. dicemus.

Verſ. 9. Οὗ ἐπείρασάν με] Τὸ οὗ vel pro adverbio *loci*, aut *temporis*, quod quidam volunt, vel pronomine relativo haberi poteſt, quod vocem πειρασμοῦ reſpiciat. Poſterius hoc mavult *Eraſm. Schmidius*, vertens: *qua*, (ſcil. tentatione) *tentarunt me.* Prius placuit *Bezæ*, & pleriſque, qui vertunt *ubi*, vel *qua die*. *Ubi* illud tuetur etiam *Starckius* in notis Selectis ad h. l. Et hoc ſane rectius eſt illo, *qua die*. Nam οὗ, quando ubi denotat, ellipticum eſt, quod plene dicitur ἐφ᾽ οὗ τόπου, quod *Lamb. Bos* de Ellipſibus Gr. L. oſtendit. Nusquam vero, quoad meminerim, οὗ de tempore uſurpatur. Nihil hic definit Cl. *Grammius* l. c. pag. 557. cum utrumque, nempe, ut vel pronomen relativum ſit, vel adverbium locale, defendi poſſit, ipſum quoque אשר, quando manifeſtius *ubi* denotat à LXX. per οὗ vertatur v. c. *Pſ.* LXXXIV. 4. Mihi quoque adverbii localis notio præferenda videtur, pro quo Cod. *Clar.* ὅπου, ex interpretamento natum, exhibet.

Verſ. 9. καὶ εἶδον τὰ ἔργα μου τεσσαράκοντα ἔτη] Verba duo poſtrema *Pſ.* XCV. & in τοῖς LXX. referuntur ad verſum ſequentem, omiſſa particula διό. Atque idem fieri etiam h. l. vult *Colomeſius* in Obſſ. Sacris pag. 104. qui particulam διὸ ex v. 7. putat irrepſiſſe. Eodem modo orationem hanc exhibent

duo

duo codices MSS. a Millio appellati, qui tamen recte ita ait: *Inique receditur à ſummo conſenſu librorum, ubi nihil in recepta lectione incommodi, nedum abſurdi. Sufficit in integritatem textus, Iſraelem revera opera Dei vidiſſe* 40. *annis, etiamſi haud tum quidem, cum comminationem fecerat Deus de* non introeundo in &c. *nec mutandum quidquam.* Scilicet Apoſtolus non per omnia hic τὲς LXX. ſecutus eſt. Ideo addidit v. 10. διὸ, ideo nonnulla omiſit, quadraginta vero illos annos, quos v. 17. ſuo loco affert, hic alio loco collocavit. Τὸ διὸ hic abeſſe non poteſt. Reſpicit enim Apoſtolus ad διὸ v. 7. quod præmiſerat verbis *Pſalmi* XCV. hoc ſenſu: *Propterea, ſicut dicit Spiritus S. Hodie* &c. *Propterea*, inquam, *infenſus fui generationi illi* &c. Hoc autem indicium præbet, divinum hujus epiſtolæ Scriptorem non ſemper τὲς LXX. expreſſiſſe, quod *Millium* in Prolegomenis cogitare, in noſtris ad hanc epiſtolam Prolegomenis monuimus. Cur interim & quomodo 40. annos hic commemorare potuerit Apoſtolus, præter *Jac. Cappellum* pag. 130. Notarum oſtendit *Surenhuſius* pag. 612.

Verſ. 10. Διὸ προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ ] Verbum προσώχθισα reſpondet Hebræo אקוט. Afferam quæ de eo erudite affert *Grammius* l. c. pag. 57. *Hujus verbi*, inquit, *uſus Bibliorum Interpretibus Græcis & Eccleſiaſticis libris familiaris haud rectius aliunde, quam ab ipſis ſignificatio addiſcitur. Nempe uſurpatur* τοῖς LXX. *ad hæc reddenda*, נתעב, גאל, מאס, קוא, קוט, קוץ, faſtidium, contemtum, abominationem *denotantia.* Προσόχθισμα *etiam* Aquilæ, Symmacho & Theodotioni תועבה & שקוץ *Deut.* XXIX. 17. *Ezech.* V. 11. 17. VII. 20. *Heſychius*: προσοχθισμὸς (*ita legendum pro vitioſo*, προσοχισμὸς) πρόσκρουσις, δεινοπάθεια, πάθος. *Idem*: προσώχθισα, ἐμίσησα, προσέκοψα, περιεκάκησα. *Suidas*: προσώχθισα, ἐβδελυξάμην, δυσηρεστήθην. *Atque hoc* δυσηρεστήθην *videtur* Suidas *habuiſſe ex verſionibus* Aquilæ & Symmachi *hujus loci, quas in* Hexaplis & Theodoreto *adhuc legimus; unde &* Hieronymus *ſuum illud* diſplicuit mihi, *videtur hauſiſſe. Ambroſ. in Ebr.* III. infenſus fui. *Vulg.* offenſus fui, *ex* Heſychii *illo* προσέκοψα. *Pſalterium Romanum*: proximus fui; *unde quibusdam putatur legiſſe per* ἡ *à* προσοχθίω, *quaſi hic non pariter* offendendi & faſtidiendi *haberet notam. Sed &* Heſychio προσώχθισα *eſt* προσήγγισα.

ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ ] In Hebr. eſt עם תעי לבב *populus errantium corde*, id quod Apoſtolus eadem, qua οἱ LXX. ratione expreſſit, cum quod ad ſenſum nihil interſit. Cur autem illi ita reddiderint, diſputant Interpretes, quam in rem *Grammium* inprimis legi velim.

αὐτοὶ δὲ οὐκ ἔγνωσαν τὰς ὁδούς μου ] Pro δὲ, οἱ LXX. habent καὶ, quod aptius videri poterat, & Hebraico ו convenientius. Duo enim hæc membra eandem habent ſententiam, adeoque non adverſativam ſed copulativam conjunctionem requirere videri poſſunt. Scilicet τὸ δὲ optimis Scriptoribus pro

κ) adhibetur. Exempla ex Herodoto lib. III. pag. 207. & lib. I. pag. 79. affert *Raphelius* in Herodoteis pag. 603. nec non ex aliis *Devarius* de Particulis Gr. L. pag. 96.

Verſ. 11. Ὡς ὤμοσα] *Itaque juravi.* Ita *Arrianus* de Expedit. Alex. II. 16. 5. ὡς τόν γε ἐν Ταρτησσῷ πρὸς Ἰβήρων τιμώμενον Ἡρακλέα δοκῶ ἔγω τὸν Τύριον εἶναι Ἡρακλέα. *Quapropter Herculem illum, qui in Tarteſſo ab Iberis colitur, Tyrium hunc Herculem eſſe cenſuerim.* Adde lib. V. cap. 15. 5. & *Raphelium* in Polybianis pag. 636.

εἰ εἰσελεύσονται] *ſi introibunt* i. e. non introibunt. Hanc enim vim habet Hebr. אם inprimis poſt verbum נשבע *jurare.* Unde per μὴ redditur *Geneſ.* XXVI. 29. infra v. 18. quemadmodum alias per εἰ, v. c. 1 *Sam.* III. 14. *Numer.* XIV. 30. Idem ſignificatus etiam obtinet. *Marc.* VIII. 12. Hæc loquendi ratio magnam Hebraiſmi ſpeciem habet, quæ vereor ut detergatur. Tentavit id *Eraſmus Schmidius* ad h. l. quando primum quidem ait, verba hæc ex τοῖς LXX. repetita eſſe, adeoque Apoſtolo imputari non poſſe; deinde vero affirmat, hunc uſum nec à Græcis alienum eſſe, cum *Euripides* in Cyclope dicat, εἰ ψεύδομαι, pro, οὐ ψεύδομαι. Addit denique, formulam hanc cum indignatione quadam eſſe conjunctam, quod germanice diceres. Ja, ſollen ſie mir auch eingehen. Evolvi locum *Euripidis,* qui exſtat in Cyclope verſ. 260. Sed vereor, ut recte ita eum *Schmidio* accipiatur. Ibi *Silenus* ita: Ἐγώ; κακῶς γὰρ ἐξόλοιο. *Ego? male pereas!* Reſpondet Ulyſſes: εἰ ψεύδομαι, h. e. *male peream, ſi mentiar.* Falſæ ſcilicet narrationis Silenus antea accuſaverat, ideo mala omnia imprecatus. Tum Ulyſſes ratam eſſe jubet imprecationem, *ſi mentiatur.* Vereor ſane, ut hæc vocis εἰ ſignificatio, quæ apud τοὺς LXX. frequens eſt, idonei Scriptoris externi auctoritate muniri poſſit. Cl. *Georgius* illius particulæ non meminit in luculentis ſuis Vindiciis Nov. Teſtam. ab Hebraiſmis.

Verſ. 12. Βλέπετε] Pendet hoc ex *Starckii* ſententia a voce διὸ v. 7. Quæ enim ſequuntur Pſalmi verba, argumentum illi ſuppeditare videntur, quo ſequens illa exhortatio nititur, ac proinde tanquam parentheſi, Paulo frequentatæ, incluſa exiſtimari debent. Sed vide, quæ ad v. 7. & 9. diximus, ex quibus, ni fallor, patebit, τὸ διὸ alio pertinere, & v. 12. Βλέπετε, rectius haberi pro admonitione ex antecedentibus ſimpliciter ducta, & ſibi relicta, qualis etiam occurrit cap. IV. 1. addita particula οὖν.

Verſ. 13. ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται] Ita *Targum* Jeſ. LV. 6. *Quærite timorem Domini, dum adhuc vivitis, adorate ipſum, dum adhuc præſentes eſtis,* obſervante *Schœtgenio.* Externorum Scriptorum admonitiones de emendatione vitæ non proferenda recitat *Gatakerus* & M. *Antoninus* II. 4. p. 55 & 57. Inprimis dignus eſt *Senecæ* locus, qui legatur, de Vitæ brevit. cap. 9. *Maxima jactura vitæ, dilatio eſt: illa primum quemque extrahit diem: illa eripit*

*eripit præſentia, dum ulteriora promittit : maximum vivendi impedimentum eſt, exſpectatio, quæ pendet ex craſtino : perdis hodiernum, quod in manu fortunæ poſitum eſt, diſponis : quod in tua, dimittis. Quo ſpectas? quo te extendis? omnia, quæ ventura ſunt, in incerto jacent : protinus vive.*

Verſ. 14. *ἐάν περ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποςάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν*] Varium vocis *ὑπόςασις* ſignificatum eſſe, ad *Hebr.* I. 3. monuimus. Apud Philoſophos Græcos idem eſſe, quod exiſtentiam abſtracte conſideratam, vel ſubſtantiam exiſtentem, obſervat & exemplis probat *Th. Alethinus*, i. e. *Jo. Clericus*, ad Petavii Dogmata Tom. II. lib. IV. cap. 1. pag. 189. Alios ſignificatus ediſſerit *Jac. Cappellus* in Notis ad N. T. pag. 232. ſq.. Hoc quidem loco optime firma & certa *fiducia* intelligetur. Hoc enim ſenſu adhibetur paſſim à LXX. Intt. v. c. Pſ. LXVIII. 2. *Ruth.* I. 12. & *Ezech.* XIX. 5. Iidem voccm Hebræam, quam *Thren.* III. 18. per *ἐλπίδα* reddunt, *Pſalm.* XXXIX. 7. convertunt per *ὑπόςασιν*. Conf. Interpretes N. T. Gallos Berolinenſes ad h. l. Hanc *ὑπόςασιν* Apoſtolus v. 6. vocaverat *παῤῥησίαν καὶ καύχημα τῆς ἐλπίδος*. Similiter Chryſoſtomus interpretatur per *πίςιν, δι' ἧς ὑπέςημεν καὶ γεγενήμεθα, καὶ συνεσιώθημεν. Ἀρχὴ τῆς ὑποςάσεως* ſive initium fiduciæ hujus reſpicit primam fidei, quæ in Hebræis erat, originem, ut idem ſit, quod *ὑπόςασις ἡ ἐξ ἀρχῆς*, quæ poſt *Grotium*, *Dorſchei* & *Calovii* eſt ſententia. Id apparet ex phraſi ſtatim ſequente, *μέχρι τέλους*, qua finis initio diſerte opponitur. Hanc originem Hebræis in mentem revocat Apoſtolus infra X. 32. *ἀναμιμνήσκεσθε δὲ τὰς πρότερον ἡμέρας, ἐν αἷς φωτισθέντες* &c. Itaque nolim *ἀρχὴν* illam de Chriſto accipere cum *Hombergio* pag. 339. qui tamen *ὑπόςασιν* de *fiducia* recte accipit. Quamvis enim Chriſtus *ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίςεως ἡμῶν* infra XII. 2. dicatur, de eo tamen hic cogitare oppoſitum *τέλος* vetat. Idem ſcilicet hic dicitur, quod IV. 14. *κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας*. Nolim etiam *ſtipulationem*, nempe in baptiſmo factam, cum *Camerario* & *Eraſmo Schmidio* intelligere. Licet enim *ὑπόςασις* interdum *ὑπόσχεσιν* ſignificet, altera tamen illa ſignificatio & *τοῖς* LXX. Intt. & Scriptoribus Nov. Teſt. receptior eſt, huic vero loco ex dictis convenientior apparet. *Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 99. per *principium conſtantia* vertit, quod ſane eſt *σιδηρόξυλον*. Neque enim *conſtantia* in *principium* rei cadit, cum, qui bene cœpit, male rem finire poſſit, atque is demum conſtans dicatur, qui, quod bene cœpit, eadem ratione perſequitur. Et quid hoc eſt dicere : *ἀρχὴν* conſtantiæ *βεβαίαν* i. e. *conſtantem* ſeu *firmam* conſervare? Ex quo ſimul intelligitur, male eundem affirmaſſe, quod, quotieſcunque *ὑπόςασις* de hominibus dicatur, toties *conſtantiam* ſeu *perſeverantiam* innuat.

Verſ. 15. *Ἐν τῷ λέγεσθαι.*] *Obſervando id quod dicetur.* Ita *Er. Schmidius* vertit, hoc ſenſu, ut declaretur modus, quod initium fiduciæ perpetuum

conſervetur, nempe, ſi perpetuo teneatur, quod *Pſal.* XCV. dictum eſt. Alii τὸ ἐν accipiunt pro *διὰ propter*, ut ſenſus ſit *propterea, quod* dicitur. Ita *Seb. Schmidius*, & *Starckius* ad h. l. B. *Olearius* in Analyſi pag. 16. ſpectare hæc verba vult ad initium capitis IV. *φοβηθῶμεν οὖν, timeamus igitur.* Hoc modo Apoſtolus illa divini Pſaltis verba præmitteret admonitioni ſequenti. Malim ego in *Seb. Schmidii* ſententia acquieſcere, & v. 1. c.IV. *φοβηθῶμεν οὖν* pro poriſmate, ex antecedentibus deducto, habere. Id ſuadet inprimis particula οὖν. Video interim, *Chryſoſtomum* idem quod *Olearius*, ſtatuiſſe. Poſtquam enim is comma hoc attulerat, ſubjungit: *καθ᾽ ὑπέρβατόν ἐστι τοῦτο· τὸ ἀκόλουθον δὲ οὕτως ἔχει· Φοβηθῶμεν οὖν, μήποτε καταλειπομένης.*

Verſ. 16. *Τινὲς γὰρ ἀκούσαντες παρεπίκραναν· ἀλλ᾽ οὐ πάντες οἱ ἐξελθόντες ἐξ Αἰγύπτου διὰ Μωσέως.*] Sunt, qui hæc verba, mutata interpunctione, interrogative ita volunt efferre: *Τίνες γὰρ οἱ ἀκούσαντες παρεπίκραναν; ἀλλ᾽ οὐ πάντες οἱ ἐξελθόντες ἐξ Αἰγύπτου διὰ Μωσέως;* h. e. *qui vero ſunt, qui contra iſtam exhortationem, ubi audirent, rebellarunt? nonne omnes illi ipſi erant, qui egreſſi fuerant Ægypto?* Ita B. *Olearius* in Analyſi hujus epiſtolæ p. 16. In argumentum ſententiæ affert primo quidem, quod ſequentium commatum cola omnia interrogative proferantur; deinde vero, quod, ſi Apóſtolus affirmare cenſeatur, *non omnes Ægypto egreſſos in rebellionis partes veniſſe*, difficile ſit oſtendere, quomodo id ſcopo Apoſtoli conveniat, cujus totam orationem iſta interpretatio convertat, &, ut ſcoparum diſſolutarum faciem induat, efficiat. Eadem eſt ſententia literatiſſimi *J. C. Schwarzii* de Solœciſmis Diſcipulorum Chriſti antiquatis p.45. *Nam homines duo*, inquit, *præ numero* 600000. *pene nihil ſunt. Quare Paulus recte interrogat, annon omnes in Deum acerbiores fuerint? Atque huic fini deſerviunt partim particulæ γὰρ & ἀλλὰ elegantiſſime poſitæ, partim interrogationes proximorum verſuum, quæ vehementiam animi ejus jam antea exarſiſſe docent, & neceſſitatem cautionis proviſionisque inculcant acrius.* Ante utrumque idem placuit *Mich. Mauduit*, Presbytero quondam Oratorii, in diſſ. XII. quæ ſubjuncta eſt ejus Analyſi Epiſtolarum Paulinarum pag. 574-584. Hic inter cetera urget ex Stephani Theſauro, quod phraſes ἀλλ᾽ & ἀλλ᾽ οὐχὶ interrogative poni ſoleant pro, *nonne?* Affert quoque pro ſe *Chryſoſtomum* & *Theodoretum.* Inſignem, fateor, hæc expoſitio ſpeciem habet; ſed ſunt tamen quæ animum ancipitem & dubium relinquunt. Primum quidem illud eſt, quod interpunctiones, conſenſu codicum, qui eas habent, omnium, tum verſionum quoque, & Interpretum auctoritate firmatæ, mutationem ejusmodi averſentur. Deinde, quod ſine ea ſuſcepta orationi Paulinæ conſuli omnino poſſit. Admonitio Apoſtoli, *φοβηθῶμεν οὖν*, nititur verbis Davidicis: *Ne induretis corda veſtra, ut factum eſt in exacerbatione.* Hanc *exacerbationem* explicaturus Apoſtolus verſ. 16. docet, in quo illa conſtiterit, nempe in eo, quod quidam verbis Domini ſe oppoſuerint, quamvis nonnulli aliter egerint. Eadem ratione rem repræſentat Apoſtolus 1 *Corinth.* X. v.7-10. ubi τινὰς appellat plures illos, qui idololatriam

ſectati

Digitized by Google

ſectati erant, qui ſcortatione ſe polluerant, qui Chriſtum tentaverant, qui murmuraverant. Illos vero τινὰς verſ. 5. per πλείονας explicat. Apoſtolum illam Iſraëlitarum cohortem h. l. in duas claſſes diſtinxiſſe, ut alii exacerbationi illi obnoxii, alii non obnoxii dicantur ,. patet ex verſ. 17. ubi quærit quibusnam, ſcilicet ex illis, qui ex Ægypto egreſſi erant, Deus ſe infenſum præſtiterit? & reſpondet, illis omnino, qui in deſerto peccarint ἐν παραπικρασμῷ, *per exacerbationem*. Itaque ſermo Apoſtolo eſt NB. de iis, qui ex Ægypto egreſſi ſunt. Eos in duas dividit claſſes. Unam nempe exacerbantium diſerte commemorat; alteram vero in applicatione verſ. 3. capitis III. appellat. Εισερχόμεθα γὰρ εἰς τὴν κατάπαυσιν οἱ πιστεύσαντες. Hæc applicatio omnino præſtruit, etiam in antecedenti Judæorum exemplo non ſolum ad τοὺς ἀπειθήσαντας, ſed & ad πιστεύσαντας reſpectum habitum fuiſſe. Alioquin in applicatione plus foret, quam in præmiſſis. Ad objecta facile reſponderi poteſt.

Verſ. 17. & 18. interrogative exprimuntur, ideo, quod id efficacia & affectus, quem in omni hoc argumento prodit Apoſtolus, requirebant. Ex eo tamen, cum alia non obſtent, non conſequitur, comma etiam 16. ita conſtitui debere. Quomodo cum ſcopo Apoſtoli id conveniat, non eſt obſcurum. Hic enim non ſolum in eo poſitus eſt, ut ab incredulitate ſeu jactura fidei avocet, ſed etiam ut ad conſtantiam in fide probandam cohortetur. Prius fit, propoſito ἀπειθησάντων τινων exemplo, poſterius in applicatione v. 3. commemoratis credentibus, qui, ut olim Calebo & Joſuæ accidit, nunc quoque in requiem ingrediantur. Hinc III. 6. τὴν παῤῥησίαν βεβαίαν eſſe vult, & v. 14. τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως βεβαίαν κατασχεῖν jubet. Hinc IV. 14. mandat κρατεῖν τῆς ὁμολογίας. Duo, fateor, illi; *Joſua* & *Caleb* comparari non poſſunt cum reliqua incredulorum cohorte. Interim nec poſſunt in eandem claſſem referri. Et eorum meminiſſe debebat Apoſtolus, ne nimium cuiquam dixiſſe in hoc argumento videretur. Erant tamen inter credentes plures. Inter hos enim numerare omnino oportet præter Moſen & Aaronem, Levitas, tum procul dubio ex fœminis complures, nec non liberos, infra annum ætatis vigeſimum conſtitutos, cum ex Ægypto egrederentur. Vide huc *Numer.* XIV. v. 29. Phraſis ἀλλ' οὐχὶ ſæpe interrogative ponitur negandi ſenſu, ſed non ſemper. Sic *Joh.* XIII. 10. Dominus ad diſcipulos ait: καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες. *Chryſoſtomus* ad novam hanc interpunctionem firmandam advocari non poteſt. In textu ſane recepta interpunctio occurrit. In commentario vero hæc ait: τίνων μέμνηται, φησι, σκληρυνθέντων; τίνων δὲ ἀπειθησάντων; οὐχὶ τῶν Ιουδαίων; Ο δὲ λέγει, τοῦτό ἐστι ἤκουσαν κἀκεῖνοι, φησιν, ὥσπερ ἡμεῖς ἀκούομεν, ἀλλ' οὐδὲν ὄφελος αὐτοῖς γέγονε. μὴ τοίνυν νομίσητε, ὅτι ἀπὸ τοῦ ἀκούειν τοῦ κηρύγματος ὠφεληθήσεσθε· ἐπεὶ κἀκεῖνοι ἤκουσαν, ἀλλ' οὐδὲν ἀπώναντο, ἐπειδὴ μὴ ἐπίστευσαν. Jam judica, lector, an illa, quæ *Chryſoſtomus* hic interrogative effert, rectius ad v. 17. & 18. ubi itidem interrogatio obtinet, referantur, quam ad v. 17. Imo S. Patrem comma illud aſſertive accepiſſe patet ex eo, quod ſtatim Calebi & Joſuæ mentionem facit, tan-

quam numero infidelium non comprehenſorum. Οἱ οὖν περὶ Χαλὲβ καὶ Ἰησοῦν, ἐπειδὴ μὴ συνεκράθησαν τοῖς ἀπιςήσασιν, τουτέςιν οὐ συνεφώνησαν, διέφυγον τὴν κατ' ἐκείνων ἐξενεχθεῖσαν τιμωρίαν. Vides, hic exponi, quinam ſint illi, quorum reſpectu Paulus ait: ἀλλ' οὐ πάντες οἱ ἐξελθόντες διὰ Μωσέως ἐξ Αἰγύπτου. *Theodoretus* huic interpunctioni ex parte favet. Verſum enim 16. exhibens ſubjungit: κατ' ἐρώτησιν τὸ πρῶτον ἀναγνωςέον, Nempe ita: τίνες γὰρ ἀκούσαντες παρεπίκραναν; De ſequentibus vero ſic: τὸ δὲ δεύτερον μὴ ἀποφαντικῶς, ἀλλὰ καθ' ὑπόκρισιν, *ſecundum autem non enunciative, ſed per reſponſionem.* Ουτω γὰρ νοεῖν τὰ ἑξῆς παρασκευάζει. πλὴν γὰρ Χαλὲβ τοῦ Ἰεφωνῆ, καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ, ἑξακόσιαι διεφθάρησαν χιλιάδες. τούτους γὰρ εἶπεν ἐξεληλυθότας ἐξ Αἰγύπτου. Quæ enim ſequuntur, faciunt, ut ita intelligamus. *Nam præter Chaleb Jephone & Jeſum Nave, ſexcenta millia perierunt. Eos enim dicit, qui profecti fuerant ex Ægypto.* Vides, *Theodoretum* verba illa, ἀλλ' οὐ πάντες, pro reſponſione ad priorem quæſtionem habere, atque adeo novam interrogationem non admittere. *Mauduitius* quidem opinatur, reſponſionem hanc non apparere, niſi verba per interrogationem efferantur. Sed etiam ſine iſta reſponſionem ſecum omnino ferunt. Quærit, ex *Theodoreti* mente, Paulus: *quinam enim audientes exacerbaverunt?* & reſpondet: *non omnes, qui ex Ægypto egreſſi ſunt.* Hinc quærit Paulus: quibusnam igitur ex audientibus ſuccenſuit Deus, cum non omnes tales fuerint? &c. Niſi ita *Theodoretus* Pauli verba acceperit, ut aliquos ab Apoſtolo exceptos fuiſſe ſtatueret, non video, quomodo in mentionem *Calebi*, & *Joſue* incidere potuerit.

His addidero, quod interrogationi illi τίνες particula γὰρ omnino obſtet. Hæc enim indicio eſt, quod ratio antecedentis nunc reddatur. Antecedens vero ita habet: μὴ σκληρύνητε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὡς ἐν τῷ παραπικρασμῷ. Quæri poterat, cur ad παραπικρασμὸν hic provocetur? Ratio eſt, quia nonnulli ex illis, qui audierant verbum Domini, illi fuerint obnoxii, nempe per incredulitatem, quæ in ſequentibus exponitur. Hæc ratio, quam particula γὰρ ſperare jubet, omnino evaneſcit, ſi legas: τίνες γὰρ; at clara eſt & obvia, ſi receptam lectionem teneas: τινὲς γὰρ &c.

Verſ. 17. ὧν τὰ κῶλα ἔπεσιν ἐν τῇ ἐρήμῳ] Verbum πίπτειν hic & 1 *Cor.* X. 8. in ſignificatu *moriendi* Hebraiſmi ſuſpicionem præter rem movit. Vide, quæ ad loc. cit. ſcripſimus, & adde Cl. M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 131.

CAPUT

# CAPUT IV.

VErſ. 1. Φοβηθῶμεν οὖν κ. τ. λ.] De his & ſequentibus aliquot commatibus lege *Trilleri* Examen locorum aliquot Novi Teſtamenti Germanice editum, pag. 203. & expende, tum vero Vener. *Val. Erneſti Laſcheri* Decimas Evangelicas Parte I. pag. 302. & *Jacobi Altingii* Opera Tomo V. ubi de Sabbato pag. 76.

Comma primum perſequitur *Robertus Gell* in Reliquiis Tom. II. pag. 682-689.

φοβηθῶμεν] *timeamus*, id eſt, caveamus ſolicite, pro quo infra verſ. 11. legitur σπουδάσωμεν.

*μή ποτε καταλειπομένης ἐπαγγελίας*] *ne quando derelicta promiſſione.* Cl. *Chriſtianus Ludovicus Schlichterus* de Decimis Sacris pag. 413. ἐπαγγελίαν verti poſſe cenſet per *nuncium*, qualem ſcilicet Iſraëlitæ in deſerto olim acceperant & neglexerant. Hoc enim ſignificatu adhibetur a τοῖς LXX. *Eſth.* VII. v. 7. & *Ezech.* VII. 26. At pag. 414. *mandati* ſignificationem præfert, quam nexus ſermonis Pauli poſtulet, quemadmodum *Heſychius* ἐπαγγέλλωσιν reddat κελεύσωσιν, & ἐπαγγέλλῃ, κελεύεις, & *Epictetus* Enchirid. cap. VI. ſimiliter accipiat. Sed malim acquieſcere in ſignificatu *promiſſionis*, ſeu *boni nuncii*, ut idem ſit ratione rei, quod εὐαγγέλιον. Hinc Apoſtolus verſ. 2. ait: καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι. & v. 6. οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες. In ſequentibus etiam eadem vocis eſt notio, v. c. VI. 12. κληρονομούντων τὰς ἐπαγγελίας, & verſ. 15. ἐπέτυχε τῆς ἐπαγγελίας, & verſ. 17. κληρονόμοις τῆς ἐπαγγελίας &c. Major vero eſt diſputandi materies, quo ſenſu vox καταλειπομένης accipi debeat. Plerique idem eſſe volunt, quod *derelicta*, *neglecta*, ut ſenſus ſit, ne *relicta*, vel *neglecta*, ſeu inſuper habita promiſſione illa intrandi in requiem re ipſa excidamus, vel juſto ſerius veniamus. Alii autem ita potius accipiunt, ut promiſſio nobis *adhuc reliqua* eſſe, vel a Deo relicta dicatur, quemadmodum teſtamento aliquid relictum dicitur. Ita *Grotius*: *ἐπαγγελία καταλειπομένη eſt hereditas relicta, quæ hereditas, quia non ex lege venit, ſed ex promiſſo, quaſi ex teſtamento*, Galat. III. 29. *ideo vocatur ἐπαγγελία per μετωνυμίαν, qualem in eadem voce habemus*, *Actor.* I. 4. *Epheſ.* IV. 12. Eandem ſententiam ornat Rev. *Raphelius* in Annotationibus Polybianis pag. 637. Neque enim, inquit, ſatisfactum eſt promiſſo illi de divina quiete per Joſuam verſ. 8. ſed reſtat illud etiamnum nobis implendum. Hinc Apoſtolus verſ. 9. ἄρα ἀπολείπεται σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ. Hoc ſenſu verbum καταλείπεσθαι frequenter *Polybium* adhibuiſſe oſtendit. Sic pag. 636. μόνης δὲ σφισι καταλειπομένης ἐλπίδος ἀκεραίου ἐν αὐτοῖς, *cum ſola adhuc illis integra ſpes reſtet, quam in ſeſe ponant*; & pag. 867. διὰ τὸ μήτε τοῖς Ῥωμαίοις ἐλπίδα καταλείπεσθαι.

Eodem

Eodem modo pag. 1062. *Ἐγὼ δὲ κατὰ μὲν τὴν ἕκτην βίβλον ἐν ἐπαγγελίᾳ καταλιπών. Ego vero, qui in ſexto bujus operis libro ſum pollicitus* &c. Itaque phraſin, *καταλειπομένης ἐλπίδος*, pro genitivis, conſequentiam deſignantibus, nec a verbo *ὑστερηκέναι* pendentibus, habet, etiam ideo, quod articulus ante *καταλειπομένης ἐλπίδος* deſit. Idem placuit Rev. *Zeltnero* in Notis ad Verſionem Lutheri Biblicam pag. 215. vertenti: Die uns übrig gelaſſene oder nach jener Verachtung noch gültigen, und uns im Neuen Teſtament vor andern ausgehende Verheißung; item Cl. *Schœtgenio* in Horis pag. 941. ita *παραφράζοντι*: *Ne quis veſtrum putet, promiſſionem nobis factam, & adhuc in medio poſitam nobis defuiſſe.* Verſio *Anglicana* eundem ſenſum ſiſtit, quem & *Robertus Gellus* loc. cit. præfert. Non dubito, recte hæc ita dici. Οἱ LXX. paſſim eandem notionem verbo *καταλείπειν* & *καταλείπεσθαι* tribuunt, nec exemplum deeſt in Novo Fœdere, v. c. *Rom.* XI. 4. *κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας.* Latinos *ſpem relictam*, vel, *reliquam eſſe* dicere, nemini non conſtat. Quod ſi Apoſtolus *deſerendi*, vel, *negligendi* ſignificatum hic indicare voluiſſet, ſcripturus potius erat *ἐγκαταλειπομένης*, quemadmodum *Polybius* pag. 1073. *ἐγκαταλείπειν ἐλπίδας* dicit. Interim non negaverim, priorem quoque interpretationem defendi poſſe.

*δοκῇ τις ἐξ ὑμῶν ὑστερηκέναι*] *videatur aliquis ex vobis fruſtratus fuiſſe.* Ita *Beza* & *Eraſmus Schmidius.* Verbum *ὑστερεῖν* ſignificat *juſto ſerius venire*, opportunitate ſcilicet intrandi in requiem illam jam præterlapſa. Ita *Raphelius* loc. cit. pag. 639. Sic *Polybius* pag. 770. *Sed nec pervenire aliquo tempeſtive queas, horum cognitione deſtitutus: ἀλλὰ ποτὲ μὲν ὑστερεῖν, ποτὲ δὲ προτερεῖν ἀνάγκη, quum modo tardius, modo maturius neceſſario ſis venturus.* Nec aliter *Arrianus* de Expedit. Alexandri l. 18. 8. *Perſarum vero naves ὑστερήσασαι cum ſerius veniſſent.* Similia *Herodoti* loca idem affert in *Herodoteis* pag. 605. In illis vero locis hoc generatim notandum eſt, quod *τὸ ὑστερεῖν* ſimpliciter, ſine caſu, ſicut h. l. ponatur. Res ipſa a Domino noſtro in parabola de virginibus fatuis illuſtratur *Matth.* XXV. 11. De illis enim dicitur: *ὕστερον δὲ ἔρχονται καὶ αἱ λοιπαὶ παρθένοι.* Pro hac interpretatione faciunt *Syrus*, *Tremellius*, *Cappellus*, *Camero*, *Grotius*, *Owenus*, & *Heinſius*, quos & ſequitur *le Cene* in Conatu novæ Verſionis pag. 622. Sunt, qui verbum hoc ex re agoniſtica petitum putant. Sic *Theodorus Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 228. de hoc loco: *ὑστερεῖσθαι clariſſime notat*, ab alio in curſu ſuperari, *& verbum agoniſticum eſt, non minus ac vox καταλειπομένης, quod eodem commate occurrit, quod jam obſervatum eſt* Jacobo Lydio *in Agoniſt. Sacr.* cap. XXIV. *Ut autem καταλείπεσθαι notat* venire tardius, *a tergo* relinqui, *quo ſenſu* Horatius *de Arte Poëtica hac voce utitur*: Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui. *Ita eadem ſignificatio eſt vocis ὑστερεῖσθαι. Unde &* Heſychius *vocem καταλειφθέντων explicat per ὑστερηθέντων.* Confer *Cornelii Adami* Obſervationes pag. 583. & *Jacobi Cappelli* Obſervationes ad h. l.

h. l. Enim vero ad curſum illum agoniſticum h. l. alludi non poteſt. In illo enim adhiberi ſolet de iis, qui jam in ſtadio ſunt conſtituti, hic vero de illis ſermo eſt, qui ſtadium illud ingredi detrectant, & rem vel differunt, vel prorſus negligunt. Taceo, aliud eſſe ὑϛερηκέναι, aliud ὑϛερεῖσθαι. Loca quoque veterum ante allata de illis argumentis verbum adhibent, à quibus alluſio hæc omnino exſulat. Verbum denique καταλείπεσθαι huc prorſus non pertinet, inprimis ſi interpretationem, à nobis adprobatam, amplectaris, quemadmodum nec, ſi alteram ſequaris, promiſſio *relinqui*, vel *deſeri* eo ſenſu dici poteſt, quo, qui curſu vincebantur, καταλείπεσθαι dici ſolebant.

Verſ. 2. Καὶ γάρ ἐσμεν εὐηγγελισμένοι, καθάπερ κἀκεῖνοι] Vide Vener. *Valent. Erneſt. Læſcheri* Decimas Evangelicas Parte II. pag. 294. ſq. Phraſis ita accipienda eſt, quod majoribus illis populi Judaici præconium factum ſit, *qui perierint*, non, *poſtquam perierint*. Confer *Samuelis Bocharti* Opera Tom. II. pag. 985.

ἀλλ' οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς] *ſed non profuit illis ſermo auditus*, i. e. *prædicationis*, ſeu *concionis*: ſine Hebraiſmo. Ita enim & Scriptores. Vide Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 32. Sic *Thucydides* lib. I. §. 20. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. *Homines enim prædicationes, vel narrationes rerum, ante ſuam ætatem geſtarum, licet ſint domeſticæ, ſine accurata inquiſitione, alii ab aliis pariter accipiunt.*

μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν] Codices nonnulli & Patres quoque habent: μὴ συγκεκραμένους, quam lectionem, tanquam ex obſcuritate loci natam, merito non amplectitur *Millius*. Conſ. *Whitbium* pag. 75. Examinis. *Jacobus Cappellus* quidem in Obſervationibus oſtendere conatur, quo ſenſu hæc lectio συγκεκραμένους commode accipi poſſit, ſi nempe ἀκούσασι ſumatur pro ὑπακούσασι, illique, de quibus ſermo eſt, dicantur, non commixti fuiſſe per fidem iis, qui obediverant. Ita vero hoc verbum ἀκούειν non ſine vi quadam in aliam raperetur ſignificationem, quam ea eſt, quam cap. III. v. 15. & 16. obtinet, ubi de iis adhibetur, qui ſimpliciter audierunt, ſed non obediverunt. Recte igitur idem receptam lectionem præfert, hoc ſenſu: *qui non fuit admixtus* (ſermo) *per fidem iis, qui audiverunt*, ut τῇ πίστει ponatur pro, διὰ πίστεως. In eandem ſententiam ex noſtratibus lege *Sebaſtianum Schmidium*, ita reddentem: *non commixtus fide* (ſ. per fidem) *cum iis, qui audiverunt; Dorſcheum* item, *Calovium*, & *Starckium* in Notis Selectis; ex Reformatis vero *Altingium*. *Fides* ſcilicet digeſtionem quaſi verbi præſtat, quæ non tantum guſtat bonitatem verbi *Pſalm.* XIX. 11. CXIX. 103. & Dei in verbo, *Pſal.* XXXIV. 9. 1 *Petr.* II. 3. ſed illud edit ac digerit, ut vita ac robur inde percipiatur, *Joh.* VI. 35. Mixtio autem illa *immanentiam*, *Schmidio* recte ju-

dicante, infert, ſecundum *Joh.* XV. 7. quo ſenſu *Jac.* I. 21. λόγος ἔμφυτος vocatur. Ceterum cum phraſi hac conferri poteſt illud *Plutarchi* in Vitis Parallelis Tom. I. edit. Londinenſ. nuperæ à *Bryano* curatæ pag. 131. ὥσπερ τῶν ἐπηλύδων συγκεκραμένων πολίταις, *nondum ſatis coalitis inter peregrinos & Romanos veteres animis.* Exſtat locus in Vita *Numæ*.

Verſ. 3. Εἰσερχόμεθα γὰρ εἰς τὴν κατάπαυσιν] Cod. Alexandr. legit εἰσερχώμεθα οὖν, quod οὖν etiam duo alii Codd. apud *Millium* exhibent. Malebat hanc lectionem *Grotius* & *Pfaffius* in Diſſert. de Var. Lectionibus N. T. pag. 226. At præferenda eſt receptior. Ratio enim hic redditur antecedentis, ubi dictum erat, majoribus Judæorum non profuiſſe verbum prædicatum, quia cum fide illud non receperint. Id probat Apoſtolus ex eo, quod nemo, niſi qui crediderit, ingredi in requiem illam poſſit. Idem enim eſt, ac ſi dixiſſet: εἰσέρχονται γὰρ εἰς τὴν κατάπαυσιν οἱ πιστεύσαντες. Scripſit autem εἰσερχόμεθα, ut eadem opera res accommodari poſſet ad eos, quibus ſcribebat. Itaque non audiverim B. *Olearium* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 17. ita ſcribentem: *Nempe*, εἰσερχόμεθα γὰρ, *non habet rationem ætiologiæ ad præcedentia, ut viſum doctis Interpretibus, ſed concluſionis & illationis, quod ex ſequentibus magis patebit, hoc modo: quies propoſita eſt, in quam illi ingreſſi non ſunt; ergo aliis eſt ingrediendum, illique ad id nova promiſſione fuerunt invitati. Nec obſtat cauſalis* γὰρ, *ea enim præſertim apud noſtros Scriptores cauſalem vim ſæpe amittit, vel, ut vir doctus loquitur, ſopitam habet, hoc modo:* illi non intrarunt: nobis nempe intrandum. *Quod vidit auctor lectionis Alexandr. Codicis, qui hic habet:* εἰσερχώμεθα οὖν, *quæ forte ex ſcholio nata lectio non neceſſario revocanda.* Vides, τὸν μακαρίτην non prorſus ab illa Alexandrini lectione alienum eſſe. Interim cogitata ſua non perſuadet. Neque enim hic concluſio aut illatio ſtatui poteſt, quæ jam anteceſſerit verſ. 1. Φοβηθῶμεν οὖν &c. Hæc concluſio urgetur, commemorato ingreſſus neceſſarii fundamento, nempe facta promiſſione, & oſtenſo ingreſſus adminiculo, nimirum *fide*, quæ, ut majoribus Judæorum defuerat, ita hic poſteris commendatur. Neque vero negligentia majorum in quiete illa quærenda, cauſa erat, cur poſteri illam conſectari deberent. Sicut enim nonnulli eorum eam conſecuti erant, ita conſequi etiam ceteri potuiſſent, & vel ſic idem jus poſteris fuiſſet relictum, idemque ſtudium incubuiſſet. Interim pravo majorum exemplo, atque hinc conſecuta pœna, moneri poſteri poterant, ut ab eadem negligentia ſibi caverent, promiſſionisque, & ſibi factæ, participes redderentur.

καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων] *Sebaſtianus Schmidius* optime ita exponit: *in requiem meam, nempe illam, ob operibus à fundatione mundi factis*, ac ſi ſcriptum eſſet, καίτοι τὴν ἔργων, & nomen verbale caſum verbi ſui adſciſcat, quaſi diceres; καίτοι τὴν κατάπαυσίν μου ἀπὸ τῶν ἔργων. Cl. *Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Jeſu antiquatis pag. 120. mutata

tata

tata commatum diſtinctione, ita legit: *Ει ἐσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μȣ· 4. Καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμȣ γενηθέντων, εἴρηκε γάρ πȣ περὶ τῆς ἑβδόμης ὅτω. καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτȣ῀. 5. καὶ ἐν τȣ́τῳ πάλιν. Quanquam opera inde a mundi primordio exſtiterant: dixit enim alicubi de ſeptimo ita: tum Deus ſeptimo die ab omnibus ſuis operibus conquievit: tamen etiam hoc loco rurſus dicit, ſi* &c.

Quod ad rem, de qua hic agitur, attinet, *Mich. Mauduit* ſingulari diſſertatione, quæ exſtat Tomo II. Analyſeos ejus epiſtolarum S. Pauli pag. 585-599. disquirit, utrum quies *Pſalm.* XCV. commemorata eadem ſit cum illa, de qua *Geneſ.* II. an ab eadem diverſa. Diverſam ſtatuit *Chryſoſtomus*, & cum eo *Eſtius*, *Tirinus*, alii. Eandem vero credunt eſſe *Lira*, *Anſelmus*, *Cajetanus*, *Titelmannus*, & cum illis *Mauduitius*, qui p. 206. Analyſeos Epiſtol. Pauli mentem repræſentat verbis, quæ ex Gallico ita converti: *Nos ceteri, qui promiſſionibus Evangelii fidem habuimus, intrabimus in eam quietem, de qua Deus Pſalm. XCV.* Juravi &c. *Jam vero hæc quies illa eſt, quam habuit Deus, cum opere creationis mundi perfunctus eſſet. Hæc itaque ipſa Dei quies eſt, in quam intrare debemus.* At compara, quæ ad verſ. 7. dicentur.

Verſ. 4. *Εἴρηκε γάρ πȣ περὶ τῆς ἑβδόμης*] Septimum diem Græcos & alias quasdam gentes ſacrum habuiſſe conſtat ex veteribus, nominatimque *Clemente Alexandrino* Stromat. V. pag. 600. eo nempe conſilio, ut pateret, inſtitutum hoc una cum aliis ſimilibus Moſi deberi. Vide *Joannem Alberti* pag. 420. *Huetium* item & *Pfannerum* in ſcriptis ad Theologiam Gentilem ſpectantibus &c. nec non *Joannis Jacobi Syrbii* diſſertationem ſingularem de Sabbato gentili. Interim probe hic obſervandum eſt, illa veterum loca non omnia ad diem hebdomadis, ſed multa ad diem menſis ſeptimum, ſpectare. Inter ea eſt etiam *Heſiodi* illud Ἐργ. verſ. 769. ſq.

*Αἱ δὲ γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς πάρα μητιόεντος,*
*Πρῶτον ἔνη, τέτρας τε καὶ ἑβδόμη, ἱερὸν ἦμαρ.*

Confer Bibliothecam Lubecenſem Tom. VII. pag. 460. ſq.

*Καὶ κατέπαυσεν ὁ Θεὸς*] Comparat hæc cum *Geneſ.* II. 2. *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* pag. 618.

Verſ. 7. *Πάλιν τινὰ ὁρίζει ἡμέραν*] Vide huc *Petri Allixii* Cogitationes in libros Veteris Teſtamenti pag. 47. ſq. verſionis Germanicæ, ubi exiſtimat, ex allatis his Pſaltæ verbis, ſi cum illis *Geneſ.* II. comparentur, patere, Apoſtolum triplicem quietem, in Scriptura memoratam, indicare: primam, Sabbaticam illam a Deo præceptam; alteram, quietem in terra Cananitica; tertiam, quietem in cœlis, cujus terra Cananæa fuerit typus. Confer *Calovium* ad h. l.

ὁρίζει ἡμέραν ] Eadem phraſi *Epictetum* Enchirid. cap. 75. & *Polybium* pag. 992. uti obſervat *Raphelius* in Polybianis p. 640.

Verſ. 8. Ει γὰρ αὐτὺς Ιησὺς κατέπαυσεν ] *Si enim Joſua eos in requiem collocaſſet.* Hoc per κατέπαυσεν inferri poſt *Eraſmum Schmidium* ad h. l. oſtendit *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. I. pag. 20.

Verſ. 9. Αρα ἀπολείπεται ] id eſt, καταλείπεται, *reſtat*, *reliquus eſt*, ut verſ. 1. Ita *Polybius* pag. 696. ἐλπὶς ἀπολείπεται σωτηρίας, *reliqua eſt ſpes ſalutis.*

σαββατισμὸς ] Judæos quoque quietem diei ſeptimi inter figuras quietis in vita æterna numeraſſe oſtendit *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 942 *Sohar* in Geneſ. fol. 3. & 4. edit. Mantuan. Hic eſt dies Sabbati. *Ille enim eſt figura terræ viventium, quod eſt ſeculum futurum, mundus animarum, mundus conſolationis. Mechilta* fol. 63. 2. *Sanctificatio Sabbati in hoc mundo fons eſt ſanctificationis mundi futuri* q. d. *Pſalm.* XCII. 1. Canticum laudis in diem Sabbati לעולם שכולו שבת. *Nam æternitas tota eſt Sabbatum.* In Sohar fol. 5. ipſa phraſis Apoſtoli: אתשאר שבת אחרא, *ſupereſt aliud quoddam Sabbatum*, quamvis alio ſenſu, legitur, quod idem oſtendit. De re ipſa lege *Altingium* Tom. V. Operum pag. 69. ubi de Sabbato.

Verſ. 10. O γὰρ εἰσελθὼν εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτῦ ] *Altingius* ad h. l. de Chriſto hæc accipi vult, qui in requiem ſuam, exantlatis ſcilicet ærumnis & laboribus in perpeſſione, per reſurrectionem ſuam intrarit. Hæc ſubtiliora mihi videntur, quamvis *Starckio* ſe probarint. Satius eſt, & contextui propius, ut, cum proxime ante de ſabbatiſmo populi Dei ſermo fuerit, eum deſcribi hic cenſeamus, qui ſuperatis vitæ moleſtiis quietis futuræ particeps redditur. Hic enim dici poteſt ἀναπαύσεσθαι ἐκ τῶν κόπων αὐτῦ *Apocalypſ.* XIV. 13.

Verſ. 11. Σπυδάσωμεν ὖν ] *Studeamus igitur*, non, *feſtinemus.* Vide *Jacobum Cappellum* ad h. l.

ἵνα μὴ ἐν τῷ αὐτῷ τις ὑποδείγματι πέσῃ τῆς ἀπειθείας ] Τὸ ἐν hic poſitum videtur pro εἰς, quod non infrequens eſt Scriptoribus. Præſtat tamen τὸ ἐν interpretari *per*, quæ notio illi frequens eſt, etiam apud externos Scriptores. Vide M. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 152. Υπόδειγμα vero τῆς ἀπειθείας idem eſt, per hypallagen, quod ἡ ἀπείθεια, ἡ ἐν ὑποδείγματι.

Verſ. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τῦ Θεῦ κ. τ. λ. ] Oraculum hoc illuſtrarunt complures, quos diligenter affert *Severinus Lintrupius* in Protheoria Theologica. Pertinent huc diſputationes ſingulares *Joannis Meisneri*, *Calovii* & *Deutſchmanni*, Wittebergæ habitæ, tum D. *Friderici Erneſti Meiſii* de interna verbi divini virtute, Schleuſingæ 1705. Spinoſæ oppoſita, ac denique *Alberti Schumacheri*, Profeſſoris quondam Bremenſis, de operationibus verbi divini, Bremæ 1718.

Diſpu-

Diſputatur ab Interpretibus, quid per *λόγον* intelligatur, utrum *ὑποστατικὸς*, *Chriſtus*, an *προφορικὸς*, i. e. *verbum Dei*. Utriusque ſententiæ rationes & patronos lege apud *Seb. Schmidium*, & *Calovium* ad h. l. item apud *Marekium* in Exercitatt. Biblicis pag. 786. & *Herman. Witſium* in Exercitatt. Academic. pag.260. ſqq. & Tom. II. Miſcellaneorum Exercit. III. §. 40. Adde quoque Menſes Reſervatos, germanice editos pag. 385. ſq. Chriſtum innui ex noſtratibus ſtatuunt *Seb. Schmidius*, *P. J. Spenerus* in Tract. vernaculo de Deitate Chriſti pag. 153. & *Gothofr. Olearius* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 20. Ex Reformatis vero *Altingius* ad h. l. ex Arminianis *Clericus* ad Hammondum. Ad verbum divinum vel univerſum, vel ſpeciatim Evangelii, referunt plerique omnes ex noſtratibus, ex quibus legi nominatim velim *Bucherum* in Rathmanno redivivo pag. 78. *Wolfburgium* in Obſervationibus Sacris pag. 251. & M. *Chriſtophorum Wolle* in diſſ. de abuſu trium hominis partium Platonico in interpretatione N. F. pag. 32. item *Trillerum* in Examine locorum quorundam Scripturæ vernaculo pag. 202. Idem ſentit *Witſius* l. c. & *Joſ. Mede* in Faſciculo X. Opuſculorum ad hiſtoriam & Philolog. ſpectantium pag. 255. Sunt, qui utrumque verbum, tum *ὑποστατικὸν*, tum *προφορικὸν*, non opponi ſibi invicem ſed ſubordinari volunt. Inter hos eſt B. *Calovius* & *B. H. Starckius* in Notis Selectis.

De verbo divino hic ſermonem eſſe nullus dubito. De hoc enim in antecedentibus aliquoties facta eſt mentio, tanquam tali, cui audientem ſe præſtare quemque oporteat. Neque eſt in commate 12. quicquam, quod in illud non cadat, quodve non alibi de eodem prædicetur. Qui Chriſtum volunt intelligi, eos video ſe potiſſimum recipere ad v. 13. tanquam ea enunciantem, quæ de verbo Dei accipi non poſſint. At nihil opus eſt, cur eum de antecedente *λόγῳ τοῦ Θεοῦ* interpretemur. Quando enim dicitur: *καὶ οὐκ ἐστὶ κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ*, pronomen *αὐτὸς* non ad *τὸν λόγον* pertinet, ſed ad *Θεὸν* v. 12. Hinc dicitur *ἐνώπιον αὐτοῦ* לפניו quæ phraſis de Deo frequentiſſime adhibetur: hinc dicitur *τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ*, & ſubjicitur, *πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος*, *de quo* (ſcil. Deo) *nobis eſt ſermo*. Itaque Apoſtolus præcedentem ſuam adhortationem, *σπουδάσωμεν* &c. duobus argumentis munit. Alterum repetitur a *ſermone* DEI efficace, convincente, urgente, & nunc damnante, nunc abſolvente: alterum ab ipſo *Deo*, verbi illius auctore, cui nihil ſit obſcurum & incognitum, cuique adeo rationem reddere aliquando oporteat hominem de eo, qualem ſe in verbum ejus præſtiterit. Deum autem non de Chriſto ſpeciatim, tanquam Sacerdote & Mediatore noſtro accipio, ſed de divino Numine, quatenus ſe in verbo repræſentavit. Propterea Apoſtolus v. 14. ab his ad Chriſtum, Dei, de quo ante ſermo fuerat, Filium, ſe iterum convertit.



Digitized by Google

*Ζῶν γὰρ ὁ λόγος*] Tribuuntur hic verbo Dei actiones, quæ Deo ipſi competunt, eo loquendi modo, cujus exemplum etiam apud *Herodotum* lib. I. pag. 45. exſtare monuit *Raphelius*. Ait enim: *ἐπιδίζεται δὲ δὴ τὸ ἐντεῦθεν ἡμῖν ὁ λόγος τὸν Κῦρον* h. e. *Hinc oratio nobis inquirit Cyrum.* Quod ipſo Herodotus faciebat, id ſermoni ſuo adſcribit.

*καὶ τομώτερος*] *& ſecantior.* Comparativus eſt à Subſtantivo *τομὴ ſectio*, formatus, cujusmodi plura exempla ex Græcia recitat *Eraſm. Schmidius.* Eadem voce uſus eſt *Phocylides* v. 118.

*Ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερόν ἐστι σιδήρου*
*Telum ſane homini penetrantius ferro ſermo eſt.*

Conf. *J. C. Dieterici* Antiquitt. Biblic. N. T. Tom. II. pag. 211.

*ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον*] Judæi verbum Dei comparant cum gladio, quod oſtendit *Schœtgenius* in Horis pag. 945. Inter cetera ex *Peſikta* in *Jalkut Schimoni* Part. I. fol. 78. 2. R. *Nachmanis* dictum affertur: *Gladius anceps* פה פיות חרב *juſtis tribuitur*, שהיא אוכלת מב' צדדיה *quæ ex utraque parte conſumit, & vitam tribuit in hoc & futuro ſæculo.* Δίστομος eſt *biceps* ſive *bipennis*, qua voce & profani utuntur, v. c. *Euripides* Oreſte v. 1303. & Helena v. 989. *δίστομον ξίφος*. Vide loca apud *Dietericum* in Antt. Bibl. N. T. Tom. I. pag. 246. *Elsnerum*, & *Jo. Alberti. Polybius* lib. VI. gladiis cujusmodi *καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον ictum utrimque validum* tribuit, quemadmodum Scriptor apud Suidam incertus ait: *καταφορὰν ἔχουσι δυναμένην ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν.* Comparatur autem verbum Dei cum gladio bicipite, ſive quia ex duobus teſtamentis conſtat, legis antiquæ & novæ, quæ *Tertulliani* eſt ſententia contra Marcion. lib. III. cap. 14. ſive, quia duo latera habet, & duos effectus, vivificat & necat, convertit, & convincit. Vide *Frider. Adolph Lampii* Exercitationes ad Pſalm. XLV. pag. 164. ubi etiam aliæ afferuntur cauſæ, cur verbum Dei cum gladio comparetur.

*ἄχρις μερισμοῦ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος*] i. e. diſtinguens inter affectus animales & Spirituales, quod recte ait *Jac. Cappellus.* Vide etiam M. *Wolle* in diſſert. de abuſu trium hominis partium Platonico.

*ἁρμῶν τε καὶ μυελῶν*] *ἁρμοὶ* ſunt *compages* & *commiſſuræ membrorum*, *μυελὸς* vero *medulla* ſive intima hominis pars. Vide *Elsnerum* ex *Julio Polluce* in Onomaſtico II. 141. & *Euripid.* Hippol. v. 253.

*καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων*] Id *Heſychius* exponit: *διακρίνων λογισμούς.*

Verſ. 13. *Καὶ οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανής*] Vide *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. III. ubi de Opificio hominis lib. V. cap. 12. §. 19. Similia externorum Scriptorum effata lege apud *Gatakerum* ad Antonin. XII. §. 2. Adde *Schotti* Adagialia ad h. l.

*πάντα*

Digitized by Google

*πάντα δὲ γυμνὰ*] Ita *Achilles Tatius* lib. VIII. pag. 485. *πάντα δὲ γυμνὰ, omnia ſunt manifeſta.* *Diodorus Siculus* lib. I. pag. 69. de judicibus Ægyptiis ita : *ἐκ τοῦ γράφειν τὰ δίκαια τοὺς ἀντιδίκους ᾤοντο τὰς κρίσεις ἀκριβεῖς ἔσεσθαι, γυμνῶν τῶν πραγμάτων θεωρημένων. Si ſuam adverſarii cauſam in literas referrent, judicia fore accurate, rebus nude conſideratis.* Hæc ut & alia loca promit *Elsnerus.*

*καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ*] *& ſupine expoſita oculis ejus.* Ita optime *Eraſm. Schmidius*, vel quod idem eſt, *reſupinata*, ut *Jac. Perizonius* ad Æliani Var. Hiſtor. XII. 58., & cum eo *Elſnerus* pag. 342. reddunt. Atque hic quidem hoc loquendi genus ab iis ait petitum, quorum capita reclinantur, ne intuentium oculos effugiant, & lateant. Ita *Plinius* Panegyr. cap. 37. de iis, qui hoc habitu ad ſupplicium ducebantur : *Nihil tamen gratius, nihil ſæculo dignius, quam quod contigit, deſuper intueri delatorum ſupina ora, retortasque cervices.* Hinc *Heſychius* : *τετραχηλισμένα, πεφανερωμένα*, & *Plutarchus* de Curioſitate pag. 521. *τραχηλιζομένους καὶ περιαγομένους* curioſos appellat, qui oculos elatos huc illuc convertunt, & res circumſpiciunt. Eandem ſententiam adſtruit *Jo. Alberti* pag. 422.

Atque hoc puto præferendum aliis eruditorum conjecturis. Ex his plerique poſt *Chryſoſtomum* ad victimas reſpici volunt, quæ reſupinatæ & per dorſi ſpinam fiſſæ omnium oculis pateant. Hujus ſententiæ adſertores lege apud *Starckium* qui & ipſe iis accedit, pag. 30. Inprimis huc ſpectat *Wittichius* in Inveſtigatione epiſtolæ ad Hebræos, cujus verba affert & approbat *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 13. ſq. His autem recte obvertit Elsnerus, illum ſignificatum nondum uſu Scriptorum firmari potuiſſe.

Alii ad luctatorem referunt, qui adverſarii cervicem reſupinet. Ita *Pet. Faber* in Agoniſticis lib. I. cap. 11. & *Gisb. Cuperus* Obſervatt. I. 12. pag. 85. Illis vero obſtat, recte monente *Perizonio*, quod collum in lucta obtortum nihil facit ad apertiorem viſum, de quo tamen Apoſtolo ſermo eſt.

Nonnulli *τραχηλίζειν* idem eſſe putant, quod *debitorem obtorto collo in jus rapere.* Hæc eſt D. *Pagenſtecheri* ſententia in diſſertatione quadam Groningæ 1716. edita; qua de uſu Juris Romani in rebus Theologicis & Philologicis eſt commentatus. Conf. *Famam Eruditam* germanice editam Part. LI. pag. 71. Sed non video, quomodo hoc ad verbum Dei quadret, aut rei ipſi, de qua agitur, conveniat.

Multo minus accipiendam credo *Lud. Cappelli* in Spicilegio Notarum ad N. T. ſententiam. Scilicet Hebraici ערף *collum* vocant. Arabes autem verbum ab illa voce deductum habent, quo idem illis eſt, atque *noſſe, ſcire*, qua ſignificatione etiam apud Rabbinos, teſte *Elia Levita* in Tisbi, & *Davide Pomis* Dictionario ſuo, invenitur. Hinc factum videtur, ut Apoſtolus *τραχηλίζω*, nova & incognita Græcis ſignificatione, pro *notum facere*, adhiberet, atque adeo

adeo *τετραχηλισμένα nota* & *cognita* appellaret. Nemo non intelligit, fruſtra ad Arabas provocari, ubi ſignificatio talis in promtu eſt, quæ & Græcis ſit recepta, & ad rem, de qua agitur, ſatis accommodata. Adde, quæ contra *Cappellum* dixit eruditiſſimus *Alberti* pag. 422. Vide interim de hoc verbo amplius diſſerentes *Valeſium* ad Sozomenum pag. 335. *Petavium* ad Themiſtium pag. 558. *Caſaubonum* ad Athenæum lib. I. c. 12. pag. 23. & in Caſaubonianis pag. 79. collatis notis meis pag. 283. *Petrum Zornium* in Bibliotheca Antiquario Exegetica Tom. I. pag. 771. ſqq. & J. C. *Schwarzium* ad J. Olearium de Stilo Novi Teſtamenti pag. 245. & 357. qui allatam modo *Cappelli* conjecturam hinc in medio relinquit, hinc vero recte repudiat. *Sextus Empiricus* lib. XI. §. 179. pag. 722. edit. Fabricianæ utitur verbo *προσεκτραχηλίζεται* i. e. *præcipitatur*, atque adeo alio ſenſu, quam qui heic locum tueri poteſt.

*πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος*] *Beza* ita, *quicum nobis eſt negotium. Eraſm. Schmidius* ſimiliter: *cui nobis reddenda eſt ratio.* Sic quoque *Olearius* in Analyſi: *cum quo nobis hic res eſt;* provocans ad uſum hujus phraſeos apud *Demoſthenem* & Rhetoras veteres obvium, *λόγος ἐστί μοι πρός σε.* Approbant idem *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 18. & *Starckius* ad h. l. Rectius tamen redditus cum B. Luthero; *de quo loquimur.* Hoc ſenſu *τὸ πρὸς* occurrit ſupra I. 7. ex plerorumque ſententia. Sic etiam externi Scriptores. Ita *Plutarchus* de Solertia Animal. pag. 962. *πρὸς ἣν ὁ λόγος γέγονε*, *de qua* (virtute) *ſermo eſt*, quem locum obſervavit *Elsnerus.* Adde in eandem ſententiam *Joh. Alberti* pag. 421. Infra V. 11. dicitur: *περὶ οὗ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος*

Verſ. 14. *Ἔχοντες οὖν Ἀρχιερέα μέγαν, κ. τ. λ.*] Rem, de qua h. l. agitur exponunt *Jo. Jac. Syrbius*, Profeſſor Jenenſis, in Programmate ſingulari de tenenda fidei Chriſtianæ profeſſione, Jenæ 1730. & *Jac. Henr. Balthaſar*, Theologus Gryphiswaldenſis, in commentatione Theologica de magno N. T. Pontifice, tenendaque eo confeſſione, Gryphisvvald. 1731. 4.

*Ἀρχιερέα μέγαν*] *Sacerdotem magnum. Jo. Vorſtius* in Philologia Sacra Parte II. pag. 8. *μέγαν* pro *μέγιστον*, ſeu *maximum* per enallagen graduum comparationis, Hebræis receptam, dici exiſtimat. At eo nihil opus eſt, cum phraſis hæc Hebraicam illam כהן הגדול referat, quæ per ſe talem infert, qui reliquis omnibus ſit ſuperior; deinde vero nusquam alias in hoc argumento *τὸ μέγιστος* adhibeatur; ut taceam, Scriptores externos ſimiliter poſitivum pro comparativo vel ſuperlativo adhibere. Vide Cl. *Georgii* Vindicias N. T. ab Hebraiſmis pag. 243.

*διεληλυθότα τοὺς οὐρανοὺς*] Sic in *Sohar* fol. 3. col. 12. obſervante Cl. *Schœtgenio* dicitur, in paradiſo ſuperiore eſſe locum ſeparatum, variisque modis aptatum, in quo mille arces argenteæ recondantur, quemque nemo, Meſſia excepto, ingrediatur.

Ἰησοῦν

Ιησῦν τὸν ὑιὸν τῦ Θεῦ] Fortaſſe Paulus Jeſum Dei Filium hic per nomen Ιησῦς tacite opponit *Joſuæ*, de quo ante v. 8.

κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας] *teneamus banc confeſſionem*, ſive *profeſſionem*, in qua ſcilicet ſtamus. Vide ad III. 1. De ſignificatu & efficacia verbi κρατεῖν lege *Joacb. Kübnii* Pentadem V. Diſſertationum pag. 6.

Verſ. 15. πεπειρασμένον δὲ] Δὲ pro ἀλλὰ poſt negandi particulam ὐ, hic poſitum eſſe, recte obſervat *Raphelius* in Polybianis & Xenophonteis. Ita *Xenophon* Oeconom. pag. 686. Ου γὰρ ὥσπερ τὰς ἄλλας τέχνας τοῖς μὴ ἠργαζομένοις ἐςι προφασίζεϑαι, ὅτι ὐκ ἐπίςανται. γῆν δὲ πάντες οἴδασιν, ὅτι εὖ πάσχουσα εὖ ποιεῖ. Eodem ſenſu τὸ δὲ occurrit in cap. IX. 12. X. 27. XII. 13.

Verſ. 16. προσερχώμεϑα ὖν μετὰ παῤῥησίας, κ. τ. λ.] Vide *Jo. Henr. Urſini* Analecta Part. I. pag. 302. *Daſſovium* diſput. II. de Emphaſi Vocum Sacrarum p. 11. & inprimis Rev. *Sal. Deylingium* in Obſervatt. Sacr. Parte III. num. XLVI.

προσερχώμεϑα ὖν] Duo codd. legunt προσερχόμεϑα ὖν, quod in contextum recepit Editor N. T. Græco-Anglicani, temere omnino & præcipitanter. Manifeſtum eſt, his verbis æque contineri exhortationem, atque v. 15. κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας, quod etiam ex particula ὖν, quam omnes codices, ſi unum exceperis, exhibent, apparet. Non poteſt provocari ad v. 3. Εισερχόμεϑα γάρ. Ibi enim adeo non fit exhortatio, ut potius ea, quæ antecеſſerant, argumento quodam adſtruantur, quod ibi oſtendimus.

τῷ ϑρόνῳ τῆς χάριτος] Alluditur hic ad arcam fœderis, ejusque operculum propitiatorium. Vide *Witſii* Miſcellanea Tom. I. lib. II. Diſſ. I. §. 77. ſqq. qui cum antea generatim contra *Spencerum* oſtendiſſet, arcam illam typum fuiſſe rerum ſpiritualium & Novi Fœderis, ſpeciatim commonſtrat, quid Arca Fœderis ſpeciatim ſubindicarit. Conf. ad *Rom.* III. 25.

ἵνα λάβωμεν ἔλεον] Athenienſes habebant ἐλέυ βωμὸν, *aram miſericordiæ*, ad quam ſe recipiebant adflicti. Huc reſpicit *Lucianus* in Bis accuſ. pag. 228. hominem commemorans, ὥσπερ ἱκέτην ἐπὶ τὸν τῦ ἐλέυ βωμὸν καταφεύγοντα, *qui inſtar ſupplicis ad Miſericordiæ aram confugeret*. Vide *Jo. Alberti* pag. 423.

κ̀ χάριν εὕρωμεν] Hebraiſmum in hac phraſi fruſtra quæſivit *Paſor*. Eodem enim modo *Demoſthenes* de falſa Legat. pag. 221. A. ὅτι μάρτυρας γενέϑαι τῶν ὑποχέσεων, ἐφ᾽ αἷς εὑρίσκετο τὴν εἰρήνην, *neque eos conſcios eſſe voluit pollicitationum, quibus pacem impetravit*. Nec alii ex Atticis aliter, quorum locos leges apud Cl. *Georgium* in Vindiciis Nov. Teſtam. ab Hebraiſmis p. 116.

Nnnn CAPUT

# CAPUT V.

VErſ. 1. Πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς κ. τ. λ.] Hæc ad antecedens caput referri volebat *Emſerus*, contra quem lege *Raithii* Vindicias pag. 572. Ad argumentum ipſum, quod tractatur, lege *Petavium* T. V. Dogmatum lib. XI. cap. 11. §. 4. *Spenerum* in Reſponſis Theologic. Germanicis Tom. I. pag. 136. & *Witſium* in Miſcellaneis pag. 500. ſqq.

ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσαται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν] i. e. *pro hominibus conſtituitur in iis, quæ apud Deum ſunt agenda*, ut *Beza*, & *Schmidius*: h. e. *ut rem divinam faciat, ſacra procuret, & populi loco ad Deum accedat*. Ita phraſin recte exponit *Elſnerus*, & huc commode advocat verba Jethronis ad Moſen *Exod.* XVIII. 19. γίνε σὺ τῷ λαῷ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ ἀνοίσεις τοὺς λόγους αὐτῶν πρὸς τὸν Θεόν. Sic vero etiam externos Scriptores loqui idem aliquot locis oſtendit. Inter hos eſt *Juliani* ille in Fragmento pag. 296. *Sacerdotes honorandi ſunt*, ὡς διακονοῦντες ἡμῖν τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, *utpote qui rem divinam adminiſtrant*. Conf. ſupra ad II. 17. Phraſi, καθίσαται ἱερεὺς utitur *Strabo* lib. V. pag. 366. de Sacerdote Dianæ.

Verſ. 2. Μετριοπαθεῖν δυνάμενος] *Qui poſſit, quantum ſatis eſt, miſerari vicem*. Ita *Schmidius* & *Beza*. Verbi vim ita expoſuit *Camerarius*, ut idem eſſe dicat, atque ὑπὸ ἐπιεικείας τινὶ συμπάσχειν, *alterius malis affici, eo quod non rigide & ſevere, ſed humaniter & placide de aliis judices, tanquam ſi tua ipſius res ageretur, ut qui te putes eadem conditione*. Atque ita *Heſychius*, qui μετριοπαθῆ reddit μικρὰ πάσχοντα, & συγγινώσκοντα ἐπιεικῶς. *Photius* in Lexico MS. μετριοπαθεῖν, ἐκ μέρους τὰ πάθη καταδέχεσθαι, συγγινώσκειν. *Stephano* in Theſauro non aliud eſſe videtur, quam antecedens IV. 15. συμπαθῆσαι, vel συμπαθῆσαι μετὰ μετριοπαθείας. Conf. *J. C. Dieterici* Antt. Biblic. Vol. II. pag. 20. & *Jac. Cappelli* Obſervationes, qui vertit: *moderate ferre*. Fortaſſe per vocem μέτριος in verbo hoc compoſito reſpicitur eo, ut inferatur, τὸ συμπαθεῖν decere Sacerdotem. Μέτρια enim Græcis paſſim dicuntur τὰ πρέποντα, & μετρίως λέγειν apud *Platonem* & *Thucydidem* eſt *commode* & pro rei dignitate dicere. Vide *Gravii* notas ad *Heſiodi*. Ἐργ. v. 306. p. 33. *Cappellus* l. c. δυνάμενος idem eſſe putat, quod ὀφείλων, ut 2 *Corinth.* XIII. 8. Præſtat autem in conſueto verbi ſignificatu perſiſtere, cum ſtatim addatur cauſa, unde illa facultas ad eum proficiſcatur, nempe ex eo quod ipſe infirmitatem habeat, eamque adeo ſentiat.

Verſ. 4. Καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν] Τιμὴ Græcis etiam de munere publico dicitur, quemadmodum *honores* Latinis. Sic *Herodotus* lib. II. p. 128. παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδέκεται τὴν τιμὴν, *filius patri in honore ſuccedit*. Confer *Raphelii* Herodoteas pag. 606.

καθί-

Digitized by Google

*καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών*] Reſpicitur ad *Exod.* XXVIII. 1. Eodem Aaronis, ad Sacerdotium vocati, exemplo in ſimili argumento de dignitate non temere ſibi vindicanda utuntur Judæi in *Bammidbar rabba* Sect. XVIII. f. 234. 4. & *Tanchuma* fol. 67. 4. Vide *Schœtgenium* pag. 948. Confer huc *Feſſelium* Tom. II. Adverſariorum Sacror. pag. 347. & *Grotium* Tom. III. Operum pag. 209. Sacerdotium Chriſti cum Aaronis illo comparat *Witſius* in Miſcellaneis Tom. I. pag. 454.

Verſ. 5. *ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτόν. υἱός μου εἶ σύ*] Quo jure & ſenſu Apoſtolus illa Pſalmi verba huc advocet, oſtendunt *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* pag. 621. *Guſſetius* in confutat. libri *Chiſſuk Emuna* Parte I. cap. X. §. 44. & in Commentariis L. Hebr. rad. ילד C. 2. *Outhovius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. II. p. 677. & *Alethæus* Tom. II. der Erläuterung p. 52.

Verſ. 6. *Σὺ ἱερεὺς εἰς τὸν αἰῶνα κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδέκ*] Conferunt hæc cum *Pſ.* CX. 4. *Surenhuſius* loc. cit. pag. 623. & *Jo. Grammius* in Diſſertat. III. de verſione Septuaginta virali in Nov. Teſtam. allegata pag. 60. Adde *Jo. Jac. Schudtium* commentario in hunc Pſalmum ſingulari pag. 248. ſq. ex quo etiam diſces, Judæos veteres eum de Meſſia interpretatos eſſe, quam in rem lege quoque Celeb. *Schœtgenii* Horas Hebraicas ad *Matth.* XXII. pag. 949. Vox *τάξις* Græcis *locum*, *vicem*, *inſtar*, *ſimilitudinem* infert. Ita *Athenæus* lib. XII. pag. 546. *ἀρετὴν ὑπουργὸν τῆς ἡδονῆς καὶ θεραπαίνης τάξιν ἐπέχουσαν*, *virtutem voluptatis miniſtram, & famulæ ſimilem, ſeu, miniſtræ vicem tuentem, appellat.* Demoſthenes contra Ariſtocratem *ἐν δωρεᾶς τάξει ποιεῖν τι muneris loco habere, ait.* Hæc commode affert *Grammius* loc. cit.

Verſ. 7. *Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας*] Preces has ſupplices de illa ſpeciatim precatione, quam Dominus ex cruce pendens *Matth.* XXVII. 46. fecit, accipit Anonymus in Bibliotheca Anglicana, gallice edita Tom. X. Part. I. pag. 137. Confer, quæ ad *Matthæum* ſcripſi.

*μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων*] Synopſis Sohar pag. 33. num. 2. *Tria ſunt precum genera, alterum altero ſublimius: oratio, clamor & lacrymæ. Oratio fit voce ſilente: clamor voce elevata; lacrymæ autem ſuperant omnia.* Vide *Schœtgenium* pag. 949.

*καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας*] Duplex potiſſimum vocis *εὐλάβεια* notio eſt, nempe vel *metus*, vel *reverentiæ*. Utraque ita eſt comparata, ut locum hic habere poſſit: itaque alterutram ab Interpretibus teneri videas. Priorem tamen à pleriſque video præferri, quamvis poſterior veteribus inprimis ſe probarit. Nihil interim definit *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 242. profeſſus, unicum hunc N. T. locum eſſe, cujus certam interpretationem adeo neſciat, ac ſi nunquam Græcas literas didicerit. Qui per *metum* vertunt, illis idem hæc phraſis eſt, ac ſi diceretur, *exauditus atque adeo liberatus à metu*,

 ſcili-

ſcilicet mortis: qui per *reverentiam*, illi à Patre ajunt exauditum Chriſtum *propter reverentiam* & pietatem, in Patrem præſtitam. Prætulerim ego *metus* ſignificatum. Hunc apud τὰς LXX. frequentem eſſe patet ex locis, ubi Hebr. דאגה i. e. *timorem anxium*, vertunt εὐλάβειαν, v. c. *Proverb.* XII. 25. *Joſ.* XXII. 24. *Ezech.* IV. 16. &c. quemadmodum verbum דאג exponunt per εὐλαβεῖσθαι, nominatim *Jeſ.* LVII. 11. & *Jerem.* XXXVIII. 19. Nec profanis hæc ſignificatio inſueta eſt. *Herodianus* lib. V. pag. 112. *latentes* ait, & εὐλαβείᾳ ἡσυχάζοντας *metu quieſcentes*. *Plutarchus* de defectu Oraculorum μετὰ εὐλαβείας i. e. *timide*, Turnebo interprete, dixit. *Philo* de Vita Moſis, Moſen τὴν φύσιν εὐλαβῆ, *natura timidiorem*, vocat. Hæc & alia iis ſimilia recitat. *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 399. Illis addidero, quod *Caſaubonus* ad Ariſtoph. Equites verſ. 253. obſervat, εὐλαβεῖσθαι eos proprie dici, qui vaſa vitrea aut fragilia alia cum magna circumſpectione tangant. Verbum εὐλαβεῖσθαι *Actor.* XXIII. 10. idem eſt, quod *timere*, *vereri*, qui ſignificatus etiam commode admittitur *Hebr.* XI. 7. ubi Noa εὐλαβηθεὶς h. e. timens ab imminente Dei judicio arcam ſtruxiſſe dicitur. Exauditionem illam *liberationem* ſimul inferre, nemo negaverit, qui verbum hæc inter prægnantia, quæ vocantur, merito haberi noverit. Ita Meſſias Pſ. XXII. 22. ad Deum ait: *à cornibus monocerotum exaudiviſti me* i. e. *exaudiens liberaſti me*. Conf. Pſalm. CXVIII. 5. Hæc ſignificatio quadrat hic ad *mortem* proxime ante commemoratam, σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου, ex qua ut Dominum tum temporis ereptum non eſſe novimus, ita à metu ejus naturali liberatum eſſe non dubitamus. Metus quoque clamori & lacrymis precantis optime reſpondet. Præpoſitio ἀπὸ æque recte per *ex* vel *à*, quam per, *propter*, vel *cum*, quod in altera illa explicatione afferunt, ex uſu Scriptorum vertitur. Nihil denique eſt, quod huic interpretationi obſtet. Afferam, quæ hanc in rem dixit *le Moyne* l. c. *Vox metus*, inquit, *videtur hic magis quadrare cum lacrymis, quas fudiſſe hic dicitur Chriſtus, & cum clamoribus calidiſſimis & vehementiſſimis, qui ex illius ore erupiſſe nobis hic repræſentantur, adeo ut illis metus & pavor jure poſſit ſociari. Et revera quare hic à Chriſto metum & pavorem removeamus, quaſi rem indecentem, invidioſam & odioſam? An non Luc. XXII. 4. dicitur eſſe ἐν ἀγωνίᾳ, quæ animi perturbatio à quibusdam definitur, φόβος διαπτώσεως. An non dicitur Matth. XXVI. 37. λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν? An non dicitur ἐκθαμβεῖσθαι Marc. XIV. 33.? An non quidam Interpretes iſtud Pſalm. XXII. 2.* רחוק שאגתי *Longe à rugitu meo, intelligunt de erroribus & rugitu Chriſti, qui non ſimpliciter clamabat, & ad opem Dei confugiebat, ſed inſtar leonis vulnerati vociferabatur, rugiebat, quaſi ſonos inarticulatos & inconditos edebat, & ex cujus corde ſaucio profunda ſuſpiria, gemitus & querelas trahebat. Cur non ergo hic εὐλαβείας ſumeretur pro pavore & tremore, & an ex iſta interpretatione majus detrimentum redundat in Dominum noſtrum Jeſum, quam ex ἀγωνίᾳ, θάμβῳ, ἀδημονίᾳ, λύπῃ, φόβῳ & aliis animi affectibus, qui Chriſto in Sacris literis tribuuntur?* Vide ibi reliqua. In hanc interpretationem diſcedunt

ex

ex noſtratibus *Franzius* de Interpretatione S. Scripturæ pag. 411. ſqq. *Eraſmus Schmidius*, &, ut alios taceam, *Starckius* pag. 32. qui plures affert, & *Schœtgenius* l. c. pag. 950.

Quam *Wolfburgius* loc. cit. viri docti expoſitionem affert, qui verterat, *exauditus eſt à bona acceptione*, ſcilicet, qua Pater προσελάβετο, ſeu εὐλάβετο preces Chriſti, eam, tanquam à conſueta & frequente vocis Græcæ uſu alieniſſimam, nemo, puto, admiſerit.

Ab omnibus his abiit B. *Albertus Ehlers*, qui ita vertere malebat: *& exauditus eſt a timore*, h. e. ab eo, quem religioſo timore coluit, nempe à Deo Patre, ut ſic εὐλάβεια, *timor religioſus*, objective accipiatur, ſicut in Vet. Teſt. Deus ſæpe dicitur *timor*, v. c. *Geneſ.* XXXI. 42. 43. *Timor Iſaaci*, פחד, quod *Onkelos* exponit: דדחיל ליה יצחק, *ille, quem timebat Iſaac;* per quem etiam jurabat Jacob loc. cit. verſ. 43. Sic *Jeſ.* VIII. 13. [illegible] מוראכם, & de falſo Deo, ibid. verſ. 12. Ita falſi Dei ſimulacrum, in luco poſitum, vocatur *horror*, ſive *terriculamentum*, מפלצת, 1 *Reg.* XV. 13. 2 *Paral.* XV. 16. Nomen Dei יה ab *Onkeloſo* Exod. XV. 2. redditur דחילא יי, quod non adjective *terribilis Deus*, ut in Polyglott. vertitur, ſed *terror Dei*, eſt, ut vult *Ainsworthus* ad loc. cit. דחילא non tantum de fictis Deaſtris ſæpius in Chald. Paraphr. uſurpatur, ſed & *Deuter.* XXXII. 15. in Targum Hieroſol. de Deo vero, ubi in Bibliis Polyglott. quidem redditur per cultum; ſed vide tu Buxtorfii Lexicon Talmudicum, & Caſtellum hac voce. Ita & apud Syros eadem vox, nempe *timor, terror*, ſive cultus & veneratio non tantum de falſis Diis, ſed & de Deo vero adhibetur, teſte *Caſtello* in Lex. rad. דחל in Syr. Confer etiam *Ludovicum de Dieu* ad Pſalm. LXXVI. 12. De *Geneſ.* XXXI. 42. 53. lege *Lightfootum* Miſcellan. cap. II. in fine pag. 995. Tom. I. Operum edit. Anglican. Hæc laudatus *Ehlerſius* in Notis MSS. ad Novum Teſtamentum, quas beneficio Rev. *Kirchhoſii*, Præpoſiti Itzehoënſis, apud quem hodie exſtant, utendas habui. Hæc afferre viſum eſt, quod erudita ſunt, & ingenium ſpirant, quamvis interim ab hoc loco aliena ſunt. Si Deum indicare voluiſſet Apoſtolus, procul dubio ſcripſiſſet; ὑπ᾽ αὐτοῦ, vel, ἀπ᾽ αὐτοῦ, cum antea τοῦ δυναμένου σώζειν, i. e. Dei facta fuiſſet mentio. Taceo, nec in N. T. nec alibi unquam voci εὐλάβεια eum ſignificatum tribui.

Inter eos, qui Dominum *propter pietatem*, vel, *reverentiam* exauditum dici cenſent, eſt inprimis *Hombergius* pag. 339-341. Parergorum. Conferri præterea ad h. l. poſſunt *Petavius* in Dogmatibus de SS. Trinitate pag. 241. *Menochius* in Trattenimenti Eruditi Parte V. pag. 261. *Richardus Simon* in Bibliotheca Critica Tom. IV. epiſt. 45. & *Chamierus* in Corpore Theolog. pag. 206. tum vero Caſauboniana mea pag. 78. & 281.

Verſ. 8. Καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν] *Quamvis filius eſſet*, tamen *didicit*. Ita *Beza* & *Schmidius*, qui τὸ καίπερ, (quod *Vulg.* male reddit, *& quidem eum,*) recte per *quamvis*, & ὅμως, ſeu *tamen*, tanquam ratione ſenſus & ex uſu linguæ ſubintelligendum, exprimunt. Ομως illud diſerte à *Demoſthene* in ejusmo-

di phraſi adhibetur Oration. II. in Philipp. pag. 28. edit. Baſil. *ἕκαςον ὑμῶν καίπερ ἀκριβῶς εἰδότα, ὅμως ὑπομνῆσαι βϐλομαι.* Idem vero alibi, nempe in Orat. de corona pag. 331. omittit. Vide *Outhovium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. pag. 671.

*ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε*] id eſt plene: *ἔμαθεν ἀπ' ἐκείνων, ὧν*, vel, *ἃ ἔπαθε.* Vide *Lambertum Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 39. Elegans hic eſt paronomaſia, cujus alia ex Pauli ſcriptis exſtant exempla apud *Suicerum* Tomo II. pag. 658. Eandem refert vulgatum illud: *παθήματα, μαθήματα*, quod exſtat apud *Herodotum* lib. I. pag. 95. *Feſſelius* Adverſariorum Sacrorum Tom. I. pag. 16. *ἔμαθε* vertit, *diſcere fecit.* Sed hoc non opus eſſe oſtendit *Starckius* l. c. pag. 24.

Verſ. 9. *Καὶ τελειωθεὶς*] *Et conſecratus*, vertit *Beza*, quod recte *Hombergio* diſplicet. Idem tamen placet *Altingio* ad h. l. & *Starckio* pag. 35. qui non de conſummatione ſacerdotii per oblationem victimæ, ſed conſecratione ad ſacrificium rite peragendum accipi vocem volunt. At vide, quæ ſupra ad cap. II. v. 10. dicta ſunt. Rectius agere eos puto, qui de perfecto redemtionis opere interpretantur, quod ipſe Servator pronuntiat *Joh.* XIX. 30. *τετέλεςαι.* Ab hac enim *conſummatione* pendet ſalus hominum, in Chriſtum credentium, & Chriſtus hinc *αἴτιος* illius vocatur.

*αἴτιος σωτηρίας αἰωνίϰ*] Vocem *αἴτιος* exponit hic *Eraſmus Schmidius*, & *Dietericus* Antiquitatt. Biblic. I. N. T. pag. 65.

Verſ. 10. *Προσαγορευθεὶς ὑπὸ τϐ Θεϐ ἀρχιερεὺς*] i. e. *κηρυχθεὶς*, *renunciatus*, nempe tum ante in divino conſilio, tum in ſacris literis. Confer *Lydii* Agoniſtica Sacra cap. 43. pag. 158.

*κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ*] Vide ſupra ad verſ. 6.

Verſ. 11. *Περὶ ϐ πολὺς ἡμῖν ὁ λόγος*] Ab his verbis incipere parentheſin bene longam, quæ usque ad cap. VI. finem proferatur, exiſtimat M. *Wolle* in Commentat. de Parentheſi Sacra pag. 70.

*ἐπεὶ νωθροὶ γεγόνατε ταῖς ἀκοαῖς*] *quandoquidem ſegnes facti eſtis auribus.* Ita *Eraſmus*, *Beza*, *Schmidius*, & *Jacobus Cappellus*. *Lambertus Boſius* pag. 240. *quoniam hebetes facti eſtis auribus*, monens præterea, ſenes proprie *νωθρὺς ταῖς ἀκοαῖς* dici, tanquam quibus ob ætatem languidior & hebetior ſit auditus; quemadmodum *Heliodorus* lib. V. cap. 13. ſenem ſiſtit, qui ſe *δι' ἡλικίαν νωθρότερον τὴν ἀκοὴν* appellat. *Vulgat.* vertit: *imbecilles ad audiendum*, quod *Elſnero* p. 344. elegantius & magis perſpicuum videtur. Vide loca veterum ab eo allata. Inter hæc eſt *Plutarchi* illud de ſolertia animal. p. 963. *εἰ νωθρότερον φρονεῖ καὶ χάκιον διανοεῖται*, *ſi tardius intelligat, minusque recte ratiocinetur*, & de Oracul. defectu p. 420. *νωθρὰ ταῖς ψυχαῖς.* *Diogenem Laërtium* V. 5. hominem ingenio hebetem *νωθρὸν τὴν φύσιν* appellare memini. *Heſychius* convenienter: *νωθρόν· βραδὺ, νωχελὲς, ἀσθενές.* *Photius* in Lexico MS. ſimpliciter *ἀσθενές.* *Chryſoſtomus* rem eleganter, more ſuo, dicit Serm. LV. in Acta; *Ἔςι γὰρ*, inquit, *ἔςιν ἀσθένεια καὶ ἀκοῆς· καθάπερ γὰρ ςόμαχος*

στόμαχος οὐκ ἂν δέξαιτο ὑγιεινὰ σιτία καὶ δυσκατέργαστα, ἀσθενὴς ὢν· οὕτω καὶ ψυχὴ ὀγκωθεῖσα καὶ φλεγμαίνουσα ἄτονος γενομένη καὶ ἔκλυτος, οὐκ ἂν δυνηθείη δέξασθαι τὸν πνευματικὸν λόγον· ἂν δὲ ἰσχυρὰ καὶ ὑγιεινὴ, πάντα ῥᾷστα, πάντα εὔκολα.

Verſ. 12. Καὶ γὰρ ὀφείλοντες εἶναι διὰ τὸν χρόνον ] i. e. *pro temporis ratione*, ut *Beza*, vel *jamdudum*, ut *Schmidius*. Utrumque enim idem infert. Indicatur autem illud temporis ſpatium, ex quo doctrinam ſalutarem acceperant. Hæc vis phraſeos eſt apud *Polybium* pag. 69. *Erant illa opera ad facile concipiendum ignem cumprimis apta, διὰ τὸν χρόνον, utpote multo ante facta.* Vide *Raphelium* pag. 661.

πάλιν χρείαν ἔχετε] *rurſus opus habetis.* Ita Interpretes, quos vidi, omnes. Unus forte eſt *Eraſmus Schmidius*, qui mavult πάλιν per *contra* vertere. Sed præſtat prius. Hebræi enim jam ante acceperant primarias & obvias veritatis cœleſtis doctrinas, quibus ceteras easque ſublimiores ſuperſtrui oportebat; jam vero ob negligentiam ipſorum & imbecillitatem neceſſe erat, ut non tam hæ, quam illæ, *denuo* inculcarentur Confer, quæ ſcripſi ad 2 *Corinth* XI. 16. Apoſtolus paulo poſt VI. 1. per πάλιν θεμέλιον καταβαλλόμενοι ad hoc πάλιν reſpicit.

τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ ] στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς ſunt τὰ πρῶτα στοιχεῖα *prima elementa.* Vide *Starckium* pag. 36. & *Jacobum Cappellum*, & quæ mox ad VI. 1. dicentur. De voce στοιχεῖον lege dicta ad *Galat.* IV. 3. 9. & *Coloſſ.* II. 8. ad noſtrum vero locum ex Patribus *Suicerum* Tom. II. pag. 1037. & Celeb. *Franciſci Wokenii* Meditationes Privatas Tom. II. pag. 1. ſqq.

χρείαν ἔχοντες γάλακτος ] Vide ad 1 *Corinth.* III. 2. Τὸ γάλα ab Interpretibus explicare vel illuſtrare cenſetur τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς, &, meo quidem judicio, recte. At *Joannes Georgius Billersbemius* in Exercitationibus Typico-Propheticis de fatis Chriſti inſignioribus Exercitat. V. §. 85. inter *lac* & *elementa* illa *prima* ita diſtinguit, ut *lactis* nomine umbras & figuras legis, *elementorum* autem primas promiſſiones, quas Patres inde a paradiſo audiverint, ſignificari exiſtimet. Confer Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. pag. 884. ſq. Ex Patribus lege huc *Suicerum* Tom. I. pag. 721.

καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς ] Sic *Arrianus*, obſervante *Raphelio* II. 16. οὐ θέλεις ἤδη, ὡς τά παιδία ἀπογαλακτισθῆναι, καὶ ἅπτεσθαι στερεᾶς τροφῆς; *Non vis jam tanquam infantes ablactari, & deguſtare cibum ſolidiorem?* Confer p. 370. & 380. Appoſitus quoque eſt *Philonis* de Agricultura pag. 188. locus, quem hic affert *Schœtgenius* pag. 952. monens præterea, diſcipulos a Judæis appellari תינוקות, *ſugentes*, a ינק, *ſuxit.* Vide eum ad 1 *Petr.* II. 2. Ita libellus quidam Grammaticus *Iſaaci Auerbach* vocatur גירסא דינוקא, *inſtitutio puerilis*, de quo dixi Vol. III. Bibliothecæ Hebrææ num. CCXVI. b. Atque hic quidem notandum aſt, גרס Magiſtris Hebræorum idem eſſe proprie, quod *frangi*, translate vero *ſtudere*, *diſcere*, quod oſtendit *Buxtorfius* in Lexico

co Talmudico pag. 840. Hinc גירסא eſt *lectio*, ſeu *doctrina.* Reſpicitur ſcilicet ad *panem fractum*, quo ut corpora nutriuntur, ita animus ex doctrina incrementum capit. Quomodo Patres hanc phraſin interpretati ſint, diſces ex *Suicero* Tom. II. pag. 1323. Comma hoc una cum 13. & 14. explicat *Hoornbeckius* in Vet. & Novis lib. I. pag. 342. item *J. Joach. Zentgravius* in Tractatu, de quo ad c. VI. 1. dicemus.

Verſ. 13. *νήπιος γάρ ἐστι*] Lege eundem Tom. II. p. 398.

Verſ. 14. *Τελείων δέ ἐστιν ἡ στερεὰ τροφὴ*] *Adultorum autem eſt ſolidus cibus.* Ita *Beza* & *Schmidius.* Malim *perfectos* hic vertere, cum ad eos potiſſimum reſpiciatur, qui ampliores in doctrina Chriſtiana progreſſus fecerunt. Tales enim hoc nomine a Scriptoribus Sacris appellari ſolere oſtendi Vol. II. pag. 322. & 324. Interim non nego, Apoſtolum pro *δεινότητι* ſermonis adultam ſimul ætatem ſpectare, cui antea *τὸν νήπιον* oppoſuerat. Sic *ἀνὴρ τέλειος* *Epheſ.* IV. 13. *Herodotum* lib. I. pag. 83. *τέλεα προβάτων* integræ ætatis pecudes diſtinguere a *γαλαθηνοῖς*, *lactentibus*, obſervat *Raphelius.* Per *τελείους*, *myſticæ* doctrinæ gnari intelligi videntur Editori Nov. Teſtam. Græco-Anglicani p. 843. contra quem lege *Leonhardum Twells* in Examine Critico Parte II. pag. 14.

*τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων*] Sic *Ariſtoteles* in Politicis *γεγυμνασμένους τὰς ἕξεις πρὸς τὰς πολεμικὰς πράξεις* appellat. Confer *Dieterici* Antiquitates Biblicas Vol. I. pag. 304. Recte *ἕξιν* per *habitum* verteris cum *Beza* & *Cappello*, niſi malis *uſum.* *Heſychius*: *ἕξις*, *ἦθος*, *φρόνησις*, *συνήθεια.* Quo ſenſu *ἕξις* & *ἑκτικὴ δύναμις* a veteribus inanimatis quoque tribuatur, diſquirunt *Salmaſius* ad *Simplicium* pag. 302. & 131 & *Gatakerus* ad Antonin. VI. 14.

*τὰ αἰσθητήρια*] Ita Græcis alias *ſenſuum organa* appellantur. Hic dicuntur de ſenſibus ipſis, hi vero non de illis, qui ad animam ſenſitivam pertinent, ſed de ipſo ſenſu, vel experientia ſpirituali, quemadmodum Paulus optat Philippenſibus, cap. I. v. 9. ut abundent in cognitione & omni ſenſu, non ſenſitivæ animæ, ſed intellectus. Vide *Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Vol. I. pag. 61.

*πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ*] Hoc ſcilicet præcipui Philoſophi munus facit *Epictetus* apud *Arrianum* lib. I. cap. 20. pag. 84. *διὰ τοῦτο ἔργον τοῦ φιλοσόφου τὸ μέγιστον καὶ πρῶτον, δοκιμάζειν τὰς φαντασίας καὶ διακρίνειν, καὶ μηδεμίαν ἀδοκίμαστον προσφέρεσθαι.* *Quare opus philoſophi maximum & primarium eſt, explorare viſa & diſcernere, & nullum inexploratum admittere.*

Totum hoc comma diligenter & copioſe illuſtrat B. *Joannes Fechtius* in Examine Theologiæ Indifferentiſticæ pag. 117. ſqq.

CAPUT

Digitized by Google

# CAPUT VI.

VErſ. 1. Διὸ ἀφέντες κ.τ.λ.] Ad hunc & ſequentem verſum vide, quos citat *Severinus Lintrupius* in Protheoria Theologica. Præ ceteris huc ſpectat *Joannis Joachimi Zentgravii* Tractatus, qui ad illuſtrandum capitis V. verſ. 12. & VI. 1. 2. pertinet, Argentorati 1700. diſſertationibus octo comprehenſus. Illarum I. de religionis Chriſtianæ catecheſi. II. de ejuſdem capitibus. III.. de ejuſdem neceſſitate. IV. de Sufficientia Catechetica. V. de Simplicitate Catechetica. VI. de Informatione Catechetica. VII. de Cathecheſi D. Pauli Apoſtolica ejuſque capitibus. VIII. de Catechumenis diſſerit. Nec non *Joannis Fechtii* de forma Catecheſeos Paulinæ ad verſ. 1. & 2. Exercitatio Exegetico-Hiſtorico-Polemica Indifferentiſtis hodiernis oppoſita, Roſtochii 1702. primum edita, deinde vero ibidem 1712. & nuper admodum 1731. recuſa. Ex ceteris conſuli ſuaſerim *Jacobum Altingium*, Heptate VI. Diſſertationum num. I. de capitibus Catecheticis religionis Chriſtianæ pro Catechumenis Hebræorum adultis, quæ exſtat Tom. V. Operum pag. 158. ſqq. & *Joannem Marckium* in Exercitatione Biblica XLVI. pag. 955. ſq. Dici hoc loco de iis poterat, qui hiſtoriam Catecheſeos Chriſtianæ ex antiquiore & recentiore memoria tradiderunt. Præſtat tamen amandare lectorem ad B. *Joannis Franciſci Buddei* Iſagogen in Theologiam pag. 369. ſq. Illis adde nunc *Gregorii Langemackii* Hiſtoriam Catecheticam, vernacula lingua Straleſundii 1729. 8. editam, cujus Pars II. nuper admodum prodiit. Memini, M. *Joannem Laurentium Dietzium*, cui Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Novi Teſtamenti debemus, ſimilem commentationem prelo paratam habere.

Verſ. 1. Διὸ ἀφέντες] Dicuntur hæc reſpectu τῶν τελείων, quorum mentio anteceſſerat. In horum enim gratiam non elementa, ſed ſublimiora Chriſtianæ religionis capita, tractare nunc volebat. Patet illud ex phraſi ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα. Fuiſſe autem talem inter Hebræos non minus, quam inter Corinthios & Galatas, alias dubitare non licet. Vocem ἀφέντες, tanquam e circo petitam non per *omittentes*, ſed *emittentes*, vel *præmittentes* verti olim nove voluit *Andreas Melvinus*, Scotus, teſte *Jacobo Cappello* in Hiſtoria Sacra pag. 236. Sententiam ejus, quæ ſubindicata tantum erat, amplius exponit, nec obſcure approbat *Jacobus Lydius* in Agoniſticis Sacris cap. 26. pag. 91. totam phraſin ita convertens: *emiſſo Principatus Chriſti ſermone*, ita ut ἀρχὴ non *principium*, ſive *initium*, ſed *principatum* inferat. *Vult ergo*, inquit, *Apoſtolus, ut Hebræi illum de Principatu Chriſti, quem partim explicarat, partim executurus adhuc erat*, (oſtendendo nimirum, eum eſſe ἀρχηγέα) *ſermonem* (*hactenus inter eos quaſi ſuppreſſum, & carceribus clauſum*) *nunc porro, apertis oſtiis, e carceribus emittant*, ἵνα ὁ λόγος τοῦ Κυρίου τρέχῃ καὶ δοξά-



Digitized by Google

ζηται. 2 *Theſſalon.* III. 1. Non repetam ego, quæ *Starckius* pag. 37. in Notis Selectis, contra hanc expoſitionem recte dixit. Id tantum moneo, parum tuto ad τὰς ἀφέτας, qui editores ludorum Circenſium vocabantur, provocari, cum nondum conſtet, quo ſenſu illi ita dicti ſint; tum vero, frequentem verbi ἀφιέναι & vocis ἀρχὴ, quæ cap. V. v. 12. eodem, quo h. l., ſenſu exſtat, male deſeri.

τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον] Placet *Marckius* ita diſſerens loc. cit. p. 956. *Qui ſenſus obtinebit, ſi per hypallagen putes* ſermonem initii *poni pro* initio ſermonis. *Atque ita non aliud hic habemus, quam Chriſtianiſmi docendi initia, quæ Paulus antea dixit* cap. V. v. 12. τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, *atque* Theophylactus *vocat*, τὰς πρώτας ἀρχὰς τῆς πίστεως *Quorſum etiam redire poterimus, ſi* Chriſtum *credamus metonymice poſitum pro ejus* doctrina, *atque tum genitivum unum faciamus regi ab altero, quando* ſermo initii doctrinæ Chriſtianæ *objective prorſus dicetur, qui eſt de illis initiis; vel ſi* Chriſtus *dicat ejus* cognitionem *&* fidem *in credentibus, adeoque ſermo hic ab hujus initiis inditis denominetur.* Non dubito ego, phraſin h. l. poſitam alteri illi cap. V. v. 12. prorſus reſpondere. Ex quo conſequetur, & ibi ἀρχὴν τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ de initiis, ſeu elementis doctrinæ, ad *Chriſtum* pertinentis, accipi debere, quod etiam ex λόγῳ δικαιοσύνης, v. 13. commemorato, apparet. Hic enim ſermo de juſtitia per Chriſtum parta, & in eo quærenda, inter prima & præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita locum habet.

ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα] *ad perfectionem feramur*, i. e. ſublimiorem aliquem & obſcuriorem Chriſti typum conſideremus, qualis erat *Melchiſedecus*, Sacerdotio ſuo perfectiſſimum illud Chriſti Sacerdotium repræſentans. Hunc enim ſermonem V. 11. dixerat δυσερμήνευτον, *explicatu difficilem;* ſicut de Melchiſedeco cap. VII. 1. loqui incipit.

μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων] Quæ opera & quo ſenſu mortua vocentur, ex Patribus exponit *Suicerus* Tom. I. pag. 1209.

Verſ. 2. Βαπτισμῶν διδαχῆς κ. τ. λ.] Pertinet huc *Gebhardi Theodori Mejeri* liber ſingularis de tribus novellorum naſcentis Eccleſiæ initiamentis, catecheſi, baptiſmo & manuum impoſitione, Helmſtadii 1690. 4to. Atque hic quidem verba hujus commatis, βαπτισμῶν διδαχῆς ἐπιθέσεώς τε χειρῶν parentheſi vult includi, & in auferendi caſu accipi, ut hæc denique verſio naſcatur. *Non jacientes fundamentum reſipiſcentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum (baptiſmis, doctrina, & manuum impoſitione) & reſurrectionis mortuorum & judicii æterni. Fundamentum*, ita pergit *Mejerus*, *Chriſtianiſmi aut doctrinæ Chriſtianæ exprimit per fundamentum reſipiſcentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, & reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni. Jacimus autem fundamentum illud, alios ad Chriſtum & ejus eccleſiam adducendo, quod fit baptiſmis, doctrina & manuum impoſitione. Dicit* baptiſmis. *Rationem expri-*

*exprimimus verbis* Tertulliani: *nam nec ſemel, ſed ter ad ſingula nomina, in perſonas ſingulas tingimur*, adverſus Praxeam cap. 26. Rationem hujus expoſitionis in eo collocat, quod impoſitio manuum, tanquam ritus indifferens, inter prima Chriſtianæ religionis eaque neceſſaria rudimenta numerari non potuerit. Vide librum citatum pag. 19.

Enimvero nec parentheſis illa, nec, quæ verbis, tanquam parentheticis, tribuitur, expoſitio locum habere poteſt. Non illa, cum ex ſerie totius ſermonis pateat, genitivos hic cumulatos omnes pendere a voce *θεμέλιον*, atque adeo diſtincta fundamenti, quod jaci poterat, capita inferre. Illorum ſex ſunt, quorum bina ſemper ſecum invicem conjunguntur. Primum, ut ita loquar, par eſt *μετανοίας ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, καὶ πίστεως ἐπὶ Θεὸν*, alterum, *βαπτισμῶν διδαχῆς, ἐπιθέσεώς τε χειρῶν*, tertium, *ἀναστάσεώς τε νεκρῶν καὶ κρίματος αἰωνίου*. Quo igitur ſenſu primum illud par accipiendum eſt, nempe ut doctrinæ cœleſtis momenta innuantur, quod non negat ὁ μακαρίτης, eodem & alterum illud accipi neceſſe eſt. Porro *βαπτισμῶν διδαχῆς*, per interpunctionem a ſe invicem ſeparari non poſſunt. Singula momenta ab Apoſtolo commemorata eadem ratione ſunt conformata, nec voce ſimplice conſtant. Ita dicitur *μετάνοια ἀπὸ νεκρῶν ἔργων, πίστις ἐπὶ Θεὸν, ἐπίθεσις χειρῶν, ἀνάστασις νεκρῶν*. His phraſibus reſpondet etiam *βαπτισμῶν διδαχὴ*, h. e. *doctrina de Baptismis*, quas voces ſi ſeparemus, diſſimilis evadet Pauli oratio, quod non temere quisquam admiſerit. Non magis voces illæ *βατισμῶν, διδαχῆς*, & *ἐπιθέσεως χειρῶν* interpretationem per auferendi caſum inſtitutam admittunt, ut ſcilicet fides in Deum baptismis, doctrina & manuum impoſitione effici dicatur. Id enim alienum eſt a Græcæ linguæ rationibus, quæ, ſi hoc divinus Scriptor voluiſſet, hanc vocis ſtructuram requirerent, ut vel *βαπτισμῷ, διδαχῇ, ἐπιθέσει τε χειρῶν*, vel *διὰ βαπτισμῶν, διδαχῆς ἐπιθέσεώς τε χειρῶν* ſcriberetur. Vide v. c. *Actor.* VIII. 28. 1 *Timoth.* IV. 14. & 2 *Timoth.* I. 6. Porro *διδαχὴ* non potuit a Paulo h. l. de *inſtitutione* generatim adhiberi, quia omnia illa capita commemorata doceri debebant, & Paulo hic de doctrinis Chriſtianis inſtillandis in genere ſermo erat. Itaque neceſſe eſt, ut *διδαχὴ* illa ad baptismos, tanquam momentum ſpeciale, referatur. Quod autem impoſitio manuum inter prima doctrinæ Chriſtianæ momenta numeretur, id fraudi nemini eſſe debere, ex dicendis conſtabit.

Quam ridicule ſectatores *Henr. Nicolai*, hominis fanatici, hæc verba ad novum illum ſuum doctorem accommodarint, oſtendit *Henricus Morus* in Operibus Theologicis Latinis pag. 235.

*Βαπτισμῶν διδαχῆς*] i. e. *doctrina de Baptismis*. Hoc ſenſu *διδαχὴ τοῦ Κυρίου* *Actor.* XIII. 12. vocatur *doctrina de Domino*, vel *ad Dominum*, tanquam objectum, ſpectans. Eodem ſenſu *διδασκαλίας δαιμονίων* 1 *Timoth.* IV. v. 1. nonnullos *doctrinas de dæmonibus* interpretari ad h. l. ſupra oſtendimus.

 Βαπτισμῶν

Βαπτισμῶν in plurium numero hic mentio eſt, non per enallagen, nec reſpectu triplicis in baptiſmo immerſionis, multo minus ratione baptiſmi interni & externi, quod aliis aliisque viſum eſſe *Starckius* oſtendit; ſed id ſibi vult Apoſtolus, quod Eccleſiæ Chriſtianæ novitiis tum varii illi lotionum ritualium, olim receptarum, modi, tum fines, tum vero inprimis illorum a baptiſmo Chriſtiano diſcrimen commonſtrari debuerint. Quæ Patres hic afferunt, non ſufficiunt. Vide *Suicerum* Tom. I. pag. 651. Alienior quoque eſt *Grotii* metonymia, quando ad *Matth.* XXVIII. 19. doctrinam intelligit, quæ *baptiſandis* olim fuerit tradita. Ea tamen ſe probavit *Colomeſio* pag. 167. Obſervationum Sacrarum.

*ἐπιθέσεώς τε χειρῶν*] *Impoſitio manuum* naſcente Eccleſia recepta erat, non inſtar nudæ cujusdam cerimoniæ, ſed adminiculi potius efficacis, quo adhibito Chriſtiani baptiſati donorum Spiritus Sancti, eorumque extraordinariorum, participes reddebantur. Vide *Actor.* VIII. 17. ſq. Eadem in doctoribus, muneri ſuo inaugurandis, & cœleſtibus donis cumulandis, adhiberi ſolebat. Vide 1 *Timoth.* IV. 14. V. 22. &c. Itaque neceſſe omnino erat, ut Chriſtiani docerentur, quæ ſit illa *χειροθεσίας* ratio, quis fructus, quis ſpeciatim in baptiſmo, in quo recepta erat, finis. Hinc factum eſt, ut Apoſtolus illius proxime poſt doctrinam de Baptiſmo mentionem injiceret, tanquam qua non minus, quam illa de baptiſmo, *νεοφύτοις* opus ſit. Imo vero tanto magis urgeri neceſſe erat, ut intelligeretur, quæ inter illam, & alteram in Vet. Teſtam. receptam, diverſitas intercederet. Ita vero ſimul patet, quo ſenſu Apoſtolus impoſitionem manuum inter doctrinas primas numerarit, quod fieri non potuiſſe cenſebat *Mejerus* modo allatus. Cl. *Schœtgenius* p. 953. Horar. Hebr. impoſitionem hanc tunc temporis argumentum palmarium pro ſtabilienda religionis Chriſtianæ veritate præbuiſſe affirmat. Non crediderim cum Rev. *Zeltnero* in Notis ad Verſionem Lutheri Biblicam, reſpici hic ad impoſitionem manuum, quæ victimis afferendis adhiberi ſolebat, quemadmodum idem cetera quoque capita ita accipit, prout in Vet. Teſtam. fuerint recepta, tanquam indicia & umbræ illuſtrioris in Fœdere Novo doctrinæ.

*ἀναστάσεώς τε νεκρῶν ϗ κρίματος αἰωνίου*] *Schœtgenius* alterum de vita æterna, quam Judæi vocent תחיית המתים, alterum de damnatione æterna accipit, non inconvenienter. Confer eum ad *Joh.* III. verſ. 17.

Verſ. 3. *Καὶ τοῦτο ποιήσομεν*] nempe: *ut ad perfectionem feramur.* Hoc enim malim, quam cum aliis accipere inſtar promiſſionis, fore, ut alias de primis illis elementis doctrinæ Chriſtianæ iterum commentetur. Vide, quos pro noſtra ſententia affert *Starckius.* Non obſtat conditio addita, *ἐάνπερ ἐπιτρέπῃ ὁ Θεός.* Fieri enim non poterat, ut Apoſtolus longiorem hanc epiſtolam uno quaſi impetu effunderet. Itaque temporis intervallo & proinde divinæ opis imploratione opus erat.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 4. Ἀδύνατον γὰρ, τὺς ἅπαξ φωτισθέντας κ. τ. λ.] Hoc & ſequentia duo commata explicantur a *Jo. Adamo Oſiandro, Val. Velthemio, Jo. Deutſchmanno*, & *J. F. Mayero* in diſputationibus ſingularibus Tubingæ, Jenæ, 1697. Witteberg 1700. habitis. Illis adde D. *Samuel. Chriſtiani Teuberi* Concionem pœnitentialem ſuper his verſibus usque ad octavum latine editam Halberſtadii 1711,4. Ex quo intelligitur, Theologos, noſtrates potiſſimum, illa de peccato in Spiritum S. accipere, atque adeo etiam iis in locis, ubi de eodem exponunt, lucem affundere. Interim D. *Chriſt. Gottlieb Kochio*, Præpoſito Apenradenſi, ea ad interdictam Baptiſmi repetitionem ſpectare videntur. Id ſcilicet oſtendere conatus eſt in diſſert. ſingulari, quam inſcripſit, *Nodum Paulinum, interdicta repetitione ſolide & feliciter ſolutum*. Illa ut manu exarata & prelo parata laudatur in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VII. p. 366. quæ tamen lucem huc dum non vidit. Ex noſtratibus præterea legi poſſunt *Wolfg. Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sac. pag. 141. & *P. J. Spenerus* Reſponſ. Theol. German. Parte IV. pag. 634. ſq. Ex Reformatis *Jo. Marckius* in Exercit. Biblic. XLVII. quæ de *illuminatorum prolabentium revocatione ad reſipiſcentiam* exponit, pag. 978. ſqq. & *Gvil. Saldenus* in Otiis Theolog. pag. 744. 748. *Marckius* accipit de hominis lapſi interiori & exteriori immutatione ad ſtatum & operationem meliorem, magisque divinæ voluntati ſimul & ſaluti propriæ ac ſtatui Academico quadantenus convenientem; atque illam quidem impoſſibilem ait dici ob impotentiam humanam, quæ tamen ipſa ex negata divina voluntate & cooperatione oriatur, adeoque ſic ſatis ſit abſoluta, & oſtendat, fruſtra fundamentum prorſus deſtructum rurſus ponendum eſſe. Ex Arminianis legi poſſunt *Grotius* Tom. III. Opp. pag. 728. *Simon Epiſcopius* in Reſponſionibus ad Quæſtionem Theolog. XIII. & *Jo. Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova T. IX. Part. II. pag. 447. Ex Socinianis *Bernh. Ochinus* in Dialogis, enarratis quinque diverſis ſententiis, ſuam adjicit minus omnino adprobandam pag. 419. ſqq. Adde *Mart. Ruari* epp. pag. 359. edit. Zeltnerianæ in calce Hiſtoriæ Crypto Sociniſmi Altorfini quæ & ipſa p. 1053. conferri poteſt. Sed illa quidem, tanquam ad Theologorum ſcholas ſpectantia, nos mittimus. Plerique ex illis, quos dixi, oſtendunt, nihil in his verbis eſſe, quod Montaniſtis & Novatianis faveat, nihilque adeo, quod epiſtolæ huic, tanquam non Apoſtolicæ, fraudi eſſe poſſit.

ἀδύνατον γὰρ] *Fieri enim non poteſt.* Ita recte noſtrates, & Interpretes plerique omnes. Alii, interque hos Sociniani inprimis, *Crellius, Schlichtingius*, & *Limborchius* l. V. c. 85. Theolog. Chriſtianæ, tum *Clericus* ad Hammondum, & in Biblioth. Univerſali Tom. XII. pag. 441. ſq. una cum *Carolo le Cene* in Conatu novæ verſionis per *difficile* convertunt. Sic & *Rich. Simon* in Hiſt. Critica Textus N. T. pag. 179. docet, in antiqua verſione Latina, quæ *Hieronymi* ætatem antecedat, itidem per *difficile* reddi. Interim ab aliis ſatis oſtenſum eſt, rectius conſuetam vocis ſignificationem teneri. Nuper quidem

dem Rev. *Zeltnerus* in notis ad Verſionem Lutheri Biblicam τὸ ἀδύνατον hoc ex priore illa ſententia eo retulit, quod reditus ad pœnitentiam nec ex vi & facultate hominum, nec tam ſæpe, ut olim inter Judæos, adhibitis lotionibus Leviticis, fieri poſſit. Sed hoc ipſi tuendum relinquo.

τὺς ἅπαξ φωτισθέντας] Vox ἅπαξ hic eſt *plene*, *perfecte*, ut Judæ v. 3. 5. & *Hebr*. IX. 7. Confer M. *Chriſtoph. Wolle* diſſertat. de vera fictaque particularum emphaſi, quæ Eccleſiæ ejus Phariſaicæ & Chriſtianæ ſubjuncta eſt, pag. 306. Ita Scholia *Thucydidis* lib. I. pag. 78. τὸ ἅπαξ per παντελῶς exponunt. Τὺς φωτισθέντας Patres Græci & Latini permulti de *baptiſatis* accipiunt. Locos eorum habes apud *Suicerum* voce ἀναβάπτισις num. II. 1. & verbo ἀνασαυρόω n. II. item in Obſervatt. Sacris pag. 75. quos & *Feſſelius* noſter in Adverſariis Sacris Tom. II. pag. 108. ſq. attulit. Uterque tamen eorum rectius cenſet *doctrinam veritatis cæleſtis edoctos* ſignificari. Hanc Pauli mentem eſſe patet ex loco parallelo *Hebr*. X. 26. ubi φωτίζεσθαι illud dicitur λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, quemadmodum 1 *Cor*. IV. 4. φωτισμὸς τῦ εὐαγγελίυ τῆς δόξης τῦ Χριςῦ appellatur. Sic οἱ LXX. verbum Hebraicum הורה i. e. *docuit Judic*. XIII. 8. & 2 *Regg*. XII. 2. φωτίζειν reddunt. Qui de *baptiſmo* acceperunt Patres, illa ætate vixerunt, qua ſacrum hoc lavacrum φωτισμὸς ſpeciatim appellari cœperat.

γευσαμένυς τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπυρανίυ] Γευσάμενοι hic *Wittichio* dici videntur illi, qui citra attentionem & converſionem animi, citra ſuccum & ſanguinem, atque adeo leviter in converſionis negotio verſati ſunt, *Hækio* autem *externis labiis guſtantes*. Hanc dictionis notionem adſtruere conatur Cl. *Jo. Alberti* pag. 424. adductis *Ariſtophane* in Ranis Act. I. Sc. I. v. 465. & *Arrian*. Expedit. Alex. lib. VII. c. 11. Conf. ibi *Kuſterum* & *Eraſm. Schmidium* ad *Pindari* Pyth. IX. pag. 337. Sed vide, quæ opponuntur in Actis Erudit. Lipſienſ. Latinis Tom. IX. Supplement. pag. 16. & a *Sigismund. Baſchio* de Interpretatione N. T. ex Patribus Apoſtolicis pag. 16. Non negaverim ego, verbum γεύομαι interdum idem eſſe, quod *extremis labiis guſtare*, & ſenſu tralato, *periculum rei facere*, quo ſenſu *Heſychius* γεύσασθαι exponit, πειράσαι, ἅψασθαι. Hunc autem ſignificatum non eſſe perpetuum, ſed plenam rei perceptionem inferre, patet vel ex phraſi illa γεύεσθαι θανάτυ *mori Matth*. XVI. 28. Atque hoc ſenſu hic accipi ex voce ἅπαξ ante expoſita, & ceteris Pauli phraſibus efficaciſſimis apparet, ut non dicam, γεῦσιν reſpondere αἰσθήσει illi, quam Sacri Scriptores tantopere commendant. Fieri etiam poteſt, ut verbo γεύεσθαι Apoſtolus reſpiciat ad illuminationem & converſionem, vere quidem & plene factam, ſed in initiis ſubſiſtentem, nec poſtea, ut fieri debebat, continuatam. Hoc ſenſu Theras *Herodoto* lib. IV. pag. 308. dicitur γευσάμενος ἀρχῆς, qui imperium tutoris inſtar adminiſtraverat, ejusque dulcedine captus aliorum imperium ferre non poterat.

τῆς

*τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου*] *Chriſtum* bic multi intelligunt, qui ſe ipſum *δωρεὰν τοῦ Θεοῦ* vocet *Joh.* IV. 10. Non inconvenienter quidem. Malim tamen dona ſpiritualia, à Chriſto nobis parta, v. c. *juſtitiam*, *υἱοθεσίαν* &c. quæ ſunt *δόσις ἀγαθὴ* & *δώρημα τέλειον*, *Jac.* I. 17. indicari.

*δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος*] *ac virtutes futuri ſæculi.* Per ſæculum futurum tempora & œconomiam Novi Teſtamenti, quæ Judæis עולם הבא vocentur, intelligit *Grellotus* Prodromo in Apocalypſin pag. 211. & cum eo *Amelius* Parte II. pag. 287. nuper vero etiam Cl. *Schætgenius* in Horis Hebraic. pag. 954. cui *δυνάμεις* eſſe videntur prærogativæ Novi præ antiquo Fœdere, quas guſtent illi, qui hactenus ſub jugo legis & ceremoniarum gemuerint, jam vero libertate per Chriſtum parta frui cœperint. Rectius vero ab aliis de vitæ æternæ gloria & bonis, quæ fideles & ſpe & ſenſu præcipiunt, explicatur. Illorum hic meminit Apoſtolus ideo, quod antea dona commemoraverat, quibus in hac vita fideles pleniſſime perfruuntur. Bona illa *δυνάμεις* appellantur, tum quod ſingularem vim in animis credentium habent, tum, quod de potentia Dei teſtantur. Vide 1 *Joh.* III. 3. & *Epheſ.* I. 19. Spectat huc *Jo. Guil. Baieri* diſſert. de præguſtu vitæ æternæ Jen. 1690. *Αἰὼν ὁ μέλλων* opponitur hic *αἰῶνι τούτῳ*, ſicut *Epheſ.* II. 21. ubi vide, quæ diximus. Conf. *Matth.* XII. 32. Longiſſime à ſcopo abit *L. M. Artemonius*, quando in initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 597. *potentias futuri ſæculi comprehendere* ait *iſtam omnium rerum ſubjectionem, & potentiam fidelium, in futura illa οἰκουμένῃ, de qua* Hebr. II. 3. i. e. in regno millenario, poſt ſecundum Chriſti adventum inchoando.

Verſ. 6. *Καὶ παραπεσόντας*] Photius in Lexico MS. *παραπεπτωκὼς ἀντὶ τοῦ ὑποπεπτωκώς. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ ςεφάνου.*

*πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν*] *denuo renovare ad poenitentiam.* Cl. *Schætgenius* in Horis Hebr. pag. 955. exiſtimat, difficultates, quæ in *τῷ ἀδυνάτῳ* poſitæ videntur, omnium optime tolli, ſi *ſubjectum*, quod ejusmodi homines ad poenitentiam renovare non poſſit, recte ſuppleatur. Hos vero eſſe ait Apoſtolos aut alios verbi divini præcones. *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 304. idem fere, ſed alia quadam ratione amplectitur. Ait is, Apoſtolum rationem reddere, cur primaria doctrinæ capita inculcare iterum nolit. Hanc vero in eo eſſe poſitam, quod illa jam omnibus ſint inculcata, quodque *ſibi ſit impoſſibile ullis verbis, quacunque etiam proferat, aut ſcribat*, illos, qui relapſi ſint, revocare aut reducere ad poenitentiam. Ex hoc vero negat conſequi, eosdem à Deo ipſo vel converti non poſſe, vel nunquam converſum iri, ſive terroribus conſcientiæ, ſive pœnis, ſive vi Spiritus S. multo minus autem ait effici, quod, ubi ſe convertant, remiſſionem peccatorum impetrare nequeant. Comparat denique hanc phraſin cum illa Parentis alicujus, qui de filio refractario & immorigero dicat, ſe omnibus ſuis monitis nihil apud

Digitized by Google

apud eum efficere poſſe. Vide etiam, quæ de hoc loco commentatur *Jo. Morinus* de Sacramento Pœnitentiæ III. 7.

*ἀνασαυρῦντας ἑαυτοῖς*] *Eraſmus Schmidius* exhibet: *ἀνασαυρῦντες*, & in notis ait: *Si ſcriptio non eſt corrupta, ut ſpero ob conſenſum Codicum, Nominativus ἀνασαυρῦντες hic in conſequentia ponitur*: cum denuo crucifigant, &c. De libris editis loqui puto Schmidium. In ſcriptis enim *ἀνασαυρῦντας* adeo receptum eſt, ut Millius nec unum afferat, in quo alterum illud legatur. Inter editos vero adhuc nullum ego conſpexi, qui non habeat *ἀνασαυρῦντας*. Ita *Stephanus*, *Bœclerus*, *Curcellæus*, *Millius*. Itaque nec opus eſt, ut parentheſi verba illa includantur, quod *Schmidium* video feciſſe, ut taceam, *ἀνασαυρῦντας* omnino referri debere ad ſequens, *κὴ παραδειγματίζοντας*. Vocem ipſam tantum non omnes per *rurſum crucifigentes* convertunt. Interim negari non poteſt, Scriptores compoſito hoc verbo pro ſimplici *σαυρῦν* uti, atque adeo *τὸ ἀνὰ* non in ſignificatu *τῦ rurſum*, ſed *τῦ ſurſum, in altum*, accepiſſe. Id multis veterum locis evicerunt *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag. 241. & *Jo. Alberti* pag. 425. Ex noſtratibus lege B. *J. H. Majum* Obſſ. Sacr. lib. IV. pag. 31. *Amelium* Part. I. pag. 25. & Rev. *Raphelium* in Xenophonteis, Polybianis & Herodoteis. In his tamen idem pag. 609. obſervat, Lexicographos, quos *Boſius* ob alteram illam expoſitionem culpat, præeuntem ſibi habere *Chryſoſtomum* ita exponentem: *Τί δέ ἐςιν ἀνασαυρῦντας; ἄνωθεν πάλιν σαυρῦντας.* Interim *Chryſoſtomo* opponi poteſt *Ignatius*, qui in Actis Martyrii pag. 360. Trajano quærenti: *τὸν σαυρωθέντα λέγεις*, reſpondiſſe dicitur: *τὸν ἀνασαυρώσαντα τὴν ἐμὴν ἁμαρτίαν.* Unus Codex à *Millio* appellatus habet ſimplex verbum *σαυρῦν*.

Verſ. 7. *Γῆ γὰρ ἡ πιῦσα τὸν ἐπ' ἀυτῆς πολλάκις ἐρχόμενον ὑετὸν*] Similiter Philo pag. 7. terram cum ſpongia comparat, *ἀναπεπωκυῖαν ἰκμάδα, quæ humorem combiberit*, obſervante *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 122.

*κὴ τίκτυσα*] *Philo* pag. 30. *γῆς τῆς πάντα τικτύσης.*

*δἰ ὓς κὴ γεωργεῖται*] *per quos excolitur.* Ita *Beza* & *Schmidius.* Malim, *propter quos;* hæc enim notio eſt *τῦ διὰ*, accuſativo juncti, quemadmodum, ubi cum dativo conſtruitur, *per* infert. Accedit, quod ſæpe fructus ex agris non redit ad eos, qui illis operantur, ſed ad alios. Alii enim non raro ſunt, qui ſerant, alii, qui metant.

*μεταλαμβάνει ἐυλογίας*] M. *Jo. David Steuckhardus* Parte V. Tentaminum Sacrorum pag. 165. verti vult, non: *accipit benedictionem*, ſed, *accipit cum benedictione*, ſeu, ſecundum benedictionem divinam: quia ſcilicet *ἐυλογία* à *μετὰ* pendeat, & *λαμβάνειν* alias Accuſativum regat. Reſpici autem putat ad benedictionem divinam in creatione rerum promiſſam. At verbum hoc genitivo

Digitized by Google

tivo alias jungitur, ubi illa τῆ μετὰ notio locum non habet. Vide v. c. *Act.* II. 46. XXII. 33. & infra XII. 10. Καιρὸν δὲ μεταλαβὼν, fateor, legitur *Act.* XXIV. 25. ſed alio ſenſu, nempe, ut ſignificet, *aliam opportunitatem*, ſeu *opportunitatem poſthac nactus*, ubi μετὰ non *cum*, ſed *poſt* ſignificat. Non video præterea, quid terra cum benedictione accipere dicatur. De pluvia id accipi non poteſt. Eam enim terra, quæ accipere hic dicitur, jam imbiberat, ἡ πιῶσα.

Verſ. 8. Ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας] *At quæ produxerit ſpinas. Grotius* ἐκφέρουσαν dici ait, tanquam *ejicientem abortus*. At ex uſu veterum ἐκφέρειν dicitur terra fertilis, & frugum optimarum genitrix. Sic *Xenophon* Oeconom. pag. 678. ἡ γὰρ τὰ ἄγρια καλὰ φύουσα δύναται θεραπευομένη καὶ τὰ ἥμερα ἐκφέρειν. Alia ejusmodi loca affert doctiſſimus *Elsnerus* pag. 345.

καὶ τριβόλους] Vocem diligenter exponit *Er. Schmidius. Heſychius* τριβόλους ἀκάνθης εἶδος appellat.

κατάρας ἐγγὺς] Id de re laborioſiſſima dici ab *Ariſtide* Orat. in Romam pag. 370. obſervat *Elsnerus*, ut ſenſus eſſe poſſit, in terram ejusmodi imbribus rigatam, & vel ſic ſpinas ferentem, vanam & deſperatam operam collocari. Malim tamen alterum, quod idem affert, ut terra illa ita dicatur, quæ *deſerta* relinquitur, quod ex ſequente phraſi patet.

ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν] Sic, eodem monente, *Jerem.* XLIV. 22. *Eritque terra veſtra arida, & vaſta, & maledictioni, ut nullus ſit incola hodie.* Et *Jeſ.* XXIV. 6. *Propterea maledictio devorat terram, propterea exuruntur incolæ terræ.* Quod ad rem attinet, Apoſtatas manere dicitur non imber gratiæ divinæ, ſed πυρὸς ζῆλος ἐσθίειν μέλλοντος τοὺς ὑπεναντίους. *Hebr.* X. 27.

Ceterum utrumque comma antecedens illuſtrat *Jac. Bernardus* in libro de Pœnitentia ſera, verſionis Germanicæ p. 135. ſqq.

Verſ. 9. Πεπείσμεθα δὲ περὶ ὑμῶν τὰ κρείττονα] *Sed perſuaſimus nobis de vobis meliora*, ſcil. τούτων, *illis*, quæ nempe modo dicta erant. Ita recte *Schmidius*.

καὶ ἐχόμενα τῆς σωτηρίας] *& cum ſalute conjuncta.* Hic ſcilicet eſt verbi ſignificatus, quod ex *Xenophonte* oſtendit *Raphelius* pag. 310. ex aliis *Elſnerus* pag. 347. qui addit, de rebus illis dici, quæ revera contingant & aſſequantur ſalutem. Ita ἔχεσθαί τινος Ariſtophani in Pluto v. 100. eſt *firmiter apprehendere & adhærere. Ariſtotelem* in Politicis phraſi hac innumeris locis uti monuit *Hombergius.*

Verſ. 10. Οὐ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς] Quo ſenſu hoc dicatur, oſtendit *Gatakerus* ad Antonin. XII. 5. confer ſupra ad 2 *Theſſal.* I. 6. Adde *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 485. & 488.



Digitized by Google

*ἐπιλαθέσθαι τοῦ ἔργου ὑμῶν καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης* ] Voces *τοῦ κόπου* deſunt in aliquot codd. & verſionibus ideoque ex 1 *Theſſ.* I. 3. huc relatæ, editori vero N. T. Græco-Anglicani prorſus expungendæ viſæ ſunt. Non dubium mihi eſt, Apoſtolum hic per *ἔργον*, quod ad Theſſalonicenſes *τῆς πίστεως* appellat, ad *fidem* reſpicere, quemadmodum per *τὸν κόπον τῆς ἀγάπης* operam ex amore præſtitam, indicat.

*διακονήσαντες τοῖς ἁγίοις καὶ διακονοῦντες* ] Probo *Rhenferdium*, qui in Diſſert. II. de Decemviris Otioſis p. 159. miniſterium hoc ſpeciatim de largitione eleemoſynarum accipit. Conf. 2 *Cor.* VIII. 19. 20. Quod hæc in Ex-Judæos Hieroſolymitanos, ad quos epiſtola hæc ſcripta a plerisque putatur, cadere vix poſſint, in Prolegomenis eſt oſtenſum.

Verſ. 11. *τὴν αὐτὴν ἐνδείκνυσθαι σπουδὴν* ] *idem præſtantes ſtudium.* Vide ſupra ad *Tit.* II. 10. & adde *Jac Cappellum* ad h. l.

*πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος* ] *ad plenam ſpei certitudinem.* Emphaſin hujus phraſeos exponit *Amelius* Parte II. der Erörterung p. 90. & 94. ut & *Jo. Diecmannus* in collectione ſcriptorum germanice editorum Parte I. p. 405. & 546. Conf. infra ad X. 22.

Verſ. 12. *Ἵνα μὴ νωθροὶ γένησθε κ. τ. λ.* ] Vide *Rob. Gelli* Reliquias Anglice editas Tom. II. pag. 690-693. De voce *νωθρὸς* ſatis dictum eſt ad V. 11. B. *Lutherus* h. l. reddidit wanckel, de quo vide *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum pag. 167.

Verſ. 13. *ἐπεὶ κατ᾽ οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι* ] *cum non poſſet per quenquam majorem jurare.* Ita *Xenophon* Memorab. lib. I. p. 567. *ἔχοις ἄν με διδάξαι, τί ἐστι νόμος; poſſis me, quid lex ſit, docere?*

*ὤμοσε καθ᾽ ἑαυτοῦ* ] Lege Rev. *Rambachii* diſſertat. de Jeſu Chriſti divinitate ſumma ex juramentis ejus, per ipſum factis, demonſtrata, pag. 18. ſqq. Quomodo Deo jusjurandum competat, atque adeo tribui poſſit, adverſus *Tindalli* in libro Anglicano, quo *Chriſtianiſmum creationi æqualem* oſtendere conatus eſt, cavillationes Part. I. pag. 250. docet D. *Waterland* in libello, quem *Scripturam vindicatam* inſcripſit, Parte II. pag. 47. ſqq. Inter cetera jusjurandum ait eſſe aſſeverationem ſolemnem, tam efficaciter & valide, quam fieri poteſt, factam, ut alii fidem verbis habere poſſint. Hinc patet, non neceſſe eſſe, ut quis juret per alium ſe ſuperiorem. Atque hoc nomine Deus per ſe ipſum dicitur juraſſe.

Judæi in *Berachoth* fol. 32. 1. ad *Exod.* XXXII. 13. ubi DEUS Patriarchis per ſe ipſum dicitur juraſſe, ajunt, DEUM non per cœlum & terram, quæ perire poſſint, juraſſe, ſed per nomen ſuum, quod vivat & in ſæcula ſæculorum duret, & argumento proinde ſit, jusjurandum quoque in ſæcula ſæculorum eſſe duraturum. Vide *Schœtgenii* Horas Hebraicas p. 957. ubi ſimul leges commemoratas res varias, per quas DEUM jurare Judæi ridicule tradant. Confer *Wagenſeilium* ad Sota pag. 208.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 14. Η μὴν] Iisdem particulis in jurandi formulis aliquoties utitur *Xenophon*, v. c. Cyropæd. II. pag. 43. *σὺν θεῶν ὅρκῳ λέγω, ἦ μὴν ἐμοὶ δοκεῖ Κῦρος, ὥς τινας ἂν ὁρᾷ ἀγαθὺς, φιλεῖν ἐδὲν ἧττον ἑαυτῦ.* Vide *Raphelium*, in Xenophonteis & Herodoteis, & *Hutchinſonum* ad Cyropæd. IV. pag. 253. Aliorum locos affert eruditiſſimus *Jo. Alberti* pag. 426. Idem ſcilicet eſt, atque *certe*, *omnino*. pro quo, eodem docente, alii etiam ſimpliciter dicunt *μὴν* & *ἦ*; Itaque *Eraſmus* cum *Vulg.* non debebat vertere *Niſi*, quaſi per *ἀποσιώπησιν*. Videtur illud *ἦ μὴν* idem eſſe ac ſi diceres: *ſit ita, ratum hoc eſto.*

*εὐλογῶν εὐλογήσω σε*] Hanc loquendi rationem non eſſe mere Hebraicam, ſed Scriptoribus quoque receptam, oſtendit Cl. M. *Georgius* in Vindiciis Nov. Teſtam. ab Hebraiſmis pag. 192. ſqq. Ita *Herodotus* lib. V. cap. 95. *αὐτὸς μὲν φεύγων ἐκφεύγει*, nec minus *Polybius*. Vide *G. G. Kirchmaieri* Parallelíſmum dictionis N. T. & Polybii pag. 22. & 53. item nos ad *Act.* VII. 34. Nec omitte *Horatii Vitringæ* Animadverſiones ad *Vorſtium* p. 242. qui & ipſe Parte I. pag. 164. legi poteſt.

Verſ. 16. *Ανθρωποι μὲν γὰρ κατὰ τῦ μείζονος ὀμνύυσι*] Lege *Suicerum* T. II. pag. 511.

*καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὁ ὅρκος*] Vide *Petavii* Dogmata Tom. I. lib. X. cap. 15. §. 5. & *Suicerum* loc. cit. pag. 512. Hinc veteres nolebant quenquam ſua ſponte jurare, ſed ab aliis firmandi cauſa adductum. Vide loca apud *Jac. Cappellum*, & *Suicerum* pag. 510.

Verſ. 17. Ἐν ᾧ] *Qua in re.* Ita recte *Beza* & *Schmidius.* Germanice diceres inzwiſchen. Nolim illud ad *ὅρκον* proxime antecedens referre cum nonnullis, quia in fine commatis exſtat *ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ*, nec Græce dici poteſt *μεσιτεύειν ἐν τινι.*

*τὸ ἀμετάθετον τῆς βυλῆς αὐτῦ*] *immutabilitatem conſilii ſui.* Ita *Polybius* p. 166. *θεωρῦντες ἀμετάθετον ὖσαν τὴν ἐπιβολὴν τῶν Ρωμαίων.* Lege alia apud *J. C. Dietericum* Antiquitt. Biblic. N. T. Vol. I. p. 87. a.

*ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ*] *Joſephus* Antiquitt. XVI. 4. 3. *διόπερ ἐπὶ τῷ πάντων δεσπότῃ καίσαρι μεσιτεύοντι τὸν παρόντα καιρόν.*

Verſ. 18. *ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι τὸν Θεὸν*] *in quibus fieri non poteſt, ut mentiretur Deus*, h. e. ut promiſſa non ſervaret. Hanc phraſeos notionem familiarem *Xenophonti* eſſe oſtendit *Raphelius.* Ita Cyropæd. III. pag. 53. *ἐψεύσατο καὶ ὐκ ἐξημπέδυ τὰς πρὸς ἡμᾶς συνθήκας*, *fefellit nos, neque pactis inter nos conventis ſtetit.*

*οἱ καταφυγόντες κρατῆσαι τῆς προκειμένης ἐλπίδος*] *qui huc confugimus ad obtinendum ſpem propoſitam*, i. e. vitam æternam promiſſam & à credentibus ſperatam. Ita *Eraſmus Schmidius.* Scilicet *κρατῆσαί τινος* eſt *compotem alicujus rei fieri*, ut *Actor.* XXVII. 13. Ita *Herodotus* lib. V. pag. 362. *ὐ δυναμένυς*

νυς δὲ τύτῳ τρόπῳ αὐτῶν κρατῆσαι, *cumque eo pacto illorum compotes fieri non poſſent*, & alii, apud *Raphelium* in Herodoteis pag. 611. Nolim cum M. *Steuckhardo* in Tentaminibus Sacris Parte V. pag. 165. ἐλπίδος referre ad vocem καταφυγόντες & vertere, *poſt propoſitam ſpem fugientes.* Καταφεύγω enim ſimpliciter *fugere* vel *confugere* ſignificat, ut *Act.* XIV. 6. & apud profanos, quorum loca attulit *Raphelius* l. c. Κρατεῖν autem omnino requirit caſum rei, de qua agitur, nempe ἐλπίδος. Rectius vero poſt καταφυγόντες ſubintelligitur πρὸς τὸ, quemadmodum alias dicitur καταφεύγειν εἰς, vel παρὰ vel ἐπὶ τινα. Ex eo quoque patet, *Camerarium* τὺς καταφυγόντας minus recte per *exules* interpretari, quod oſtendit idem *Raphelius.* Προκειμένη ἐλπὶς, eodem in *Xenophonteis* pag. 312. docente, eo modo hic dicitur, quo apud *Xenophontem* Cyropæd. II. pag. 42. τὰ ἆθλα τῆς ἀρετῆς ἴσα προκεῖσθαι, *paria fortitudinis præmia propoſita* dicuntur.

Verſ. 9. Ἣν ὡς ἄγκυραν ἔχομεν] *Anchoram* non de navis illa, ſed de unco, trabem minorem ſuſtinente, ex qua pendebat velum Sancto Sanctorum oppanſum, accipi debere exiſtimat B. *Theodorus Daſſovius* in Diſſertatione III. de Emphaſi ſacrarum vocum pag. 19. ſqq. Ita enim putat, rectius intelligi, cur ἡ ἄγκυρα dicatur ingredi intra velum. *Sicut*, inquit, *hoc velum Sancto Sanctorum oppanſum ſuſtinebatur unco ingrediente intra velum, ſive Sanctum Sanctorum; ita etiam erat uncus, velum ſuſtinens, ſed non ingrediens intra Sanctum Sanctorum. Nam eo intervallo ſpatii, quod paries in templo primo Sanctum Sanctorum a templo diſtinguens, occuparat, aliud ſuſpendebatur velum, itidem ex trabe, unco ſuſtenta, dependens, qui uncus non ingrediebatur Sanctum Sanctorum, ſed ingrediebatur ſpatium, quod inter duo illa vela erat medium, neque illud velum dependebat totum, ſed convolutum erat quodammodo, inprimis verſus auſtrum, ubi aurea ſuſtinebatur fibula, ut docent Jom Tobh & Bartenora in Miſchnam Joma cap.* 5. Idem in ſequentibus oſtendit, quomodo uncus ille, velum ingrediens, cum ſpe noſtra comparari poſſit. Vide eum, & adde *Petri Zornii* Bibliothec. Antiquario-Exegetic. Tom. I. pag. 77. ſeq. Erudite quidem hæc ita dicuntur, ſed rem ipſam non perſuadent. Ἀγκύρα alias in Nov. Teſtam. v. c. *Actor.* XXVII. 29. 30. 40. adhibita denotat illud navis præſidium, quo ſenſu & a profanis communiter uſurpatur. Vide *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Vol. I. pag. 28. Ab hoc itaque ſignificatu minus tuto etiam h. l. diſceſſeris. Nec inſuetum Sacris Scriptoribus eſt, res fidei & fidelium phraſibus exprimere a re nautica deſumtis. Huc ſpectat πληροφορία τῆς πίστεως, de qua verſ. 11. & alias, per quam homo plenis & expanſis quaſi velis fertur; quemadmodum e contrario naufragium cum jactura fidei factum commemoratur 1 *Timoth.* I. 19. Non poteſt obverti, anchoram cum ingreſſu in Sanctuarium interius non æque comparari poſſe, quam uncum illum, ex quo velum ſanctuarii pendebat. Conſtat enim, Scriptores Sacros paſſim in eadem oratione diverſis uti ſimilibus, quæ, utut ſibi

Digitized by Google

ſibi invicem non prorſus reſpondeant, ad eundem tamen ſcopum diverſo habito reſpectu, collineent. Id alias oſtendi. Ἀγκύρας itaque hic fit mentio, ad ſignificandum præſidium illud, quo credentes inter fluctus & procellas vitæ præſentis nitantur, ne hinc inde jactati, ſcopulisve illiſi, naufragium faciant, ſed ſarti tectique in portum perferantur. Vita vero æterna cum Sancto Sanctorum confertur ideo, quod Paulus in ſequentibus illam templi veteris conditionem variis modis ad bona ſpiritualia & cœleſtia accommodat. Quomodo denique ſpes vitæ æternæ cum anchora comparari poſſit, oſtendit *Chriſtianus Bruningius* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 255. ſq. Inter cetera monet p. 257. anchoram illam hic innui, quam Græci ἱερὰν, Latini *ſacram*, appellarint. Ita *Lucianus* in Drapetis: ἔδοξεν ἂν σκοπουμένους τὴν ὑστάτην, ἣν ἱερὰν οἱ ναυτιλλόμενοί φασι, κατίεναι. & in Jove Tragœdo: ἄκουσον δὴ ἱεράν φασι ἄγκυραν, καὶ ἣν οὐδεμία μηχανὴ ἀποῤῥήξεις. Quæ de anchora hac Patres cogitarint, ex *Suicero* T. I. pag. 63. intelliges.

καὶ εἰσερχομένην εἰς τὸ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος ] Ad Sanctum Sanctorum, tanquam figuram vitæ æternæ, hic reſpici ab Interpretibus oſtenſum eſt. Obverti hic poterat, anchoram ad ingreſſum in portum adeo nihil facere, ut, quoad illa navis uti neceſſe habeat, a portu potius remota ſit. Patet vero, hoc ipſo Apoſtolum ſpei fidelium prærogativam præ anchora tribuere, quæ non ſolum tutam navim præſtet, antequam ad portum appellat, ſed & navigantem in portum ita comitetur, donec voti compos fiat.

Verſ. 20. Ὅπου πρόδρομος ὑπὲρ ὑμῶν εἰσῆλθεν Ἰησοῦς ] JESUS præcurſor pro nobis appellatur, tanquam pararius vitæ æternæ, qualem ſe vocat *Joh.* XIV. 2. Alluditur vero ſimul ad antecedentem vocem εἰσέρχεσθαι. Itaque nolim hic cogitare de fructibus præcocibus & primis maturarum ficuum, quos προδρόμους vocant οἱ LXX. *Jeſ.* XXVIII. 4. cum *Pearſono* ad Expoſitionem Symboli Apoſtolici pag. 484. Confer *Amelii* Erörterung Parte II. pag. 651.

Ad hæc verba illuſtranda pertinet *Nicolai Gurtleri* diſſertatio de Sacerdotio Jeſu Chriſti perpetuo, cœlo altioris, Franeq. 1709. 4.

κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ ] Id infra dicitur κατὰ τὴν ὁμοιότητα cap. VII. v. 15. Confer ad cap. V. v. 6. Obſerva hic elegantem & commodiſſimam formulam, qua Apoſtolus tranſitum ſibi parat ad argumentum, a quo digreſſus tantiſper erat, tractandum.

# CAPUT VII.

VErſ. 1. Οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ κ. τ. λ. ] *Knatchbullus* ad h. l. multus in eo eſt, ut oſtendat tria commata hujus capitis priora non recte explicari poſſe, niſi voces: οὗτος γὰρ, cum ultimis commatis tertii, μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκὲς, ita ἀμέσως jungantur, ut reliqua, quæ inter hæc interjecta ſunt, ab illis, parentheſi interceptis, diſtinguantur. Hoc modo παρενθετικὰ illa de *Melchiſedeco*, reliqua vero de Chriſto interpretatur. Recte autem contra eum diſputavit M. *Chriſtophorus Wolle* in Commentatione de Parentheſi Sacra pag. 113. ſqq. quæ ſuo loco legi velim. Neceſſe omnino eſt, ut Apoſtolus de Melchiſedeco, tanquam typo Sacerdotii Meſſiæ, ſermonem incipere exiſtimetur, de quo c. V. 11. πολὺν ſibi λόγον eſſe dixerat; cujus etiam cap. VI. 20. ita facit mentionem, ut ſatis innuat, ſe illa nunc de eo dicturum, quæ promiſerat.

Plerique poſt verba: οὗτος γὰρ ὁ Μελχισεδὲκ intelligunt ἦν, *erat*, non inconvenienter quidem. Rectius tamen referentur ad phraſin verſ. 3. ultimam: μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκὲς, *manet Sacerdos perpetuus.* Paulus enim cap. VI. 20. dixerat, Chriſtum factum eſſe Pontificem in æternum, & quidem ad exemplum Melchiſedeci. Itaque probandum erat, Melchiſedecum talem fuiſſe, quod in ſequentibus perficitur. Si alterum illud voluiſſet Apoſtolus, ſcripturus utique erat: μένων, ſicut antea ἔχων, & ὡμοιωμένος, non autem μένει. Vide huc *Lambertum Bos* pag. 243. Exercitationum, qui etiam recte deſerit *Hombergium*, voces illas primas ad verſ. 4. Θεωρεῖτε δὲ, πηλίκος οὗτος, referre cupientem.

Longior forem, & præterea actum fere agerem, ſi diverſas, quæ de Melchiſedeco exſtant, eruditorum veteris novæque memoriæ vel ſententias, vel commentationes, in medium afferre vellem. Hac enim opera perfunctos video præ ceteris Rev. *Salomonem Deylingium* in Obſervationibus Sacris Tomo II. pag. 54. ſqq. ſeu pag. 73. edit. II. auctioris, B. *Henricum Benedictum Starckium* in Notis Selectis pag. 45. ſqq. ( qui *Chriſtum* ipſum cenſet indicari, ) & præſtantiſſimum *Joannem Albertum Fabricium* noſtrum in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti Tomo II. pag. 329. ſqq. & Tom. III. pag. 72. ſqq. Hic ſcilicet utroque in loco duodecim diverſas ſententias de perſona Melchiſedeci percenſet, iisdemque Scriptores, literarum ordine appellatos, ſubjungit. His addam exigui ſpicilegii loco ſequentia. Ad Scriptores de Melchiſedeco pertinent *Anonymi* Tractatus de Sponſore melioris Teſtamenti, ſive pacti. Bremæ 1714. *Anonymi* Tentamen Problematicum Hiſtoricum, quo antiquo Parenti *Japheto* aſſeritur dignitas gemina Melchiſedeci, Hafniæ 1708. *Bonaventura Angel* de Principe Melchiſedeco, Hiſpan. Madriti 1692. 8. *Hugonis Broughtoni* Tractatus

Digitized by Google

tus de Melchiſedeco, i. e. *Semo*, Londini 1591. & in Operibus Tom. II. pag. 222-246. *Auguſtini Calmeti* Diſſertationes Biblicæ Tom. II. verſionis Latinæ p. 271. ſqq. (qui pro *Henocho* pugnat) & in Bibliotheca Sacra in calce Tomi IV. Dictionarii Biblici pag. 41. *Thomæ Greenii* Notæ ad Analecta pag. 29. ſq. ubi inprimis de *Semo*. *Joannis Hermanni ab Elswich* Diſſertationes variæ, nempe de Melchiſedeco ab injuria Juriæi defenſo, præſide Wichmanshauſenio, de eodem in Mythologia fruſtra quæſito, & denique de eodem in Henocho ab Hulſio infeliciter detecto, (vide Cl. *Joannis Henrici à Seelen* Athenas Lubecenſes Tom. I. pag. 302.) *Franciſci Fabricii*, Theologi Leidenſis, Tractatus de Sacerdotio Chriſti juxta ordinem Melchiſedeci cap. IV. ſqq. (confer Acta Eruditorum Lipſienſ. Lat. an. 1725. pag. 77.) *Melchioris Leydeckeri* de Republica Hebræorum lib. II. pag. 55. ſqq. qui inprimis contra *Cunæum* diſputat, Chriſtum ipſum intelligentem. *Joannis Henrici a Seelen* Deliciæ Epiſtolicæ in Notis pag. 218. *Joannis Walliſii* Diſſertatio de Melchiſedeco Tom. IV. Operum pag. 277. ſqq. ubi inter cetera affirmat, certos quidem nos nunquam eſſe poſſe, an fuerit *Semus*, at, ſi is non fuerit, ne hariolari quidem quenquam poſſe, quis tandem alius fuerit. Variis itaque in hanc cauſam argumentis allatis tandem p. 287. ita finem facit dicendi: *Quanquam non dixerim, hoc eſſe Mathematice demonſtratum; tanta tamen veriſimilitudine dictum puto, ut aſſenſum facile mereatur.*

Melchiſedecum *Jobum* fuiſſe exiſtimat Rev. L. *Gothofredus Koblreiſius* in Chronologia Sacra pag. 190. ſq. collata Bibliotheca Lubecenſi Vol. I. pag. 163. *Maſſono* non tam pro Sacerdote proprie dicto, quam pro viro pio, cultusque divini purioris ſtudioſiſſimo, habendus videtur in Hiſtoria Critica Reipublicæ Literar. Tom. III. pag. 113. ſq. *Jo. Asgill*, Anglo, in mentem, quod mireris, venit, ſtatuere, Chriſtum jam antequam ex Maria naſceretur, carnem aſſumſiſſe, eandem vero, tanquam ex Patre & Matre non acceptam, iterum depoſuiſſe. Vide Tractatum ejus de hominum immortalitate German. converſum pag. 37.

Circumſpectis omnibus rationibus tot hic difficultates ſe objicere meditanti intellexi, ut difficulter quicquam definiri poſſe exiſtimem. Interim tamen ad illos fere accedo, qui Melchiſedecum & hominem ortu, & patria Cananæum fuiſſe exiſtimant, Paulum autem cum ea, quæ de eodem in ſacris literis traduntur, tum, quæ ſilentio prætermittuntur, tanquam ad Dominum noſtrum ceu antitypum ejus, ſpectantia, recitare.

Quæ de Melchiſedeco in veterum monimentis vel vere, vel fabuloſe traduntur, ea collecta vide a laudato *Fabricio* ll. cc.

Judæos ipſos Melchiſedecum pro typo Meſſiæ habuiſſe ex libro *Sohar* oſtenditur in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 1085. Vide etiam *Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. II. pag. 74. Omitto alia, quæ de illo traduntur in *Pircke R. Elieſer*, *Joſepho ben Gorion* lib. V. cap. 35. &c.

Verſ.

Verſ. 2. *πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης* ] Ita *Joſephus* VII. 18. de Bello Judaico, *Euſebius* de Præparat. Evangel. pag. 309. aliique *βασιλέα δίκαιον* interpretantur. Judæis in *Bereſchith Rabba* Sect. XLIII. f. 42. 1. מצריק את יושביו, *juſtificans habitatores ſuos* dicitur, obſervante *Schœtgenio*.

*ἔπειτα δὲ καὶ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὅ ἐστι βασιλεὺς εἰρήνης* ] Ita *Philo* lib. II. Allegoriarum legis pag. 75. *βασιλέα εἰρήνης* vocat, quemadmodum a veteribus aliis *βασιλεὺς εἰρηνικὸς* eodem ſenſu vocatur. Judæi loc. cit. שלם vertunt *perfectum*, שנולד מהול, *quia circumciſus natus fuerit*.

Verſ. 3. *Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ* ] Varius eſt harum vocum uſus apud Scriptores Græcos. *Maſſonus* in Hiſtoria Critica Reipublicæ Literar. Tom. II. pag. 117. obſervat, *ἀπάτορα* tribus modis dici, nempe primo eum, qui ſine Parente natus ſit ex matre; deinde, qui utrumque Parentem amiſerit, h. e. orphanum; ac denique, qui ex illegitimo nexu prodierit. Diligentius, allatis etiam veterum exemplis, in eodem argumento nuper verſatus eſt eruditiſſimus *Petrus Weſſelingius* lib. II. Obſervationum Sacrarum cap. 10. pag. 177. *Ἀπάτωρ* & *ἀμήτωρ* ſcilicet primo ſignificarunt eum, qui patrem & matrem non habuerit, quo ſenſu *Mercurius Trismegiſtus* Deum ita appellavit, teſte *Lactantio* de vera Sapientia IV. 13. *Ipſe enim Pater Deus, & origo & principium rerum, quoniam Parentibus caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ a* Trismegiſto *veriſſime nominatur*. Hoc ſenſu Dii Deæve gentilium paſſim *ἀπάτορες* & *ἀμήτορες* vocantur. Deinde adhiberi hæ voces cœptæ ſunt de illis, qui patrem matremque habuerunt, ſed eos morte vel alio caſu amiſerunt. Ita *Pollux* lib. III. 2. *καλοῖντο δ' ἂν οὕτω καὶ οἱ ἀποβεβληκότες πατέρας, ἢ μητέρας, οὓς λέγομεν ὀρφανούς.* Porro *ἀπάτορα* vocant, quem pater ſuperſtes ob flagitia ſua filium ſuum non agnoſcit: quo ſenſu adhibetur *Sophocli* Oedipo Col. v. 1378. Hinc *ἀπάτωρ* & *ἀμήτωρ* audit, cujus parentes obſcuri ſunt, *Euripidi* Jone v. 110. *ὡς γὰρ ἀμήτωρ Ἀπάτωρ τε γεγὼς, nam tanquam obſcura matre vilique patre ortus;* tum vero is, qui *ſpurio* Parente natus eſt. Ita *Plutarchus* Quæſt. Rom. pag. 68. *διὰ τί τοὺς ἀπάτορας σπορίους υἱοὺς καλοῦσι*, quales antiqua formula *ſine patre filii* dicebantur. His denique pag. 185. eam ſignificationem *Weſſelingius* addit, quæ ad ſilentium natalium ſpectat. Hujus vero veſtigium in veterum ſcriptis ſibi obſervatum negat, niſi quis huc referre velit *Senecæ* illud epiſt. 108. *Cum ad hanc eandem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos Reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur. Anci pater nullus eſt. Uterque enim*, ita *Weſſelingius* pergit, *vili ortus eſt genere, uti ex Plutarcho & Livio notum eſt. Et tamen ἀπάτωρ Ancus, atque ἀμήτωρ Servius forte dici poſſet, ſi Senecam Græce loqui velles, quia utriusque parentes fama traditi non reperiuntur.* Similia Scriptorum in hanc cauſam loca attulerunt *Grotius*, *Alexander Morus* ad h. l. *Joannes Clericus*, *Joannes Georgius Schellhornius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 793. ſq.

*Raphelius*

Digitized by Google

*Raphelius* in Notis Polybianis & Herodoteis, *Joannes Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 122. *Joannes Albertus Fabricius* in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti pag. 327. & *Jacobus Elſnerus* pag. 348. Video etiam *Adrianum Beverlandum* in Otiis Oxonienſibus MSS. capite IV. quod Μελχισεδὲκ Γενάρχα & Αὐτόχθων inſcribitur, non contemnenda attuliſſe. Illud ego hic deſcribam.

Θεὸς λόγος σπερματικὸς recte *Triſmegiſto* ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, ſed Melchiſedeck (ſic dictus, ut *Adonibeſeck*, *Abimelech*, δίκαιος, σωτὴρ, χρηςὸς, χρηςολόγος, εὐσέβιος, Φιλοςόργιος, Αγαθίας, Εὐεργέτης, Φιλάδελφος, *Philometor*, Pius, Verus, Juſtus, *Salluſtius*,) γεννητὸς ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. *Plato* in Critia, *Doſiades* in Ara, *Heſiodus* v. 927. *Apollon. Rhod.* lib. I. 559. Vulcanum vocant ἀπάτορα. Anci pater nullus. *Seneca* epiſt. 108 *Apollodor.* I. 2. Αθήνη ſola ἀμήτωρ. *Æſchyl.* Eumenid. v. 666. *Euripid.* Phœniſſ. 670. Μυθολογέμενα cognoſce ex *Proclo* VI. 24. Idem de Adone fingit *Probus*. *Euripides* de Ione: *Sophocli* κακομήτωρ, quia ἐκ δέλης. Απατερία ex ſerva & libero Etymolog. M. *Suid.* v. λάμπας. Ocriſia Servii Tullii vidua Comiculana venit in Tarquinii poteſtatem Priſci Lucumonis, & à familiari Larium Decurione gravidata, enixa eſt puerum in domo regnatrice, qui poſt Ancum Martium fuit Romæ Rex. *Horat.* lib I. Sat. VI. 9. *ignobile regnum.* *Ovid.* VI. F. 781. quia κακοπάτωρ. *Plinius* XXXVI. 27. *Livius* III. 3. *Seneca* epiſt. 108. Qui ex Dracone ſuſceptus Deo, ille non in regalis faſtigii diminutionem natus eſſe videtur. Tales tamen plerumque evaſere tyranni, quia Sacerdotes Romanenſes δωροφάγοι. Præterea ſpurii σποράδην γενόμενοι nullos dicuntur habere Parentes. Qui non radici, ſed cortici ἐμφυτευόμενος, dicitur βάςαρις, *baſtard*, qui ſpirat corticem, *die naar de baſtaerd.* Natus ex vulgari & vulgivaga, corpus vulgare ſolita. Quæ corpore colligunt ſtipem, harum prolem non agnoſcit pater, quia ille incertus. Licet πάνδημος lectum ſternat lupis, expoſitisque invigilet τημέλεχος, ſæpeque illi legantur ad ſceptra promoti, tamen non crediderim, Melchiſedecum hoc ſenſu dictum ſine Parentibus natum. Additur μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Sicut Cecropidis adventus Athenis, Pelasgi Argis, Saturnini in Italiam, ita Melchiſedeci acceſſus Solymam fuit incertus, quia ex ſe γενάρχα, fortunæ ſuæ faber, ut Curtius Rufus. Familia Melchiſedeci fuit γεναρχητικὴ, aborigenea in Palæſtina, ἀρχέγονος, πρωτόγονος, ex primis terræ alumnis, adeoque ἀγενεαλόγητος. Αγενεαλόγητος. ἐκ ἴσμεν ποτε, τίνα πατέρα εἶχεν, ἢ τίνα μητέρα. *Chryſoſt.* Homilia XXI. in Hebr. Quoniam juſtitiæ vitæque probitate ſuperabat vicinos, dictus Melchiſedec. Quo ſenſu *Fulgentius*, *Illuſtrius*, *Albertus*, *Eudoxus*, *Lucilius*. Athenienſes Euripidi Jon. 29. γήγενοι ἄδηλοι, unde Saxonicum Adel. Potiori jure & ſine figura rhetorica Jeſus Chriſtus dicitur & creditur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Cum radix Jeſſe non humano ritu fuerit inoculata, ſed λόγος σπερματικὸς ſeipſum juſſerit exiſtere, dici poterit ἀπάτωρ. Verbum adhæſit carni, & ſeipſum ſivit in immaculato vaſe creſcere ϑεάνθρωπος, vel ἀνθρωπόθεος. Virgo quoque inſcia,



Digitized by Google

ſcia, ſine paſſione nuptiali concepit, puraque mente fovit conceptum, adeoque ἀμήτωρ. Qui non genitus ἐκ θελήματος τοῦ ἀνδρὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, ἀλλ᾽ ἐκ Θεοῦ, jure merito dici poteſt ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Debuit ſemen mulieris ſerpentis cranium conterere, ipſaque ex ſua parte adjuvit, quia ſine ullo pruritu aut vertigine concepit innocens. Licet primævæ transgreſſionis inquinamentum noſtræ inhæreat naturæ, tamen lucifer novus fuit iſtius labis exhæres, ſuoque ſanguine immaculatus agnus abluit noſtras ſordes, in calore coitus Parentum contractas. Melchiſedec non tantum, βασιλεὺς, ſed & ἀρχιερεὺς, Chriſtus Princeps, Sacerdos, Propheta, Epiſcopus, & præterea Salvator. *Actor.* V. 31. Branchidæ Annius in Delo Sacerdos Apollinis. Ovid. XIII. Metam. 632. Abaris & Zamolxis quoque fuere antiſtites Apollinis. Pſeudo-Antoninus: unde Elagabalus natus ex ſorore Juliæ Donnæ Emiſſenæ habuit Emiſſæ templum Solis, quod celſitudine æquabat montem Libanum. *F. Avienus*:

*- - - Libanus frondoſa cacumine turget*
*Et tamen his certant celſi faſtigia templi.*

Herodes Aſcalonita ἱερόδουλος τοῦ Ἀπόλλωνος, *Euſeb.* I. 6. Juda Maccabæus ſibi vindicavit ἀρχιερείαν, præſertim Ariſtobulus, *Joſephus* XIII. 19. *Quorum juſtitia, religione permixta, incredibile quantum incaluere. Juſtinus* lib. XXXVI. 2. Ἱερόδουλοι in Veneris fano in regione Zelitis ad oram Armeniæ, Strabo XII. fuere πορνοδιάκονοι. *Varro* L. L. lib. VII. vel iſtud, quod reticere malo. Hactenus *Beverlandus*, cujus omnia ut non probo, talia tamen pleraque ſunt, quæ uſum ſecum ferant. Interim nec citatorum fidem præſto. Utinam *Beverlandus*, poſtea ad omnia alia dilapſus, ingenii & eruditionis ſuæ copias ita ſemper adhibuiſſet!

Proximum eſt, ut videamus, quo ſenſu Melchiſedecus ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ appelletur. Veteres Eccleſiæ doctores, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, quorum loca habes apud *Suicerum* in Theſauro voce ἀπάτωρ, & Μελχισεδὲκ, (quibus adde *Epiphanium* hæreſi LV. & *Euſebium* Demonſtrat. Evangelic. IV. 3.) plerique vero etiam recentiorum elogii rationem ex eo repetunt, quod Patris matrisve mentio in ſacris literis non fiat. Idem ſtatuit *Gerhardus Noodt* in Probabilibus Juris Civilis lib. I. cap. 13. pag. 32. *De iis enim*, inquit, *quæ non apparent, ita fere judicare ſolent, ac ſi non eſſent, ut* Javolenus *meminit in l.* 77. *D. de contrahenda emtione.* Mirum itaque, quod nonnulli vel ſic & patris & matris nomen recitare potuerint. Vide *Fabricium* loc. cit. pag. 326. ſq. & Caſtelli Lexicon voce מלך col. 2074. ubi *Bar Bahlul* hanc in rem locus affertur.

Propius ad Apoſtoli ſcopum accedere videntur illi, quorum judicio Apoſtolus nec patrem, nec matrem, nec genealogiam tribuit Melchiſedeco, quod nulla ejus exſtet genealogia e filiis Levi deducta. Id enim diſerte exprimitur verſ.

verſ. 6. Vide huc *Fabricium* loc. cit. pag. 327. & *Elſnerum* p. 348. copioſiſſime vero *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 959. Scilicet Hebræi in deligendo Sacerdote ſoliciti inprimis erant de eo, an ex familia Aaronis, atque adeo genere ſacerdotali, ortus eſſet, quemadmodum hodienum Judæi multum ſibi tribuunt, ſi genus ſuum eo referre poſſint, ex quo ſit, ut ſi tales ſibi videantur, ſe כהנים ex genere ſacerdotali appellent. Ex antiquis monimentis argumentum hoc luculente tractavit *Seldenus* initio lib. II. de Succeſſione in Pontificatum. Qui ergo genus ſuum inde repetere non poterat, is a Sacerdotali & Pontificia dignitate alienus habebatur. Hoc igitur modo & Melchiſedecus & Chriſtus Sacerdotes erant *ἀπάτορες* & *ἀμήτορες*, i. e. ex priſcorum ſacerdotum ſtemmate non nati. Melchiſedecus enim Cananæus fuiſſe videtur, & vel ſic tamen Sacerdos Dei erat. Hoc ſenſu *Svidas* voce Μελχισεδὲκ ait : *ἀγενεαλόγητος εἴρηται, παρὰ τὸ μὴ ὑπάρχειν ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀβραὰμ ὅλως, εἶναι δὲ χαναναῖον γένος, καὶ ἐκ τῆς ἐπαράτου σπορᾶς ὁρμώμενον, ὅθεν οὐδὲ γενεαλογίας ἠξίωτο.* Notandum vero hic inprimis eſt, quod idem *Sibœtgenius* monuit, Judæos in *Bereſchith Rabba* Sect. XVIII. fol. 18. 2. dicere : שאין אב לגוי, *nam gentilis non habet patrem*, h. e. pater ejus in genealogiis Judaicis nullo numero eſt. Jam patet, quo ſenſu Apoſtolus hoc momentum in comparatione Melchiſedeci & Chriſti attulerit. Dixerat ſcilicet, Chriſtum eſſe debuiſſe Sacerdotem ad exemplum & ſimilitudinem Melchiſedeci, adeoque non Levitici generis, de cujus ortu conſtare debebat. Jam ait, Melchiſedecum talem ortu non fuiſſe, & vel ſic Sacerdotem Dei appellari. Ex quo conſequitur, eundem Meſſiæ fuiſſe typum, nec habere Judæos cauſſam, cur Chriſtum, tanquam ex genere ſacerdotali non ortum, pro Sacerdote Summo non agnoſcant.

Confer interim de his verbis differentes *Spenerum* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag. 549. ſqq. *Petavium* loco ſupra citato, *Stephanum Menochium* in Trattenimenti eruditi Parte II. pag. 301. *Richardum Simonem* in Hiſtoria Critica Interpretum Novi Teſtamenti pag. 756. *Carolum le Cene* in Conatu Novæ Verſionis pag. 779. *Jaannem Cloppenburgium* Tomo I. Operum pag. 671. *Joannem Clericum* in Bibliotheca Selecta Tom. XXIII. Parte I. pag. 46. ſqq.

*ἀγενεαλόγητος*] Vide *Joannis Henrici Hottingeri* Diſſertationem de Genealogia Chriſti §. 12. quæ exſtat Tom. II. Theſauri Diſſertationum pag. 76. & *Eraſmum Schmidium* ad h. l.

*μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων*] Neutrius enim in ſacris literis memoria exſtat. Confer *Beverlandum* in ſuperioribus.

*ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ*] Hæc inprimis pugnant contra eos, qui *Melchiſedecum* Chriſtum ipſum eſſe volunt, cum is, qui alteri ſimilis dicitur, ipſe alter eſſe non poſſit. Nec faciunt ſatis, quæ ad hanc exceptionem aver-

tendam *Starckium* video attuliſſe. Τὸ δὲ videtur idem eſſe, quod *inquam*, ut 1 *Corinth.* VII. 8. Vide *Jacobum Cappellum* ad h. l.

*μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές*] *Manet Sacerdos perpetuus*, i. e. per omnem vitam, in perpetuum. Ita *Appianus* Bell. Civil. I. pag. 351. de Julio Cæſare: *δεύτερος ἐπὶ Σύλλᾳ Δικτάτωρ εἰς τὸ διηνεκὲς ᾑρέθη.* Ita *Lambertus Bos* p. 244. Exercitationum. Sententiam ejus alio *Heliodori* loco lib. I. Æthiopic. pag. 25. *Φυγῇ με εἰς τὸ διηνεκὲς ἐζημίωσαν*, *exilio me in perpetuum* (i. e. per omnem vitam) *mulctarunt*; adſtruit *Joan. Alberti* pag. 428. *Heſychius διηνεκῶς. δι' ὅλου, διὰ βίου.* Oppoſuit ſe *Boſio Jo. d'Outrein* in Obſervationibus Miſcellaneis in ſelecta Sacri Codicis loca, quæ ſubjunctæ ſunt ejus Diſſertationi de Melchiſedeco, non Henocho pag. 45. ſqq. & de æternitate accipi vult, ſed ex eo quidem capite, quod ipſe Melchiſedecum de Chriſto accipit. Non negaverim interim, *τὸ διηνεκὲς* etiam æternitatem pro re nata inferre; neque tamen hæc primaria aut perpetua eſt vocis notio, quemadmodum nec *τοῦ αἰών.* Melchiſedecus perpetuus hic dicitur Sacerdos, eo quod nec mortis, nec ſucceſſoris ejus in ſacris literis mentio exſtat. De voce *διηνεκὴς* confer *Suicerum* Tom. I. pag. 240.

Verſ. 4. *ᾧ καὶ δεκάτην Ἀβραὰμ ἔδωκεν ἐκ τῶν ἀκροθινίων*] *ἀκροθίνια* hic appellari ſpolia hoſtibus detracta ex hiſtoria ipſa, ad quam reſpicitur, patet. Græci hoc nomine ea ſpolia appellant, quæ inſtar primitiarum Diis cedebant. Vide *Raphelii* Annotationes Xenophonteas & Herodoteas, copioſius autem ex aliis *Elſnerum* pag. 348. v. c. ex *Dionyſ. Halicarnaſſ.* lib. II. pag. 101. ubi de Romulo, exercitum victorem domum reducente: *ἄγων σκῦλά τε ἀπὸ τῶν ἀποίκων κατὰ τὴν μάχην, καὶ ἀκροθίνια λαφύρων θεοῖς, καὶ πολλὰς ἅμα τούτοις θυσίας ἐποιήσατο.* *Spolia hoſtibus in prælio detracta præferens, primitiasque manubiarum, multasque victimas Diis deſtinatas.* Confer *Joannem Seldenum* de Decimis Sect. I. §. 1. pag. 549. edit. Clerici in commentario ad Pentat. qui pag. 552. ſqq. oſtendit *ἀκροθίνια* ſelectam ex prædæ cumulo partem uſu veterum inferre. Atque hoc procul dubio voluit *Vulgatus*, quando vertit, *de præcipuis.* Neque tamen habebat *Emerus*, cur B. *Lutherum* von der eroberten Beute vertentem, carperet. Lege *Raithii* Vindicias pag. 574. & *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti I. pag. 74. Adde *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 704. edit. Tubingenſis, & *Joannem Conradum Hottingerum* in Commentario de Decimis Judæorum, pag. 18. Atque hic quidem Exercitat. II. de antiquitate Decimarum commentatur, eademque opera hanc decimarum perſolutionem, ab Abrahamo Melchiſedeco, quem de ipſo Chriſto minus recte accipit, præſtitam, illuſtrat. Confer Acta Eruditorum Lipſienſ. an. 1713. pag. 156.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 5. *Καὶ οἱ μὲν ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, ἐντολὴν ἔχουσιν ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν*] Sacerdotibus his jus decimas accipiendi tribui nonnullis viſum eſt, cum tamen decimæ Levitis vindicentur *Numer.* XVIII. 21. Itaque, ut hæc concilient, Sacerdotes decimas ajunt accepiſſe à populo, non *ἀμέσως*, ſed miniſterio Levitarum. Recte vero obſervavit *Adr. Relandus* in Antiquitat. Hebr. pag. 380. de Levitis ipſis h. l. agi. *At videtur*, inquit, *potius hic agi de Levitis ipſis, ſic ut illi, qui* Jerem. XXXIII. 21. *appellantur* הלוים הכהנים *hic nuncupentur illi*, qui ex filiis Levi ſunt *i. e. Levitæ*, quorum tribui jura Sacerdotii conceſſa ſunt, *ſive τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, illi jus habent ad decimas. Nam commate* 14. *tribui Levitica Sacerdotium à Moſe tributum memorat, & commate nono* Levi *ſcribit* decimas accipere. *Ita in Targum Hieroſol. Gen. XXV.* 31. *legitur, Pontificatum maximum datum tribui Levi &* Joſ. *VIII. 7. Sacerdotium eſſe hæreditatem Levitarum. Nec dubium eſſe poteſt, quin Levitæ illi fuerint, quibus Deus mandaverit decimas à populo accipere, non Sacerdotes: etiamſi, ut Judæi tradunt, in* Gemara Ketuvoth 26. 1. *ſtante Templo II. decimas Levitis aliquando non dederint, vetante hoc Eſra, ſed Sacerdotibus. Hic autem agit Paulus non de conſuetudine, ſed de mandato Dei, quo certe Levitæ ad decimas jus acceperunt.* Confer de hoc argumento *J. C. Hottingerum* de Decimis Exercit. VI. pag. 117. ſqq. qui recte in eandem ſententiam abit.

*καίπερ ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος Ἀβραάμ.*] Phraſis hæc Hebraica viſa eſt *Jo. Vorſtio* Philolog. Sacr. Parte II. pag. 237. quamvis non neget, ſimiles quasdam phraſes apud externos Scriptores reperiri. Conf. *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 102. & *Raphelii* Annotatt. Polybian. pag. 663. ubi *Arrianus* affertur lib. III. Diſſertatt. Epictet. c. 22. dicens *ἐκ τῆς κοιλίας ἐξελθεῖν*. Hæc loquendi ratio diligentiam Cl. *Georgii* in Vindiciis Nov. Teſtam. ad Hebr. effugit.

Verſ. 6. *Ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν*] ſcilicet *υἱῶν Λευὶ*, de quibus v. 6. Hac phraſi firmatur expoſitio verborum *ἀπάτωρ, ἀμήτωρ ἀγενεαλόγητος*, quam paulo ante attuliſmus.

*δεδεκάτωκε τὸν Ἀβραὰμ, καὶ τὸν ἔχοντα τὰς ἐπαγγελίας εὐλόγηκε*] B. *Olearius* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 22. *τὸ καὶ* cum ſequentibus ab antecedentibus per *τελείαν στιγμὴν* ſeparari vult, tanquam novum argumentum continentia, hoc ſenſu: *tunc etiam ei, qui habebat promiſſionem, benedixit.*

Verſ. 8. *Καὶ ὧδε μὲν δεκάτας ἀποθνήσκοντες ἄνθρωποι λαμβάνουσιν. ἐκεῖ δὲ μαρτυρούμενος, ὅτι ζῇ*] Senſus eſt: in Levitico illo ſacerdotio homines acceperunt decimas, quos obiiſſe conſtat; hic vero in negotio Melchiſedeci cum Abrahamo is decimas capit, de cujus morte tacetur, quique adeo, myſtico quodam reſpectu, vitæ teſtimonium habet. Vide etiam *Joannis Marckii* Exercitat. Textualem XLIV. pag. 412. ſqq. ubi de teſtimonio vitæ Melchiſedeci.

Verſ. 9. Καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν] *Et ut ita loquar*, interprete *Beza* & *Eraſmo Schmidio*, quod tamen rem vix exhaurit. *Grotius*, & *Clericus* in Arte Critica Vol. I. Part. II. Sect. I. cap. 2. §. 5. hanc formulam talem habent qua παράδοξον & *audacia affirmationis emolliatur.* Conſentit ex noſtratibus *Raphelius* in Xenophonteis & Polybianis. Miratur autem *Elſnerus* pag. 350. *quia parum reverenter hæc dicantur de Scriptore divino, præſertim, cum periculi vel audaciæ nihil inſit in hac affirmatione.* At, ſi quid video, illi quidem non tam reſpectu ipſius Apoſtoli, qui noverat, ſe recte hoc affirmare poſſe, quam reſpectu Judæorum, hæc pro emolliendi formula habuerunt. Et ſane cauſam habebat verendi Apoſtolus, ne παραδοξοτέρως loqui videretur Hebræis, ſi audirent, Sacerdotium ante Levitas ita exſtitiſſe, ut Levi ipſe decimatus credi debeat. Nihil itaque aliud hic dixit Apoſtolus, ſi hanc phraſi ſignificationem tribuamus, quam quod Dominus noſter ad Nicodemum ait: *ne mirare Joh.* III. 7. Mirum enim omnino videri poterat, quod Levi, nondum natus, decimatus eſſe dicatur, cum illud in eum proprie cadat, qui decimas vere ſolvat. Formulam interim ipſam Græcis eo, quem illi volunt, ſenſu adhibitam eſſe loci, quos afferunt, ſi non omnes, ſaltem aliquot evincere mihi videntur. Primus quem ex Polybii pag. 1. *Raphelius* attulit, locus non aliter accipi poteſt. Hoc ſatis oſtendit *Raphelius* ipſe in *Herodoteis* pag. 614. ſqq. ubi locos a ſe allatos data opera vindicat. Talem etiam ex *Philone* affert Cl. *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 123. qui itidem magnificum & paradoxum quid hic indicari putat. Interim Cl. *Elſnerus* idem ad h. l. eſſe putat, quod Latini dicunt, *quod res eſt;* cum formula illa utantur Græci, ubi ſe *libere* & *vere* aliquid dicturos profitentur. Non nego, hanc ſignificationem nonnullis, quos vir doctus affert, locis conſtare. At hoc loco idem potius eſſe putarim, quod Latine dicas: *ut verbo dicam, ſummatim dicendo.* Ita olim *Eraſmus Schmidius.* Affert is *Euripidem* ex Hippolyto v. 1162.

Ἱππόλυτος ἐκ ἔτ' ἐςὶν, ὡς εἰπεῖν ἔπος.
*Hippolytus non amplius* eſt, (obiit) *ut ſummatim dicam.*

Ille vero v. 1157. dixerat:

Θησεῦ μερίμνης ἄξιον φέρω λόγον
Σοὶ καὶ πολίταις.
*Theſeu, affero rem dignam conſideratione* ſeu cura
*Tibi & civibus.*

Idem *Schmidius* confert cum phraſi VIII. 1. κεφάλαιον ἐπὶ τοῖς λεγομένοις. *Summatim dicendo* (de qua tamen vide infra dicenda;) & cum aliis Græcorum phraſibus, συνελόντι εἰπεῖν, συνελόντι φάναι. Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. exponit: teutſch zu ſagen. Scilicet Apoſtolus magnum aliquid, & quod mirum videri multis poterat, brevi nunc complectitur, quando argumentum hoc, a Sacerdotio Levitico petitum, obſignare, & ad aliud divertere volebat.

Verſ.

Verſ. 10. *Ἔτι γὰρ ἐν τῇ ὀσφύϊ τοῦ πατρὸς ἦν, ὅτε συνήντησεν αὐτῷ ὁ Μελχισεδέκ*] Argumenti hujus vim recte mihi expoſuiſſe videtur *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 899. quem legi velim.

Verſ. 11. *Εἰ μὲν οὖν τελείωσις διὰ τῆς Λευιτικῆς ἱερωσύνης ἦν*] Vide D. *Jo. Frid. Mayeri* Programma Gryphiswaldenſe 1711. ed. & recuſum in Sylloge Programmatum Gab. Terne pag. 820. ſqq. Recte hic monet *Schmidius*, male in editis nonnullis legi *ἱεροσύνης*, quod longe aliud ex Græc. Lat. rationibus inferret, quam *ἱερωσύνη* hic indicat. Confer eundem ad 2 *Tim.* I. 11.

*Εἰ μὲν οὖν*] *Quod ſi ergo;* ita *Schmidius* : vel : *Porro ſi;* ut *Beza*. Neutrum placet *Elſnero*, qui mavult : *quod ſi autem*. Nec diſſentio. Novum enim hic argumentum pro cauſa, quam agebat, urget Apoſtolus. Et habent particulæ illæ *μὲν οὖν* eundem ſenſum, quem Latinorum *autem*, quod idem oſtendit. Vide infra IX. 1. *εἶχε μὲν οὖν*, *habebat autem*. Ariſtophanis Schol. ad Plut. verſ. 287. *τὸ μὲν οὖν, ἀντὶ τοῦ δέ*. Germani diceremus, ſo nun aber.

*τελείωσις*] Non tam perfectionem generatim ſpectatam infert, quam *conſummationem expiationis* hominum, quæ ſcilicet per Sacerdotium Leviticum in ſacrificiis non tam præſtabatur, quam ſubindicabatur & præfigurabatur, ex quo etiam factum eſt, ut a Davide aliud Sacerdotium, illi Melchiſedeci, non autem Aaronis, ſimile promitteretur. Ab hac *τελειώσει* Chriſtus dicitur *τελειωθεὶς* ſupra V. 9. *τετελειωμένος* infra VII. 28. qui opponitur *ἀρχιερεῦσιν ἀσθένειαν ἔχουσι*, & *τελειωτὴς τῆς πίστεως ἡμῶν* XI. 1.

*ὁ λαὸς γὰρ ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο*] *Nam ſub hoc populus legem acceperat*, interprete *Schmidio*. *Hombergius* malebat : *ſuper hoc* (ſacerdotio) *lata lex eſt eſt populo*, hoc ſenſu, quod populus legem, Sacerdotio illi propriam, acceperit. Recte ab eo diſceſſit *Elsnerus*, & præſtat prior interpretatio, ſi recte capiatur, ita ſcilicet, ut *τὸ ἐπὶ*, vel *ſub*, conditionem inferat, qua legem acceperit populus, nempe ut Sacerdotium haberet Leviticum, eique ſubjiceretur. Hoc ita probatum dedit vir modo laudatus, ut dubitari vix poſſit. Sic infra IX. 17. *διαθήκη ἐπὶ νεκροῖς βεβαία* dicitur, h. e. *teſtamentum ratum ea conditione, ſi teſtator eſt mortuus* : nec non VIII. 6. Novum Teſtamentum, *ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται*, *quod melioribus conditionibus ſancitum*. Similiter *Xenophon* lib. IV. pag. 337. *ἐσπείσαντο ἐπὶ τούτοις*, *fœdus percuſſerunt his conditionibus*.. Idem oſtendit, verbum *νομοθετεῖσθαι* eodem ſenſu a *Dione Caſſio* lib. LV. 550. adhiberi. Confer omnino *Eraſm. Schmidium* ad h. l. *Raphel.* Herodoteas pag. 625. & in infra VIII. 6. Sunt qui *τὸ ἐπ' αὐτῇ* ad *τελείωσιν* referunt, hoc ſenſu, ut populus *ad* conſummationem illam legem accepiſſe exiſtimetur.

ϗ ὐ κατὰ τὴν τάξιν Ααρὼν λέγεσθαι] Pro commentario marginali hæc habet *Millius*, quia in uno *Æthiope* deſunt, quamvis alioquin codices omnes conſentiant. Recte autem ita legi patet. Apoſtolus Aaronis, ex Levitica quippe ſtirpe oriundi, meminit ideo, quod ille ſingulari quadam ratione Sacerdotio fungebatur.

Verſ. 12. Μετατιθεμένης γὰρ τῆς ἱερωσύνης] *Curcellaus* hic, operarum puto, vitio, ſcripſit ἱεροσύνης. Vide ad v. 11.

Verſ. 13. Εφ' ὃν γὰρ λέγεται ταῦτα] *Nam is, de quo hac. dicuntur*. Τὸ ἐπὶ hic idem eſt, quod *de*, quæ frequens ejus eſt notio. Vide ad *Epheſ.* V. 32.

ἀφ' ἧς ὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ] *ex qua nemo altari operam dedit*. Hoc ſenſu Græci dicunt προσέχειν πολέμῳ, πράξει, ἔργοις, quod *Grotius* monuit. Similiter *Herodotus* lib. IX. pag. 599. Tiſamenus dicitur προσεχηκέναι τοῖσι γυμνασίοισι, *gymnaſiis operam dediſſe*. Vide *Raphelium* pag. 623.

Verſ. 14. Πρόδηλον γὰρ] Vid. ad 1 *Tim*. V. 24.

ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν] *quod è tribu* (*Juda*) *exortus ſit Dominus*. Alludi hic ad צמח *Jeſ*. XI. 1. poſt alios monuit *Vitringa* in commentar. ad h. l. pag. 308. ubi etiam contendit, Mariam ex tribu Levitica nonnullis ortam falſo videri, cum alioquin Apoſtolus h. l. forte non neglexiſſet, ortum Chriſti ex utraque tribu. Judæ reſpectu Patris, & Levi, ratione matris, in uſus ſuos vertere, quando e contra *Chriſtum* totum tribui Judæ vindicat. De emphaſi verbi ἀνατέλλειν, & ſimilibus apud externos phraſibus, quando heroes ἔρνος, θάλος, *germen*, *ſobolem* & *propaginem* appellant, differit *Elſnerus* pag. 354.

Verſ. 15. κατάδηλόν ἐστι] Ita *Herodotus* lib. I. pag. 3. ὡς ἂν μὴ κατάδηλος γένηται.

Verſ. 16. Ος ὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς γέγονεν] Εντολὴ σαρκικὴ denotat inſtitutum Leviticum, cujus phraſeos rationem edifferit *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 351. & 726. &, qui idem eſt, *Pet. Zornius* Tom. II. Opuſculorum Sacrorum pag. 176. Adde *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 25. edit. Tubingenſis. Totum comma illuſtrat Rev. *Jo. Jac. Quandt* in Programmate Paſchali Regiomontano anno 1730.

Verſ. 17. Μαρτυρεῖ γὰρ] ſcil. כתב, γραφὴ, *Scriptura*. Vide *Surenhuſii* βίβλον καταλλαγῆς pag. 623. (qui & locum hunc cum Pſalmo CX. 4. confert) & *J. C. Schwarzium* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis pag. 123.

Verſ. 13. Αθέτησις μὲν γὰρ γίνεται κ. τ. λ.] Lege *Spencerum*. loc cit. & pag. 647.

Verſ.

Verſ. 19. *Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος* ] *Nibil enim ſanctificavit lex*, ut *Beza* minus recte vertit. Rectius *Erasmus Schmidius* ; *nihil enim ad perfectionem deduxit lex*, ratione ſcilicet expiationis peccatorum, de qua ad v. 11. diximus. De hac enim ſermonem potius eſſe credo, cum de Chriſto *ἀρχιερεῖ* noſtro ſermo ſit, quam de veræ ſanctitatis & gloriæ pefectione plenaque conſummatione, ad quam homines ſint perducendi. Hanc ſcilicet *Lud. Cappellus* in Spicilegio ad h. l. putat indicari.

*ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος* ] *ſuperintroductio melioris ſpei* eſt gratia Evangelica in N. T. illuſtriori modo propoſita. Conf. v. 22. & *Gal.* III. 21. Ex ea enim, non vero ex lege, remiſſionem peccatorum & ſalutem æternam fideles V. T. ſunt conſecuti. Conf. *Herman. Venema* Diſſertatt. Sacras lib. I. cap. 5. pag. 101. & pag. 119. ubi de voce *ἐπεισαγωγὴ*, quæ *adventitium* aliquid, ſeu *ἐπείσακτον* infert.

Verſ. 20. *Καὶ καθ᾽ ὅσον οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας* ] Referunt hæc nonnulli ad ſpem potiorem, de qua v. 19. & nonnulla ſupplent hoc modo : *Et* eo potior illa ſpes eſt, *quatenus non absque jure jurando.* Ita *Ludov. Cappellus* in Spicileg. ad h. l. Id vero phraſis, *καὶ καθ᾽ ὅσον*, non admittit. Illa enim primo quidem indicio eſt, Paulum novo quodam argumento uti, quo prærogativa Sacerdoti Chriſti præ Levitico illo conſtet; deinde vero per ſe reſpicit voces *κατὰ τοσοῦτον* v. 22. Itaque præſtat in vulgata interpunctione acquieſcere, per quam verba : *οἱ μὲν γὰρ χωρὶς* &c. usque ad, *κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ* parentheſeos nota a v. 22. ſeparentur. Senſus eſt : & in quantum non ſine jurejurando (ſcilicet *γέγονε*, *factus eſt* ex v. 22.) *in tantum potioris Teſtamenti Sponſor fuit JESUS.* Confer in hanc rem *Hombergium* & *Schœtgenium* ad hunc locum.

*χωρὶς ὁρκωμοσίας* ] Vox hæc apud *τοὺς* LXX. occurrit *Ezech.* XVII. 18. 19. & reſpondet Hebraico אלה, *execratio*, quæcum jurejurando fit, atque adeo idem illis eſt, quod *ὅρκος*. Hoc ſenſu fruſtra adhuc *ὁρκωμοσίαν* apud Scriptores quæſivi. Illi enim *ὁρκωμόσιον* & *ὁρκωμόσια* in plurium numero de jurejurando adhibent, quo fœdus aliquod, adhibitis etiam ſacrificiis, obſignari ſolebat. Propterea *Photius* in Lexico MS. per *θύματα* & *ἱερεῖα*; *Heſychius* autem per *θύματα, ἐφ᾽ ὧν οἱ ὅρκοι γίνονται*, exponunt. Interim *ὁρκωμοσία* æque Græce dici poteſt, atque *ἀπωμοσία, διωμοσία, ἐπωμοσία, κατωμοσία, προωμοσία* & *συνωμοσία*, quæ exemplis veterum conſtant.

Verſ. 21. *Ὤμοσε Κύριος, καὶ οὐ μεταμεληθήσεται, κ. τ. λ.* ] Vide *Surenhuſium* l. c. & *Wokenium* in Harmonia V. & N. T. pag. 369. ſqq. Ad publica officia, & nominatim ſacra, electos olim alios cum jurisjurandi formula, ab eligentibus præſtita, fuiſſe oſtendit, & hunc locum ſimul illuſtrat *Theodor. Regnerus de Baſſen* in libro ſingulari de jurejurando veterum, inprimis Romanorum.

Verſ. 22. *Κατὰ τοσοῦτον κρείττονος διαθήκης γέγονεν ἔγγυος Ἰησοῦς* ] Quid hæc ſibi velint, inter Theologos copioſe diſputatum eſt. Vide ex noſtratibus *Jo. Franc. Buddeum* in diſſert. de JESU melioris fœderis ſponſore, Jenæ 1712. & in Inſtitutionibus Theol. Dogmaticæ pag. 915. *Salomon. Deylingium* in Obſervatt. Sacr. Part. I. pag. 203. ſive pag. 333. edit. ſecundæ, & in ſingulari diſſertat. de Chriſto ſponſore Lipſiæ 1722. *Gothofr. Olearium* in Obſervatt. ad Matthæum pag. 337. & *Pet. Zornium* in Opuſcul. Sacris Tom. II. pag. 243. ſq. Ex Reformatis autem *J. C. Claſingium* in diſſertat. de Sponſore melioris Teſtamenti, Bremæ 1714. *Cloppenburg.* Tom. I. Oper. pag. 241. & *Jo. Braunium* in diſſert. de Pontifice unico N. T. oppoſito pluribus ſub V. T. Groning. 1702. ubi & duo ſequentia commata illuſtrantur. Eos omitto, qui doctrinam fœderum expoſuerunt, v. c. *Jo. Braunium* Vol. I. Part. III. cap. 5. *Herman. Witſium* in Oeconomia fœderum lib. II. cap. 2. alios. Vocem *διαθήκη* a barbariſmi vitio vindicavit Cl. M. *Georgius* in diſputat. de idioticiſmis N. T. immerito afflictis pag. 20. Rem ipſam vero exponit *Zornius* l. c. p. 238. & Rev. *Chriſtian. Reuterus* de Fœderibus & Teſtamentis divinis pag. 107. quemadmodum D. *Paulus Erneſt. Jablonski*, Theologus Francofurtanus, Exercitat. Theolog. de genuina & propria ſignificatione *τῆς διαθήκης* in ſcriptis N. T. Francof. ad Viadr. 1733. edidit, quam nondum vidi. De voce *ἔγγυος* afferam, quæ *Salmaſius* commentatus eſt in de modo Uſurarum pag. 689. *Ἔγγυος*, inquit, *non ſolum Helleniſtis, ſed & puris Hellenibus dicitur ſponſor. In veteri marmore Cretenſi, cujus inſcriptionem doctus Anglus in notis ad Apologiam Apuleji deſcripſit: καὶ ἔγγυος καταστάντων, & ſponſores conſtituant, item καὶ τοὺς ἔγγυος καταστάντων ὑπὲρ τούτων, i. e. τοὺς ἐγγύους. Gloſſæ optimæ*: præs ἔγγυος, ἀνάδοχος. Eædem: vades, ἔγγυοι, ἀνάδοχοι. *Ἐγγυητὴς Græcis vel ἔγγυος generale vocabulum eſt de omnibus, qui vel in judicio, vel in rebus creditis pro alio interveniebant.* Conferatur idem pag. 698. Spectat huc vulgatum illud: *ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη*, de quo lege *Menagium* ad *Diogenem Laertium* I. 73. Conf. etiam *J. C. Dieterici* Antt. Bibl. Vol. I. pag. 263. Inter Theologos id ſpeciatim diſputatur, utrum *ἔγγυος expromiſſorem* potius an *fidejuſſorem* inferat. Hoc affirmant *Coccejani*, illud noſtrates. Vide præter *Deylingium* l. c. *Chriſtian. Reuterum* de Fœderibus & Teſtamentis divinis pag. 46. & *Zornium* l. c.

In *Avoth R. Nathan* cap. 33. ad verba *Zachar.* IV. 14. ubi *Aaron* & *Meſſias* cum duobus filiis oleæ conferuntur, ex *Pſ.* CX. 4. probatur, Meſſiam DEO chariorem eſſe, quam Sacerdotem juſtitiæ. Vide *Schœtgenii* Horas pag. 962.

Verſ. 23. *διὰ τὸ θανάτῳ κωλύεσθαι παραμένειν* ] *quoniam per mortem non ſinebantur permanere*, ſcilicet in vita. Eodem ſignificatu hac voce utitur *Herodotus* lib. I. pag. 12. ubi de Tello: *καὶ σφι εἶδε ἅπασι τέκνα ἐκγενόμενα, καὶ πάντα παραμείναντα. Ex quibus ſingulis vidit natos liberos, eosque*

*omnes*

Digitized by Google

*omnes ſuperſtites.* Apoſtolus ſcribere poterat *διὰ τὸ ἀποθανεῖν αὐτοὺς.* Jam vero efficacius eos dicit morte coactos, atque adeo forte invitos, ab ampliſſimo munere decedere. Vide doctiſſimi *J. C. Schwarzii* obſervatt. ad *Olearium* de Stilo N. T. pag. 171. *Altingius* & *Wittichius* ad h. l. ex noſtratibus autem *Seb. Schmidius* & *H. B. Starckius τὸ παραμένειν* non ſimpliciter de permanſione *in vita,* ſed *in Sacerdotio,* interpretantur, quod alioquin non ſatis conſtet oppoſitio inter Chriſtum & Pontifices V. T., cum etiam Chriſtus mortuus ſit. Eo vero non videtur opus eſſe, cum vel ſic longe alia ratio Chriſti & illorum fuerit. Hi enim nunquam in vitam redierunt, corpore cum anima conjuncto; ille vero, poſtquam ſe ipſum victimam DEO ſtiterat, rediit, & ut talis ad dextram conſedit, deprecator noſter futurus. Atque ex hac vita, in æternum producenda, deducitur v. 24. Sacerdotium perpetuum.

*ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην* ] *ἀπαράβατον*, *Theophylactus* per *ἀδιάκοπον*, *ἀδιάδοχον*, *non interruptum, & ſucceſſore carens*, *Oecumenius* etiam per *ἀδιάδοχον* & *ἀτελεύτητον* exponit. Vide *Svicerum* Tom. I. pag. 412. Græcis Scriptoribus alias id generatim infert, quod *immutabile* eſt, & violari nequit, quo ſenſu *Epictetus νόμον ἀπαράβατον* dixit. Atque hoc ſenſu, quem nonnullis veterum exemplis munit, *Elsnerus* etiam hoc loco accipi vult, quoniam de lege & ordine ſermo eſt. Non nego, recte hæc ita dici, ſi ex uſu veterum Scriptorum vim vocis æſtimare tantum velis. Neque tamen dubito, Paulum alterum illud indicare voluiſſe, nempe, quod pontificatus ille ad alium non ſit transmiſſus. Id enim ſermonis ſeries requirere videtur. Pontificatus, ab hominibus olim geſtus, tranſibat ad alios, & tranſire debebat, intercedente morte, quod Paulus ante dixerat: id vero de Chriſto fieri non poterat, qui perpetuo eſſet ſuperſtes. Significatui huic convenienter *Galenus κατὰ τόπους* dixit *ἀπαράβατον δύναμιν*, pro *ἀδιάπτωτον*, quod *Stephanus* monuit. Cetera recte idem *Elsnerus* ex antiquitate, præeunte *Ezech. Spanhemio* ad Callimachum in Pallad. v. 34. p. 563. obſervat, apud gentes quoque more receptum fuiſſe, ut dignitas Sacerdotalis a parentibus ad liberos transmitteretur. Ita *Hermogenes* Partit. cap. 6. *νόμος*, ait, *τοὺς παῖδας τῶν πατέρων διαδέχεσθαι.* *Lex erat, ut Parentum ſacerdotia liberi conſequerentur.*

Verſ. 25. *Ὅθεν καὶ σώζειν εἰς τὸ παντελὲς δύναται κ. τ. λ.* ] Vide *J. Schmidii* diſſert. de altera parte officii Sacerdotalis, quæ eſt interceſſio. Argentorati 1646. & *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. lib. II. cap. 3. §. 13. & Tom. V. lib. XII. cap. 7. §. 4. ſqq.

*τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ* ] Placent *Vitringæ* ad h. l. cogitata in de Synagoga vetere, cap. VI. Prolegom. pag. 67. Per *Chriſtum* accedere ad DEUM, inquit, *phraſis eſt deſumta ab Iſraelitis, quibus indultum non erat, munera ſua alio modo ad DEUM ferre, quam per Sacerdotes. Hac vero relatione & conſideratione omnes fideles, etiam ipſi fidelium Paſtores & ductores,* conſi-

*conſiderantur ut gregarii Iſraelitæ. Sed quod admirandum eſt, alio rurſus reſpectu omnes fideles N. T. cenſentur deſignati eſſe per Sacerdotem Maximum, quando per ſacrificium Chriſti concipiuntur jus poteſtatemque conſecuti eſſe cum libertate & fiducia ingrediendi Sanctum Sanctorum, h. e. absque ullo impedimento vi conſummatæ obedientiæ Chriſti recta accedendi ad thronum gratiæ divinæ.*

Verſ. 26. τοιοῦτος γάρ ἡμῖν ἔπρεπεν ἀρχιερεὺς κ. τ. λ. ] Hoc & ſequens comma illuſtrat *Jo. Georg. Neumannus* in diſputat. de Pontifice Novi Teſtamenti Wittebergæ 1699. & *Amelius* I. der Erörterung pag. 127. Ex Reformatis autem *Jo. Braunius* in diſputat. de ſanctitate & perfectione Summi Sacerdotis JESU Chriſti, Groningæ 1689. & *Godofredus Jüngſtius* de Chriſto Sacerdote altiore cœlis facto, Bremæ 1710. Ex Pontificiis *Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tom. V. lib. II. cap. 14. §. 6. Paucis his verbis ad plura V. T. loca reſpici, ultimam vero phraſin commatis ad divinitatem Chriſti firmandam egregie adhiberi poſſe, recte monet *J. C. Schwarzius* ad Olearium de Stilo N. T. pag. 151.

ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κ. τ. λ. ] Lege de his & ſequente commate fuſe diſſerentem *Jo. Braunium* in Selectis Sacris lib. III. pag. 292. ſqq. & *Grotium* Tom. III. Operum pag. 333. Confer etiam quæ de Pontifice Summo V. T. habet *Seldenus* lib. II. de Succeſſione in Pontificatum Hebr.

κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν ] Sacerdotem V. T. variis modis a populo Iſraelitico, inprimis antem Feſto Expiationis, ſegregatum fuiſſe, oſtendit doctiſſimus *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 963. ſq.

καὶ ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος. ] Vide, & expende, quæ huc afferunt *Nic. Gurtlerus* in diſſert. de JESU Chriſti gloria apud Patrem in cœlo §. 139. & *F. A. Lampius* in Exercit. III. ad Pſalmum. XLV. §. 18. p. 131. *Schœtgenius* l. c. ita accipit, ut Chriſtus ipſe DEUS dicatur.

Verſ. 17. Ος οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν ] Diſſenſus eſt inter Interpretes, quid per καθ' ἡμέραν, & quale ſacrificium h. l. intelligatur. Diverſas eorum ſententias lege expoſitas a doctiſſimo *J. G. Lakemachero* in Obſervatt. Philologic Parte I pag. 162. Multi de quotidiano munere accipiunt, de quo *Levit.* VI. 20. præcipitur. Inter hos eſt B. *Neumannus* diſſert. citata. In eandem ſententiam B. *Daſſovius* in diſſertat. I. de emphaſi Sacrar. Vocum pag. 39. ex *Maimonide* probat, Summum Sacerdotem quotidie munus in ſartagine coctum partim mane, partim veſperi, pro ſuis peccatis obtuliſſe, idque præter juge illud ſacrificium quotidianum ex publico fiſco datum in holocauſtum. Idem ſentit B. *Starckius* ad h. l. Plerique de ſacrificio, die Expiationis facto, de quo

Digitized by Google

quo *Levit.* XVI. exponunt. His vero obſtare videtur formula *καθ' ἡμέραν*, quæ alias, ſubintellecto *ἑκάστην*, *quotidie* ſignificare conſuevit. Illi itaque poſt *ἡμέραν* ſubintelligunt *τεταγμένην*, *ſtatum definitum*, ſicut *Joh.* V. 4. *κατὰ καιρὸν* ſtatutum quoddam tempus infert. Alii vero per *ἡμέραν* reſpici putant ad Judæorum phraſin, per quam ille expiationis dies יומא *Joma κατ' ἐξοχὴν* vocatur. Ita rem exponit *Lackemacherus* loc. cit. pag. 166. & Rev. *Zeltnerus* in gloſſa ad Verſionem B. Lutheri vernaculam. Ingenioſe hoc & erudite dicitur. Neque tamen aſſentiri adhuc poſſum. Phraſis *καθ' ἡμέραν* nunquam alio ſenſu, quam pro *quotidie* adhibetur. Plene illa utitur *Paulus* ſupra cap. III. v. 13. *ἀλλὰ παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν.* Nec aliter infra cap. X. v. 11. *Καὶ πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ' ἡμέραν λειτουργῶν, καὶ τὰς αὐτὰς πολλάκις προσφέρων θυσίας*, ubi quotidianum illud miniſterium ſtatim per ſacrificia crebro repetita explicatur. Porro locus *Joannis* allatus non efficit, ut *τεταγμένον* poſt *ἡμέραν* ſubintelligere poſſimus. Nam *κατὰ καιρὸν* per ſe opportunum atque adeo ſtatum tempus infert. Itaque in quotidiano illo munere, de quo primo loco dixi, acquieſcere malim, etiam ideo, quod Apoſtolus ſanctitatem Pontificis noſtri opponit impuritati Pontificum Vet. Teſtam. quæ tanta fuerit, ut expiatione quotidiana indigeret.

Verſ. 28. *Ὁ νόμος γὰρ ἀνθρώπους καθίστησιν ἀρχιερεῖς ἔχοντας ἀσθένειαν* ] Ex poſtrema phraſi *Joannes Braunius* in Selectis Sacris efficere conatur, Chriſtum forma elegante præditum fuiſſe, cum omnis deformitas ortum habeat ex peccato. Hanc in rem *Sandiſii* quoque Iter affert, quo is teſtatum reliquerit, Judæos orientales tradere, inſignem formam, quam Dominus noſter vivus præ ſe tulerit, etiam mortuo adfuiſſe. Lege cum lib. III. Selectorum Sacrorum pag. 327.

*υἱὸν εἰς τὸν αἰῶνα τετελειωμένον* ] Vide ſupra ad verſ. 9.

# CAPUT VIII.

VErſ. 1.-3. illuſtrat B. *Abraham. Calovius* in Diſſertatione de Seſſione S. Pontificis JESU Chriſti *θεανθρώπου* ad dextram DEI. Wittebergæ 1662.

Verſ. 1. *Κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις* ] *Caterum eorum, qua dicimus, hac ſumma eſt*, ut *Beza*; vel *ſummatim dicendo* ut *Eraſmus Schmidius.* Sic etiam B. *Lutherus. Hombergius* mavult: *quod vero caput præcipuum & maximum eorum, qua diximus.* At Cl. *Elsnerus* pag. 355. oſtendit, utrumque ſenſum adeo ſibi non opponi debere, ut alter potius alterum ſecum ferre cenſendus ſit. Sic *Iſocrates* in Nicocle pag. 90. *κεφάλαιον τῶν εἰρημένων*, *caput*, ſive, *ſumma dictorum. Themiſtius* Orat. de pace pag. 130. *κεφάλαιον τοῦ παρόντος λόγου.* Vide ibi plura. Ceterum *Oecumenius* per *μέγιστον*, & *Theophyla-*

*ophylactus* per μέγιςον κ̀ συνεκτικώτερον explicant. Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 94. *Photius* in Lexico MS. κεφάλαιον· ἐπιλαμβάνεται ( lege λαμβάνεται ) ἐπὶ ἐπιγράμματος, κ̀ λόγυ, κ̀ ἀργυρίυ. Varias alias vocis hujus acceptiones diligenter ediſſerit *Joannes Crojus* in Obſervationibus Sacris pag. 44.-59. Ne quid ego diſſimulem, per κεφάλαιον præcipuum momentum indicari videtur, quod antecedentibus addi, & inprimis obſervari mereatur. Id innuit præpoſitio ἐπὶ qua Scriptores alias non video uti, ubi vel *ſummam*, vel *caput* rei aut argumenti ſimpliciter innuunt. Tunc enim dicunt κεφάλαιον τῶν εἰρημένων, vel λεγομένων. Summa quoque proprie eſt repetitio eorum, quæ ante dicta ſunt, brevior. Jam vero in hoc capite aliquot afferuntur argumenta pro dignitate Sacerdotii Domini noſtri, quorum ante non facta erat mentio, & quæ rem penitus conficiebant. Hæc allaturum ſe nunc ait Apoſtolus, tanquam colophonem tractationi antecedenti impoſiturus. Recte in hanc ſententiam *Olearius* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 24. *Κεφάλαιον itaque ἐπὶ τοῖς λεγομένοις apud Apoſtolum noſtrum eſt* caput rei, poſt hucusque dicta adhuc perſequendæ, *quod nempe in iis poſitum ſit, quæ ſequuntur. Quod Sacerdos nobis ſit, cujus λειτυργία cæleſtis, & plane ſingularis, qui non ſit nudus homo de terra, & terrenus, ut Aaron, ſed Dominus de cælis.* Lege etiam Cl. *Schœtgenium* pag. 966. & *Jacobum Cappellum.*

ὃς ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ ] Vide ad cap. I. v. 3. Poſt δεξιᾷ, πλευρᾷ vult intelligi *Altingius* in Heptade Diſſertationum pag. 115. a Tomo V. Operum. *Beza* & *Eraſmus Schmidius* vertunt: *qui conſedit*: dilute, judice *Hombergio*, cui placet: *qui ſedet.* Si phraſin ipſam reſpicias, verti debebat: *qui ſe collocavit.* Ex re vero conſequitur ſeſſio ipſa, eaque perpetuo continuanda, quod etiam forma aoriſti infert. Spectat huc, quod legitur in *Sohar chadaſch* fol. 41. 3. ad Pſalm. CXXXIII. 2. *Intelligitur Summus Sacerdos in cœlo, dexter Regi, Sacerdos in æternum.* Vide hæc & ſimilia apud *Schœtgenium* pag. 966.

In hoc & ſequenti commate ſingularem elegantiam & gravitatem dicendi recte obſervat *A. Blackwall* Tom. II. Claſſicorum Sacrorum pag. 47.

Verſ. 2. Τῶν ἁγίων λειτυργὸς, καὶ τῆς σκηνῆς τῆς ἀληθινῆς ] Τῶν ἁγίων λειτυργὸς eſt *ſanctuarii miniſter.* Illud Hebræis קדש dicitur, quod οἱ LXX. per τὰ ἅγια exponunt. Hinc ſtatim commemoratur ἡ σκηνή. Sanctuarium & tabernaculum illud verum comparari poteſt cum illo, quod R. *Blieſer* in *Sohar* ad Sect. *Pinchas* fol. 89. col. 364. Iſraëlitis ante moſcholatriam a DEO paratum, poſtea in cœlo retentum, tandem vero tempore Meſſiæ manifeſtatum iri ait. Vide locum in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. pag. 1086.

ἣν ἔπηξεν ὁ Κύριος ] *Herodotus* lib. VI. pag. 385. σκηνὰς πηξάμενοι ἐν τῇ νήσῳ, *tentoriis in inſula defixis.* Vide *Raphelium* pag. 624.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 4. *Εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ᾽ ἂν ἦν ἱερεὺς* ] Senſus eſt, ſi in terra tantum fuiſſet, nec ſanctuarium illud cœleſte, peracto ſacrificio, ingreſſus eſſet, non fuiſſet Pontifex *ille*, nempe verus & unicus, ad Melchiſedeci exemplum promiſſus, ſed ſimilis ceteris, Pontificibus, vel Sacerdotibus, qui in terra tantum ſecundum inſtitutum Leviticum miniſterio ſuo funguntur.

*ὄντων τῶν ἱερέων* ] Vox poſterior deeſt in tribus Codicibus, nec expreſſa eſt a *Vulgato*, quod cauſæ ſatis viſum eſt *Millio*, cur in Prolegomenis illam ex margine in contextum relatam crederet. Ea vero omnino opus eſt, cum alioquin opoſitio inter Pontificem Summum & Leviticos illos Sacerdotes non ſatis appareat; ut taceam, hoc modo ſubjectum deſiderari orationis, de quo non ſolum *τὸ προσφέρειν* accipiendum eſt, ſed ad quod verſ. 7. pertinet: *οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσι.*

Verſ. 5. *Οἵτινες ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ λατρεύουσι τῶν ἐπουρανίων* ] *Qui exemplari & umbræ deſerviunt rerum cæleſtium.* Hic locus inprimis obſtat *Spencero*, in erudito quidem, ſed falſiſſimo præjudicio ſuperſtructo, opere de Legibus ritualibus Hebræorum, inſtituta illa ceremonialia ad omnia alia abripienti, quem proinde recte diſſentientes contra ipſum urſerunt. Vide v. c. *Carpzovium* ad *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum pag. 45. ut alios omittam.

*καθὼς κεχρημάτισαι Μωσῆς* ] *ſicut divinitus edoctus eſt Moſes.* Vide de hoc verbo ad *Matth.* II. 12.

*κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι* ] Notandus hic eſt locus R. *Bechai* in Legem fol. 104. 1. *Certe fieri non potuit, ut Moſes omnia iſta ſecundum illam figuram efformaret, quæ ipſi in mente oſtenſa eſt: ibi enim vidit res intellectuales & ſpirituales* הדברים שכליים ורוחניים, *hic vero mandatum ipſi eſt, ut res corporeas faceret.* Ex his intelligitur, Magiſtrum illum fabricam & ſtructuram Moſis pro tali habuiſſe, quæ ſpiritualia quidem, ſed ita, repræſentaret, ut, quod figuræ ipſi deeſt, mente perſpici, & ex re ipſa ſuppleri debeat. Vide locum & alia huic ſimilia apud *Schœtgenium* pag. 967. ſq. Recte hic obſervat *Calovius*, vocem *δειχθέντα* eſſe emphaticam, neque adeo ſimplicem *oſtenſionem*, ſed *declarationem* rerum, quas typus ille ſpectabat, inferre, ex qua Moſes intellexerit, quodnam ſit verum illud tabernaculum & ſanctuarium, quisque verus ille Sacerdos? De hac vi verbi *δεικνύειν* diximus ad *Matth.* IV. 8. *Τύπος* reſpondet voci Hebraicæ תבנית, *Exod.* XXV. 40. Ita *Epictetus* Enchirid. cap. 40. *τάξον τινὰ ἤδη χαρακτῆρα σεαυτῷ καὶ τύπον, ὃν φυλάξεις. Præſcribe jam tibi formam quandam, & exemplar, quod obſerves.* Locum Paulinum cum *Exodi* XXV. 40. diligentius confert *Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 120.

Verſ.

Verſ. 6. Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τέτευχε λειτυργίας, κ. τ. λ. ] Verba hæc & quæ inde usque ad verſ. 13. leguntur, ſingulari diſſertatione perſecutus eſt *Godofredus Hoſmannus*, Theologus quondam Tubingenſis, diſſertationibus variis, de melioribus Novi Teſtamenti promiſſionibus, quæ Tubingæ an. 1717. & ſequentibus lucem viderunt. Confer *Joannis Franciſci Buddei* Diſſertationem de prærogativis fidelium Novi præ fidelibus Veteris Teſtamenti, & *Godofredi Olearii* Obſervationes ad Matth. XI. 12. pag. 336. ſqq. ubi, poſtquam generalia de Teſtamentis expoſuerat, & inprimis oſtenderat, fundamentum primarium utriusque Teſtamenti in eo conſiſtere, quod fideles Novi Teſtamenti promiſſionem in Veteri Teſtamento datam per Chriſtum vere acceperint, fundamenta majoris in Novo Teſtamento παῤῥησίας ediſſerit, atque ea denique ſubjungit, quæ hinc ad illam παῤῥησίαν accedant, hinc ex ea conſequantur; ut ſic appareat, quænam κρείττονες ἐπαγγελίαι ſint, quas Paulus h. l. Novo Teſt. vindicat. Conſtat, Reformatos Doctores, & inprimis *Coccejanos*, in diſcrimine conditionis fidelium utriusque Fœderis exponendo multos fuiſſe. Conſtat vero etiam, eos hinc inde illam Vet. Teſtam. nimis diminuiſſe, atque adeo non ſine habito delectu, in hoc argumento conſuli poſſe. Cum vero hæc ad noſtros cancellos non admodum ſpectent, ſuffecerit commemorare ſeptem defectus Veteris Teſtamenti, quos in Novo ſublatos feliciter eſſe ſtatuit *Witſius in* Oeconomia Fœderum IV. 12. pag. 619. Præter enim ſalutis cauſam nondum conſummatam ibi ait exſtitiſſe obſcuritatem, rigorem, ſervitutem cerimonialem, ſpiritum ſervitutis ad timorem, parciorem gratiæ menſuram extenſive & intenſive, ac denique ſitim melioris conditionis. Compara *Hermanni Venema* Diſſertationes Sacras lib. II. cap. I. & ſequentibus, ubi de Fœdere externo Veteris Teſtamenti diſſeritur.

ϗ κρείττονός ἐστι διαθήκης μεσίτης ] Vide ſupra ad cap. VII. 22.

ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται ] *quod præſtantioribus promiſſis ſancitum eſt.* Vide ſupra ad cap. VII. 11. Per Hebraismum hic τὸ ἐπὶ additum eſſe videtur *Paſori*, in quem propterea recte animadvertit M. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 290. Sicut enim ἐπὶ non eſt pleonaſticum; ita apud Scriptores exſtant loci, in quibus, ſi latine reddantur, eadem præpoſitio redundare poſſit videri. Vide eos loc. cit.

Verſ. 8. μεμφόμενος γὰρ αὐτοῖς λέγει ] *Nam incuſans eos inquit.* Ita recte *Beza* & *Erasmus Schmidius*, vocem μεμφόμενος ad αὐτοῖς referentes, quod & olim fecit *Chryſoſtomus.* Μέμφεσθαι vero dandi caſui jungi, *Herodoti* aliquot locis oſtendit *Raphelius* pag. 625. Ita lib. VI. pag. 414. bis: μεμφόμενοι τοῖσι Ἀθηναίοισι, & μεμφόμενος τοῖσι Αἰγινήτῃσι.

Ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται κ. τ. λ. ] Conferunt hæc cum *Jerem.* XXXI. 31. ſq. *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 625. ſq. & *Richardus Kidderus* in Demon-

monſtratione Meſſiæ Parte II. pag. 267. ſqq. Cave tibi a *ψευδερμηνείᾳ Grotii*, quam etiam adverſus *Rivetum* repetit Tom. III. Operum pag. 733. In hac ſcilicet itidem, ut alias *ἰυδαΐζει*, quod a *Calovio*, ut alios taceam, eſt oſtenſum: recentiores enim Judæi inſignem hanc prophetiam ad omnia alia detorquere variis modis conati ſunt. Vide Cl. *Schœtgenium* in Horis pag. 968. ſq. qui tamen etiam ex *Peſikta* in *Jalkut Schimoni* locum affert, unde patet, veteres Judæos de עתיד לבוא, h. e. *futuro tempore*, ſeu Novo Teſtamento, hic cogitaſſe.

Verſ. 9. *Ου κατὰ τὴν διαθήκην, ἣν ἐποίησα, κ. τ. λ.*] Lege ad h. l. *Guſſetium* in Veſperis Groninganis pag. 334. ſq. & in Commentariis de Lingua Hebr. rad. בעל. C. 1. E. 2. Ex noſtratibus autem Rev. *Henricum Scharbau* Parte III. Parergorum Philologico-Theologicorum pag. 194. ſqq. qui inprimis, ut & ceteri illi, de eo commentatur, quomodo in hoc comnrate verba ultima: *κἀγὼ ἠμέλησα αὐτῶν*, quod *οἱ* LXX. etiam habent, comparari poſſint cum Hebraicis: ואני בעלתי בם, quod vertendum videtur: *& ego dominatus ſum in illos. Hackſpanius* quidem in Sylloge Diſputationum pag. 590. ait: *quod dixit Propheta per interrogationem, illud reddidit cum* LXX. *Apoſtolus per negationem, illi aequivalentem, vel potius in illa contentam. Nam qui adhibet modum interrogandi, fortius negat, ut, qui dicit*: Egone tecum maneam, *vult dicere*: minime tecum manebo. Alii *τὰς* LXX. legiſſe putant געלתי, ut *Jacobus Cappellus* ad h. l. & *Ludovicus Cappellus* in Critica Sacra: alii vero בחלתי, quod *Surenhuſius* loc. cit. ab ipſo potius Apoſtolo repetit, & cum altero illo permutatum eſſe exiſtimat. Rectiſſime vero illi ſentire videntur, qui verbum בעל, ubi cum ב jungitur, in malam partem ſumi, idemque quod בחל, i. e. *faſtidire, aſpernari*, eſſe arbitrantur, præeunte R. *Joſ. Kimchi* apud *Davidem* filium ad h. l. & ad *Jerem.* III. 14. qui ad Arabiſmum etiam provocat. Id amplectitur *Pocockius* ad Portam Moſis pag. 7. ex noſtratibus vero *Friſchmuthus* Diſſertat. de Fœdere novo cap. I. §. 24. *Starckius* in Notis Selectis ad h. l. Rev. *Scharbau* loc. cit. & noviſſime doctiſſimus *Schœtgenius* pag. 970. Eadem eſt ſententia auctoris Prolegomenorum ad Vol. III. *τῶν* LXX. Interprett. edit. Grabianæ Propoſ. VII. §. 27. & fere *Whiſtoni* in Conatu contextum Veteris Teſtamenti reſtituendi pag. 325. quamvis idem, more ſuo, in corruptelam, contextui Hebræo illatam, ſtatuendam magis inclinet. Compara etiam *Wilhelmi Wall* Notas Criticas ad Novum Teſtamentum pag. 308. nihil tamen definientis.

Verſ. 10. *Οτι αὕτη ἡ διαθήκη, ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ισραὴλ*] Vide præter *Surenhuſium* & *Kidderum* ll. cc. *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* Parte II. cap. 97.

*διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν*] Dictio hæc *ἑβραΐζειν* fere viſa eſt *Vorſtio* in Philologia Sacra Part. I. pag. 133. Præter rem. Similiter enim *Xenophon* Cyropæd VIII. pag. 167. *ὁ μὲν οἱ Θεοὶ δόντες εἰς τὰς ψυχὰς τοῖς ἀνθρώ-*

 *ποις*,

*ποις, quod quidem Dii hominum animis indiderunt.* Et *Plato* in Charmide p. 475. *Καὶ ὅγε ἐξ ἀρχῆς ἐτιθέμεθα σωφροσύνην εἶναι, τὸ εἰδέναι, ἅτε οἶδε, καὶ ἃ μὴ οἶδε, μὴ ἀποστερήσωμεν, ἀλλὰ δῶμεν, ſed indamus, ſed implantemus.* Vide locos hos apud Cl. *Georgium* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 105.

*καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτὰς* ] Ita *Philo* pag. 17. Operum : *γραψάμεναι ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς.* Confer. ad *Rom.* II. 15. Prærogativam, quæ hac phraſi indicetur, explicat *Godofredus Olearius* ad Matthæum pag. 359.

Verſ. 11. *Καὶ οὐ μὴ διδάξωσιν ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ* ] Quomodo hæc accipienda ſint, adeo ab Interpretibus diſputatur, ut quatuordecim diverſas ſententias, quarum tamen nonnullæ a ſe invicem fere non diſcrepant, enarrare potuerit B. *Joannes Fechtius* in Epimetro V. ad Diſſertationem Theolog. Jo. Breueri de Teſtamentis divinis, Roſtochii 1705. Octo ex veteribus & recentioribus affert *Mich. Manduit* Diſſertatione ſingulari Gallica, quæ exſtat Tomo. II. Analyſeos epiſtolarum Pauli pag. 600 - 616. in quas omnes poſtquam animadverterat, tandem ſe ſibimet ipſi non ſatisfacere candide profitetur. Difficultas in eo poſita eſt, quod hodienum non minus, quam in Veteri Fœdere, inſtitutio hominum mutua locum inveniat. Optime illi res inſtituere videntur, qui non *ſimpliciter*, ſed *comparative*, hoc ita dici cum B. *Dorſcheo* arbitrantur. Senſus fuerit, quemque non tantum ſuum fratrem, civem aut proximum doctorum eſſe, ſed cognitionem Domini tam late propagatum iri, *ut plena futura ſit terra cognitionis Domini, ſicut aquæ, mare obtegentes*, Jeſ. XI. v. 9. Confer *Starckium* ad h. l. Qui hujus vaticinii implementum ad regnum millenarium referunt, illi petunt principium, & aliquid præſtruunt, de quo cum maxime diſputatur; iidem vero ad certum tempus adſtringunt, quod ab Apoſtolo ad tempora Novi Teſtamenti in univerſum æque accommodatur, ac remiſſio peccatorum reſpectu Chriſti perpeſſi locum in eo habet, de qua v. 12. præcipitur.

*ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ* ] Multi Codices pro *πλησίον* habent *πολίτην*, quod etiam apud LXX. quos in ceteris hic ſequitur Paulus, exſtat. *Millius* nihil ad h. l de ſuo monuit, eo vero audacior Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani in contextum recipit, quaſi ignoraret, Apoſtolum hinc inde ab Interpretibus illis recedere. Sic paulo ante *οἱ* LXX. habent *διδοὺς δώσω*, pro quo Paulus ſimpliciter *διδούς*.

*ὅτι πάντες εἰδήσουσί με* ] Amplitudinem illam & copiam cognitionis DEI tempore Novi Teſtamenti, ſeu in diebus Meſſiæ, exſpectare etiam jubent Judæi. Sic in *Sohar Chadaſch* fol. 42. 3. *Diebus Meſſiæ renovabitur notitia in mundo, & lex illuſtrabitur apud omnes, quod dicitur* Jerem. XXXI. 33. Vide hæc & alia apud *Schœtgenium* pag. 970. ſq.

*ἀπὸ*

*ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν* ] Quintuplicem Hebraiſmum in una hac phraſi videre ſibi viſus eſt *Vorſtius* Parte II. cap. 25. initio, & cap. 27. fine p. 118. Rectius vero omnes idoneis veterum locis amolitur Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 269. Idem ex parte etiam præſtat *Horatius Vitringa* in Animadverſionibus ad Vorſtium pag. 235. & *Thomas Hutchinſonus* ad Xenophontis Cyropædiam lib. V. pag. 391. qui ſpeciatim oſtendit *τὸν μικρὸν* & *μέγαν* non ad ſtaturam, ſed conditionem reſpicere, quo ſenſu a *Xenophonte* etiam loc. cit. uſurpatur. Confer nos ad *Actor.* VIII. 10. Inprimis in hac phraſi vindicanda diligentem ſe præſtat M. *Georgius* loc. cit. pag. 310. Signum enim univerſalitatis affirmativum *πᾶς* ſuas ſibi ſpecies junctas habet v. c. apud *Platonem* in Lyſide pag. 501 *ἅπαντες ἡμῖν ἐπιτρέψουσιν Ἕλληνές τε καὶ βάρβαροι, καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες*, & lib. IX. de Legibus: *αὐτὸν περὶ πάντων νομοθετῆσαι, σμικρῶν τε καὶ μεγάλων*. Similiter in ſignis univerſalitatis negativis apud *Platonem* in Apologia Socratis pag. 15. *ὧν ἐγὼ οὐδὲν, οὔτε μέγα, οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω, quarum ego rerum nibil neque magnum, neque parvum ſcio.*

Verſ. 12. *Ὅτι ἵλεως ἔσομαι ταῖς ἀδικίαις αὐτῶν* ] Similiter fere *Ariſtanetus* II. epiſt. 13. *οὕτως ἵλεως εἴη μοι Ἀφροδίτη*, & *Achilles Tatius* V. pag. 331. *ἵλεως γένοιο*, obſervante *Jo. Alberti.*

Verſ. 13. *Ἐν τῷ λέγειν καινὴν, πεπαλαίωκε τὴν πρώτην* ] Vide B. *Chriſtophori Sontagii* Diſſertationem de Novantiquo DEI cum hominibus Fœdere, *Altorfii* 1692. Ita paſſim Judæi: *Abolitum eſt nomen prius, ut obtineret poſterius.* Lege *Chagiga* fol. 3. 2. & *Mechilta* fol. 15. 2. apud *Schœtgenium* pag. 971.

*τὸ δὲ παλαιούμενον καὶ γηράσκον ἐγγὺς ἀφανισμοῦ* ] Voce *ἐγγὺς*, ſubjuncto gignendi caſu, utitur etiam *Ælianus*, obſervante *Alberti*, Var. Hiſtor. XII. cap. 1. *ἐγγὺς ἰσοτιμίας εἶναι.*

Cl. *Elſnero* reſpici hic videtur ad Judæorum conſuetudinem, qui attrita uſu volumina & vetuſtate lacerata movere ex hominum conſpectu & terra condere ſolebant: quam in rem legi jubet *Vitringam* Synagog. Vet. lib. I. Part. I. cap. 10. pag. 202. & *Wagenſeilium* ad Sota pag. 310. Vereor ego, ne ritus ille, a R. *Aſcher* conſtitutus, illa Pauli ætate multo ſit recentior, & ab illis temporibus repetendus, quibus ſuperſtitio totam Judæorum gentem ſibi obnoxiam reddiderat. Taceo, Apoſtolum hic argumentari ex loco Prophetico v. 8. allegato, qui certe alluſionem ejusmodi non admittit. Ceterum opus eſt monere, *τὸ πεπαλαίωκε* idem h. l. eſſe, quod *antiquatum pronunciavit.* De phraſi *παλαιούμενον καὶ γηράσκον* lege etiam *Andreæ Schotti* Adagialia Novi Teſtamenti ad h. l.



Digitized by Google

# CAPUT IX.

AD caput hoc totum legatur *Hermannus Witſius* in Miſcellaneis Sacris lib. II. Diſſertat. I. p. 394. ſqq. ubi Sacerdotium Chriſti cum Sacerdotio Aaronico comparatur: item *Joannis Jacobi Mülleri* Diſputatio, de qua Nova Literaria Germaniæ an. 1707. pag. 429. tum vero *Henrici Guiſardi* Vindiciæ Teſtamentariæ, ſive Confutatio *Philipp. Codurci*, Genevæ 1656.

Verſ. 1. *Εἶχε μὲν ὖν ἡ πρώτη σκηνὴ*] *σκηνὴν* Codices varii & Verſiones quoque omittunt: nec habet *Chryſoſtomus*, qui potius poſt, *ἡ πρώτη*, in commentario ſubintelligi vult *διαθήκη*. Hinc *Millius* non dubitat *σκηνὴν* ex ſequentibus irrepſiſſe tum ad loc. tum in Prolegomenis §. 886. quæ & *Braunii* ad h. l. eſt ſententia. Recte vero illi contrariatur *Whitbius* in Examine pag. 35. obſervans, exſtare *σκηνὴν* etiam apud *Chryſoſtomum* de Die Natali Domini Tomo V. edit. Morellian. pag. 472. nec minus apud *Theodoretum* & *Oecumenium*. Idem quoque in Annotationibus ad h. l. Anglice editis rem amplius urget. Ait enim, Apoſtolum in antecedentibus, ex mutato Sacerdote & Sacerdotio oſtendiſſe, quod inſtituta Judæorum Levitica e medio ſublata ſint; jam vero idem ſuſcipere probandum ex conſideratione Tabernaculi, tanquam umbra rerum futurarum. Addit præterea, contextum Apoſtoli requirere *σκηνῆς* mentionem, ideo, quod mox *σκηνὴν*, ſeu *tabernaculum* illud in duas dividat partes, quarum altera *Sanctum*, de quo verſ. 2. altera *Sanctum Sanctorum*, de quo verſ. 3. ſit appellata. Illa partium commemoratio poſtulat omnino, ut totius ædificii mentio ante facta eſſe credatur. Hoc ſenſu Rev. *Zeltnerus* in Notis ad Verſionem Lutheri Germanicam verſ. 2. & 3. parentheſi includi vult, ut ſic Apoſtolus duobus illis commatibus generalem tantum tabernaculi deſcriptionem dediſſe exiſtimetur, quemadmodum verſ. 4. præcipua cultus Levitici inſtrumenta enarret. B. *Gothofredus Olearius* in Analyſi ita: *Bene ſe habet σκηνὴ: nimirum λειτεργίαν prioris σκηνῆς excellentiſſimam fuiſſe in præcedente capite fuit monſtratum: jam igitur cum ea ſpecialius comparat τὴν λειτεργίαν, vel, ut hic vocat, λατρείαν σκηνῆς κοσμικῆς. Quid quod, ut mox videbimus, in ſequentibus per* partes *σκηνὴν delineet,* Sanctum *primum, & deinde* Sanctum Sanctorum *ob oculos ponens: totam itaque antea nominari par erat.* Addidero his, quod infra verſ. 8. itidem *σκηνὴ ἡ πρώτη* diſerte commemoretur, quemadmodum h. l. *ἡ πρώτη* ideo dicitur, ut opponatur *τῇ σκηνῇ τῇ ἀληθινῇ*, de qua cap. VIII. 2. quæque ita inpoſterum exhibenda erat vere, quemadmodum prior illa tempore, inſtar typi anteceſſit. Tenenda igitur hæc lectio eſt, quæ ſubintelligenda ex verſ. 2. fuerat, etiamſi non diſerte expreſſa fuiſſet. Sic non deſunt editiones vetuſtæ, in quibus *ἡ πρώτη* ſimpliciter legitur. Inter eas ſunt *Eraſmi* tres & *Baſileenſis*. Eas, vel potius *Vulg.* qui itidem non habet, ſecu-

tus

tus eſt B. *Lutherus* in verſione. Omiſit etiam *Beza* & ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius*, qui fere miratur, quomodo in *Argentoratenſem*, quæ Eraſmi verſionem junctam habet, irrepſerit; ac noviſſime editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani.

*δικαιώματα λατρείας*] *conſtitutos ritus cultuum*, ut *Eraſmus Schmidius*, vel, *conſtitutos religionis ritus*, ut *Beza*: vel, *conſtitutiones ad cultum pertinentes*, ut *Jac. Cappellus*. Sic & B. Lutherus, Rechte des Gottes-Dienſtes. Reſpondet vox *δικαιώματα* Hebraicis חוקות, מצות vel משפטים, quas ſcilicet *οἱ* LXX. per *δικαιώματα* reddere conſueverunt. *Olearii* judicio in Analyſi pag. 27. ita accipi poſſit phraſis, ac ſi diceretur *λατρεία δικαία*, quomodo *μωρία κηρύγματος*, *περισσεία τῆς χάριτος* explicari ſoleat, ita ut *λατρεία δικαία* ſit cultus, cui ſua ſit integritas & perfectio, qua ſe probare hominibus poſſit, tanquam divinitus conſtitutus, & gloria ſua conſpicuus. Non dubito ego, præſtare priorem expoſitionem. Hoc enim ſenſu vox *δικαίωμα* alias occurrit v. c. *Luc.* I. 6. *δικαιώμασι τοῦ Κυρίου* *Rom.* I. 32. *δικαίωμα τοῦ Θεοῦ*. II. 26. & VIII. 4. *τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου*, nec non infra v. 10 *δικαιώμασι σαρκός*. In harum phraſium nulla *δικαίωμα* pro adjectivo haberi poteſt. Non probem etiam, qui *δικαιώματα* & *λατρείας* tanquam duas voces diſtinctas & in accuſandi caſu poſitas conſiderari cupiunt. Nuſquam video vocem illam ſine genitivo poſitam, & ipſa phraſis *δικαιώμασι σαρκὸς* IX. 20. exponit, quæ illa *δικαιώματα λατρείας* fuerint, nempe *σαρκικά*.

*τό, τε ἅγιον κοσμικόν*] B. *Olearius* l. c. pag. 26. voces *τό, τε ἅγιον κοσμικὸν* proxime jungi vult vocibus *ἡ πρώτη σκηνὴ*, a quibus ad exemplum aliorum Scriptorum in ſerie orationis ſint divulſæ, ut ſic *σκηνὴ πρώτη*, ſeu tabernaculum prius, tanquam viſibile & *κοσμικὸν*, opponatur *τῇ ἐπουρανίῳ*. Et ſane, ſi vox *σκηνὴ* hic teneatur, quod fieri debere oſtendimus, fieri non poteſt, ut per *ἅγιον κοσμικὸν* ipſum illud ſanctuarium, tanquam tabernaculo illo contentum, æque ac *δικαιώματα λατρείας*, intelligamus, cum tabernaculum dici non poſſit ſe ipſum complecti. Supereſt itaque, ut per *ἅγιον* intelligamus vaſa illa ſacra totumque apparatum Leviticum, tabernaculo illo comprehenſum. Atque hoc fieri recte poteſt, cum Apoſtolus mox eorundem diſertam mentionem faciat, ſicut etiam ad *δικαιώματα λατρείας* i. e. inſtituta & præcepta cultus vaſa illa, quorum ope perfici debebant, proxime ſpectant. Confer in hanc ſententiam *Seb. Schmidium* & *Starckium*. Hoc *ἅγιον* vocatur *κοσμικὸν*, *mundanum* ſeu *terreſtre*, atque adeo corruptibile, ſeu interitui & exitio obnoxium. Quo ſenſu ejusmodi inſtituta *στοιχεῖα τοῦ κόσμου* appellantur *Galat* IV. 3. ubi vide, quæ ſcripſi. *Hombergius ἅγιον κοσμικὸν* interpretatur *Sanctum ornatum*, vel, quod in ornatu conſiſtebat, inſtrumentis ſcilicet ad tabernaculi cultum ſpectantibus. Recte autem monuit *Lamb. Bos* pag. 246. *κοσμικὸς* ſignificare *mundanum* à *κόσμος mundus*, & *κόσμιος elegantem* à *κόσμος ornatus*, quemad-

admodum λογικὸς eſt *rationalis* a λόγος, *ratio*, λόγιος autem *diſertus*, à λόγος, *oratio*. Idem vero *mundanum* ait vocari, tanquam oppoſitum τῇ ἐπουρανίῳ *cœleſti*, quæ & plerorumque eſt ſententia. Patres fere eo referunt, quod omnibus in aditum in illud patuerit. Vide *Svicerum* Tom. II. pag. 147. Coſmas Indopleuſtes in Topographia ſua nomen inde repetit, quod mundi imaginem præ ſe tulerit. Conf. *Fabricii* noſtri Bibliothec. Græc. lib. III. pag. 609. Vocem κοσμικὸν Judæos civitate ſua donaſſe ex *Bereſchith Rabba* Sect. XXIX. fol. 19. 4. oſtendit *Schœtgenius*.

Verſ. 2. Σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη ἡ πρώτη.] Ita *Curcellæus* & plerique omnes interpungunt. At *Beza* & *Eraſmus Schmidius* ita: σκηνὴ γὰρ κατεσκευάσθη. ἡ πρώτη, &c. Ille huic interpunctioni convenienter vertit: *tabernaculum fuit: prius quidem*, &c. hic autem: *tabernaculum enim erat* bipartite *exſtructum*: *anterius quidem* &c. Utram interpungendi rationem ſequaris, neceſſe eſt, ut vocem πρώτη hic alio ſenſu accipias, quam quo v. 1. exſtat. Ibi enim ſi σκηνὴν legas, indicat *tempus*, quo tabernaculum conſtitutum fuit, hic vero *locum*, quem anterior pars tabernaculi occupavit. Huic enim v. 3. opponitur poſterior, nempe Sanctum Sanctorum: quemadmodum v. 6. diſertius πρώτη σκηνὴ diſtinguitur à δευτέρᾳ v. 7. Quod ad phraſin ſpectat, *Xenophon* Cyropæd. II. pag. 35. σκηνὰς κατεσκεύασε dixit.

ἐν ᾗ ἥτε λυχνία καὶ ἡ τράπεζα κ. τ. λ.] De his momentis exponunt Antiquitt. Hebraicarum Scriptores, quos nunc non moramur. Vide v. c. *Relandi* illas pag. 34. ſqq.

καὶ ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων] *& propoſitio panum*. Hypallage hebraizans hæc viſa eſt *Paſori*, & aliis, pro qua Græce dicendum fuerit ἄρτοι προθέσεως, ut apud *Matth.* XII. 4. & *Lucam* VI. 4. Vide tu Cl. *Georgii* Vindicias N. T. ab Hebraiſmis pag. 107. ſimilem ex *Thucydide* lib. IV. §. 126. afferentem, καὶ γὰρ πλήθει ὄψεως δεινοὶ καὶ βοῆς μεγέθει ἀφόρητοι, *etenim ipſi aſpectu multitudinis ſunt terribiles & clamoris magnitudine intolerabiles*, ubi πλήθει ὄψεως poſitum eſt pro ὄψει πλήθους.

ἥτις λέγεται ἅγια] Ita *Curcellæus*, quaſi neutrum plurale eſſet. Plerique & ſcripti & editi Codices habent ἁγία, in forma ſingulari generis fœminini. Pro altera illa lectione præter editionem Complutenſem duos tantum Codices, nec non *Chryſoſtomum*, *Theophylactum* & *Theodoretum* afferre potuit *Millius*, qui propterea communiorem illam tuetur. Eandem expreſſit etiam B. *Lutherus*. Fœmininum pro Neutro per Hebraiſmum h. l. poſitum agnoſcit *Eraſmus Schmidius*, ſine σολοικοφανίᾳ tamen, cum ex V. T. allegatione id omne pendeat. Interim nusquam video à τοῖς LXX. τὴν ἁγίαν pro τῷ ἁγίῳ vel τοῖς ἁγίοις poſitum eſſe. Malim ego legere ἅγια in genere neutro. Quemadmodum enim poſterior & ſanctior pars tabernaculi v. 3. vocatur ἅγια ἁγίων, ita neceſſe eſt, ut prior hic vocetur ἅγια. Cur alii ἁγία legerint, ex eo

Digitized by Google

eo natum videtur, quod ἥτις antecedit, & articulus τὰ ante ἅγια non exſtat. Id vero morari neminem debebat. Mirum eſt, *Jo. Clericum* ex hoc loco argumentum ducere potuiſſe, epiſtolam hanc non à Paulo, ſed à Græculo aliquo, exaratam fuiſſe, qui neſciverit, Sanctuarium ab Hebræis non ἅγια, ſed ἅγια ἁγίων appellatum fuiſſe. Atqui non de Sanctuario, ſeu poſteriore tabernaculi parte, ſermo eſt, ſed de priore, quæ à τοῖς LXX. frequenter τὸ ἅγιον vel τὰ ἅγια vocatur. Ita v. c. *Exod.* XXVI. 33. καὶ θήσεις τὸ καταπέτασμα ἐπὶ τῶν ςύλων, καὶ εἰσοίσεις ἐκεῖ ἐσώτερον τοῦ καταπετάσματος τὴν κιβωτὸν τοῦ μαρτυρίου· καὶ διοριεῖ τὸ καταπέτασμα ὑμῖν ἀναμέσον τοῦ ἁγίου, καὶ ἀναμέσον τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων. Vide, an non Apoſtolus ad h. l. inprimis reſpiciat, qui v. 3. τοῦ δευτέρου καταπετάσματος faciat mentionem.

Verſ. 3. Μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα ] Ex hoc intelligitur, utrumque aulæum tabernaculi duobus velis munitum, quod ad aditum, atque adeo illud exterioris καταπέτασμα πρότερον, interioris vero δεύτερον, appellatum fuiſſe. In Hebræo prius illud Hebr. פרוכת & à LXX. καταπέτασμα, poſterius מסך & ab his ἐπίσπαςρον vocatur. Vide *Exod.* XXVI. 33. & XXXVI. 33. *Philo* tractatu περὶ θυόντων ſimiliter ἄδυτον ἔσω τοῦ προτέρου καταπετάσματος commemorat.

σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων ] Ita Codd. in univerſum omnes. Et vel ſic tamen M. *Jo. Chriſtian. Herzogius* in diſſert. de certitudinis Hermeneuticæ in N. F. auxiliis §. 21. legi vult ἁγία τῶν ἁγίων in genere fœminino, ideo, quod Exod. XXVI. 33. 34. & *Levit.* XVI. 2. 3. cum in Hebr. tum in Græco ſingularis numerus occurrat. Enim vero apud τοὺς LXX. ἁγία in fœminino genere nusquam in hoc argumento occurit: at iidem nunc ἅγιον nunc ἅγια de tabernaculo adhibent. Hic vero etiam ἅγια pro neutro habendum eſſe vel ex eo patet, quod ſequens τῶν ἁγίων omnino in eodem genere poſitum credi debet.

Verſ. 4. Χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον κ. τ. λ. ] Ad hoc comma lege ex noſtratibus Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Tom. II. num. 47. pag. 422. edit. prioris, & poſterioris, auctioris, pag. 555-586. *Theophil. Alethæum* Tom. V. der Erläuterung pag. 102. ſq. *Feſſelium* Tom. II. Adverſariorum p. 91. *Schickardum* de Jure Regio Hebr. cum notis Carpzovii pag. 28. *Daſſovium* de ingreſſu Summi Pontificis in Sanctum Sanctorum §. 21. & *Andr. Sennertum* in diſput. de iis, quæ fuerunt in Arca fœderis Witteberg. 1680. Adde *Guil. Saldenum* in Otiis Theologic. pag. 250. ſq. & *Witſium* Miſcellan. Tom. I. pag. 445. ſqq.

Verſ. 4. χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον ] *aureum habens thuribulum.* Quid per illud thuribulum intelligendum ſit, & quomodo illud ſanctuarium interius habuiſſe dicatur, Interpretes diſſentiunt, de quibus *Seb. Schmidius* inprimis legi poteſt. Sunt, qui illud de altari thymiamatis accipiunt. Inter hos eſt *Jo.*

*Ludov.*

*Ludov. de la Cerda* Adverſarior. cap. LXXXI. pag. 112. ideo quod illud magni inſtar thuribuli fuerit & concavum, ſolumque ignem ad comburenda aromata continuerit; deinde, quod Paulus illius altaris alias non meminerit; denique, quod *θυμιατήριον* proprie notet *fumigatorium*, quo nomine (*θυμιατήριον*) Joſephus ipſe III. 7. Antiquitt. altare hoc vocet. At merito miratur *Adrian. Relandus* in de Spoliis templi Hieroſolymit. pag. 120. id quenquam affirmare poſſe. *Thuribulum* ſcilicet *aureum* intelligi debet, quo Pontifex Max. die Expiationis uſus eſt. Vide hanc in rem *Deylingium* l. c. qui formam ejus exhibet, & M. *Jo. Juſti Sonneſchmidii* diſputat. de thymiaterio Sanctiſſimi, ubi inprimis differentia thuribuli quotidiani, & alterius, cujus uſus in Sanctiſſimo tantum erat, oſtenditur, Wittebergæ 1723. noviſſime autem *Jo. Georg. Michaelis* obſervationem, quæ in Muſeo Bremenſi Vol. I. Parte I. pag. 1. ſqq. exſtat. Hic vero inprimis quæritur, quomodo ſanctuarium dici poſſit *habere* illud thuribulum ſeu acerram æque ac arcam, cum non niſi illo die expiationis in eo exſtiterit, poſtea in conclave ceterorum vaſorum ſacrorum à Pontifice reportatum. Plerique itaque non tam ratione *loci*, quam *uſus*, *τὸ ἔχειν*, *habere*, dici exiſtimant, inter quos eſt *Schmidius*, & *Starckius*. Alii autem id non ſufficere rati, ex eo phraſeos rationem repetunt, quod Apoſtolo ſermo potiſſimum ſit de iis rebus, quæ in adyto interiori fuerint Feſto Expiationis. Jam vero dum hoc agebatur, thuribulum illud perpetuo aderat, nec niſi peractis ſolemnibus aſportari ſolebat. Vide in hanc ſententiam *Deylingium* l. c. p. 433. & *J. G. Michaelis* l. c. fuſius pag. 27.

*καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης*] De arca hac lege *Jo. Buxtorfii* Exercitatt. ad hiſtoriam Arcæ Fœderis, *Jo. Bened. Carpzovii* diſputat. quæ inter Academicas ejus eſt prima, & *Olavi Celſii*. Upſal. 1727. *Jo. Spencerum* originem ejus male a ciſtis gentium ſacris diſſ. V. de Legibus Hebræorum ritualibus repetiiſſe oſtenderunt *J. H. Majus* in Diſſertatt. Selectis num. II. pag. 79. ſqq. & *Witſius* in Miſcellan. Sacris Tom. I. lib. II. diſſ. I. §. 65. ſqq. Vocem *κιβωτὸς* explicat *Caſaubonus* ad Theophraſti Characteres cap. 10. & differentiam ejus à *κίστη* *Lamb. Bos* ad Thomam Magiſtrum pag. 24.

*ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ κ. τ. λ.*] Quæ in arca recondita fuerint, ex mente *Joſephi*, intelligi poteſt ex locis *Joſephi* hanc in rem a *J. B. Ottio* Tom. II. p. 307. Operum Joſephi ex edit. Havercampiana collectis. *Στάμνον* ſeu *urnam* B. *Lutherus* reddit Gelte, de qua voce lege *Stadenium* in Expoſitione vocum difficiliorum pag. 68. Vocis Græcæ ſignificatum, tum vero ipſius urnæ conditionem ex nummis explicat *Relandus* Diſſertat. II. de nummis Samaritanorum pag. 7. ſq. Adde *Ezech. Spanhemium* ad Ariſtoph. Ranas v. 22. & Plutum v. 545. nec non *Lamb. Bos* in diſſert. de Etymologia Græca pag. 40. ab *ἱστάμενος* derivantem. Urnam illam *in arca* ipſa exſtitiſſe negant nonnulli, eo quod 1 *Reg.* VIII. 9. tabulæ legis illa tantum reconditæ memorentur. Itaque alii alias conciliandi rationes

tiones inierunt, quas poſt *Deylingium* repetere nolim. Potiores videntur tres. Alii τὸ ἐν ᾗ referunt, non ad στάμνον, ſed ad σκηνήν. Inter hos eſt *Juriaus* in Hiſtoria Dogmatum & Cultuum Parte II. cap. 2. & *Zeltnerus* in gloſſa ad h. l. Id vero admitti vix poteſt, cum σκηνὴ illa dicatur ἔχουσα θυμιατήριον καὶ τὴν κιβωτὸν, quam ſequitur ἐν ᾗ &c. Jam vero, ſi Apoſtolus στάμνον in atrio illo exſtitiſſe dicere voluiſſet, propria & eidem alias recepta loquendi ratione procul dubio ſcripturus erat: στάμνον τε χρυσῆν ἔχουσαν τὸ μάννα. Alii τὸ ἐν ᾗ vertunt, *juxta quam*, nempe in capſa lateri arcæ adpoſita. Vide huc multos a *Starckio* ὁμοψήφῳ appellatos, iisque adde *Jo. Henr. Majum* in Obſervatt. Sacris Parte IV. pag. 102. *Hottingerum* ad Goodwini Moſen & Aaronem pag 343. *Stephan. Morinum* Diſſert. VIII. pag. 174. & fere *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 253. Hoc autem modo duplex præpoſitioni ἐν ſignificatus in eadem ſerie orationis tribui debebat, cum reſpectu tabularum legis *in*, reſpectu ceterorum antecedentium *juxta*, ſignificet; quæ loquendi ratio vereor ut exemplo ullo probari poſſit. Reſtat ſententia tertia, eorum ſcilicet, qui res omnes hic commemoratas Moſis ætate una cum tabulis legis arca illa reconditas fuiſſe aſſeverant. In hanc cauſam diſſerit inprimis B. *Georgius Eliezer Edzardus* in notis ad *Avoda Sara* cap. II. pag. 217. *Hoc ipſum*, ait, *Moſes docet, quando* Exod. XVI. 34. *&* Numer. XVII. 25. *narrat, urnam Manna & virgam Aaronis repoſitam fuiſſe* לפני העדות coram teſtimonio, *i. e. coram tabulis fœderis, quæ in arca erant. Non dicit* לפני הארון coram arca, *ſed coram* העדות coram tabulis teſtimonii. *Quæ phraſis utut adhiberi etiam queat de iis, quæ fuerunt coram tabulis Decalogi mediate, ſenſu tamen ſtrictiori illud notat, quod immediate coram illis fuit, ita ut nec aſſeres arcæ illud a tabulis Legis ſeparaverint, conſpectuique illarum ſubduxerint. - - Atqui* עדות *nusquam occurrit de arca, ſed ubique in Pentateucho Decalogum ſignificat. Imo contradiſtinguitur arcæ tanquam contentum illius* Exod. XX. 16. XXV. 21. XL. 20. Addit denique, loca 1 *Regg*. VIII. 9. & 2 *Chron*. V. 10. non obſtare. *Non enim*, inquit, *quid tempore Moſis in arca fuerit, vel non fuerit, definiunt, ſed, quid Salomonis ævo. Non de arca, intra tabernaculum Moſaicum conſtituta, loquuntur, ſed de arca à Salomone in Templum deducta. Paulus autem non de templo Salomonis diſſerit, ſed de tabernaculo per Moſen præparato. Hinc v. 2. unius tantum candelabri, uniusque menſæ meminit, cum in templo Salomoneo fuerint decem,* 1. *Regg. VII.* 49. 2 *Chron. IV.* 7. 8. *æque uti labra decem* 1 *Regg. VII.* 38. *cum in tabernaculo fuerit unum ſolum, Exod. XXX.* 18. Eadem eſt ſententia Relandi in Antt. Hebr. pag. 52. *Præter tabulas fœderis*, inquit, *nihil erat in arca tempore Salomonis*, 1 Regg. *VIII. 9. Antea credibile eſt, amphoram manna & virgam Aaronis quoque in ea fuiſſe, ſcilicet cum Arca toties mutaret locum in deſerto & terra Canaan, ante exſtructum Templum: quæ condito Templo fuerint exemtæ & juxta arcam collocatæ in Sancto Sanctorum.* Adſtipulantur *Deylingius* l. c. & *Schœtgenius* p. 973. Horar.

καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαςήσασα ] Hanc eandem cum baculo Moſis fuiſſe putant Judæi, & *Jo. Owenus* in commentario ad h. l. Sed vide *Witſii* Miſcellanea Sacra lib. I. diſſ. I. §. 87. qui & §. 89. monet, urnam æque ac virgam illam variis in locis ſpectandam exhiberi. Commenta quædam ex hac hiſtoria nata recitat *Elſnerus*.

καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης ] De tabulis legis & ceteris libris Sacris, in arca reconditis, diligenter diſſerit B. *Jo. Henr. Majus* in Diſſertationibus Selectis num. II. pag. 61-84. & *Huetius* in Demonſtratione Evangelica pag. 474.

Verſ. 5. ὑπεράνω δὲ αὐτῆς Χερουβὶμ δόξης ] De his alias dicemus, cum res longior ſit. Cur τὰ χερουβὶμ dicantur, diſquirit *Druſius* X. 21. Obſervatt. Sacr. qui ſubintelligi vult πνεύματα. Adde eundem ad difficiliora Exodi loca cap. XLIV. Δόξαν de divina præſentia accipit *Joſ. Mede* in Operibus pag. 345. & ſic Cl. *Schœtgenius* de Schechina, pag. 974. Horarum. De Cherubinis gloriæ ſingularis *Chriſtian. Frider. Heuslingii* diſputatio promittitur in Novis Literariis German. Lipſienſibus an. 1715. pag. 342.

κατασκιάζοντα τὸ ἱλαςήριον [ ſcilicet πῶμα, operculum, vel ἐπίθεμα, judice *Lamb. Bos*, de Ellipſi pag. 173. Vide ſupra ad *Rom.* III. 25. De Propitiatorio hoc erudita D. *Conr. Ikenii* diſſertatio exſtat Bremæ 1725. 4. Omitto nunc alios.

περὶ ὧν ἐςι νῦν λέγειν κατὰ μέρος ] Ita *Polybius* p. 81. περὶ ὧν ἐχ οἷόν τε διὰ τῆς γραφῆς τῶν κατὰ μέρος ἀποδοῦναι λόγον.

Verſ. 6. οἱ ἱερεῖς τὰς λατρείας ἐπιτελοῦντες ] *ritus cultuum obeuntes*, ut *Eraſm. Schmidius*; vel *ritus obeuntes*, ut *Beza*. Malim tamen *miniſterio ſacro fungentes*. Verbum ἐπιτελεῖν de ſacris potiſſimum ceremoniis adhiberi oſtendit *Raphelius* in Herodoteis p. 626. Ita lib. II. p. 116. ἄλλας τε θρησκείας μυρίας ἐπιτελέουσι, ὡς εἰπεῖν λόγῳ.

Verſ. 7. Εἰς δὲ τὴν δευτέραν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ] Similiter *Herodotus* lib. II. pag. 126. ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, *ſemel quotannis*. Subintelligendum hic eſſe ἑκάςου monet *J. C. Schwarzius* de Solœciſmis diſcipulorum Chriſti antiquatis p. 123. De illo Summi Pontificis ingreſſu in adytum annuo exponunt *J. A. Danzius* diſſertat. ſingulari Jenæ 1683. quæ recuſa eſt Tom. II. Theſauri Diſputatt p. 749. *Theod. Daſſovius* de ingreſſu in Sanctum Sanctorum Pontificis Hebr. Summi Witteberg. 1692. *Nicol. Mollerus* de ritibus Feſti Expiationis, Jen. 1689. & *Salom. Deylingius* Part. II. Obſervatt. Sacrar. pag. 139. ſq. Conſtat diſputari inter Interpretes, utrum Pontifex die illo anniverſario ſemel tantum, an quater, in adytum penetrarit. Poſterius Judæi communi conſenſu tradunt, quos præter laudatos plerique omnes ſequuntur. Prius interim poſt *Friſchmuthum* tuentur *Andr. Adamus Hochſteterus* in diſſert. de ingreſſu S. Pontif. in Sanctum

Sancto-

Digitized by Google

Sanctorum Tubing. 1709. & *Jo. Jac. Seiberfeld* in diſſert. ejusdem tituli, Witteberg. 1713. Nihil hactenus definit Celeb. D. *Conradus Ikenius* in diſſert. de Adſperſionibus Hebræorum pag. 110. Mihi quidem prior illa placet ſententia, quæ nec aſſertioni Paulinæ adverſatur. Is enim ingreſſum Pontificis anniverſarium opponit quotidiano Sacerdotum in adytum prius ingreſſui, quod fieri ſane poteſt, etiamſi eodem die repetitis vicibus in illud introiiſſe dicatur. Sufficit, id non niſi ſemel ſingulis annis fieri potuiſſe. Propterea v. 25. ſimpliciter dicitur κατ' ἐνιαυτόν. Accedit, Apoſtolum unius tantum ingreſſus meminiſſe, ut ſic cum introitu Chriſti in cœlum compararet. Confer *J. G. Michaëlis* in Muſeo Bremenſi Vol. II. pag. 21. ubi & adpoſitum R. *Bechai* locum ex commentar. in Pentateuchum affert, quo traditur, *Sacerdotem magnum miniſterio fungentem intra velum, in ſanctuario inferiori* ( דוגמא δεῖγμα ) *figuram fuiſſe miniſterii, facti in ſanctuario ſuperiori.* Confer in hoc argumentum *Relandi* Antiquitt. Hebraic. p. 468. ſq.

ὁ χωρὶς αἵματος ] Lege huc laudatam D. *Ikenii* diſſertationem de Adſperſionibus Hebræorum.

ὑπὲρ ἑαυτοῦ καὶ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων ] Ex voce poſtrema Sociniani colligunt, *peccata* tantum *ignorantiæ*, non item cetera graviora expiata tunc fuiſſe. Sed commune illud peccatis cujuscunque generis nomen eſſe, ex eo manifeſtum evadit, quod οἱ LXX. illo utuntur, ubi פשע *Pſalm.* XXV. & אשם *Geneſ.* XXVII. 10. interpretantur. Conf. *Tob.* III. 2. & 1 *Maccab.* XIII. 39. Aliam ex Hebræorum antiquitatibus rationem, cur hac voce uſus ſit Apoſtolus, promit *Ludov. Chriſtianus Miegius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. II. p. 591. ſq. quam ſuo loco legi velim, cum longius petita videatur.

Verſ. 8. Τοῦτο δηλοῦντος τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, κ. τ. λ. ] Vide *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. I. lib. X. cap. 23. §. 12. & Tom. V. lib. II. cap. 11. §. 2. *Jo. Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 29. 531. & 897. *Jo. van der Wayen* in Variis Sacris pag. 592. & *Anton. Hulſii* Specimina Theologiæ Hypotheticæ pag. 85. ſq.

Verſ. 9. Ἥτις παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα ] *Quod erat exemplar pro tempore illo præſenti.* Ita *Beza*, & alii. De tempore enim, quod tunc erat in V. T., ſub cultu Levitico, ſermonem eſſe, ea quæ mox ſequuntur, evincunt, ut de phraſi ipſa non dicam, de qua ſatis *Grotius*. Interim rectius videbitut Apoſtolus loqui de ſuo, quo hæc ſcribebat, tempore, atque adeo innuere, *hodienum* illum cultum inter Judæos receptum eſſe. Propterea in præſenti tempore ait προσφέρονται θυσίαι. Sic etiam v. 6. εἰσίασιν & verſ. 7. ὃ προσφέρει. Quam expoſitionem ſi ſequamur, patebit, epiſtolam hanc ante Templum Hieroſolymitanum deſtructum, cultumque Leviticum abolitum, h. e. ante A. C. LXX. ſcriptam eſſe. παραβολὴν *ſignum, typum, exemplar* inferre,



oſten-

oſtendit *Saldenus* in Otiis pag. 694. Idem eſt, quod ὑπόδειγμα VIII. 5. Conf. Patres apud *Svicerum* Tom. II. pag. 567.

*καθ' ὃν δῶρά τε καὶ θυσίαι προσφέρονται* ] *quo dona ſacrificiaque offeruntur.* Codd. pauci legunt καθ' ἣν, atque adeo referunt ad σκηνὴν, idque rectius videtur *Millio* in Prolegomen. §. 1047. Recens editor N. T. Græco-Anglicani in contextum recepit. Præferenda vero eſt prior illa, ut reſpiciatur ad καιρόν. Eo enim Apoſtolum oculos inprimis retuliſſe, patet ex v. 10. μέχρι καιρῦ διορθώσεως, quæ phraſis indicat, tempus tunc præſens futuro meliori opponi. Eadem dictione κατὰ καιρὸν utitur etiam alibi Scriptor ſanctiſſimus v. c. *Rom.* V. 6. & IX. 9. Confer. *Actor.* XII. 1. & XIX. 23.

*τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα* ] *ſanctificare cultorem*; ut *Beza* & *Eraſm. Schmidius.* Eſt vir doctus, qui vertat *luſtrare, purgare*, ſignificatu vocum τελετῶν & τετελεσμένα apud Græcos. Non inconvenienter quidem; ſed malim tamen *perficere.* Vide ad cap. VII. 19. & 21. Τελείωσις eſt conſequens potius ex luſtratione ſeu purgatione natum. Sic infra X. 1. lex dicitur τὺς προσερχομένυς per ſacrificia non potuiſſe τελειῶσαι, & v. 2. ratio additur ex eo, quod alioquin illa non debuiſſent repeti, quia offerentes ἅπαξ κεκαθαρμένοι non habituri fuiſſent peccatorum conſcientiam. Scilicet fideles V. T. vere *purgabantur* per ſacrificia oblata, quorum tamen vis & efficacia non ex ipſis, ſed ex perfecto illo, quod exſpectabatur, Pontificis veri ſacrificio pendebat. O λατρεύων non indicat h. l. Sacerdotem, ſed eum qui ſacrificia offerri pro ſe faciebat, ut juſtificaretur. Sic X. 2. λατρεύοντες dicuntur ἅπαξ κεκαθαρμένοι.

Verſ. 10. *Μόνον ἐπὶ βρώμασι καὶ πόμασι* —— *μέχρι καιρῦ διορθώσεως ἐπικείμενα* ] B. *Olearius* in Analyſi pag. 28. totum hoc comma ἀμέσως vult conjungi cum antecedente, hoc ordine: μὴ δυνάμεναι, κατὰ συνείδησιν, τελειῶσαι τὸν λατρεύοντα μόνον ἐπὶ βρώμασι, καὶ πόμασι, h. e. *quæ non poſſunt, quantum ad conſcientiam quidem, perficere eum, cujus cultus conſtet tantum in cibo & potu.* Idem vero pro ἐπικείμενα legi vult ἐπικειμένοις, quod in Marchionis Velezii codd. ſit obſervatum, referri autem ad vocem δικαιώμασι, quorum ſit τό ἐπικεῖσθαι. Eandem lectionem expreſſiſſe etiam videtur *Vulg.* ſenſu, quod *Eraſmus Schmidius* judicat, minime inepto. Amplectitur quoque *Starckius* pag. 68. Mihi tamen nec interpunctione mutata, nec nova illa lectione opus videtur. Apoſtolo hic ſermo eſt potiſſimum de δώροις & θυσίαις, *donis* & *ſacrificiis*, quibus ſcilicet ad juſtificationem eo tempore opus erat, quibusve Domini noſtri ſacrificium reſpondebat, & colophonem imponebat. De his θυσίαις duplex exſtat prædicatum. Alterum eſt, quod non potuerint perficere offerentem, μὴ δυνάμεναι τελειῶσαι, v. 9. alterum autem v. 10. quod tantum fuerint ἐπικείμενα μέχρι καιρῦ διορθώσεως h. e. *usque ad tempus directionis* ſeu emendationis *incubuerint* inſtar oneris. Prius illud *defectum* ſacrificiorum in ſe, poſterius vero *finem* eorum a DEO conſtitutum, qui etiam alias

in

in Scriptura innuitur, infert. Sic adeſt omnino ſubjectum, nempe *δῶρα* & *θυσίας*, ad quod vox *ἐπικείμενα* referri queat, quod dari poſſe negat *Olearius*. Utrumque vero participium, nempe *δυνάμεναι* & *ἐπικείμενα*, ad *θυσίας* & *δῶρα* ſpectare ipſa utriusque forma infert. *Δυνάμεναι* reſpicit *θυσίας*, *ἐπικείμενα* vero ſpectat ad *δῶρα*. Niſi cum *Eraſmo Schmidio* dicere malis: *Sicut antea δυνάμεναι referebatur ad propinquius θυσίας, ζευγματικῶς; ita ἐπικείμενα ad utrumque δῶρά τε καὶ θυσίας, συλληπτικῶς.* Porro efficaciſſime Apoſtolus poſterius illud prædicatum *ἐπικείμενα* deſcribit. Ut enim onus illud, ex impoſitis ſacrificiis natum, manifeſtius evaderet, eadem conjuncta fuiſſe ait *cum cibis & potionibus & diverſis ablutionibus, aliisque inſtitutis.* Hoc ſcilicet erat illud jugum, quod collis veterum erat impoſitum, quodque perferre non poterant *Actor.* XV. 10. Itaque *τὸ ἐπὶ* idem hic erit, quod *præter*, ut indicetur, ſacrificiis illis ſuperaddita eſſe cibos, potiones & alia inſtituta legalia. Hæc enim notio frequens eſt *τοῦ ἐπὶ* dativo juncti. Ita ſupra cap. VIII. 1. *κεφάλαιον δὲ ἐπὶ τοῖς λεγομένοις*, i. e. *præter dicta hoc palmarium eſt*, vel, *dictis palmarium hoc accedit*. Vide, quæ ibi ſcripſimus. Particulam *μόνον* non retulerim ad antecedens *λατρεύοντα*, ſed ad ultimam commatis phraſin *μέχρι καιροῦ διορθώσεως ἐπικείμενα* ut indicetur, ſacrificia illa *tantum* usque ad tempus illud directionis conſtituta fuiſſe.

*καὶ δικαιώμασι σαρκὸς*] Ex dictis eadem opera apparet, vocem *δικαιώμασι* non permutandam eſſe cum voce *δικαιώματα*, quam Codices aliquot exhibent, & *Millius* approbat in Prolegomenis §. 1355. Multo minus Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pro, *καὶ δικαιώμασι* exhibere in textu debebat *δικαιώματα*. Fraudi utrique fuit, quod non viderent, quorſum participium *ἐπικείμενα* pertineat. Quæ ſint illa *δικαιώματα σαρκὸς*, patebit ex iis, quæ diximus ſupra ad cap. VII. 16. ubi *ἐντολὴ σαρκικὴ* affertur. Hebræi מלך בשר ודם dicunt *Regem terrenum*, eumque DEO, Regi ſupremo, tanquam longe inferiorem, opponunt, quo ſenſu *δικαιώματα σαρκὸς* Hebr. dici poſſent משפטי בשר obſervante *Schœtgenio* pag. 974. Confer ad hæc verba, & catus expende *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 246. & 1604.

Verſ. 11-15. conſtituunt Sectionem epiſtolicam, quæ pro concione ſolet explicari. Eam omnem illuſtratam leges a *Franciſco Wokenio* in Stromatibus Apoſtolicis Parte I. pag. 144. ſq. Verſum 11. 12. & 14. illuſtrat *Nicolaus Gurtlerus* in ſingulari Diſputatione de Chriſti Pontificis apparitione in cœlo Francqueræ 1708.

Verſ. 11. *Ἀρχιερεὺς τῶν μελλόντων ἀγαθῶν*] *Μέλλοντα ἀγαθὰ* ſunt inprimis *bona Novi Teſtamenti*, quod ſingulari diſputatione oſtendit *Joannes Schmidius* ad h. l.

*διὰ τῆς μείζονος καὶ τελειοτέρας σκηνῆς, οὐ χειροποιήτου* ] Scriptores *χειροποίητον* vocant aliquid, opera arteque humana factum, idque opponunt illi, quod ſua ſponte naturave magiſtra fit. Ita vim vocis exponit, & locis veterum idoneis firmat *Elſnerus* pag. 360. Inter hos eſt *Porphyrius* de antro Nympharum pag. 254. *ἐπ αὐτοφυῆ, ἐπ' χειροποίητα*; & *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 1. *οὐκ ἀνθρωπίνης χειρὸς ἔργα, ἀλλὰ φύσεως αὐτόματα.* Latini *manu facta* dicunt.

*οὐ ταύτης τῆς κτίσεως* ] *non hujus ſtructuræ*, ut *Beza* & *Schmidius* : nempe non conditum opera humana, ut tabernaculum Leviticum. Ita LXX. *κτίζειν σκηνὴν Levit.* XVI. 16. Vide *Elſnerum.* Alias *κτίζειν Ἰταλίαν* & *κτίζειν πόλιν ἐν Ἰταλίᾳ* &c. de colonis in regionem aliquam, vel urbem delatis adhibetur. Lege *Scaligerum* ad Euſebium pag. 37. *Cuperum* III. 9. Variarum Obſervationum, & *Petrum Weſſelingium* pag. 208. Obſervationum. Latini dixerint *condere.*

Per tabernaculum illud alii *Eccleſiam*, alii *corpus* Chriſti intelligunt, quos recitat *Starckius* pag. 70. Præſtat prius, ceu oſtendit *Calovius*. Poſterius amplexus eſt *Jacobus Lydius* Syntagm. de re militari pag. 181.

Verſ. 12. *Οὐδὲ δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων κ. τ. λ.* ] Legantur *Grotius* Tom. III. Operum pag. 338. b. *Daſſovius* de Ingreſſu S. Pontificis in Sanctum Sanctorum, *Zeltnerus* in Hiſtoria Crypto-Socinifmi Altorfini p. 824. ſq. & *Chriſtophorus Sonntagius* de omittenda Miſſa Pontificia.

*αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος* ] *æterna redemtione nobis acquiſita*, ut *Eraſmus Schmidius*, vel, *æternam redemtionem promeritus.* Recte, ut ex ſequentibus patebit. *Æterna* dicitur ob ſummam perfectionem, cui nihil *unquam* addi poſſit, & ob perpetuum fructum, qui *nunquam* ſit ceſſaturus. Sic in *Midraſch Tillim* ad Pſalm. XXXI. obſervante *Cartwrighto*, גאולת שעה, *redemtio temporalis* opponitur גאולת עולם, *redemtioni æternæ*, allato loco *Jeſ.* XLV. 17. *Iſraël ſalvabitur in Domino*, תשועת עולמים, *ſalvatione æterna.* Confer *Scætgenium.*

Voces *λύτρωσις*, *λυτροῦν*, & his ſimiles explicat *Joannes Lomeierus* de Luſtrationibus Gentilium pag. 4. ſq.

*Εὑράμενος* in Aldina & Frobeniana edit. codice item Claromont. exprimitur per *εὑρόμενος*. Utraque vocis forma Græca eſt; quemadmodum enim, obſervante *Moſchopulo*, *εὕρασθαι* per ſyncopen dicitur ex *εὑρήσασθαι*; ita *εὑράμενος* ex *εὑρησάμενος*; fruſtra renitente *Phrynicho*, qui non *εὕρασθαι*, ſed *εὑρέσθαι* dici voluit. Vide contra eum *Budæum* in Commentariis Græcæ Linguæ pag. 161. & noviſſime cruditiſſimum *Joannem Alberti* pag. 429. Ita *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 17. *καὶ αὐτοὶ σωτηρίαν εὕραντο.* Verbum ipſum Latine verteris, *acquirere*, *mereri*, *impetrare.* Vide hanc in rem *Budæum* loc. cit. *Raphelium*

Digitized by Google

*phelium* in Herodoteis ad h. l. & ad Rom. IV. 1. & laudatum *Alberti* loc. cit. qui præterea monet, Latinos eodem ſenſu *invenire* dicere pro *adiſpici*. Ita *Tacitus* Annal. I. 74. *invenire aliis ac ſibi perniciem*, & *Juſtin.* XII. 8. ubi *Gravius* videri poſſit. Minus igitur aliquid, quam quidem phraſis poſtulat, dixit *Jacobus Cappellus*, quando vertit: *adeptus jus conferendæ redemtionis æternæ*. Id enim potius dicitur, Chriſtum, Pontificem noſtrum, æternam redemtioem promeruiſſe.

Verſ. 13. Ει γὰρ τὸ αἷμα ταύρων καὶ τράγων, καὶ σποδὸς δαμάλεως ῥαντίζουσα] Hoc & ſequens comma ex Hebræorum antiquitatibus illuſtravit *Daſſovius* in Diſputatione de Luſtrationibus Hebræorum, Wittebergæ 1692. Ad eadem ſpectat *Auguſtini Gerdes* Diſſertatio, Jenæ 1715. Confer D. *Conradi Ikenii* Diſſertationem eruditam de Adſperſionibus Hebræorum, Bremæ 1725. & *H. J. van Basbuyſen* de Aſperſione Sacra, nec non *Pauli Hulſii* illam de Aſperſione per hyſſopum pro ſpecimine methodi typicæ, Groningæ 1708. Dici hic poterat de typo Vaccæ Rufæ. Hoc vero argumentum egregie perſecutus eſt, Cl. *Andreas Chriſtophorus Zellerus* in Notis ad Maimonidæ Tractatum de Vacca Rufa Latine converſum, & Amſtelodami 1711. 8. editum. Adde *Danielis Lundii* Diſputationem de Vacca Rufa, Upſal. 1706. ſeptem plagulis editam, *Antonii Drieſſen* Exercitationes Academicas Groningæ 1720. quarum quarta de Juvencæ rufæ litera & myſterio exponit, & *Hieronymi Gvilielmi Snabelii* Amœnitates Theologiæ emblematicæ & typicæ pag. 288. ſqq. ubi de vacca rufa & juvenca, tanquam typo Chriſti. De aqua expiatoria, cineribus vaccæ rufæ mixta, ſpeciatim commentatur Rev. *Deylingius* Parte III. Obſervationum Sacrarum Obſervat. IX. qumadmodum de hyſſopo, ad perficiendam adſperſionem adhiberi ſolita, diſſerit *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 225. ſqq. quo etiam pertinet *Joannis Chriſtophori Wichmanshauſenii* Diſputatio de aſpergillo Hebræorum ſacro, & laudatiſſimi *Deylingii* Obſervatio de expiatione per hyſſopum facta Parte II. pag. 208. ſq. Quomodo magiæ ſuſpicionem ab hoc ritu amolitus ſit R. *Jochanan ben Saccai*, conſtat ex *Bammidbar Rabba* Sect. 19. fol. 238. 1. & *Tanchuma* fol. 70. Locum habes apud *Schœtgenium* pag. 975.

*πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα*] i. e. *ad externam puritatem*, quæ vitiata erat cadaveris aut ſepulcri contactu. Obſervandum hic eſt, *Baal Hatturim* ad Numer. XIX. ubi de vacca rufa, diſerte profiteri לעתיד, *tempore futuro*, i. e. tempore Meſſiæ, non futurum locum cineri vaccæ, ſecundum illud Hoſeæ: *abſorpſit mortem* &c. Vide præterea Rev. *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Sociniſmi Altorfini pag. 918. notis.

Verſ. 14. Πόσῳ μᾶλλον τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν] Pro *πνεύματος αἰωνίου*, Codices aliquot legunt *πνεύματος ἁγίου*, quod etiam habet *Chryſoſtomus*, & expreſſit *Vulgatus*, ejusque exemplo

emplo B. *Lutherus* noſter. *Millius* recte pro interpretamento ex margine adſcito habet, quem tamen Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani præter morem adeo deſeruit, ut vocem ἁγίου in contextum reciperet. Perperam vero hoc factum eſſe recte monet *Leonhardus Twells* in Examine Critico illius editionis, Parte I. pag. 45. inter cetera obſervans, in commentario imperfecto in epiſtolam ad Hebræos, qui inter *Ambroſii* opera hodie legatur, quique fere verſionem commentarii Chryſoſtomi ſiſtat, legi diſerte *per ſpiritum æternum*, eo in loco, ubi hodie apud *Chryſoſtomum* exſtat διὰ πνεύματος ἁγίου, quod recte interpretatur argumentum, in exemplaribus commentariorum Chryſoſtomi olim utramque lectionem obtinuiſſe. Non puto dubitandum, lectionem ἁγίου ab illis profectam eſſe, qui non ſatis perſpicientes, quid per πνεῦμα αἰώνιον h. l. intelligi debeat, & conſuetæ phraſeos, πνεῦμα ἅγιον, memores, hanc illius loco commodiſſime ſubſtitui poſſe ſibi perſuadebant. Itaque tenenda eſt lectio αἰωνίου, ab antiquiſſimis verſionibus, nominatim *Syriaca*, vel vetuſtiſſimis optimæque notæ libris firmata, vel ideo, quod meliorem ſecum fert ſenſum, quam in altera illa ἁγίου continetur. De Spiritu Sancto accipi volunt nonnulli, (inter quos eſt ex noſtratibus B. *Dorſcheus* in Diſputatione de Spiritu Sancto, Vindiciis Exodi ſubnexa §. 14. ſqq.) atque illo quidem ſenſu, quod ejus impulſu Dominus noſter ſe ipſum DEO obtulerit. Præter Scripturam vero & ſine idoneis argumentis ita ſtatui poſt *Sebaſtianum Schmidium*, *Calovium*, alios, Rev. *Chriſtianus Gottlieb Kochius* ſingulari diſſertatione ad h. l. diligentiſſime oſtendit, in Bibliotheca Lubecenſi Vol. VII. pag. 361. ſqq. legenda. Rectius intelligitur per πνεῦμα αἰώνιον *divina* Chriſti natura, quam alias quoque πνεῦμα appellari, ubi ſimul humanæ naturæ mentio fit, patet ex *Rom.* I. 4. 1. *Petr.* III. 18. & 1 *Timoth.* III. 16. Vide eundem *Kochium* pag. 381. ſqq. ubi poſtquam hunc ſignificatum voci vindicaverat pag. 396. ad exceptiones, quæ fieri poſſint, reſpondet, ac denique pag. 403. ſq. fructus hujus expoſitionis enarrat. Lege in eandem ſententiam *Olearium* pag. 30. *Schætgenium* pag. 976. *Spenerum* de Deitate Chriſti pag. 420. & 541. & *Starckium*, tum vero *Vitringam* l. IV. Obſervationum Sacrarum cap. XV. §. 9. qui præſtantiorem Chriſti naturam, h. e. divinam intelligit, per quam humanam inſtar ſacrificii Chriſtus obtulerit. Simpliciter poterat dici διὰ πνεύματος eodem ſenſu; at vocem αἰώνιος Paulus ideo addidiſſe videtur, ut reſpectus haberetur, ad λύτρωσιν αἰωνίαν ante commemoratam, ſicut verſ. 15. αἰωνίου κληρονομίας fit mentio. Ita *Barnabas* cap. 6. epiſtolæ ſuæ: αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἔμελλε σκεῦος τοῦ πνεύματος προσφέρειν θυσίαν. Confer præterea *Trilleri* Examen locorum quorundam verſionis B. *Lutheri* pag. 309. ſqq. itidem pro voce αἰώνιος pugnantis, qui hoc nomine caſtigandus non erat *Schœnlandio* pag. 285. Vindiciarum, quemadmodum *Pfeifferus* in ſuis ad illum Trilleri libellum obſervatis optimam hanc eſſe lectionem recte affirmat. Interim vox heilig in omnibus, quas vidi, Verſionis Biblicæ vernaculæ editionibus exſtat, niſi quod D. *Joachimus Langius* im Apoſtoliſchen Licht und Recht pro illa ewig excudi fecit.

Ad

Digitized by Google

Ad ceteras hujus commatis phraſes lege *Daſſovii* Diſputat. I. de Emphaſi Sacrarum Vocum pag. 41.

Verſ. 15. Καὶ διὰ τῦτο διαϑήκης καινῆς μεσίτης ἐςὶ ] Inſpicias *Grotium* de Satisfactione Chriſti Tom. III. Operum pag. 326. b. & *Joannem Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 902. & Tom. II. pag. 710.

Verſ. 16. Οπυ γὰρ διαϑήκη, ϑάνατον κ. τ. λ. ] *Joannes Clericus* ad Annotationes Hammondianas h. l. cavillari auſus eſt Sacrum Scriptorem, *meros luſus hominis helleniſtæ ſibi videri viſus, qui, quia videbat, διαϑήκην dici id pactum, cujus Chriſtus mediator eſt, quæ vox teſtamentum quoque ſignificabat, &, mortuum eſſe Chriſtum, hinc conſectaria duxerit, vera quidem illa, ſi in ſe ſpectentur, ſed ex infirmis principiis deducta potius ad ornandam orationem, more illius ævi, quam ad incredulos Judæos vi ratiocinatiois ad fidem, Chriſto habendam, adducendos.* Eadem chorda, more ſuo, oberrat Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Hujus vero inſolentiam retudit *Leonhardus Twells* in Examine ejus Critico Parte II. pag. 64. ſq. quemadmodum profanam *Clerici* Criticam caſtigavit Cl. *Oederus* Parte I. Bibliothecæ Theologicæ Selectæ pag. 200. ſqq. in Diſſertatione de Senſu Sacræ Scripturæ myſtico, quæ una cum Centuria Conjecturarum ejus recuſa eſt. Scilicet uterque eorum Scriptoris Sacri ſapientiam potius ſublimiorem agnoſcere h. l. & prædicare debebat, quam de ignorantia quadam & ingenii luſu cogitare. Ab eo enim aperitur conſilium illud divinum, cujus in antiquo Fœdere, quod Hebræi ברית, LXX. autem διαϑήκην vocant, reſpectus habitus fuit, fore nempe, ut fœdus illud antiquum morte JESU, non ſolum qua Mediatoris, ſed & Teſtatoris in Novo firmaretur & perficeretur. Hoc certe ſubindicabant omnia illa ſacrificia, quibus Vetus Teſtamentum erat ſuperſtructum. Ex quo factum eſt, ut nonnulli *fœdus* illud *teſtamentarium* vel *Teſtamentum fœderale* appellarent. Ipſa quoque vox ברית id innuiſſe non præter rem videtur. Eam enim repetere poſſumus ab Hebr. ברה, quatenus *ſcindere, ſecare, ferire* infert. Vide hanc in rem *Cocceji δωδεκαπροφήτων* in *Hagg.* fol. 454. & *Carpzovii* diſſertat. I. de Arca Fœderis cap. II. §. 3. Jam fœdus illud gratiæ antiquum non conſtabat ſine ſangine atque adeo morte victimarum. Multo minus itaque fœdus gratiæ novum conſtare poteſt ſine morte Mediatoris. Atque huc tendit argumentatio Paulina, quæ locum habebit, ſive de *fœdere*, ſive de *teſtamento* cogites. Afferam, quæ *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebraicæ pag. 149. non inepte diſſerit. *Paulus*, inquit, Hebr. IX. 16. 17. *διαϑήκην ſumit pro Teſtamento. Sed occaſione ſumta ex ſuæ vocis Græcæ διαϑήκης ambiguitate, id ferente, quippe Teſtamentum perinde ac Fœdus ſignificante; ſed id non deducit a* ברית *Ebraica. Nec ſi illud, quod eſt Fœdus, interdum comperiatur eſſe Teſtamentum, inde conficias,* ברית *vocem utrumque reſpectum ſignificare. Porro Apoſtolus ibi nondum in verſ. 15. Evangelium ſpectans ut Teſtamentum, quia Mediator non habet partes ſuas agendas in Teſtamento,*

*to, ſed ut Fœdus, obſervat, ejus Mediatorem talem eſſe debuiſſe ac fuiſſe, ut non tantum contrahentes conciliaret, ſed etiam offenſas, ab una parte alteri illatas, morte ſua expiaret. Ac ex iſto facto eo adductus fuit, ut doceret, eſſe in Evangelio perfectiones non modo Fœderis, ſed etiam Teſtamenti, nempe confirmationem per mortem, & JESUM non tantum Mediatoris, ſed etiam Teſtatoris locum implere; hac autem expreſſit alluſione eleganti ad utramque ſignificationem vocis* διαϑήκης, *non* ברית *quæ una gaudet, ut videmus. Hanc obſervationem ubi verſ.* 16. & 17. *ſub alluſione iſta fecit, tum verſ.* 18. *redit ad ſignificationem* διαϑήκης, *quæ erat in verſ.* 15. & ἡ πρώτη *illuc reſpicit, & ſenſus eſt, quandoquidem in Evangelio confirmatio fœderis fit non per mediationem tantum, ſed etiam per mortem, ideo (* ὅϑεν inquit) *id repræſentatum fuit in priori Fœdere per effuſionem ſanguinis victimarum. Sanguinis autem victimarum illarum effuſio non poteſt dare* τῇ πρώτῃ *priori Fœderi naturam Teſtamenti. cum non ſint teſtatrices, nec* βεϐαιότητα, *quia* ἡ πρώτη *prius illud Fœdus non fuit* βέϐαιον *juxta VIII.* 13. *Nec eſt vice mortis Chriſti; eſt enim mera* σκιὰ, *nec digna eſt, quæ vocetur* εἰκὼν *illius, nedum, ut ejus vice ſteterit.* Hæc, etiam longiora deſcribere operæ pretium duxi, quod divinam Apoſtoli ἀγχίνοιαν in majore luce collocant. *Danielis Whitbii* judicio ad h. l. dici quoque poſſit, non neceſſe eſſe, ut Chriſtum hic tanquam *teſtatorem* repræſentari exiſtimemus, cum ut *mediator* conſiderari queat. Quamvis enim διαϑεμένου fiat mentio, id fraudi eſſe non poteſt, quia διατίϑημι *Phavorinus* per ὑπισχνοῦμαι & συντίϑεμαι, *promitto, & paciſcor*, explicat, ſicut & οἱ LXX. διαϑήκην διαϑέσϑαι dicunt. Confer. *Actor.* III. 25. Sed, ne quid diſſimulem, mentio mortis, quæ τὸν διαϑέμενον reſpicit, dubitare nos non ſinit, Apoſtolum de Chriſto, ut teſtatore, hic cogitaſſe. Ceterum ex hoc ſignificatu vocis διαθήκη patet, epiſtolam hanc non Hebraica, ſed Græca Lingua ſcriptam eſſe. Hebraicum enim ברית per ſe nunquam Teſtamentum infert, ſicut nec διαθήκη per τοὺς LXX. ſed *fœdus*.

θάνατον ἀνάγκη φέρεσϑαι] Ita ἀνάγκη abſque verbo ſubſtantivo frequenter adhibetur ab *Herodoto*, v. c. lib. II. 129. τεϑνάναι ἀνάγκη, *mori neceſſe eſt.* Verbum φέρεσϑαι plerique vertunt per *intercedere*. *Hammondus* vero illud ſenſu forenſi accipi mavult, quaſi dicas, *in medium afferri & probari coram judicibus mortem teſtatoris neceſſe eſſe*, tanquam ſine qua Teſtamentum ratum non ſit futurum. Adplaudit illi doctiſſimus *Elsnerus* pag. 361. allatis variis veterum locis, quemadmodum *Actor.* XXV. 7. αἰτιάματα φέρειν, & *Joh.* XVIII. v. 26. κατηγορίαν φέρειν dicitur.

Verſ. 17. διαθήκη γὰρ ἐπὶ νεκροῖς βεϐαία] *Bertramus* in Lucubrationibus Franckthalenſibus cap. VIII. ita: *Teſtamenta non aliunde vires aſſumunt, quam ex eo, quod teſtator mortuus ſit;* ſubjicit enim, *ea nondum valere, quum vivit teſtator. Hanc noſtram*, ita pergit, *interpretationem probat Syrus Interpres, qui legiſſe videtur* mortuum, *non* mortuos. *Porro, ſi quis mallet,*

*mallet illas voces interpretari*, Teſtamentum enim poſt mortuos ratum eſt; *quaſi eo loci præpoſitio ἐπὶ ſonare poſſit* poſt, *ut aliquando apud Græcos hanc habet acceptionem, illi libenter adjungerem illud*, 1 Corinth. XIV. 16. quomodo dicturus eſt Amen poſt tuam gratiarum actionem *i. e. quomodo ſubjecturus eſt tuæ gratiarum actioni vocem* Amen, *qua teſtatur ſuum in illam conſenſum*? Alterutrum horum amplecti malim, quam cum aliis interpretari, *in morte*, vel, *ſuper mortuis*, h. e. ſuper iis, qui moriuntur & commoriuntur Chriſto, quæ *Sebaſtiani Schmidii* eſt expoſitio.

Verſ. 18. Ὅθεν ἐδ' ἡ πρώτη χωρὶς αἵματος ἐγκεκαίνισαι ] Lege B. *Joannis Franciſci Buddei* Meditationes Sacras, Jenæ 1725. a M. Joanne Davide Leonhardo editas, pag. 21. ſqq. Adde *Altingium* de Schilo lib. V. cap. 16. Tom. V. Operum pag. 134. ſqq. & *Witſium* in Oeconomia Fœderum pag. 290.

Verſ. 19. Λαληθείσης γὰρ πάσης ἐντολῆς κατὰ νόμον κ. τ. λ. ] In his cum narratione Moſaica conciliandis occupantur *Surenhuſius* in βίϐλῳ καταλλαγῆς pag. 630. ſqq. & *Richardus Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Anglice edita, Parte III. pag. 144. ſqq. ubi Judæi alicujus, de pugna Moſis & Pauli mire gloriantis, exceptionibus reſpondetur. Omnia, quæ huc pertinent, in ſummam retulit, & ad liquidum perduxit Celeb. *Conradus Ikenius* in Diſſertatione de Adſperſionibus Hebræorum pag. 58. ſqq. Scilicet hircorum & vitulorum hic mentio eſt, apud Moſen autem juvencorum tantum. Porro aqua ſanguine hic mixta dicitur, tum lana coccinea & hyſſopus, ac denique liber legis, tanquam ſanguine conſperſus memorantur, de quibus omnibus altum apud Moſen ſilentium eſt. Jam laudatus *Ikenius* obſervat generatim, Apoſtolum hæc περικείμενα partim ex argumentis ex hiſtoria ſacra petitis, collatis ſimul dogmatibus & quotidiano Hebræorum in his ritibus uſu, hauſiſſe; partim vero etiam ex veterum traditionibus, quæ omnia Spiritus Sanctus indubia & certiſſima præſtiterit. Idem vero in ſequentibus oſtendit, quomodo in ſingulis momentis Moſis & Pauli narratio ſibi conſtet. Conferri vero præterea vult *Joannem d' Outrein* in commentario ad h. l. & *Pauli Halſii* diſputat. de adſperſione per hyſſopum. Scilicet probe tenendum eſt, Virum divinum non ad unum *Exodi* locum, ſed & ad *Levit.* XIV. 16. *Num.* XIX. 6. 9. & *Exod.* XXIX. 36. reſpexiſſe; adſperſionem autem, aliquoties quippe factam, nunc aqua, nunc ſanguine adhibito, peractam fuiſſe. Vide huc ex noſtratibus *Sebaſtianum Schmidium.*

*καὶ ἐρίε κοκκίνε* ] *cum lana coccinea*, cujusmodi hirco emiſſario impoſitam olim fuiſſe Judæi tradunt, quam in rem lege *Stephanum le Moyne* ad Varia Sacra pag. 674. ſq. aliosque, quos laudat *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria pag. 315. edit. prioris. Hinc intelligitur hyſſopus lana coccina colligata, qua adſpergilli loco uſos olim Judæos fuiſſe oſtendit D. *Ikenius* diſſertat. citata

cap. III. §. 10. pag. 44. Confer, quos ſupra ad verſ. 13. laudavimus. Adſpergillum hoc ex Ægyptiorum ſacris, more ſuo, derivat *Spencerus*, contra quem lege *Witſii* Ægyptiaca lib. II. cap. 8. §. 10.

*αὐτό τε τὸ βιβλίον καὶ πάντα τὸν λαὸν ἐῤῥάντισε* ] Non probo *Kidderum*, qui loc. cit. voces *αὐτό τε τὸ βιβλίον* non ad *ἐῤῥάντισε*, ſed ad antecedens *λαβὼν* refert, & *τὸ καὶ* pleonaſticum eſſe putat. *Colomeſius* pag. 72. Obſervationum Sacrarum, majori auſu τὸ καὶ furcillari vult, tanquam ex ſuperioribus, ubi ter occurrit, huc illatum. Poſterius hoc averſatur communis codicum & verſionum conſenſus; prioris vero pleonaſmi veſtigium alias nunquam oſtenderis. Præſtat in eorum ſententia acquieſcere, qui librum legis altari impoſitum, atque adeo una cum altari conſperſum fuiſſe exiſtimant. Vide *Ainsworthum* ad *Exod.* XXIV. v. 7. & *Jo. d' Outreinium* ad h. l.

Verſ. 20. *λέγων, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης* ] Comparat hæc cum *Exod.* XXIV. 8. Celeb. *Franc. Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 117. ſq. & *Joannes Cloppenburgius* Tom. I. Operum pag. 53.

Verſ. 21. *Καὶ τὴν σκηνὴν δὲ, καὶ πάντα τὰ σκεύη τῆς λειτουργίας τῷ αἵματι ὁμοίως ἐῤῥάντισε* ] Hujus rei diſerta a Moſe non fit mentio. *Joſephus* vero Antiquitatt. III. 9. ait; quod Moſes per integrum ſeptiduum *τήν τε σκηνὴν καὶ τὰ περὶ αὐτὴν σκεύη ἐλαίῳ τε προθυμιωμένῳ καὶ τῷ αἵματι τῶν ταύρων καὶ κριῶν σφαγέντων ἐθεράπευε, & tabernaculum & vaſa ejus unguento ſtudioſe confecto, & ſanguine boum ac arietum mactatorum delibaverit.* Neque tamen in ipſis Moſis ſcriptis moris hujus veſtigia deſiderari oſtendit *Ikenius* diſputatione laudata pag. 87. ſq.

Verſ. 22. *Καὶ σχεδὸν* ] Deeſt vox poſterior apud *Syrum* & *Æthiopem*, Ideo *Millius* in Prolegom. non dubitat, *σχεδὸν poſtea inſertum eſſe ab aliquo lectore de Apoſtolicæ ſententiæ veritate ſolicito.* At eo temperamento opus hic erat, cum non omnia ſanguine, ſed nonnulla *igne*, ut *Numer.* XXXI. 23. alia *aqua*, ut *Levit.* XVI. 28. initiata fuerint.

*ἐν αἵματι* ] *per ſanguinem.* Phraſis *Vorſtio* Hebraiſmi præter rem ſuſpecta. Vide Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmo pag. 152. Adde *J. C. Dieterici* Antiquitates Biblicas Novi Teſtamenti Vol. I. pag. 55.

*καὶ χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσις* ] Ita in *Joma* fol. 5. 1. & *Menachoth* fol. 93. 2. אין כפרה אלא בדם. *Non eſt expiatio, niſi per ſanguinem,* adducto *Levit.* XVII. 11. De re ipſa lege B. *Olearium* Obſervationibus ad Matthæum pag. 568. & Rev. *Deylingium* Parte III. Obſervationum Sacrarum pag. 259. Totum comma explicat *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebrææ rad. כפר lit. C. 2. ubi etiam de particula *σχεδόν*.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 23. *Ανάγκη ὖν, τὰ μὲν ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς ὐρανοῖς* ] Vide ſupra ad v. 7. & ad VIII. 5. Confer doctiſſimi *Schœtgenii* diſſert. de Hieroſol. cœleſti cap. ult. quæ in calce Horarum ejus Hebraic. recuſa eſt.

*αὐτὰ δὲ τὰ ἐπυράνια κρείττοσι θυσίαις παρὰ ταύτας* ] *Supracæleſtia*, i. e. bona N. T. ſpiritualia, v. c. remiſſio peccatorum, juſtificatio &c. dicuntur *καθαρίζεσθαι*, in quantum homini per fidem in ſanguinem Chriſti adplicantur, & in ipſius ſalutem cedunt. Sacrificium Chriſti unicum plurium numero *θυσιῶν* nomine appellatur ob dignitatem & valorem, quo ſacrificia præterita omnia ſuperavit. Nihil hic cogitandum de reiteratione aut multiplicatione ſacrificii Chriſti, vel de alio cruento, alio incruento. Vide *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra pag. 317. qui hanc numeri pluralis vim aliis exemplis probat.

Verſ. 24-28. Ad hæc lege *Henr. Morum* in Operibus Theologic. Latinis pag. 237. ſqq. & *Frid. Rappolti* diſputat. de Chriſto Sacerdote Nov. Teſt. Lipſ. 1674.

Verſ. 24. *Ου γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριςὸς κ. τ. λ.* ] Explicata hæc vide a *Salom. Deylingio* diſſertat. ſingulari de JESU Chriſti *ἐμφανισμῷ* in conſpectu DEI Lipſ. 1722. Confer eundem Obſervatt. Sacrar. Parte II. pag. 124. & III. pag. 247. & *Zeltneri* Hiſtoriam Crypto-Socinifmi Altorfini pag. 664. ſq. & 1184. ſq.

*χειροποίητα ἅγια* ] Vide ſupra ad v. 11.

*ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν* ] *quæ ſunt exemplar reſpondens veris illis*, ut *Er. Schmidius* & *Beza*, ſeu ſimpliciter, *exemplaria verorum*, i. e. imagines rerum cæleſtium, ad *τύπον* ſeu exemplum cœli factæ, ut explicat *Deylingius* l. c. pag. 17. Idem ſcilicet eſt *ἀντίτυπον*, quod alias *τύπος*, quodque Apoſtolus aliquoties *ὑπόδειγμα* vocavit. Ita *Chryſoſt.* ad h. l. *ἄρα ἐκεῖνά ἐςιν ἀληθινὰ, ταῦτα δὲ τύποι.* Confer alia Patrum loca apud *Svicerum* Tom. I. pag. 383. 385. nec omitte *Simplicium Verinum* i. e. *Salmaſium* de Tranſſubſtantiatione pag. 30. *Ἀντίτυπον*, inquit, *ſubſtantive idem omnino eſt cum τύπῳ. Nam quædam vocabula ſunt, quæ, adjecta præpoſitione, non mutant ſignificationem, ut πολίτης & συμπολίτης, idem, συμπατριώτης & πατριώτης. Latini etiam poſteriores* concivem *dixere, qui* civis *ſimpliciter antiquis ac purius loquentibus. Ita τὸ ἀντίτυπον idem ſonat, quod, τύπος, eſtque id, quod pro τύπῳ eſt, vel quo aliquid contra repræſentatur. Sic vulgo* contra imitari *dicitur pro* imitari : *ita ἀντίλυτρον poſuere pro ſimplici λύτρῳ. Ita etiam ἀντίμιμον pro* mimo *apud Socratem. Sic ἀντίζηλος pro* Zelotypo, *& verbum ἀντιζηλεῖν pro ζηλεῖν. Heſychius, ἀντίτυπον, τύπος. Sic legendum. Optimæ gloſſæ : ἀντίτυπον,* exemplum, exemplar, inſtar. *Etiam exemplum Latini poſuere pro typo, quo aliquid ſignificatur & repræſentatur. Sed &* inſtar *figuræ eſt iisdem. Certe apud Paulum ἀντίτυπα non ſunt exemplaria, ex authentico traducta per ſcripturam, imitando expreſſam, ſed τύποι. In epiſtola ad Hebræos IX. 13. ubi χειροποίητα*



Digitized by Google

*ἅγια dicit eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, intelligens nimirum ſanctuarium cœli ipſius eſſe ἀντίτυπον; cœlum enim ipſum intravit Chriſtus, non ſancta ſanctorum manufacta, ut Pontifex maximus.*

νῦν ἐμφανισθῆναι τῷ προσώπῳ τοῦ Θεοῦ ] *Apparitionem* illam Domini ἀρχιερέως noſtri, diligenter explicat *Deylingius* l. c. & contra Socinianos inprimis evincit, hinc non conſequi, Chriſtum ſub ἐμφανισμὸν illum demum conſtitutum eſſe Pontificem. Aliud enim eſt ἐμφανίζεσθαι coram DEO in ſanctuario cœli, aliud προσφέρειν ἑαυτὸν, quod Apoſtolus v. 25. à priori illo diſtinguit. Τὸ προσφέρειν factum eſt in terra, τὸ ἐμφανίζεσθαι vero in cœlo. Προσφέρειν autem idem eſt, quod πάσχειν v. 26. ſicut ἀποθνήσκειν v. 27. & 28. idem, quod προσφέρειν.

Verſ. 25. Οὐδ' ἵνα πολλάκις προσφέρῃ ἑαυτὸν κ. τ. λ. ] Lege *Coppenburgium* Tom. I. Operum pag. 902. & *Grotium* de Satisfact. Chriſti Tom. III. Operum pag. 318. b.

ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ ] *per ſanguinem non ſuum*, ſeu, *cum ſanguine non ſuo.* Vide ad v. 22.

Verſ. 26. Ἐπεὶ ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου ] *Alioquin oportuiſſet eum ſæpius paſſum fuiſſe à condito mundo.* Ita recte *Eraſm. Schmidius*, quem vide in notis.

Νῦν δὲ ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ] *Sed nunc ſemel ſub conſummationem ſeculorum.* Ita recte idem. *Grotius* phraſin admodum, ſed præter rem, reſtringit, ita accipiens: *circa finem templi* & Reipubl. Judaicæ. Nec aliter *Hammondus: in conſummatione ſeculorum*, h. e. ut interpretatur, cum jam conſummanda finiendaque eſſet Veteris Teſtamenti, & ſacrorum, ſub eo obtinentium, œconomia. At contra *Hammondum* recte diſputat *Gothofred. Olearius* in Obſervatt. ad Matthæum pag. 664. Monet inter cetera, συντέλειαν αἰῶνος vel αἰώνων in N. T. ſemper de *fine mundi* accipi, idque patere ex *Matth.* XIII. 39, 40. 49. & *Matth.* XXVIII. 20. Hoc vero loco eundem ſignificatum poſtulat oppoſitio, quæ inter καταβολὴν κόσμου & συντέλειαν τῶν αἰώνων intercedit. Alioquin enim per priorem illam initia conſtitutæ Reipublicæ & Eccleſiæ Judaicæ intelligenda eſſent, quod ab inſtituto Pauli alieniſſimum eſt. Idem obſervat, ἐπὶ τῇ συντελείᾳ τῶν αἰώνων idem eſſe, quod *circa* vel *prope conſummationem mundi*, quemadmodum *Thucydides*, *Ariſtophanes*, alii, ἐπὶ ποταμῷ, ἐπὶ θαλάσσῃ, ἐπὶ θύραις id eſſe vel fieri dicant, quod *prope*, vel *circa mare*, *fluvium*, *fores* obſervatur. Chriſtus itaque obtuliſſe ſe dicitur, cum illa mundi conſummatio appropinquaret. Ex quo etiam fit, ut tempus illud ἐσχάτη ὥρα, & ὕστεροι καιροὶ in Sacris appelletur. In eandem ſententiam hactenus recte diſſerit *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 452. ſqq. quamvis rem ipſam ad fictam illam novam

vam ſeculorum per Chriſtum creationem ſeu conſtitutionem detorqueat. *Quod ſi*, pag. 454. inquit, *per finem, aut* conſummationem ſeculorum *nil niſi finem diſpoſitionis Moſaicæ & Reipublicæ Judaicæ intelligas, ſequetur etiam principium ſeculorum, ſic abſolute dictorum, in exitu filiorum Iſrael ex Ægypto aut in miſſione Moſis, aut Legislatione Sinaitica ponendum eſſe. Atqui hoc ipſo loco Hebr. IX. conſummatio ſeculorum non miſſioni Moſis in Ægyptum, ſed τῇ καταβολῇ τῦ κόσμυ ipſi principio veteris mundi opponitur. Si, inquit, unicum Chriſti ſacrificium non ſuffeciſſet peccatis mundi tollendis, opportuiſſet ipſum ſæpe pati ab ipſo mundi principio, aut fundatione; ſtatim atque peccatum intravit in mundum, nunc vero ſemel in conſummatione ſeculorum, ſive mundi apparuit, ut peccatum amoveret, per unicum ſacrificium.* Locum hunc eo libentius deſcripſi, quod ſimul teſtimonium ſiſtunt de *amoto per Chriſti ſacrificium peccato*, ab homine, alias Sociniano, profectum. In noſtram ſententiam diſſerit quoque *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis pag. 654. ſqq. ubi oſtendit, quatuor Imperia Danielis magnum eſſe temporum Kalendarium, tempora vero quarti ſeu ultimi h. e. Romani Imperii, ea eſſe, quæ in Scripturis *ultima* vocentur, quæque Propheticæ Chronologiæ & Sacro illi Kalendario colophonem imponant, atque hoc nomine nunc *ultima tempora*, nunc *plenitudinem temporum*, nunc *conſummationem ſeculorum* appellari. Mallem igitur, ὁ δεῖνα ab approbanda *Grotii* expoſitione abſtinuiſſet, multo magis ab iſtis, quæ addit: *Nam particula ἐπὶ cum Dativo denotat, cujus rei cauſa, qua conditione Chriſtus venerit, nimirum, ut mundus expiaretur,* Συντέλεια *eſt à* τελέω, purgo, initio, luſtro, *quod hac notione aliquoties in hac epiſtola* (ad Hebræos) *occurrit.* De expiatione hic nullo modo cogitari poteſt, cum illa mox exprimatur phraſi: εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, & συντέλεια opponatur τῇ καταβολῇ. Taceo, συντέλειαν nunquam vel in N. T. v. c. apud *Matthæum* ll. cc. ubi tantum legitur, vel in LXX. Intt. ubi varia denotat, vel in externis Scriptoribus occurrere. Τελέω, fateor, apud Græcos *initiandi* notionem habet, nunquam autem συντελέω, & conſtat utique, a ſignificatione verbi ſimplicis ad illam compoſiti argumentum duci non poſſe. Imo, quod plus valet, τελέω nunquam in ſacris hoc ſignificatu venit. At τελειόω nonnullis ita accipiendum viſum eſt, in hac epiſtola, in qua tamen ipſa amplius aliquid inferre ſuis locis oſtendimus.

Verſ. 27. Καὶ καθ᾽ ὅσον ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ἅπαξ ἀποθανεῖν κ. τ. λ.] Ad hæc exponenda relatæ ſunt ſingulares noſtratium diſputationes, nominatim *Iſaaci Fauſtii* Argentor. 1663. *Jo. Guil. Baieri* de agone mortis, ſeu judicio hominis moribundi. Jen. 1690. & *Jo. Achatii Coleri* de divina diſpenſatione circa legem omnibus hominibus latam. *Altorfii* 1707. Adde *Alethæi* Erläuterung Tom. V. Operum in Heptade Diſſertatt. pag. 44. ſqq. & *Ludov. Cappellum* in Operibus pag. 256. a.

ἀπό-

Digitized by Google

ἀπόκειται τοῖς ἀνθρώποις ] Ita *Herodotus* lib. I. p. 99. de Maſſagetis: οὖρος δὲ ἡλικίης σφι πρόκειται ἄλλος μὲν οὐδεὶς, *terminus vitæ nullus illis propoſitus eſt, ſed, ubi quis admodum ſenuit, convenientes propinqui eum mactant.* Ex quo loco etiam patet, per ἀπόκειται ad divinum decretum reſpici. Ita *Euripides* Andromache v. 1075.

> Πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποις ἥδε πρὸς θεῶν
> ψῆφος κέκρανται. κατθανεῖν ὀφείλεται.

Et Phythagor. in Aur. Carminibus.

> Ἀλλὰ γνῶθι μὲν, ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι.

Vide *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 251.

ἅπαξ ἀποθανεῖν ] Sic *Sophocles* apud *Stobæum* Tom. II. tit. 120.

> Θανεῖν γὰρ οὐκ ἔξεστι τοῖς αὐτοῖσι δίς.
> *Namque homini eidem bis datum non eſt mori.*

Τὸ ἅπαξ omnino idem eſt, quod *ſemel, una vice*, quia hic comparatur cum una vice, qua expiatio à Chriſto facta eſt. Itaque non probo eos, qui idem h. l. eſſe volunt, quod *omnino, vere.* Quamvis enim alias hoc ſignificatu valeat, quod ſupra oſtendimus, hoc tamen loco ex περικειμένοις illi non poteſt vindicari. Neque audiendus eſt *Georg. Chriſtian. Comarinus* in diſſert. de Bis mortuis §. 4. *Particula adverbialis* SEMEL, inquit, *non tam unitatem & ſimplicitatem, quam neceſſitatem, & veritatem moriendi denotat.* Non ſane, quod ille cum aliis ſibi perſuaſit, exempla Bis mortuorum effato Paulino officiunt, cum, quod extra ordinem fit, & ſingulari Numinis conſilio, id decretum alioquin univerſale non antiquet. Sunt itaque vere *bis mortui*, quod fruſtra negat *Jo. David. Schwerdnerus* in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. I. pag. 91. ſqq. & vel ſic lex ordinaria, de morte ſemel obeunda ſancita, conſtat. Illam de bis mortuis exceptionem urget etiam Auctor Quæſtionum de animarum revolutione Quæſt. 95.

Verſ. 28. Οὕτω καὶ ὁ Χριστὸς ] Pro οὕτω καὶ plerique Codd. ſcripti & editi legunt οὕτως ſimpliciter, quod etiam exhibet *Millius.* Noſtra *Curcellæi* lectio exſtat in editt. Aldinis, duabus *Rob. Stephani* prioribus, *Colin.* item & *Frobenii.* Eandem *Vulg.* expreſſit, ſicut ſeries ſermonis Apoſtolici requirit. Propterea illam putavimus retinendam.

ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας ] Obſervari hic velim paronomaſiam, Paulo alias frequentem, in verbis προσενεχθεὶς & ἀνενεγκεῖν. Verte : *ſemel oblatus ad attollendum peccata multorum*, nempe in crucem. Ita omnino *Petrus* 1 ep. II. 24. ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον. *Eraſm. Schmidius* minus recte : *ad attollendum peccata multorum* in ſe ipſum. Neque enim tunc attollebat Dominus peccata in ſe ipſum, cum ſe offerret, ſed inſtar agni DEI peccata hominum ſibi ante impoſita ferebat. Rectius *Beza : ut* in ſe ipſo *attolleret peccata multorum.* Paulus ſupra cap. VII. 27. dicit ἑαυτὸν ἀνενέγκας, *ſe ipſum offerens* ſcil. in victimam,

Digitized by Google

mam, idque pro peccatis hominum, quæ h. l. una ſecum in crucem ſuſtuliſſe dicitur. Sunt, qui *τὸ ἀνενεγκεῖν* vertunt per *auferre*, prout & *Lutherus*, weg zu nehmen. Recte quidem, ſi finem *τῦ ἀνενεγκεῖν* exprimere velis. Is enim erat *ἀθέτησις ἁμαρτιῶν*, v. 26. Conf. *Grotium* & *Rich. Simonem* in Hiſtoria Critica verſionum N. T. pag. 481. Πολλοὶ omnes denotant, ſicut *Rom.* V. 19. Bene monet *Seb. Schmidius τὺς πολλὺς* hic opponi *τοῖς ἀπεκδεχομένοις αὐτὸν εἰς σωτηρίαν*. Prout vero hic ſunt *electi*, per *τὺς πολλὺς* non *electi*, ſed *omnes* homines ſunt intelligendi, quia alioqui non daretur oppoſitio.

*ἐκ δευτέρυ χωρὶς ἁμαρτίας ὀφθήσεται* ] *ſecundo abſque peccato conſpicietur.* Voces abſque peccato ad *τὺς ἀπεκδεχομένυς* referri vult *Grotius*, recte à *Calovio* notatus. *Peccatum* de ſacrificio pro peccato explicat *Jac. Cappellus.* Rectius vero communior ſignificatus tenetur, cum antea Chriſtus ut peccatis onuſtus repræſentatus ſit, à quibus, facta expiatione, nunc immunis eſſe pronunciatur. Interim non nego, ex eo conſequi, quod nec ſacrificio amplius opus ſit.

*τοῖς αὐτὸν ἀπεκδεχομένοις εἰς σωτηρίαν* ] *Beza* & *Eraſmus Schmidius* voces ultimas *εἰς σωτηρίαν* ab antecedentibus per *ςιγμὴν*, quod comma vocari ſolet, ſeparant, atque adeo ad *ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας* referunt. *Grotius* & *Hombergius* pendere volunt à verbo *ὀφθήσεται*. Rectius ſane ſpectare proxime creduntur ad *τὺς ἀπεκδεχομένυς*, ita ut promiſſam ſalutem, tanquam certo ſibi conferendam, una cum ipſo exſpectare dicantur. Ita *Philipp.* II. 20. *ἐξ ὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ιησῦν Χριςὸν*, *unde etiam Salvatorem expectamus Dominum JESUM Chriſtum.* Hoc vero exſpectare reſpicit Chriſtum non tanquam pararium, ſed ut diribitorem ſalutis æternæ.

# CAPUT X.

VErſ. 1. & 2. explicatur ab *Anton. Hulſio* in Speciminibus Theologiæ Hypotheticæ pag. 85. ſqq. Ex noſtratibus huc ſpectat *Jo. Schmidii* diſputatio de Lege ceremoniali, Argentorati 1654. & *Chriſtoph Sonntagii* diſſ. de differentia Sacramentorum Vet. & N. Teſtamenti. *Ex* Pontificiis legi poteſt *Dionyſ. Petavius* in Dogmatibus Theologicis Tom. I. lib X. c. 23. & Tom. V. lib. XII. cap. 11. §. 8. ſqq. Poſteriore loco ita: *Vix eſt ullus obſcurior locus in tota hac ad Hebræos epiſtola : imo nec in omnibus fortaſſis epiſtolis Pauli. Imo vix legi hactenus apud quenquam, quod mihi ex omni parte ſatisfaciat ; habent tamen ſinguli, quod ad ſummam aliquid conferre poſſit. Conſentiunt in eo quidem Interpretes omnes, hujusmodi Apoſtoli ratiocinationem eſſe, ut utriusque legis piacula i. e. ad peccatorum expiationem inſtituta utrobique ſacrificia inter ſe comparentur : ac veteris legis ſacrificia talia fuiſſe,*

*ut ad procuranda delendaque peccata nullam vim haberent* &c. Lege in ſequentibus plura.

Verſ. 1. *Σκιὰν γὰρ ἔχων ὁ νόμος* ] *Σκιὰ* eſt *σκιαγραφία*, *qua utuntur pictores ante picturæ perfectionem, ut quodammodo cognoſci queat, cujusmodi ipſa εἰκὼν ſit futura. Opponit enim σκιὰν εἰκόνι h. e. expreſſæ formæ rerum.* Ita recte *Er. Schmidius* ad h. l. Ita *Heſychius* : *Σκιὰ, σκίασις, ἐπιφάνεια τοῦ χρώματος ἀντίμορφος.* Rudem itaque delineationem infert. Confer huc *Saldeni* Otia pag. 245. 247. & 281. *Spencerus* de legibus Hebr. ritual. lib. I. cap. 11. pag. 160. *τῇ ὑποθέσει δουλεύων*, meram umbram, & fumum vetera illa legis inſtituta hoc modo appellari cenſet, quæ nihil ſint, nihilque ſolidi habeant, ſi cum Chriſto comparentur. Vide quæ contra eum diſputat *Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 637. Commode *Bochartus* in Geographia Sacra lib. I. cap. 6. monet *σκιὰν* & *ἀποσκίασμα* inter picturæ genera numerari, veteresque pictores auctore *Plinio* XXXV. 3. hominem, umbra ejus lineis circumducta, pinxiſſe.

*οὐκ αὐτὴν τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων* ] *non ipſam expreſſam formam rerum.* B. *Lutherus* vertit: nicht das Weſen der Güter ſelbſt, præter rem ideo notatus ab *Emſero*, qui malebat: nicht das Bild; & vindicatus a *Raithio* pag. 576. ac *Wolfburgio* in Obſervatt. Sacr. pag. 161. Compara quæ ſcripſi ad *Coloſſ.* II. 17. ubi *τῇ σκιᾷ* opponitur *σῶμα*. Eſt, qui *τὴν εἰκόνα* de Chriſto ipſo accipit, quippe de quo totus ſermonis contextus exponat. Provocat is ad *Coloſſ.* I. 15. & *Hebr.* I. 3. ubi Chriſtus vocatur *εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου*, & *ἀπαύγασμα τῆς δόξης Θεοῦ*. Hoc modo Chriſtus diceretur *imago rerum*, h. e. ipſe auctor rerum & bonorum ſolidiſſimorum, quæ œconomia Nov. Teſtam. exhibet. Acquieſcere ego malim in S. *Chryſoſtomi* expoſitione, qui *τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων*, explicat per *αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν*, *ipſam veritatem*; illuſtrationis cauſa hæc ſubjiciens: *ἕως μὲν γὰρ ἂν ὡς ἐν γραφῇ περιάγῃ τις τὰ χρώματα, σκιά τις ἐστιν. ὅταν δὲ τὸ ἄνθος ἐπαλείψῃ τις, καὶ ἐπιχρίσῃ τὰ χρώματα, τότε εἰκὼν γίνεται. Τοιοῦτό τι καὶ ὁ νόμος ἦν.* Adſtruunt hanc ſententiam Interpretes Galli Berolinenſes diligentiſſimi, *Beauſobrius* & *Infantius*, ad *Rom.* VIII. 29. provocantes, ubi electi dicuntur *σύμμορφοι* futuri *τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, i. e. *JESU CHRISTO ipſi conformes.* *Εἰκὼν* itaque h. l. non tam id infert, quod aliquid repræſentat, quam *πρωτότυπον*, quod per *σκιὰν* repræſentatur.

*κατ' ἐνιαυτὸν ταῖς θυσίαις, ἃς προσφέρουσιν εἰς τὸ διηνεκὲς οὐδέποτε δύναται τοὺς προσερχομένους τελειῶσαι.* ] Diſputant Interpretes de genuino horum verborum ordine, quam in rem lege *Starckium.* Optime & ordinem & ſenſum expreſſiſſe mihi videtur *Eraſmus Schmidius*, ita vertens: *iis hoſtiis, quas quotannis easdem continenter* ( Pontifices ) *offerunt, nunquam poteſt accedentes perfecte ſanctificare.* De phraſi *εἰς τὸ διηνεκὲς* lege ſupra ad VII. 3. de verbo *τελειῶσαι* vero ad VII. 11.

Verſ.

Verſ. 2. Ἐπεὶ ἂν ἐπαύσαντο ] Libri ſcripti & editi plerique legunt ἐπεὶ οὐκ ἂν, quod & *Millius* habet, inter varietates duos tantum Codices præter *Vulg. Syr. Æthiop.* & *Theodoret.* pro noſtra illa ἐπεὶ ἂν afferens. Duo habent ἐπεὶ κἂν, quod placet *Henr. Stephano*, τὸ κἂν per *ſaltem* vertenti. Vide eum in Diſſertat. de Stilo Nov. Teſt. pag. 19. *Millius* judicium ſuum ita interponit: *Mihi quidem illud* ἐπεὶ ἂν *maxime arridet, tanquam Apoſtoli ſcopo omnino congruum. Quanquam & eodem recidat editum* ἐπεὶ οὐκ ἂν, *ſi pronuncietur cum interrogationis nota, quomodo legendum monent Theophylactus & Oecumen.* Idem tamen in Prolegomenis τὸ, ἐπεὶ οὐκ ἂν, utpote obſcurum maxime probat. Sic cum interrogandi ſigno exhibet etiam *Eraſmus Schmidius*: ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι; *alioquin nonne deſiiſſent offerri?* Præſtat ſane lectio, quam exhibui, quamque B. *Lutherus* noſter expreſſit. Eadem enim in ſimili argumentandi ratione utitur Paulus IX. v. 29. Ἐπεὶ ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ubi nec negandi particula, nec interrogandi nota locum habet. Taceo, interrogationis ſignum hic admitti vix poſſe, ob ſequentem aſſertionem ſimplicem: διὰ τὸ μηδεμίαν ἔχειν κ. τ. λ. vel ſaltem ad calcem commatis poni debere.

ἅπαξ κεκαθαρμένους ] Verbo hoc de expiatione peccatorum, & quidem cædis, uti *Herodotum*, obſervat *Raphelius* pag. 628. v. c. lib. I. pag. 15. Παρελθὼν δὲ οὗτος ἐς τὰ Κροίσου οἰκία, κατὰ νόμους τοὺς ἐπιχωρίους καθαρσίου ἐδέετο ἐπικυρῆσαι. Κροῖσος δέ μιν ἐκάθηρε. ἔστι δὲ παραπλησίη ἡ κάθαρσις τοῖς τε Λυδοῖσι καὶ τοῖς Ἕλλησι. *Hic* (Adraſtus) *cum ad ædes Croeſi veniſſet, ex rituque domeſtico, ut ſibi expiari liceret, oraſſet, Croeſus eum expiavit. Modus autem expiandi propemodum is eſt apud Lydos, qui apud Græcos.* Venit in mentem recordari *Euſtathii*, qui ad Homeri Iliad. π. pag. 1057. edit. Rom. τὸ καθαίρειν θείαν λέξιν παρὰ τοῖς παλαιοῖς eſſe h. e. *de ſacris rebus uſurpari*, obſervat. Hinc factum eſt, ut *Phavorinus* exponeret καθαίρω, per ἁγνίζω, ἁγνεύω, σμήχω, ἀφοσιῶ. Imo ipſum verbum *Lamb. Bos* ab Hebr. קטר *ſufficit* vel כפר *expiavit*, originem ducere exiſtimat Exercitatt. pag. 125. Καθαρμοὶ *luſtrationes* ſeu expiationes inferunt, de quibus cum publicis, tum privatis *Salmaſius* præfat. ad Tabulam Cebetis p. 25. ſqq. quemadmodum *Kuhnius* ad Diogen. Laert. VIII. 77. de libris καθαρμῶν, exponit.

Verſ. 3. Ἀλλ᾽ ἐν αὐταῖς ἀνάμνησις ἁμαρτιῶν κατ᾽ ἐνιαυτὸν ] h. e. ſacrificia illa peccata quotannis in memoriam revocant, tempore ſcilicet Feſti Expiationis. *Philo* lib. III. de Vita Moſis ſacrificia ab hominibus pravis, nec poſtea emendatis, oblata, nil ait prodeſſe, οὐ λύσιν ἁμαρτημάτων ἀλλ᾽ ὑπόμνησιν ἐργαζόμενα.

Verſ. 4. Ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας ] Lege *Grotium* Tom. III. Operum pag. 336. b. & *Theodor. le Blanc* in *Principes contre les Sociniens* Part. II. p. 433. ſq.



Digitized by Google

Verſ. 5. Διὸ εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον ] *Quapropter ingrediens in mundum*, h. e. *venturus in mundum*, nempe per nativitatem. De ea vero loqui Dominus dicitur, quando per Davidem Pſ. XL. 8. vaticinatur. Confer ſupra ſimilem phraſin l. 6. Mirum eſt, phraſin ſic ſatis claram a non nemine in Obſervatt. Hallenſibus ad rem literariam ſpectantibus Tom. VII. Obſervat. §. 16. adeo tenebris involvi potuiſſe. Per κόσμον enim intelligi vult *ſublimiorem ſapientiam* ſeu *ignotiorem præſtantioremque philoſophiam*, ut ſenſus ſit: *Idcirco etiam David, cum occultiori illi ſapientiæ ſtudet*, ſeu, *cum ignotioris philoſophiæ adyta penetrat.* Hic primo loco male ὁ εἰσερχόμενος de Davide accipitur. Tota enim ſermonis ſeries oſtendit, ſequentia verba Chriſto tribui, tanquam qui illa, nempe per Davidem, ſit locutus. Probaturus enim erat Apoſtolus, ſacrificio Chriſti opus fuiſſe, cum in ſacrificiis Vet. Teſtam. per ſe non acquieverit DEUS. Ita neceſſe eſt, ut Chriſto hæc verba tribuantur, qui jam pridem profeſſus ſit, ſe in mundum venturum eſſe ad conſilium illud divinum de hominibus, ſui oblatione expiandis, perficiendum. Taceo verba, quæ ſequuntur, alioquin de Davide quoque accipienda eſſe, in quem tamen minime omnium cadunt. Deinde voci κόσμος ille ſignificatus vindicatur, qui non minus a ſacris literis, etiam apud LXX. Interpretes, quam a Scriptoribus exulat. Plura in hanc ſententiam dicturus eram, niſi viderem, hac opera perfunctum eſſe B. *Brandanum Henr. Gebhardum* in diſſertat. ſingulari de vero ſignificatu vocis κόσμος, Obſervationi illi Halenſi oppoſita. Gryphiswald. 1707. Nobis h. l. ſuffecerit, phraſin, *venire in mundum*, de nativitate ab Hebræis & Græcis Nov. Teſt. Scriptoribus adhiberi. Hebræi homines natos appellant באי עולם Lege inprimis Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebr. ad *Joh.* I. 9. ad quem locum videbis etiam, quæ nos ſcripſimus. Conf. *Joh.* III. 17. 19. VI. 14. IX. 39. & XVIII. 37. ubi hæc phraſis per γεννᾶσθαι diſerte exponitur. Mireris merito, *L. M. Artemonium* in Initio Evangelii S. Johannis reſtituto pag. 411. adventum hunc Chriſti in mundum de eo accipere potuiſſe, quod Dominus, ante ſuſceptum miniſterium in cœlum raptus, Patri promiſerit, ſe in mundum rediturum, & voluntatem ejus facturum eſſe. Non minus mireris, Obſervatorem modo notatum ſtatuere, pro εἰς τὸν κόσμον legi ex Pſalm. 73. verſ. 16. 17. poſſe εἰς τὸ ὅσιον. Adeo ſcilicet longinqua ſectamur, ubi propinqua faſtidire didicimus.

Θυσίαν καὶ προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας ] Scilicet tanquam adminicula, quæ in ſe conſiderata & ſine reſpectu ad aliud habito, expiare homines poſſint. Ita *Maimonides* in *More Nebochim* Parte III. cap. 32. diſerte fatetur, ſacrificia illa peccata tollere non potuiſſe. Conſtat, *Spencerum* in diſſertatione ſingulari, quam de ratione & origine ſacrificiorum inſcripſit, erudito alioquin de Legibus Ritualibus Hebræorum operi inſertam, hoc loco, itemque aliis ad ὑπόθεσιν ſuam & κυρίαν δόξαν palliandam ita abuſum eſſe, ut credi debeat, ſacrificia Gentilium ritibus ſuam originem debere, nec ad Chriſtum reſpexiſſe. Vide,

quæ

quæ contra eum dixerunt poſt *Witſium* in Ægyptiacis, ex noſtratibus Rev. *Salomon Deylingius* paſſim, & nuper D. *Joachimus Langius* in Appendice ad commentari.m vernaculum in Pentateuchum.

*σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι*] Longior forem, ſi, quæ Interpretes de his verbis cum phraſi Hebraica כרית לי אזנים, *perfodiſti mihi aures*, conciliandis, ſenſuque eorum tradiderunt, vel in ſummam conferri velim. Itaque in eo acquieſcam, ut potius enarrem, qui hanc in rem conferri poſſint. Ex noſtratibus huc ſpectant *Andreas Keslerus* de Allegatione Veteris Teſtamenti in Novo §. 31. *Feſſelius* Tom. II. Adverſariorum Sacrorum pag. 225. *Hackſpanius* in Sylloge pag. 589. *Friſchmuthus* in diſſertatione ad Pſalm XL. 7. Tomo I. Theſauri Diſputationum recuſa, *Auguſtus Pfeifferus* in Dubiis Vexatis ad Pſalm. XL. *Henricus Scharbau* Parergorum Parte III. pag. 191. *H. B. Starckius* in Hebraiſmo Etymologico pag. 91. ſqq. *Joannes Caſpar Wolfburgius* in Obſervationibus Sacris pag. 557. *J. H. Majus* Obſervationum Sacrarum lib. II. pag. 57. *G. L. Oederus* in Syntagmate pag. 743. & Centuria Conjecturarum pag. 551. *Franciſcus Wokenius* in Harmonia Veteris & Novi Teſtamenti pag. 320. ſqq. (ubi inprimis contra *Whiſtonum* diſputatur,) M. *Chriſtophorus Wolle* in diſſertatione de parallcliſmo verbali Novi Teſtamenti cum LXX. virali caute inſtituendo pag. 14. *Petrus Zornius* in Bibliotheca Antiquario-Exegetica Tom. I. pag. 297. *Alethæus* Parte IV. der Erläuterung pag. 3. ſq. Auctor Programmatis Regiomontani de DEO corpus filio aptante, & noviſſime *Chriſtianus Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 978. ſq. Ex Anglis legi poterunt *Caſaubonus*, civitate illa donatus, in Caſaubonianis pag. 92. ubi de *Overalli*, Angli, ſententia, cum notis meis pag. 294. *Iſaacus Voſſius* de Oraculis Sibyllinis pag. 266. *Joſephus Mede* pag. 897. Operum, *Richardus Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. pag. 268. ſqq. qui *τῶν* LXX. interpretationem tuetur, & noviſſime *Guil. Whiſtonus* in Conatu textum Hebr. reſtituendi p. 325. cui codex Hebræus ſine dubio hic corruptus a Judæis videtur, a laudato *Wokenio* recte ideo notato.

Ex Reformatis appellandi ſunt *Altingius* in ſingulari diſſertatione in Heptade Diſſertationum Tom. V. Operum pag. 221. ſq. *Stephanus le Moyne* ad Varia Sacra pag. 743. *Alexander Morus* in Notis ad Novum Teſtamentum pag. 199. *Guſſetius* in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* Parte II. cap. 98. & Parte I. cap. 45. pag. 342. & in Commentariis Linguæ Hebrææ pag. 402. *Uriemoetius* Obſervatione in quinque capita prima Matthæi pag. 67. ſqq. *Guil. Surenhuſius* in *βίβλῳ καταλλαγῆς* pag. 635. ſq. *Jacobus Elſnerus* in Obſervationibus Sacris pag. 362. *Paulus Erneſtus Jablonsky* in Criſi Theologico-Philolog. de non confundendis כרית אזנים, ſeu foſſione aurium divinitus facta cum רציע אזן, ſeu perforatione auris herili, Ftancofurti ad Viadrum 1727. & *Joannes Chriſtianus Kirchmeierus* in diſſertatione de perpetua Hebræorum ex au-

 rium

rium perfoſſione ſervitute ad Sponſorem noſtrum JESUM Chriſtum non referenda, Marpurgi 1725. de qua Acta Eruditorum Heſſorum vernacule edita Semeſtri III. pag. 317. legi poſſunt. Uterque foſſionem aurium Davidicam diſtinctam credit ab illa Moſaica *Exod.* XXI. 6. negatque adeo Moſaicam illam huc advocari poſſe. Kirchmeierus ſpeciatim monet, Davidicam illam Meſſiæ perforationem ſervilem ſtatum anteceſſiſſe, atque id ſpeciatim innuere, Patrem permoviſſe filium, ut ſe carne indueret & ſervili conditioni ſubjiceret; cum ab altera parte ſervus inter Judæos ſervilem conditionem ſponte ſua eligeret, aureſque perforandas Domino in fidei ſignum præberet. Digna eſt utraque diſputatio, quæ legatur, cum non pauca afferat, quæ ad locum hunc & rem ipſam illuſtrandam faciant.

Ex diverſis Interpretum ſententiis eam tantum commemorabo, quæ ſe eruditioribus nonnullis probavit. Illi ſcilicet opinantur in τῶν LXX. verſione olim lectum fuiſſe ὠτία, quod deinde a librariis corruptum in σῶμα tranſicrit. Hæc ſententia eſt *Overalli* in Caſaubonianis pag. 92. *Grotii* ad h. l. *Alexandri Mori* & *Stephani le Moyne* ll. cc. tum vero *Lamberti Boſii* in præfatione ad ſuam τῶν LXX. editionem. Accippe hujus verba, quæ cap. III. in obſervationibus ad Pſalmos ita ſunt concepta: *Exiſtimem, lectionem a librariis eſſe corruptam: veram autem lectionem eſſe ὠτία. Et quidem hoc modo corrupta videtur. Primo litera Σ ex fine vocis proxime præcedentis, ἠθέλησας, dein ex literis* T *&* I *junctis nata eſt una* M *hoc modo:*

ΗΘΕΛΗΣΑΣΩΤΙΑ

ΗΘΕΛΗΣΑΣΣΩΜΑ.

& poſt pauca: *Et olim in verſione Græca fuiſſe, ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, videtur colligi poſſe ex eo, quod in editione Vulgata Latina ab* Hieronymo *ad Græcorum exemplarium fidem hic correcta, ita redduntur verba:* aures autem perfeciſti mihi &c. His præſtructis *Grotius* ita cenſet: *At Scriptor noſter* (nempe epiſtolæ ad Hebræos) *pro ὠτία poſuit σῶμα, ad quod exemplum etiam in codicibus verſionis LXX. Interpretum facta eſt mutatio, qualem & aliis locis obſervavimus. Fecit autem hoc ut ſenſum myſticum magis exprimeret.* *Grotius* hanc conjecturam hauſiſſe videtur ex veteri ſcholio, quod *Boſius* ad h. l. affert: τὸ, ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, ὁ μακάριος Παῦλος εἰς τὸ σῶμα μεταβαλὼν εἴρηκεν, ὐκ ἀγνοῶν τὸ Ἑβραϊκὸν, ἀλλὰ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τύτῳ χρησάμενος. *Phraſin, ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, S. Paulus mutata voce in σῶμα expreſſit, non quod ignorabat Hebraicum, ſed quod ea ad inſtitutum ſuum utebatur.* Nondum equidem probatum video, apud τὺς LXX. unquam lectum fuiſſe ὠτία. Id enim non collegeris ex eo, quod facile ex ὠτία naſci σῶμα potuerit, ut non dicam, literas T & I in M inprimis prout in libris, qui uncialibus literis ſcripti ſunt, exarantur, adeo facili incuria tranſire non potuiſſe. Nec idem conjeceris ex *Hieronymi* verſione Latina, ſiquidem unquam ita habuit, quod nonnulli negant: eam enim æque facile ex Hebraico textu, quam ex codicibus Græcis aliis formare

mare potuit. Quod ſi denique hæc lectio apud τοὺς LXX. unquam exſtitiſſet, mirum foret, ſi nusquam in exemplo aliquo, aut veterum allegationibus occurreret. *Symmachus* & *Theodotion*, qui ὠτία h. l. habent in Hexaplis Montfauconianis, huc nihil faciunt, quippe quos a τοῖς LXX. paſſim abiiſſe conſtat; quemadmodum nec ſcholia, quorum auctores ad Hebraicam vocem, אזנים, quam ὠτία propius exprimit, reſpexiſſe videri poſſunt. Itaque hactenus non crediderim, apud τοὺς LXX. aliter unquam lectum fuiſſe, quam quidem hodie legatur. Quod ad *Grotii* ſententiam attinet, Apoſtolum nempe pro ὠτία deſtinato conſilio σῶμα adhibuiſſe, in τοὺς LXX. poſtliminio relatum, in eam recte animadvertit *Calovius* noſter. Eandem tamen amplexus eſt Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, in quem *Leonhardus Twells* in Examine illius Critico erudite animadvertit Parte II. pag. 67. ſqq. Cumque is mihi rem omnem confeciſſe videatur, operæ pretium puto, in re non levis momenti, verba ejus ex Anglicis Latine facta hic deſcribere. Editor ille Anonymus culpare auſus erat hujus epiſtolæ Scriptorem, quod in allegationibus ſacris myſticum potius, quam literalem τῶν LXX. ſenſum conſulat, ſpeciatimque cap. X. 5. σῶμα pro ὠτία, tanquam inſtituto ſuo accommodatius, adhibeat. His *Twelſius* ſequentia opponit. *Quod ad criminationem generalem ſpectat*, eam penitus negamus, volumusque, ut Annotator vel unum ejus exemplum promat. Maxima, quam epiſtolæ Scriptor ſibi ſumit, libertas eo abſolvitur, quod interdum voces illis τῶν LXX. ſynonymas ſubſtituit, a ſenſu interim vocum germano non deflectens. Neque vero ſpeciale criminationis caput meliori fundamento eſt ſuperſtructum. Maxime enim veri eſt ſimile, τοὺς LXX. ὠτία, ſed σῶμα in convertendo Pſalm. XL. 7. adhibuiſſe, atque adeo Scriptorem epiſtolæ eos eſſe ſecutum; tantum abeſt, ut aliam vocem ſurrogarit. Ad hoc probandum ſequentia velim expendi. Primum quidem σῶμα legitur in omnibus ſcriptis & editis libris τῶν LXX. qui conſenſus veriſimillime ex eo repetitur, quod Interpretes ipſi ita primum reddiderunt. *Grotius* quidem monet, exemplaria τῶν LXX. ad hanc citationem eſſe conformata & reficta. Fortaſſe etiam ejusmodi quid alias accidit. Ubi vero hoc uſu venit, germana lectio ſemper in aliis exemplaribus conſervata fuit, quæ tamen in hoc Pſalmi loco omnia conſentiunt. Quod ſi etiam interpolatio hæc in gratiam allegationis Apoſtolicæ fuiſſet ſuſcepta, totus ſane locus ad eam hoc loco (*Hebr. X. 5.*) reſictus fuiſſet. Jam vero res ſecus habet. Omnia enim exempla legunt ᾔτησας aut ἐζήτησας, ubi in allegatione legitur: εὐδόκησας.

Deinde non Græca ſolum τῶν LXX. exempla cum Scriptore hujus Epiſtolæ conſentiunt, ſed etiam verſio vetus *Italica*, quæ habet *corpus*, non *aures*. (Hujus aſſerti fides non labefactatur eo, quod in Latino *Irenai* legitur *aures*. Interpres enim ejus veterem illam *Italicam* nonnunquam deſerit, & eam ſequitur, quæ ad *Theodotionis* Græcam facta eſt. Ita vero eum hoc quoque loco egiſſe probabile fit. Latina enim ejus Pſalm. XL. 7. *Aures autem perfe-*

Digitized by Google

*Perfeciſti mihi*, exacte referunt Græca illa *Theodotionis : ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι.*) Eodem modo locum hunc recitant *Hilarius*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, & *Petrus Chryſologus*. Jam vero maxime eſt probabile, translationem hanc factam eſſe initio Seculi II. nec, quod paulo poſt oſtendemus, in ſuſpicionem mutationis, in gratiam Auctoris hujus epiſtolæ factæ, vocari cum ulla veri ſpecie poteſt. Porro *οἱ ό*, ſpeciatim in locis myſticis, liberiorem vertendi rationem ſectantur, atque adeo rectius a litera contextus Hebraici in vertendo Pſalm. XL. 7. receſſiſſe creduntur, quam Auctor epiſtolæ ad Hebræos vocem adeo diverſam ſubſtituiſſe exiſtimatur, qui in omnibus aliis locis *ſenſum* eorum, ubi illorum interpretatione utitur, religioſiſſime exprimit. ( Sic ipſam vocem אזן, quæ h. l. in Hebr. exſtat, illi interpretantur per *νοῦς*, i. e. *mens*, vel *voluntas*, *Jobi* XXXIII. v. 16. & per *κέρκος*, *caudam feræ*, *Proverb.* XXVI. 17.) Viri docti, ut crederent, *ὦτα* aut *ὠτία*, non autem *σῶμα* a *τοῖς* LXX. Pſalm. XL. 6. poſitum eſſe, eo inprimis adducti ſunt, quod in *Hieronymi* Pſalterio, ex iisdem translato, vocem *Aures*, non *Corpus* legerent. Sed veriſimile eſt, *Hieronymum*, ut ſæpe alias, relictis *τοῖς* LXX. vel Hebræum contextum, vel alios Interpretes Græcos, ſecutum eſſe. *Hammondus* ( in Notis ſuis in Pſalm. XL.) hoc argumentum urſit validius, obſervans Suniam & Fretelam, in quadam ad Hieronymum epiſtola, minutiſſimas alioquin differentias, quæ inter Latinum ejus Pſalterium & Græcum *τῶν* LXX. intercedunt, notantes, hujus varietatis Pſalm. XL. 6. non meminiſſe. Ex eo vero conficit, *ὦτα*, vel *ὠτία*, non autem *σῶμα*, ab illis lectum fuiſſe. At enimvero hic primo attendendum eſt, fieri potuiſſe, ut in *Hieronymi* Pſalterio vere olim *corpus*, non *aures* legeretur. Certiſſime enim poſt fata ejus illud interpolatum eſt, & vox *corpus* in alterum *aures* mutatum ab eo, qui hoc poſterius ex altero *Hieronymi* Pſalterio, quod ad contextum Hebræum factum erat, mutuum ſumſit. Sententiæ huic conſenſus omnium Latinorum, tum ſcriptorum, tum editorum, non poteſt valide opponi. Nam iidem etiam in eo conſentiunt *Pſalm.* XXI. 19. quod legunt *auxilium tuum*, cum tamen lectio hæc a librario aliquo ſit profecta, quod Hieronymus ipſe in epiſt. ad Suniam & Fretelam queritur. Non minus exempla verſ. 23. ejusdem Pſalmi conſentiunt in voce *glorificate*, cum tamen ex dicta epiſtola conſtet, in *Hieronymi* Pſalterio *magnificate* Vulgato convenienter lectum fuiſſe. Similiter *Pſalm.* XXVII. 2. *Domine* in libris omnibus tum editis, tum ſcriptis, legitur, quando *Hieronymus* l. c. id in Pſalterio ſuo non fuiſſe teſtatur. Propterea ex *Hieronymi* Pſalterio Latino, quale nunc habemus, certo colligi non poteſt, quid in eo primum ſit lectum. Fieri potuit, ut *corpus* ibi primo legeretur *Pſalm.* XL. 7. ubi nunc *Aures* legimus. Quod ſi vero ita res habuit, mirum non eſt, *Suniam* & *Fretelam*, hanc inter eas, quas notarunt a *τοῖς* LXX. varietates h. l omiſiſſe. Deinde ponamus, *aures* ibi primum omnium, ſicut hodie, lectum fuiſſe, fortaſſe *Sunia* & *Fretela* differentiam a Græco non magis obſervarunt, quam alias nonnullas, quæ oculos ſubterfugerunt. Sic Pſalm. X. 14. *Hieronymi* Vulgata legit: *vides quoniam tu laborem & dolorem*:

pro

pro quo Græca in omnibus libris ſcriptis & editis habent: *βλέπεις ὅτι συ πόνον κ) θυμόν.* Cum his conſpirat Latina *Auguſtini*. Ita Pſalm. XV. 5. *Hilarius.* S. *Auguſtinus* & Græca exhibent *innocentes*, Vulgata autem verſio *innocentem*.

Largiamur tertio loco, *Suniæ* & *Fretelæ* exempla *Græca*, imo & illa, ex quibus *Hieronymus* verſionem ſuam Latinam fecit, *ὦτα*, vel *ὠτία* habuiſſe; ex eo tamen non conficietur, in Græcis exemplis ætate Apoſtolica idem fuiſſe lectum. Nam verſio *τῶν* LXX. paſſim, etiam ante *Hieronymi* ætatem, ex verſionibus *Aquilæ*, *Symmachi* & *Theodotionis* interpolata fuit; atque hoc modo fieri potuit, ut *ὠτία* irreperet in exempla, quæ in *Suniæ* & *Fretelæ*, ipſiusque *Hieronymi* manibus fuerunt. Pſalterium ejus ex ejusmodi ſane exemplo, quod interpolatum erat, natum eſt. Ita Pſalm. XVIII. 35. ad verba *τῶν* LXX. *κ) ἡ παιδεία συ ἀνώρθωσέ με* in noſtris exemplaribus, *Theodotionis* illa, *κ) ἡ παιδεία συ αὐτή με διδάξει*, acceſſerunt. Eadem vero in *Hieronymi* codice Græco fuiſſe, ex *Latina* ejus verſione, quæ utramque interpretationem exhibet, apparet. Illa enim ſic habet: *Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.* Imo manifeſtum eſt, locum, de quo diſputamus, duas verſiones in nonnullis antiquis exemplaribus ſibi junctas habuiſſe. *Arabicum* enim Pſalterium, ex Græco conditum, Pſalm. XL. 7. habet: *Et præparaſti mihi corpus, & aperuiſti aures mihi.* Ex his additamentis natæ ſunt illæ *Euſebii*, *Cyrilli* & *Arnobii* junioris lectiones. Exempla itaque Græca Seculi IV. quæ habent *ὠτία*, non efficiunt, vocem illam apud *τὺς* LXX. lectam primum fuiſſe. Neque illa debent comparari cum argumento, quod pro præſenti lectione *σῶμα* ducitur ex verſione *Italica*, quippe quæ ante tres verſiones Græcas, ſupra allatas, facta eſt, ac proinde illam *τῶν* LXX. interpretationem puram exhibet. Summatim ut dicam, certo proximum eſt, ſtatuere, auctorem epiſtolæ ad Hebræos *σῶμα* in exemplaribus *τῶν* LXX. ſuæ ætatis legiſſe, non autem, quod Annotator noſter ait, *ὠτία* ſubſtituiſſe. Non minus vero ex hoc conficitur, criminationem, Patribus impactam, quod *τὺς* LXX. in gratiam Apoſtoli alicujus commentitii, corruperint, non minus *imbecillem* & *falſam*, quam *malitioſam* eſſe. *Italica* enim verſio, & Patres *Latini*, qui ea uſi ſunt, *γνησιότητα* allegationis, quæ in dubium vocatur, adſtruunt. Illi autem minime omnium tales videri poſſunt, qui vel *τὺς* LXX. vel Latinam ſuam verſionem interpolare voluerint in gratiam epiſtolæ, quam & *Eccleſia*, & præſtantiores ex ipſis Scriptores, rejecerunt. Fraudis ejusmodi ſuſpicio propius cadit in Patres *Græcos*, qui epiſtolam hanc S. Paulo tribuebant. Jam vero accidit, ut illi ipſi Pſalm. XL. 7. alio modo, quam quidem in Scriptore epiſtolæ ad *Hebræos* legitur, allegent. Itaque crimen illud corruptelæ *τοῖς* LXX. a Patribus illatæ, non ſolum *falſum* eſt, ſed & *ridiculum*. Hactenus *Twelſius* loc. cit.

Cl. *Schœtgenius* ex dictis nonnulla amplectitur, cetera vero aliter rem inſtituit. Apoſtolum putat convenienter Hebræo contextui ſcripſiſſe *ὠτία*, vocem vero *σῶμα*, poſtquam in Codicibus *τῶν* LXX. vulgatior eſſe cœperit, a librariis etiam in Codicibus Novi Teſtamenti h. l. eſſe receptam & ad hanc refictam. *Iſta tamen*, ita pergit, *variatio divinitati literarum divinarum nihil derogat, quia DEUS, ubi talia παροράματα Scribarum permiſit, ſubſidia, e quibus reſtitutio peti poſſit, ſemper ex aliis exemplaribus procuravit, ne veritas cæleſtis perpetuo obſcurata maneat. Nusquam enim DEUM ſpecialiſſimam circa omnia exemplaria Codicum Biblicorum curam promiſiſſe, vel inde conſtat, quod hodie in Codices impreſſos, varia ſubinde ſphalmata irrepant, quæ tam parum divinitati Scripturarum nocent, quam ea, quæ in Codicibus manu exaratis inveniuntur. Sufficit, nullam corruptionem aut variationem omnes in univerſum Codices occupaſſe.* Probe exploratum mihi eſt, viro docto, quod & ibidem profitetur, non eam ſedere mentem, quæ hodie multorum eſt, ut divinas literas mendi ſuſpectas reddere conetur. Interim ſi, quæ dixit, admittamus, corruptelam in Novo Fœdere univerſalem dari neceſſe eſt, cum nullus adhuc codex, verſio nulla, aut antiqua loci hujus allegatio, a Patribus facta, afferri potuerit, quæ de emendatione ſuſcipienda cogitare nos jubeat. Hic vero defectus credere nos omnino jubet, Paulum ita ſcripſiſſe, prout hodie legitur. Ad *τὺς* LXX., qui etiam *ὠτία* verterint, provocari non poteſt, cum nec illud adhuc probatum eſſe oſtenderim. Nec viri docti conjecturam juvat, *quod hæc verſio, ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι, ad rem adprime convenit. Nimirum*, ita pergit, *Apoſtolus oſtendit, obedientiam DEO melius placere, quam omne ſacrificiorum genus, quod hæc verba melius probant, quam illa, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. Si enim DEUS aures noſtras perforavit ac præparavit, tunc ſervi ipſius ſumus, illique in omnibus obedimus: quæ res h. l. ſacrificiis opponitur.* Non video ſane, quomodo per nexum orationis Paulinæ ſtatui poſſit, obedientiam, quæ ab hominibus requiritur, hic ſarificiis opponi. Nonne enim Paulus in eo eſt, ut neceſſitatem ſacrificii Chriſti adſtruat, ex eo, quod illa Veteris Teſtam. ad expiationem perfectam præſtandam non ſuffecerint? Id ſane diſerte ait verſ. 4. *ἀδύνατον γὰρ αἷμα ταύρων καὶ τράγων ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας.* Atque hoc ipſum probat adducto Pſalmi loco. In hoc vero ſacrificia, tanquam DEO non ſatisfacientia, repræſentantur, iisdemque opponitur obedientia divinæ voluntati præſtanda. Quænam vero illa? Num hominum? Minime vero; ſed potius ea, quam Meſſias, in mundum venturus præſtare volebat. Id vel ex eo apparet, quod Apoſtolus verſ. 9. *θυσίαν καὶ προσφορὰν* de ſacrificiis, ex Legis inſtituto peractis, iterum interpretatur, illisque opponit adventum eo fine ſuſceptum, ut voluntas DEI, ſeu conſilium divinum perficeretur. Conſilium vero illud ad ſacrificium, a Chriſto offerendum, ſpectaſſe ex verſ. 10. apparet: *ἐν ᾧ θελήματι ἡγιασμένοι ἐσμὲν διὰ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐφάπαξ.* h. e. *Secundum quam voluntatem* (i. e. qua voluntate impleta) *ſanctificati ſumus per oblationem corporis JESU Chriſti ſemel factam.* Quid quæſo clarius,

quam

quam illud, quod Paulus in omni hoc ſermone de neceſſitate expiationis, per Chriſtum in carne præſtitæ, exponat? Cumque idem verſ. 10. *προσφορὰν τȣ̃ σώματος*, cujus antea in hoc argumento jam verſ. 5. mentionem fecit, iterum commemoret, nonne hoc argumento eſt, eum ad verſ. 5. reſpicere, in quo *σῶμα* illud *κατηρτίσθαι* dixerat. Tantum igitur abeſt, ut phraſis: *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι*, ſcopo Pauli adverſetur, ut ab illo potius poſtuletur & firmetur. Vide nunc, quam pulchre omnia hoc modo cohæreant, & ſibi conſtent. Apoſtolus loquitur de Chriſto, qualem ſe repræſentaverit per Davidem, ubi in mundum ſit venturus, nempe, quod corpus ſit habiturus, eo fine, ut decretum Summi Numinis perficiat, ſacrificiisque Veteris Teſtamenti abolitis (vide verſ. 9.) ſe ipſum victimam ad expianda hominum peccata DEO offerat.

Ut rem tandem conficiam, in eorum ſententia acquieſco, qui *τȣ̀ς* LXX. phraſin Hebr. אזנים כרית ל per *σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι* expreſſiſſe, Paulum vero eosdem ſecutum eſſe contendunt, non ſolum ideo, quod id plerumque facere in gratiam Judæorum, quibus verſio eorum familiariſſima erat, conſueverit, ſed & propterea, quod ad inſtitutum ſuum cum maxime pertineret. Vide in hanc ſententiam noſtrates tantum non omnes, nominatim vero *Geierum* ad Pſalmum XL. *Friſchmuthum* in diſſertatione ad eundem, & *Pfeifferum* in Dubiis Vexatis. Cur autem *οἱ* LXX. ita verterint, obſcura admodum, nec ad rem ipſam multum faciens eſt diſputatio. Fortaſſe illi non tam ad voces, quam ad rem ipſam exprimendam reſpexerunt. Duas video eruditorum virorum ſententias, quæ præ ceteris attendi merentur. Altera eſt eorum qui verbum כרה *perforandi* ſenſu accipiunt, & ad ritum in ſervis, perpetuæ ſervituti addicendis, illique perfeſſione auris ab hero initiandis, receptum, (de quo *Deuteronom.* XV. 17. &. *Exod.* XXI. 6.) a *τοῖς* LXX. reſpectum, *corpus* vero, tanquam totum, pro *auribus*, inſtar partis, poſitum eſſe, exiſtimant. Ita cum *Coccejo* & *Altingio* plerique, & noviſſime Cl. *Elsnerus*, cujus ex pag. 362. hæc habe verba: *Senſus Hebraici textus eſt*: Servum me perpetuum, per omnem vitam conſtituiſti. *Igitur veriſſime & feliciter ſenſum expreſſerunt* LXX. *σῶμα κατηρτίσω μοι*, corpus mihi formaſti. Corporis *enim* indutio *Chriſtum* reddebat ſervum, *hoc ὁμοίωμα & σχῆμα ἀνθρώπων. eſt μορφὴ δȣ́λȣ.* Philipp. II. 7. 8. filius hominis venit, *ſcilicet in mundum aſſumto corpore*, ut ſerviret, *Matth.* XX. 28. & *Jeſ.* XLIX. 5. *Unde hic notanter dicitur: εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον*, cum in mundum veniret, *ſcilicet per incarnationem; tunc dixit: σῶμα κατηρτίσω μοι*, corpus, atque adeo ſervi perſonam impoſuiſti mihi. Idem porro monet, *σώματα* dici *mancipia* tum apud LXX. *Geneſ.* XXXIV. 29. tum apud Scriptores. Interim unum eſt, quod dubium me de hoc reddit. Si *οἱ* LXX. *σῶμα* de *ſervo* accepiſſent, ſcripturi erant *σῶμα δὲ κατηρτίσω με*, vel *ἐποίησας με*, cum *σῶμα* non ſervilem perſonam, ſeu conditionem, ſed ſervum ipſum inferat. Vide *τȣ̀ς* LXX. loc cit. & *Polybii* locum

ab *Elsnero* allatum. Taceo, comparationem inter Dominum noſtrum, ad redemtionem hominum a DEO *paratum*, & ſervum ejusmodi perpetuæ ſervituti aurium *perfoſſione* deſtinatum, difficulter admodum inſtitui, quod doctiſſimus *Jablonskius* in laudata diſſertatione oſtendit. Ita v. c. Dominus noſter ad breve tempus ſervus erat Patris in ſalutem hominum; paulo poſt Dominus omnium, etiam qua homo eſt, conſtitutus.

Itaque jam pridem illi ſe mihi probarunt, qui τοὺς LXX. verbum כרה h. l. *perforandi* notione non accepiſſe, neque adeo ad ritum illum, in ſervis adhibitum, reſpexiſſe exiſtimant, quemadmodum nec verbum illud per ſe, vel primario, aut perpetuo illum ſignificatum obtinet. Hoc oſtendiſſe mihi ſatis videtur *Guſſetius* in Commentariis Linguæ Hebrææ pag. 401. & quod ad h. l. in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* pag. 342. *Video*, inquit, *verbum illud* ( כרה ) *ejusque derivata ad tam varia opera extendi, etiam ubi nihil* perforandum eſt, *ut illa ſignificatio non poſſit ei annexa exiſtimari. Non modo enim dicitur de confectione rerum, quæ fodiendo fiunt, ut foſſarum, Pſalm. XCIV. v. 13. Sed etiam de convivii apparatu Jobi VI. 27. & XL. 25. & derivatum* כרה *2 Regg. VI. 23. item de emtione, quæ & Latine, verbo parandi ac comparandi exprimitur; & de paſtorum opera in caulis ſtruendis, Sophon II. 6. & de ſalis factura. Quibus ſpectatis colligo verbum illud in genere vertendum* καταρτίζειν, *Latine*, parare, *ut omnia illa ſpecialia ſignificata complecti poſſit. Nec id tantum video, ſed & obſervo, ineptum fore ad dicendum aures* perforari, *etiamſi* fodiendo, *magis adſtrictum eſſet. Alia enim operatio eſt* fodere, *alia* perforare, *& accurata eſt lingua Ebraica in iis diſtinguendis, etiamque varios modos variis, ſex ſeptemve, verbis indicat. Ne omnia recenſeam, perforare de muro* חתר *dicitur, de corpore* דקר, *de parvo autem ac tenui membro, ut auricula,* רצע. *Quapropter ſi mens fuiſſet, notare auriculam perforatam, hoc poſtremo uſus fuiſſet. Uſus eſt autem verbo* כרה *ita vago, ut non aptius, quam verbo* καταρτίζειν *&* parare *exprimi queat. Quanquam id, quod vagum in eo eſt, determinatur ſubjecti natura, & ubi paratur cavando, ut foſſa verti poteſt,* cavare. *Itaque quia aures quoque ad audiendum deſtinatæ parantur cavando infundibulum, quo ſoni excipiuntur, liceret vertere, aures cavaſti mihi.* Ex his apparet, generaliorem eſſe verbi כרה ſignificatum, quam ut ad *perforationem* reſtringi poſſit. Ita כרית אזנים idem hic erit, quod *paraſti mihi aures*, vel, *aperuiſti mihi aures*, ſicut Meſſias *Jeſ.* L. 5. ait, Dominus פתה לי אוזן, *aperuit mihi aurem*, & ego non rebello. Quam bene hoc ad præſentem locum faciat, nemo non intelligit. Sermo enim eſt de obedientia, DEO a Chriſto in expiandis per victimam corporis ſui hominibus præſtanda, ad quam paratas acceperit & habeat aures. Jam vero mirum non eſt, τοὺς LXX. eorumque exemplo Paulum *corpus* loco *aurium* expreſſiſſe. Quod enim de *parte* dicitur, id de *toto*, in hoc ſpeciatim argumento, recte affirmari poteſt. Confer in hanc ſententiam laudatam *Jablonskii* diſſertationem.

ϗ

*κ̀ περὶ ἁμαρτίας* ] i. e. *θυσίαν περὶ ἁμαρτίας*, *ſacrificium pro peccato*, quæ notio eſt vocis חטאה in Hebræo. infra verſ. 18. plene *προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας*.

Verſ. 7. *Τότε εἶπον· Ἰδὲ ἥκω κ. τ. λ.* ] Lege huc *Sixtini Amamæ* Antibarbarum Biblicum pag. 490. ſqq. *Daſſovii* Diſputationem de ave ungue ſecta Corol. III. *Joannem Henricum Majum* Obſervationum Sacrarum Parte III. pag. 124. ſeu pag. 133. edit. II. *Ludovicum Cappellum* in Spicilegio Notarum ad Novum Teſtamentum pag. 124. & in Operibus pag. 661. *Pearſonum* ad Symbolum Apoſtolicum pag. 330. verſionis Latinæ, & *Alethæum* Tom. VI. der Erläuterung pag. 9. ſq. Illi inprimis explicant phraſin.

*ἐν κεφαλίδι βιβλίε* ] Diverſas Interpretum ſententias collegit B. *Pfeifferus* in Dubiis Vexatis ad Pſalmi locum pag. 315. qui recte cum pleriſque per *volumen libri* interpretatur, id vero de *Pentateucho*, in quo tot ſacrificiis aliisque modis deſcribatur Meſſias, intelligit. *Majus* loc. cit. elegantem eſſe ait periphraſin loco ſimplicis *βιβλίε*, quemadmodum etiam B. *Lutherus* ita expreſſit. Non autem *κεφαλίδα βιβλίε* a forma rotunda in quam convolvitur liber, quæ *Hammondi* & aliorum eſt ſententia, dictum putat, ſed a tornatis lignis, in extremitatibus membranarum conſpicuis, quæ volvendo revolvendo tollendoque libro inſerviant. Ejusmodi lignum a *Maimonide* Hilcoth *Sepher Tora* cap. IX. 2. 14. עמוד i. e. *columnam*, ſeu *cylindrum* ait appellari, cujusmodi columnæ *capitella* ſua habeant, ex quo factum ſit, ut LXX. columnam talem *κεφαλίδα* appellarent. Vide præterea *Schœtgenium* ad h. l. *Jacobus Cappellus* originem vocis *κεφαλὶς* nimis preſſe conſectatus eſt, quando primam *Geneſeos* Paraſcham intelligi voluit. Confer, quæ contra hæc afferuntur in B. *Joannis Barthol. Rudigeri* Meditatione Sacra de Chriſto per primam & ultimam Sacræ Scripturæ vocem Geneſ. I. 1. & Apocalypſ. XXII. 21. indicato, Gieſſæ 1724. edita.

Verſ. 9. *ὁ Θεὸς* ]Deeſt in uno *Æthiope*, & vel ſic *Millius* in Prolegomenis ex verſ. 7. huc relatum opinatur, cum tamen ratio nulla dari poſſit, cur Paulus eam hic omiſerit, quam antea Hebraico textui & *τοῖς* LXX. convenienter expreſſerat.

Verſ. 10. *Ἐν ᾧ θελήματι* ] id eſt : *qua voluntate impleta*. Sermo enim eſt de ea voluntate, quam ſe facturum pollicitus eſt Dominus verſ. 9.

*ἡγιασμένοι ἐσμὲν* ] *ſanctificati*, i. e. expiati *ſumus*. Sermo enim eſt de victima corporis Chriſti pro hominibus expiandis facta. *Ἡγιασμένοι* itaque ſunt, qui ſupra X. 2. *κεκαθαρμένοι* dicuntur, quæ ſignificatio verbi *ἁγιάζεσθαι* in hac epiſtola frequentiſſima eſt.

Verſ. 11. *Καὶ πᾶς μὲν ἱερεὺς ἕστηκε καθ᾽ ἡμέραν κ. τ. λ.* ] Inſpice *Henrici Mori* Opera Theolog. Lat. pag. 237. & *Gaillardi* Specimen Quæſtionum in Nov. Teſtam. de Filio hominis pag. 192.

 Verſ.

Verſ. 12. Αυτὸς δὲ μίαν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν προσενέγκας θυσίαν ] Lege huc nonnulla in *Gothofredi Olearii* Obſervationibus ad Matthæum pag. 353. & 626.

εἰς τὸ διηνεκὲς ] Voces has non ad verbum ἐκάθισεν, quod proxime ſequitur, ſed ad antecedentia προσενέγκας θυσίαν, à quo adhuc in libris omnibus per στιγμὴν ſeparata fuerunt, pertinere exiſtimat *Lamb. Bos* in Exercitatt. pag 245. hoc ſenſu : *ipſe autem una per omnem vitam oblata pro peccatis victima cepit ſeſſum* &c. Sed non eſt, cur receptam interpunctionem, &, quæ ex ea pendet, expoſitionem deſeramus. Sicut enim phraſis illa, quod Chriſtus ſe ſemel *per omnem vitam* DEO obtulerit, Scripturæ ignota eſt ; ita ipſi ab altera parte receptum eſt, ut Domino exaltato perpetuum regnum tribuat. Vide *Pſ.* XLV. 7. LXXII. 1. 5. & *Luc.* I. 33. Sic ἱερεὺς eodem ſenſu dicitur εἰς τὸ διηνεκὲς, *in perpetuum*, Heb. VII. 3. ubi vide, quæ ſcripſimus. Præterea Apoſtolus dignitatem & vim ſacrificii Chriſti ſemel facti demonſtraturus, docet illud repeti non debere. Hoc autem poſito, ſequitur, cum non debere redire in terras ad novam oblationem faciendam, ſed ad dextram DEI perpetuo ſedere. Confer *Jo. d' Outrein* Diſſertat. de Melchiſedeco non Henocho pag. 49. ſq.

Verſ. 14. Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους ] Comma hoc explicat D. *Frider. Erneſt. Meis* diſſertatione ſingulari Schleuſingæ 1700. edita. Conſtat, noſtrates hoc dicto cum eo, quod verſ. 18. exſtat, efficaciter uti ad evertendum ſacrificium Pontificiorum Miſſaticum ; & fruſtra omnino *Mich. Mauduitius* Tom. II. Analyſeos epiſtolarum S. Pauli pag. 615-635. oſtendere conatur, utrumque locum Miſſæ Pontificiæ fraudi non eſſe. *Lamb. Bos.* l. c. phraſin εἰς τὸ διηνεκὲς ad προσφορὰν refert, quaſi oblationem per omnem vitam factam innuat. Rectius vero ſpectare cenſetur ad verbum τετελείωκε, cui etiam propterea ἀμέσως poſtponitur, hoc ſenſu, quod *perfecerit in perpetuum ſanctificatos.* Lege *Doutreinium* loc. cit. pag. 52. ſq.

Verſ. 15. Μαρτυρεῖ δὲ ἡμῖν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ] i. e. adſentitur nobis Spiritus S., ſententiam à nobis hic explicatam teſtimonio ſuo comprobans. Ita *Xenophon* Memorabil. lib. I. pag. 564. κἀγὼ δὲ μαρτυρῶ τούτοις, *quibus ſane & ipſe adſentior.* Nec aliter *Polybius*. Vtriusque loca recitat Rev. *Raphelius* 314. & 664.

μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι, ] Codices aliquot ſimplex εἰρηκέναι habent, quod propterea in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. At ſalvum eſt verbum compoſitum. Quæ enim verba verſ. 16. recitantur, ea apud *Jerem.* XXXI. 33. ita antecedunt ea, quæ verſ. 34. exſtant, ut nonnulla interjiciantur, quæ hic ab Apoſtolo omittuntur. Similiter ſupra verſ. 8. ἀνώτερον λέγων in allegatione huic ſimili. Comparationem

tionem cum *Jeremiæ* loco inſtituit *Surenhuſius* in Βίβλῳ *καταλλαγῆς* pag. 640. ſqq.

Verſ. 16. *Αυτη ἡ διαθήκη, ἣν διαθήσομαι* ] Lege *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. I. cap. 29.

*διδὺς νόμυς μυ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐπὶ τῶν διανοιῶν αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτὺς* ] Diſcedunt hæc nonnihil a verſione *τῶν* LXX. quod argumento eſt, Apoſtolum illos non ſemper preſſe ſecutum eſſe, quemadmodum id fecerat ſupra VIII. 8. ubi idem locus affertur. Itaque non erat, cur Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani pro *ἐπὶ τῶν διανοιῶν* in textum reciperet *ἐπὶ τὴν διάνοιαν*, paucorum aliquot codicum auctoritate adductus.

Verſ. 17. *καὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν καὶ τῶν ἀνομιῶν αὐτῶν ὐ μὴ μνηθῶ ἔτι* ] Ante hæc verba Codd. alii alia exhibent, nempe, vel, *ὕςερον λέγει*, vel *ὑπὲρ λέγει*, vel, *τότε εἴρηκεν*. Sed illa quidem ab Apoſtolo ipſo profecta non eſſe, vel ex varietate ipſorum patet, quod recte poſt Eſtium monet *Millius*. Interim ſenſus requirit, ut verbum *λέγει* ex v. 16. hic tanquam *ἀπὸ κοινῦ* repetatur, hoc ſenſu: *poſtquam ante dixerat:* hoc eſt teſtamentum &c. *dicit:* *κὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν* &c. Poſterius *αὐτῶν* hic expungit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ideo quod a Codd. nonnullis abeſt. At eadem ratione verba Prophetæ allegat Paulus ſupra VIII. 12. ſicut & *οἱ* LXX. vocem *αὐτῶν* bis exhibent.

*ὐ μὴ μνηθῶ ἔτι* ] Recte *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 229. a. monet, illam DEI memoriam de peccatis ulciſcendis deſignatam fuiſſe perpetua petitione novorum ſacrificiorum, quaſi priora, tam multa, vel non fuiſſent oblata, vel pro nihilo haberentur.

Verſ. 18. *Oπυ δὲ ἄφεσις τύτων, ὐκ ἔτι προσφορὰ περὶ ἁμαρτίας* ] Pertinet huc *Jo. Marckii* diſputat. ſingularis de *ἀφέσει* peccatorum, oblationem tollente, quæ Lugd. Batav. 1706. edita, & Exercitatt. Biblicis pag. 1019. ſqq. inſerta eſt, & *Anton. Hulſii* Specimina Theologiæ Hypotheticæ pag. 75. ſq. Conſtat alias, quæ de *ἀφέσει* & *παρέσει* peccatorum contra Coccejanos diſputentur. Vide quæ ſcripſi Vol. II. harum Curarum pag. 87.

Verſ. 19. *Εχοντες ὖν, ἀδελφοὶ, κ. τ. λ.* ] Hæc verba usque ad v. 25. elegantiſſima & efficaciſſima fore credit *A. Blackwall* in Claſſicis Sacris Parte II. pag. 136. ſq. ſi in duas tantum periodos diſtinguantur, quarum prior deſinat in vocibus, *αἵματι καθαρῷ*, poſterior vero incipiat a verbo *κατέχωμεν*, quod exſtat commate 23. medio. Comma hoc una cum duobus ſequentibus illuſtrat ſecundum hypotheſes ſuas *Anton. Hulſius* l. c. p. 85. ſq. Adde B. *Jo. Chriſtoph. Pfaffii* diſput. de Vita Chriſtiana, Tubingæ 1716.

Verſ. 20. *Ην ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν* ] Verbum *ἐγκαινίζω* reſpondet Hebræo חנך. Vide *Guſſetii* Commentarios L. Hebr. pag. 268. obſervantis, *ἐγκαινισμὸν* ponere rei materialiter ſubſiſtentis aliquam deſtructionem quoad aptitudi-

tudinem & uſum, poſtquam res ea nova aptitudine per conſecrationem donata, cenſetur renovari. Lege ibi alia ad h. l. Pronomen relativum ἣν nolim referre ad antecedentem παῤῥησίαν, ſed potius ad εἴσοδον, quæ vox ipſa repetitur quaſi per vocem ſequentem ὁδὸν, quæ nobis parata dicitur per carnem Chriſti, per nobis ſcilicet in mortem traditam. Hæc via, a Chriſto ſcilicet ipſo morte ſua patefacta & munita, eſt, quam calcare debemus cum παῤῥησίᾳ, i. e. fiducia ſeu pleniſſima fide in ſanguine ejus collocata. Recte itaque *Eraſmus Schmidius* vertit: *Ea via, quam dedicavit nobis recentem ac veram*, vel potius vivam.

πρόσφατον καὶ ζῶσαν ] Placet *Theophylactus* ita παραφράζων: πρόσφατον ἀντὶ τοῦ, νέαν, καὶ ἐπὶ τῶν χρόνων ἡμετέρων φανεῖσαν· ζῶσαν δὲ, διότι ἡ πρώτη ὁδὸς θανατηφόρος ἦν, ἡ εἰς τὰ νομικὰ δηλαδὴ ἅγια. Οὐκέτι γὰρ χώραν ἔχει ἐκείνη, ἀλλὰ τοῖς αὐτὴν παραδεχομένοις θανάτου αἰτία καθίστατο. De voce πρόσφατος lege hic *Er. Schmidium*, qui & de voce ζῶσα h. e. ἀληθινὴ commentatur ad *Matth.* XVI. 16. Πρόσφατος ſecundum *Photii* Lexicon MS. dicitur κυρίως ἐπὶ τοῦ νεωστὶ ἀνῃρημένου. Φάσαι γὰρ τὸ φονεῦσαι, ἀφ᾽ οὗ καὶ φάσγανον· Convenientior eſt *Heſychii* gloſſa: πρόσφατον· τὸ ἀρτίως γενόμενον, νέον, νεαρόν. Rectius πρόσφατος a πρόσφημι videtur derivari, quemadmodum idem *Heſychius* προσφάσθαι per προσειπεῖν exponit.

διὰ τοῦ καταπετάσματος, τουτέστι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ] Vide huc Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. I. pag. 116. ſq. & *Amelii* Erörterung Parte II. pag. 586. ſq. ubi verba hæc cum *Matth.* XXVII. 51. comparantur, & quomodo καταπέτασμα cum carne Chriſti conferatur, oſtenditur.

Verſ. 21. ἱερέα μέγαν ] Vide ſupra ad IV. 14.

Verſ. 22. Προσερχώμεθα μετὰ ἀληθινῆς καρδίας, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως ] De voce πληροφορία vide ſupra ad VI. 11. Cl. *Jo. Alberti* pag. 430. non putat tralationem peti a *navi, qua plenis velis fertur*, ſed potius a *plena menſura*, ſeu *pleno pondere*, ut πληροφορέω ſit quaſi πλήρες φορέω, *plenum pondus adfero; plene ſalvo*, & *ſatisfacio* Hinc tralate cum dici putat πληροφορεῖσθαι, cui tale plenum pondus rationum adfertur, ut de rei veritate ei ſatisfactum ſit. Ita Gloſſæ: πληροφόρημα, *plenitudo, ſatisfactio*: πληροφορῶ, ſatisfacio. *Heſychius*: πληροφορία, βεβαιότης. Confer tamen *Acta Erudit. Lipſienſ.* T. IX. Supplementorum pag. 17. ſq.

ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ] His verſu ſequente junguntur λελουμένοι τὸ σῶμα. *Diog. Laertius* in Vita Pythagoræ tradit, Philoſophorum hanc puritatem λουτροῖς καὶ περιῤῥαντηρίοις *lotionibus & adſperſionibus* quærendam dixiſſe. Confer *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus pag. 1030. & *Pet. Zornium* in diſſert. de Scholis Judæorum publicis cap. II. §. 3. & Tom. I. Bibliothecæ Antiquario Exeget. pag. 530. De re ipſa lege B. *Sonntagii* Enucleationem dicti baptiſmalis Altorf. 1696.

Verſ.

Verſ. 23. *Καὶ λελυμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ* ] Rectius hæc junguntur verſui antecedenti, quod & *Eraſmus Schmidius* & B. *Lutherus* fecit.

*κατέχωμεν τὴν ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος* ] *teneamus confeſſionem ſpei.* Ita recte *Schmidius* & Interpretes tantum non omnes. Vide ſupra ad III. 1. *Hombergius* mavult; *teneamus promiſſionem vel conditiones fœderis, quibus mediantibus aſſumti & in deditionem quaſi & fœdus recepti ſumus.* Urget ille, quod *ὁμολογίαν ποιεῖν* Græcis ſit *fœdus facere, paciſci cum aliquo.* Hoc quidem negari non poteſt per loca veterum a *Valeſio* in obſervationibus ad notas *Mauſſaci* in Harpocrationem pag. 250. & *Lamb Bos* in Animadverſionibus ad Scriptores Græcos pag. 24. allata. Hic vero locum habere non poteſt. Sermo enim eſt de *ſpe*, cujus *confeſſionem* tenere oporteat. Jam vero ſpes fertur in promiſſa. Hinc fit, ut ſtatim addatur, *fidelem eſſe* (DEUM, ) *qui promiſerit.* Itaque non agitur de conditionibus, quibus ſtare debeant homines, ſed de promiſſionibus, quarum ſpem profiteantur, quasque certiſſime exſpectare debeant ab eo, qui illas fecit. Eodem ſenſu ſupra III. 6. dicitur, *ἐάν περ τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν.* Ipſe *Hombergius* paulo poſt pag. 347. rectius *ὁμολογίαν τῆς ἐλπίδος* per profeſſionem fidei vel aggregationem ad Chriſtum per fidem, interpretatur.

*ἀκλινῆ* ] *non vacillantem.* Vide *J. C. Dieterici* Antiquitat. Biblic. N. T. Vol. I. pag. 70. b.

Verſ. 27. *Καὶ κατανοῶμεν ἀλλήλους εἰς παροξυσμὸν ἀγάπης* ] *Et obſervemus alii alios, ut* nos invicem *exacuamus ad charitatem.* Ita *Eraſmus Schmidius.* *Παροξυσμὸς* ſcilicet in bonam partem pro *incitamento* accipitur. Gloſſæ veteres: *παροξυσμὸς, ſtimulatio, concitatio, incitamentum.* Eædem: *παροξυντὴς, concitator, ſtimulator* & *παροξύνω, incito, ſtimulo, concito, exacuo. Heſychius*: *παρορμᾷ* explicat per: *προτρέπεται, διεγείρει, παροξύνει.* Confer eundem voce *παροξυνταί.* Adde *Suicerum* Tom. II. pag. 602.

Verſ. 25. *Μὴ ἐγκαταλείποντες τὴν ἐπισυναγωγὴν ἑαυτῶν* ] *Non deſerentes aggregationem noſtri mutuam.* Id Interpretes tantum non omnes de frequentandis cœtibus Eccleſiaſticis acceperunt. At *Hombergius* pag. 347. ſqq. omnis in eo eſt, ut evincat, *converſionem & adductionem Hebræorum ad fidem* intelligi debere. Adſtipulantur illi ex noſtratibus *Alethæus* Parte I. der Erläuterung pag. 8. ſq. & *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 758. Urgent illi imprimis, quod Dominus noſter *Matth.* XXIII. 37. verbum *ἐπισυναγαγεῖν* de adductione Judæorum ad ſe adhibeat, quemadmodum Paulus voce *ἐπισυναγωγὴ* 2 *Theſſal.* II. 1. de congregatione fidelium ad Chriſtum utatur. Enimvero utrinque primario *collectio* indicatur, quæ pro diverſitate objecti alia atque alia eſſe poteſt. Hic vero non de converſione aliorum ad Chriſtum agi ex eo manifeſtum mihi videtur, quod ad converſos ſcribit Apoſtolus, qui tenere

 de-

debeant fidem & ſpem, quam ſemel profeſſi ſunt, & ſe invicem excitare, non tam ad fidem, in qua jam ſtent, quam ad amorem & bona opera. Cum vero ejusmodi excitatio non rectius perfici poſſit, quam ſi communi opera ſacris operentur, & cultui divino vacent, patet, cur Paulus ad frequentandos cœtus ſacros cohortetur. Non obſtat, ceu *Hombergio* videtur, quod Paulus non *ἐπισυναγωγὴν ὑμῶν* ſed *ἑαυτῶν* ſcripſerit. Poſteriori enim phraſi ideo uſus eſt, ut moneret, eos ſe invicem ad congregationem ejusmodi frequenter celebrandam excitare debere. Hoc vero tanto magis neceſſe erat, quod Chriſtiani illius ætatis timore vel Judæorum vel Gentilium a cœtibus publicis & ſacris facile poterant avocari. Pro noſtra ſententia pugnat D. *Jo. Jac. Pfizerus* in diſſertat. ſingulari de congregatione non deſerenda, Altorfii 1718. habita. Adde *Simonem Epiſcopium* in Reſponſ. ad Quæſtionem LII. Tomo I. Operum & *Joſ. Mede* in Demonſtratione cultus DEI publici, qaam B. *Benthemius* ex Anglico converſam & præfatione ſua munitam edidit. Noviſſime doctiſſimus *Schœtgenius* in Horis Hebraicis pag. 982. hoc ipſum adductis Hebræorum, eandem rem eadem loquendi ratione præcipientium, locis firmat. Inter hos eminet, quod *Hillel* in *Pirke Avoth.* II. 4. ait; אל תפרוש עצמך מן הציבור *ne ſepares te à congregatione;* & quod legitur in *Taanith.* fol. 11. 1. *Homo,* שפירש מן הצבור *qui ſeparat à cœtu, non videbit conſolationem, quæ Eccleſiam tanget.* Sunt etiam, qui defectionem a cœtu fidelium hic diſſuaderi cenſent. Inter hos eſt *Mich. Mauduit* in Tom. II. Analyſeos epiſtolarum Pauli pag. 636. ſqq. qui etiam *τὸ ἔθος* ſeu *conſuetudinem* non ad privatos homines, in quos illa cadere non poſſit, ſed ad certum hominum genus vel ſectam. v. c. Phariſæos refert.

*κὴ τοσούτῳ μᾶλλον, ὅσῳ βλέπετε ἐγγίζουσαν τὴν ἡμέραν* ] Per *ἡμέραν Jac. Cappellus* & alii diem noviſſimorum temporum populi Judaici, qui typus diei extremi fuerit, intelligit. Nec aliter vir modo laudatus pag. 983. judicium & deſtructionem Reipubl. Judaicæ ſignificari exiſtimans. Cum vero Judicium extremum univerſale in Sacris literis paſſim *κατ᾽ ἐξοχὴν* appelletur *ἡμέρα*, ab hac notione diſcedere nolim, inprimis cum ſtatim *φοβερὰ ἐκδοχὴ κρίσεως* commemoretur. Hoc vero judicium aliquando certiſſime exſpectandum, & cui homo poſt fata ex parte ſubjicitur, magis excitare poterat converſos ad tenendam, quam profeſſi erant, fidem, quam vindicta de Judæis brevi ſumenda. Interim altera illa expoſitio ſe etiam *Joſ. Medo* probavit in Operibus pag. 664.

Verſ. 26-29. illuſtrantur à noſtratibus, ubi de peccato in Spiritum S. commentantur. Confer ad eosdem *Jac. Martini* diſputat. de contumelia, qua Spiritum gratiæ afficiunt voluntarie peccantes. Witteberg. 1646. *Jo. Marckium* in Exercitatt. Biblicis pag. 1032. ſqq. *Anton. Klinglerum* in Dodecade Exercitatt. Academicar. p. 25. ſqq. & *Jo. Claudium* Tom. IV. Operum p. 59. ſqq.

Verſ.

Verſ. 26. Ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν ] *Nam ſi ultro peccaverimus.* Non peccatum voluntarium quodcunque, ſed defectionem a fide ſponte ſuſceptam &c. hic ſignificari & res ipſa, & locus parallelus *Hebr.* VI. tum vero phraſis, v. 29. ὁ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατήσας credere nos jubent. Imo ipſa ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας, proxime poſt ἁμαρτανόντων commemorata, oſtendit, de diſceſſione ab illa facta ſermonem eſſe. Confer ex noſtratibus *Speneri* Reſponſa Theolog. German. Part. I. pag. 324. ex Anglis Rev. *Benjam. Hoadley*, Epiſcopum, in *Several Diſcourſes concerning the terms of acceptance with God*, concione VIII. cujus ſummam habes apud *Clericum* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. IX. Part. II. pag. 444. ſq. *Maudutius*, ad v. 25. allatus, τὸ ἡμῶν ad Hebræos converſos tantum refert, hoſtiam vero pro peccatis intelligit de ſacrificiis legalibus, ad quæ quidam ex iis nutantes redire volebant. Peccata vero non tantum apoſtaſiam, tanquam enorme illud, ſed omnia, quæ quis vel perpetrarit, vel patrare inpoſterum poſſit, innuere cenſet, tanquam ad quæ levanda, omnia ſacrificia legalia non ſufficiant. Sed hæc quidem, & ſpeciatim poſtremum momentum aliter habere, evincit phraſis ſequens.

οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία ] Hæc omnino reſpectum habent ad ſacrificium à Chriſto ſemel præſtitum tanquam nunquam in peccatorum ejusmodi, qui illud conculcant, gratiam repetendum. Ita ſupra IV. 9. ἀπολείπεται σαββατισμός. Ceterum ipſi Judæi profitentur, tempore Meſſiæ nulla fore ſacrificia, præter illud תודה ſeu laudis & gratiarum actionis. Ita enim *Kimchi* ad *Jerem.* XXXIII. 11. & alii apud *Raymund. Martini* in Pugione Fidei pag. 814. edit. Lipſienſ. Confer Bibliothec. Lubecenſem Parte VI. pag. 243.

Verſ. 27. Φοβερὰ δέ τις ἐκδοχὴ κρίσεως ] *ſed terribilis exſpectatio judicii*, ſeu per enallagen, exſpectatio tremendi judicii, quæ *Jac. Cappelli* eſt ſententia.

ἐσθίειν μέλλοντος τοὺς ὑπεναντίους ] *qui devoraturus eſt adverſantes.* Ex hoc loco patere poteſt, vocem ὑπεναντίους non *ſubcontrarios*, vel occultos quosdam hoſtes, ſed profeſſos & præfractos adverſarios inferre, de qua vocis notione ſupra actum eſt ad *Coloſſ.* II. 14. Locis, ibi a *Jo. Alberti* recitatis, alios idem addit ad h. l. pag. 431. ubi tamen candide etiam monet, *Plutarchum* in Laconic. Apophthegmat. pag. 212. in phraſi, τοὺς δὲ ὑπεναντιουμένους αὐτῷ φανερῶς μὲν οὐκ ἐτάρατῖε eos videri inferre, *qui clanculum ſe oppoſuerint*, ut *Xylander* vertit. Sed recte quoque obſervat, & ibi adverſarios quoscunque inferri, cum mox τοῖς ὑπεναντιουμένοις opponatur μηδεὶς ἀντίπαλος. *Curcellæus* inter varietates affert ἐπεναντίος tanquam in codice aliquo lectum. *Millius* ad *Curcellæum* tantum provocans, alibi ſimilem non invenit, ut proinde recte calami præcipitis lapſui tribuatur, cum non meminerim, vocem ipſam alibi legere, quando ab altera parte illa ὑπεναντίος a Scriptoribus frequentatur.

Verſ. 28. Ἀθετήσας τις νόμον Μωσέως ] Confert hæc cum *Numer.* XV. 30. 31. & *Deut.* XVII. 6. *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 643. ſq. Priori loco homo, qui elata manu adverſus Dominum peccaverit, Dominum blaſphemaſſe, verbum ejus contempſiſſe, & præceptum ejus irritum reddidiſſe ( את מצותו הפר ) dicitur, atque adeo mortis pœna dignus judicatur. Itaque phraſis ἀθετεῖν τὸν νόμον contemtum legis Moſaicæ ſuperciliofum & præfractam ejus violationem infert, reſpondetque phraſi Hebraicæ modo allatæ. Eadem quoque verbi Græci notio eſt. *Heſychius* : ἀθετεῖν ἀτιμάζει, ῥιπτάζεται. Et ἀθετεῖται· ὑβρίζεται, καταφρονεῖται. Confer *J. C. Dieterici* Antiquitt. Biblic. Nov. Teſtam. Vol. I. p. 51. Hinc convenienter *Jac. Cappellus* τὸν ἀθετήσαντα eum dici putat, qui vel Judaiſmum ipſe deſeruerit, vel alios ad deſerendum pellexerit. Ex quo eadem opera patet, Paulum h. l. etiam reſpectu Chriſtianorum de apoſtaſias crimine cogitaſſe.

Verſ. 29. Πόσῳ δοκεῖτε χείρονος ἀξιωθήσεται τιμωρίας ] Scilicet τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ θεῶν. *Magnarum injuriarum magnæ ſunt a diis ultiones. Herodoti* judicio lib. II. p. 150.

ὁ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατήσας, καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος ] Hæc una cum ſequentibus usque ad finem commatis explicat *Jo. Lightfootus* ſingulari diſſertatione, quæ legitur in Operibus ejus Anglicanis Tom. II. Part. II. pag. 1252-1258.

ὁ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καταπατήσας ] Similis eſt *Homeri* phraſis Iliad. Δ. ubi Agamemnon in fœdifragos Troas ita invehitur :

- - κατὰ δ' ὅρκια πιστὰ πάτησαν,
Οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν
Σπονδαί τ' ἄκρητοι.
- - - *Fœdera fidelia conculcarunt.*
*Sed nullo modo vanum eſt jusjurandum, ſanguisque agnorum*
*Puræque libationes.*

*Euſtathius* ibi ait : πολλὴν δηλοῖ καταφρόνησιν τὸ πατῆσαι. Conf. Bibliothec. Bremenſ. Claſſ. I. pag. 261. ſq.

καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος ] Lege *Feſſelii* Adverſaria ſacra Tom. I. p. 376. & *Jac. Lydii* Syntagma de re militari p. 202.

ἐν ᾧ ἡγιάσθη ] *Jo. Claudius* loc cit. ad v. 26. pag. 72. verbum hoc referri poſſe monet vel ad Chriſtum, vel ad Teſtamentum, vel ad peccatorem in Spiritum Sanctum. Poſtremum præſtat, cum ipſa ſermonis ſtructura oſtendat, de eo ſermonem eſſe, qui dicitur κοινὸν ἡγησάμενος. Ejus enim crimen hoc ipſo amplificatur, quod ſanguinem fœderis impurum habeat, & profanet, per quem tamen ipſe ante ſanctitatis factus ſit particeps. Varias aliorum ſententias recitat *Herman. Venema* in Diſſertatt. Sacris lib. II. cap. 381. ſqq. Vide Patres apud *Petavium* Tom. II. Dogmatum Theologic. lib. VIII. cap. 4. §. 14. ſq.

Verſ.

Verſ. 30. Εμοὶ ἐκδίκησις, ἐγὼ ἀνταποδώσω ] Vide ad *Rom.* XII. 19. Εμοὶ ἐκδίκησις, per Hebraiſmum dici viſum eſt nonnullis pro, ἐμὴ ἐκδίκησις. Sed Græcum eſſe nube exemplorum oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Nov. Teſt. ab Hebraiſmis pag. 234. Ita *Xenophon* bis in brevi oratione lib. VIII. pag. 184. παῖδες ἐμοὶ καὶ πάντες οἱ παρόντες φίλοι, ἐμοὶ μὲν τῷ βίῳ τὸ τέλος ἤδη πάρεστιν. Et ſic in Memorabil. Socratis II. p. 583. οἱ μὲν ἐμοὶ φίλοι καλοῦσί με εὐδαιμονίαν.

λέγει Κύριος ] Omittunt Codd. aliquot, & verſiones. Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani propterea ex contextu expungit, qui tamen, ſi conſtare ſibi voluiſſet, itidem omittere debebat *Rom.* XII. 19. ubi eadem prorſus ratione hæc ſententia a Paulo affertur, ab ipſo quoque Anglo ita repræſentata.

Κύριος κρινεῖ τὸν λαὸν αὐτοῦ ] Leguntur hæc *Deut.* XXXII. 36. ex loco, ubi pœna denunciatur graviſſima Judæis, qui venturum Meſſiam ſint averſaturi. Cumque ejusmodi vindicta ad Pauli inſtitutum h. l. apprime faciat, in judicio hoc vindicativo acquieſcere malim, quam cum aliis dicere, τὸ κρίνειν hic idem eſſe, quod *vindicare populum*. Interim conſtat alias verbo κρίνειν hic ſignificatus, quod ex *Xenophontis* Cyropæd. VIII. pag. 168. oſtendit *Raphelius* pag. 314.

Verſ. 31. Φοβερὸν δὲ τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος ] Vide *Schotti* Adagialia Sacra. Similis fere *Polybii* phraſis exſtat lib. XV. p. 973. πεσοῦσι δ' ὑπὸ τὰς τῶν Καρχηδονίων χεῖρας.

Verſ. 32. Αναμιμνήσκεσθε δὲ τὰς πρότερον ἡμέρας ] Αἱ πρότερον ἡμέραι eleganter Græcorum more dicuntur. Vide *Joſ. Waſſium* & *Dukerum*, Viros eruditiſſimos, ad *Thucydidem* lib. VI. §. ubi uterque pro ἐν τῷ προτέρῳ χρόνῳ ex MSS. & aliis Auctoribus reſtituunt ἐν τῷ πρότερον χρόνῳ. Conf. *Ariſtophanis* Equites v. 1352.

ἐν αἷς φωτισθέντες ] Vide ſupra ad VI. 4.

πολλὴν ἄθλησιν ὑπεμείνατε παθημάτων ] *magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Eleganter vita hominis comparatur cum ſtadio & cum palaſtra; & mala, calamitates, ærumnæ, quæ homini eveniunt, cum laboribus, quos ſuſtinere, & cum adverſariis, ſive antagoniſtis, quibus cum luctari & certare conſueverunt athletæ.* Verba habes *Lamb. Bos* in Obſervationibus Miſcellaneis pag. 92. quæ deinde ex ſacris & profanis Scriptoribus firmat.

Verſ. 33. Τοῦτο μὲν ὀνειδισμοῖς τε καὶ θλίψεσι, κ. τ. λ. ] Totum comma hoc explicat *Rob. Gell* in Reliquiis Anglice editis p. 694-699. Τοῦτο μὲν — τοῦτο δὲ per ellipſin præpoſitionis κατὰ idem eſt, quod Latini dixerint *cum — tum, vel, partim quidem — partim vero.* Ita frequentiſſime *Herodotus*, cujus locus recitat *Raphelius* p. 629. & *Blackwallus* in Claſicis Sacris Tom. II. p. 53. Sic lib. III. p. 219. καὶ τοῦτο μὲν Ασπαθίνην παίει ἐς τὸν μηρόν, τοῦτο δὲ Ινταφέρνεα ἐς τὸν ὀφθαλμόν. *Tum Aſpathinis femur percuſſit, tum oculum Intaphernis.*

*θεατριζόμενοι* ] Duo Codices legunt *ὀνειδιζόμενοι*, procul dubio ex interpretamento, quo tamen vim & efficaciam verbi admodum deteri recte obſervavit ***A. Blackwall*** in Claſſicis Sacris Tom. II. pag. 224. Compoſitum verbum *ἐκθεατρίζειν* aliquoties exſtat apud ***Polybium***, quod ***Raphelius*** oſtendit pag. 664. & ***Kirchmaierus*** in Paralleliſmo dictionis Novi Teſtamenti, & Polybii pag. 53. Ita pag. 336. Carthaginenſes dicuntur *ἐκθεατρίζειν τοὺς πολεμίους φυγομαχοῦντας*, ***quaſi in ſcena hoſtium, pugnam detrectantium, ignaviam eſſe publicaturos.***

Verſ. 34. *Καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε* ] ***Nam etiam de vinculis meis mecum doluiſtis.*** Origenes Protreptic. ad Martyr. legit *δεσμοῖς*, ſine *μου*; at *δεσμίοις* habent ſex Codices a ***Millio*** allati, quam lectionem exprimunt etiam ***Coptus***, ***Vulgatus***, ***Syrus***, nec minus ***Chryſoſtomus*** & ***Theophylactus*** in Commentariis. Eandem probant ***Eſtius*** & ***Grotius***, tanquam conformem phraſi XIII. 3. *μιμνήσκεσθε τῶν δεσμίων*. ***Millius*** in Prolegom. §. 646. non dubitat, receptam illam ab iis profectam eſſe, qui epiſtolam hanc Paulo tribuebant, eique hoc argumento vindicare cupiebant. Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani *τοῖς δεσμίοις* in contextum recepit, & pag. 850. confidenter pronunciat, hanc lectionem procul dubio eſſe germanam, alteram vero illam per fraudem in gratiam firmandæ, quam modo diximus, hypotheſeos ingeſtam. ***Whitbius*** quoque in Commentario ad h. l. *δεσμίοις* præfert, quemadmodum nec in Examine Milliano in ***Millii*** opinionem, quod alias facere ſolet, animadvertit. Idem amplectitur ***W. Wall*** in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 313. At recte tenetur lectio communior. Apoſtolus enim v. 33. jam laudaverat Hebræos in univerſum, quod in ſocietatem eorum, qui varia, atque adeo etiam vincula, perpeſſi eſſent, venerint, nempe vices eorum miſerantes, & opem, qualem poterant, ferentes. Atque hoc ipſum verſ. 34. ſuo comprobat exemplo. Ita omnino accipienda ſunt verba, niſi idem repetita vice dixiſſe videri debeat. Ex adhortatione Paulina cap. XIII 3. *μιμνήσκεσθε τῶν δεσμίων* non magis confici poteſt, legendum h l. eſſe *δεσμίων*, quam diſſentientes admiſerint, legi debere *δεσμῶν* quia ***Coloſſ.*** IV. 18. legitur *μνημονεύετε τῶν δεσμῶν μου*. Quod porro noſtra lectio *δεσμῶν μου* ab illis derivatur qui Pauli hanc epiſtolam eſſe crediderint, id eadem veri ſpecie torqueri in contrariæ ſententiæ patronos poteſt. Quis enim præſtiterit, eos, qui negabant, eſſe Pauli, atque hæc verba ſibi efficaciter opponi poſſe ſentiebant, non libentiſſime vel lectionem alteram, caſu forte expreſſam, admiſiſſe, vel deſtinata opera invexiſſe? Taceo, fraude ejuſmodi recte ſentientibus opus non fuiſſe, cum validiora ſententiæ ſuæ argumenta in promtu haberent, quibus inniti poſſent. Et ſi talia non exſtarent, ſola vinculorum Apoſtoli mentio rem non erat confectura, cum plures ex Apoſtolis vincti fuerint, ut ab alio vel ſic exarata credi potuiſſet. Obſignabo hæc ***Jacobi Cappelli*** verbis: ***Et hæc certe lectio***, inquit, ***probabilior eſt, ut, quæ melius conveniat tum Helleniſmo, tum Pauli ſtilo,***

Digitized by Google

*ſtilo, ſua vincula paſſim in epiſtolis ſuis commemorantis, non inani jactantia. ſed ut catenis ac ſtigmatis ſuis, quaſi totidem ſigillis, uteretur ad veritatis Evangelicæ confirmationem.* Quod ad Helleniſmum attinet, *Cappellus* procul dubio id voluit, quod Paulus alias cap. IV. 15. συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις dicit, quemadmodum συγκοινωνήσαντας τῇ θλίψει *Philipp.* IV. 14. appellat.

καὶ τὴν ἁρπαγὴν τῶν ὑπαρχόντων ὑμῶν μετὰ χαρᾶς προσεδέξασθε ] *Polybius* pag. 397. ſimiliter ἁρπαγὰς ὑπαρχόντων, *direptiones facultatum* appellat. *Epictetus* ad DEUM ita fatur: πένης ἐγενόμην σοῦ θέλοντος, ἀλλὰ χαίρων. De re ipſa lege nonnulla apud *Gatakerum* ad M. Antoninum pag. 205.

γινώσκοντες ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς κρείττονα ὕπαρξιν ] Pro ἐν ἑαυτοῖς editiones quædam, v. c. *Aldi*, *Colin.* *Eraſmi* prima, duæ priores *Roberti Stephani* habent ἑαυτοῖς, quod & Codices aliquot, cumque iis *Chryſoſtomus* & *Theodoretus*, referunt. Pauciores habent ἑαυτοὺς, quam lectionem expreſſerunt *Vulg.* *Syrus*, *Arabs*, *Æth.* Atque hos ſequitur Anglus in editione Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. At cave recedas a communiore, quam vides, lectione. Phraſis enim, ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς, i. e. ἐν ὑμῖν αὐτοῖς, *apud vosmet ipſos*, emphatica eſt, & ſpem infert bonorum cœleſtium, ſeu in cœlis jam repoſitorum, quibus nunc quidem ex parte perfruantur, olim vero plenius ſint fruituri. Hæc ſpes, hæc ex parte fruitio *in ipſis*, ſeu, *apud ipſos* eſſe dici omnino poterat. Hac vero ratione Paulus etiam alibi loquitur, v. c. 2 *Corinth.* I. 9. ἀλλὰ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς τὸ ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἐσχήκαμεν. 1. *Theſſal.* V. 13. εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς. *Jac.* II. 4. καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς. Ὕπαρξις itaque ἐν ἑαυτοῖς, tanquam interior, ab ipſis poſſeſſa, nec temere ſurripienda, opponitur bonis extra ipſos poſitis, & hoſtium manu ſurreptis, atque prior illa vel ideo κρείττων & μένουσα appellatur.

ἐν οὐρανοῖς ] Omittunt pauci Codices, Verſiones quædam, & Clemens Alexandr. Ideo ex margine irrepſiſſe *Millio*, editori autem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani prorſus omittenda viſa ſunt. Procul dubio autem duæ illæ voces ab iſtis omiſſæ ſunt, qui non viderunt, quomodo Hebræi apud ſe habere ea dici poſſent, quæ ſint in cœlis. Si vero recogitaſſent, quæ Paulus XIII. 14. οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν, vidiſſent ſane, hæc ita dici, ratione ſpei in cœleſtibus bonis etiam hic defixæ.

Verſ. 35. Μὴ ἀποβάλητε οὖν τὴν παῤῥησίαν ὑμῶν ] *Ne abjiciatis igitur fiduciam veſtram.* Ita Interpretes tantum non omnes. *Vulgatus* habet: *ne amittatis;* idque rectius videtur *Jacobo Cappello*, cum Græci alias *abjicere* dicant ἐκβάλλειν ἀποῤῥίπτειν & ἀποβάλλεσθαι. Ita οἱ LXX. Jeſ. I. 30. arborem folia dicunt ἀποβάλλειν, *amittere*, & *Joſephus* Antiquitatt. V. 11. exercitum ait ἀποβαλεῖν εἰς τρισμυρίους. At hæc verbi ſignificatio non eſt perpetua. Ipſi illi

LXX.

LXX. τὸ ἀποβάλλειν *Jerem.* LII. 2. ad exponendum Hebraicum תשליך adhibuerunt. *S. Marcus* eandem illi notionem ſubjicit X. 50. ubi non video, quomodo illi *amittendi* ſignificatus, ceu *Cappello* videtur, tribui poſſit. Hoc vero loco id præterea accedit, quod Hebræos cohortatur Apoſtolus, ut non deficiant temere ab agnita veritate, de quo crimine in ſuperioribus graviter dixerat. Denique τὸ ἀποβάλλειν opponitur τῷ κρατεῖν, *firmiter tenere*, cap. IV. 4. cap. VI. 18. & κατέχειν cap. III. 6. 14. & in hoc capite verſ. 23. *Jacobus Lydius* in Syntagm. de re militari pag. 70. convenienter monet, fidem hic ab Apoſtolo, qui antea ἄθλησιν commemoraverat, inſtar clypei repræſentari, qualem qui olim in præliis abjecerant, infames habebantur.

Ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν] *patientia vobis opus eſt*, ſive, ut alii malunt, *conſtantia*. Pro poſteriore verſione lege *Starckii* Notas Select. ad h. l. Confer *Hülſemanni* Breviarium cap. XII. Supplement. p. 189. & *Schotti* Adagialia Sacra.

Verſ. 37. Ἔτι γὰρ μικρὸν ὅσον ὅσον] Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, ὅσον illud ſemel tantum exhibet contra ſcriptos & editos libros omnes, ſi *Claromontanum* exceperis. *Millius* pro eadem lectione Interpretem *Coptum* & edit. *Colin.* affert, cum tamen utrinque vox repetita vice legatur. Eadem phraſi utuntur οἱ LXX. *Jeſ.* XXVI. 20. Itaque & hic tenenda eſt. Senſus eſt: *quantum quantum*, vel, *quantumcunque ſit*. Compara de phraſi hac diligenter differentem *Eraſmum Schmidium* ad *Marc.* V. 9. & *Joannem Vorſtium* in Philologia Sacra p. 248. qui poſterior de Hebraiſmo præceps cogitat, quod oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 340. Ita enim *Ariſtophanes* in Veſpis:

Τί οὐκ ἀπεκοιμήθημεν ὅσον ὅσον στίλην.

*Quidni minutum quantum quantum obdormiſcamus.*

Ibi Scholiaſtes obſervat ὅσον ὅσον στίλην ſignificare τὸ ἐλάχιστον.

ὁ ἐρχόμενος ἥξει] Phraſium ejusmodi, in quibus verbum participio ejusdem originis vel ſignificatus occurrit, uſum nec a Scriptoribus alienum eſſe oſtendit idem, quem modo dixi, pag. 192. Præſens phraſis in illam claſſem referri non poteſt, quia vox ἐρχόμενος Dominum indicat, in quantum alias ἐρχόμενος ſeu *venturus* appellatur. Vide nos ad *Matth.* XI. 3.

καὶ οὐ χρονιεῖ] Reſpicit Apoſtolus ad *Habac.* II. 3. 4. Ibi quidem de adventu Meſſiæ, tunc venturi, agitur, ſimulque fidei fit mentio, quam cum Apoſtolus h. l. urgeret & commendaret, patet omnino, quo fine illo Vatis divini loco utatur, nempe, ut conſtantiam & perpetuitatem ejus inculcet. Hunc Apoſtoli ſcopum non adſecuti ſunt, qui phraſin illam, quod & *Medus* loc. cit. facit, de adventu Domini ſpeciali ad vindicandam Judæorum incredulorum pertinaciam acceperunt. Paulo hic res eſt cum illis, qui κομίσονται τὴν ἐπαγγελίαν.

Digitized by Google

γιλίαν. Hanc vero reportabunt illi, qui in fide ſtant & perſeverant. Pauli verba, in quibus nec Hebr. textus, nec τῶν LXX. verſio penitus exprimitur, cum Habacuci illis comparat *Guſſetius* in Veſperis Groninganis pag. 345. ſq.

Verſ. 38. O δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται] Vide ad *Rom.* I. 17. & *Galat.* III. 11. *Jacobus Cappellus* ad h. l. ſcite monet, phraſin ἐκ πίστεως medium inter cetera verba locum occupare, ut intelligatur, veram eſſe orationem, ſive ad δίκαιος, ſive ad ζήσεται referatur. Ceterum Codices pauci h. l. poſt δίκαιος, alii autem poſt πίστεως addunt μου. Poſterius hoc rectum cenſet *Millius* in Prolegomenis §. 932. recte renitente *Whitbio* in Examine pag. 76. his verbis: *Sed, cum Apoſtolus citet hæc ipſa verba absque μου,* Rom. I. 17. *&* Galat. III. 11. *cur ſententiam ſuam hic variarit, cauſa nulla eſt, præſertim, cum lectionem in textu firment omnia Græca ſcholia.*

καὶ ἐὰν ὑποστείληται] Ita & οἱ LXX. Hebraicum עפלה expreſſerunt, quod rectius verti non potuiſſe contendit. Alii in omnia alia abeunt. Vide inprimis *Joannem Pearſonum* in Præfatione, τοῖς LXX. editionis Londinenſis præmiſſa, *Clericum* Tom. XX. Bibliothecæ Selectæ Parte I. pag. 14. ſq. *Cappellum* in Operibus Criticis pag. 107. *Pocockium* ad Portam Moſis pag. 42. *Alex. Morum* ad h. l. & *Guſſetium* in Commentariis Linguæ Hebrææ rad. עפל lit. M. Adde *Petri Zornii* Bibliothecam Antiquario-Exegeticam Tom. I. pag. 896.

οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ] Vide *Guſſetii* Commentarios Linguæ Hebrææ rad. ישר, litera D. pag. 356. b. & *Stephani* Theſaurum Tomo I. col. 1030. H.

Verſ. 39. Ἡμεῖς δὲ οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς] Scilicet υἱοὶ, vel τέκνα, vel ἄνδρες. Vide *Lambertum Bos* de Ellipſi Græcæ Linguæ pag. 213. *Guſſetius* loc. cit. pag. 356. ita: *Agitur* (Habac. II. 4.) *de* עפלה, h. e. *de* איש עופלה. *Sæpe enim ſuppletur* איש *in talibus* (*e. g.* Pſalm. XXXVI. 12.) *& ſic reſpondebit ὁ ἄνθρωπος ὑποστολῆς, prout loquitur Paulus* Hebr. X. 39. οὐκ ἐσμὲν ὑποστολῆς. M. Antonin. τὸ ὑποστέλλεσθαι dicit χωρίζειν ἑαυτὸν, item ἀποσχίζειν τὴν ἰδίαν ψυχὴν, aut ἀποσχίζειν ἑαυτόν. Vide *Gatakerum* ad cap. XI. 8. pag. 392.

εἰς περιποίησιν ψυχῆς] *ad conſervationem animæ.* Ita *Xenoph.* Cyropæd. lib. IV. pag. 82. νῦν ὅτι ἐπείθεσθε, τὰς ψυχὰς περιποιήσασθε. *Vitam vobis conſervaſtis eo ipſo, quod paruiſtis.* Eodem verbo ſimili ſignificatu uti *Herodotum* & *Polybium* ſuis locis oſtendit *Raphelius.* Confer, quæ ſcripta ſunt ad *Epheſ.* I. 14. 1 *Theſſal.* V. 9. & 2 *Theſſal.* II. 14.



Digitized by Google

# CAPUT XI.

AD integrum hoc caput ſpectat *David Martini*, Doctoris quondam Reformati, liber Gallicus de præſtantia & effectibus fidei, *Amſtelod.* 1710. 8. & ex noſtratibus B. *Joannis Chriſtophori Pfaffii* diſſertatio de fide Patrum Antediluvianorum, Tubingæ 1716.

Verſ. 1. Ἐςι δὲ πίςις] Nollem hæc ὁ δεῖνα ita accepiſſet, ac ſi Apoſtolus requireret hic à Judæis, ut in Chriſtum credant, eoque fine ex Veteri Teſtamento copioſa exempla afferret, ut intelligerent, nihil ſe novi ab illis poſtulare. Non erat res Apoſtolo cum Judæis incredulis, ſed cum Ex-Judæis, quos à fidem conſtanter tenendam cohortaturus ipſius fidei naturam primum deſcribit, deinde vero exemplis, ad imitationem propoſitis, munit. Ad eos enim ſcribebat, quibus antea dicere poterat: μὴ ἀποβάλητε ὖν τὴν παῤῥησίαν ὑμῶν, & ὑπομονῆς γὰρ ἔχετε χρείαν. cap. X. 35. 36.

ἐλπιζομένων ὑπόςασις] Aſſentior illis, qui ὑπόςασιν de *certa fiducia*, ad res ſperatas relata, accipiunt. Hæc enim vocis notio eſt apud τὺς LXX. quorum locos ſupra ad cap. III. 14. appellavimus, ubi Apoſtolo eadem ſignificatu adhibetur. Nec alienus ille eſt ab uſu externorum Scriptorum. Ita *Polybius* lib. VI. pag. 691. de Horatio Coclite: διακατέσχε τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν· ὐχ ὕτω τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόςασιν αὐτῦ καὶ τόλμαν καταπεπληγμένων τῶν ὑπεναντίον. *Irruentium hoſtium impetum inhibuit, quos non adeo vis Coclitis, ut præſentia animi conſtantiaque & audacia admiratione defixit.* Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 665. & doctiſſimi *Elsneri* Obſervationes pag. 363. qui vocis vim eam eſſe ait, ut *veram erroriſque expertem fiduciam* inferat, *cui res ſperatæ quaſi præſentes ſiſtantur, quæ ſpe ſua non excidat, quæ à propoſito ſcopoque non dimoveatur. Artemidorus*, quem idem affert, lib. I. Oneirocriticor. pag. 170. τῇ φαντασίᾳ opponit, quando ſomniantem quendam, divitis ſe fore tutorem, φαντασίαν μὲν ἔχειν πλύτυ, ὑπόςασιν δὲ μὴ, ait. Interpretis Alexandrini *Ruthæ* I. 12. auctoritate Celeb. *Heumannus* Tom. II. Pœciles pag. 169. adductum ſe inprimis fatetur, ut de *fiducia* potius acciperet, quam de *ſubſtantia*, aut cum *Alexandro Moro* pag. 205. Notarum, de *patiente exſpectatione.* Recte omnino, quamvis de *ſubſtantia* hic cogitaſſe etiam videantur *Eraſmus Schmidius* & *Beza*, quando uterque vertunt: *Eſt autem fides id, quo exſtant ea, quæ ſperantur.* Huc quoque tendunt illa B. *Gothofredi Olearii* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 35. *Hinc primo in genere fidem à vi ſua & efficacia deſcribit, quod ſit* ὑπόςασις, *h. e. id, quo nitantur* ἐλπιζόμενα, *certitudinemque reſpectu noſtrum obtineant, imo id, per quod illa non fumus, & nudus mentis conceptus ſint, ſed aliquid reale maxime, quo ſuo modo fruamur: (ſic enim* ὑπόςασις *dicitur, quicquid reale eſt:) quod*

*ſit*

Digitized by Google

*ſit item rerum, quas non videmus*, ἔλεγχος, *h, e. clara convictio, quæ fiat quaſi per ipſius rei ὑποστάσεως præſentis, demonſtrationem.* Admitti hæc poſſunt, ſi primum quidem omnium *fiducia* ſignificatu vox ὑπόστασις accipiatur. Ex fiducia enim vi promiſſi divini conſequitur, ut homo ex parte tanquam præſens habeat, quod ſperat, ex parte autem impoſterum conſequatur. Patrum de hac voce cogitata leges apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri pag. 734. Inſpice præterea *Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 903. & *Witſium in* Oeconomia III. 7. 13 ubi, poſtquam tres præcipuas vocis hujus ſignificationes, apud Scriptores exſtantes, enarraverat, eas omnes complectens, ὑπόστασιν ait eſſe tam firmum veritatis divinæ aſſenſum, ut etiam longe poſt futura, tanquam *præſentia* ſiſtat, utque animæ *fultura* ſit, in qua pedem figat, *nulli aſſultui cedens.* Nec omitte ex noſtratibus *Franciſci Wokenii* Obſervationes Miſcellaneas ſuper loca quædam Novi Teſtamenti pag. 15. quæ recuſæ ſunt in Faſciculo Obſervationum Biblico-Criticarum. Pro B. *Lutheri* verſione eine gewiſſe Zuverſicht, (pro quo *Emſerus*, eine Haab der Güter, *Dietenbergius* vero & *Zangerus*, ein beſtändiger Grund, malebant,) lege *Raithii* Vindicias pag. 578. Egregius cetera leſt *Philonis* locus, quo in diſſert. de Abrahamo pag. 387. fidem ita deſcribit: Μόνον οὖν ἀψευδὲς καὶ βέβαιον ἀγαθὸν, πίστις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, πίστις, παρηγόρημα βίου, πλήρωμα χρηστὸν ἐλπίδων, ἀφορία μὲν κακῶν, ἀγαθῶν δὲ φορὰ, κακοδαιμονίας ἀπόγνωσις, εὐσεβείας γνῶσις, εὐδαιμονίας κλῆρος, ἐν ἅπασι βελτίωσις ἐπερηρεισμένη τῷ πάντων αἰτίῳ, καὶ δυναμένῳ μὲν πάντα, βουλομένῳ δὲ τὰ ἄριστα, &c. Idem de Confuſione Babelica pag. 324. πίστιν appellat ὀχυρωτάτην καὶ βεβαιοτάτην διάθεσιν. *L. M. Artemonius* in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 99. interpretari ὑπόστασιν mavult per *conſtans firmumque fundamentum rerum ſperatarum*, vel potius, quod addit, cum *Auguſtino*, ἐλπιζομένων pro ἐλπιζόντων ſumente, per *conſtantiam ſperantium*, quæ conſtantia τῇ ὑποστολῇ i. e. ſubterfugio & ſubtractioni infidelium & inconſtantium hominum X. 38. & 39. commemoratæ opponatur. De his quid habendum ſit, ex dictis conſtare puto.

πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων] *argumentum rerum, quæ non videntur.* Ita *Epictetus* apud *Arrianum* lib. III. cap. 10. ἐνθάδ' ὁ ἔλεγχος τοῦ πράγματος, ἡ δοκιμασία τοῦ φιλοσοφοῦντος. *Hic eſt demonſtratio rei, & probatio philoſophantis;* h. e. ceu recte monet *Raphelius* pag. 666. Annotationum Polybianarum: *Eo declaratur philoſophiæ ſtudium, & quantum quis in eo profecerit, quaſi coram exhibetur, ut, quæ in animo Philoſophi latet de rebus bonis & malis ſententia, opere ipſo ſpectari poſſit.* Lege alia veterum loca in eandem ſententiam apud *Elſnerum*, nec omitte *Colomeſium* p. 133 Obſervationum, & *Morum* loc. cit. comparatis iis, quæ olim ad *Joh.* III. 20. ſcripſi. *Theophylactus* bene per δεῖξιν & φανέρωσιν ἀδήλων πραγμάτων explicat. *Valeſiana* pag. 1. ὑπόστασιν *ſubſtantiam*, ἔλεγχον autem *convictionem* interpretantur.

Verſ. 2. Ἐν ταύτῃ γὰρ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι] *Ob eam enim teſtimonio ornati ſunt majores.* Ita recte *Eraſmus Schmidius*, quem vide. Πρεσβύτεροι *majores* hic dicuntur, tanquam qui tempore & ætate anteceſſerint. Vide ad 1 *Timoth.* V. 1. & 19.

Verſ. 3. Πίστει νοοῦμεν κ. τ. λ.] Comma hoc Theologi interpretantur, ubi de creatione diſſerunt. Adde D. *Joannis Guilielmi Baieri* Analyſin & Vindicias illuſtrium dictorum Scripturæ Sacræ Parte I. pag. 93. ſqq. Rev. *Jacobum Staalkopfium* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 21. ſq. D. *Dan. Gerdeſium* Parte I. Obſervationum Sacrarum ad Hiſtoriam Patriarcharum, & quæ ex veteris Eccleſiæ Doctoribus huc adfert *Petavius* Tom. I. Dogmatum Theologicorum lib. III. c. V. Νοεῖν emphaticum eſt, & ſufficientem certamque rei cognitionem infert. Vide ad *Rom.* I. 20. 1 *Timoth.* I. 7. & 2 *Timoth.* II. verſ. 7.

καταρτίσθαι τοὺς αἰῶνας] *conſtructum fuiſſe mundum.* Phraſin exponit *Suicerus* Tomo I. pag. 141. & II. p. 60. item *Feſſelius* Adverſar. Sacris Tom. I. pag. 199. Adde, quæ ſcripſi ſupra ad I. 2. Per τοὺς αἰῶνας hic indicari tres mundos, quos Hebræi עולמים appellant, exiſtimat *Jo. Vorſtius* in diſſert. de Paradiſo §. 10. quæ exſtat Faſcic. IV. Opuſculorum Philolog. pag. 319.

εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων] Ita Codd. omnes, pro quo *Gregorius Nyſſenus*, teſte *Millio*, habet ἐκ τῶν μὴ φαινομένων, alibi autem μὴ ἐμφαινομένων.

τὰ βλεπόμενα γεγονέναι] Pauci aliquot libri & *Clemens Alex.* legunt τὸ βλεπόμενον. Obſcurum in omni hac phraſi eſt, quo particula μὴ pertineat, utrum ad φαινομένων, an ad γεγονέναι. *Vulg.* ad participium retulit, vertens *ex inviſibilibus;* nec minus *Eraſmus;* *ex his, quæ non apparebant:* nec aliter B. *Lutherus*: aus nichts. Prævivit *Chryſoſtomus*: δῆλον, φησίν, ἐστιν, ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων τὰ ὄντα ἐποίησεν ὁ Θεὸς, ἐκ τῶν μὴ φαινομένων τὰ φαινόμενα, ἐκ τῶν οὐχ ὑφεστώτων τὰ ὑφεστῶτα. *Lucianus* in Philopatr. p. 138. edit. Genev. ad h. l. merito exiſtimatur alluſiſſe, quando ait; ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παρήγαγε. Expoſitionem hanc *Camerarius* inprimis adſtruxit. Contra ea *Beza* & *Eraſm. Schmidius* τὸ μὴ verbo γεγονέναι jungunt. Prior vertit: *ut, quæ cernimus, non ſint ex apparentibus facta;* poſterior autem: *ut ſtatuamus ea, quæ cernimus, non eſſe facta ex apparentibus.* Atque hic ſenſus *Schmidio* majorem emphaſin præ altero illo habere, textuique preſſius congruere, atque adeo teneri debere videtur, inprimis ideo, quod metatheſis particulæ οὐ & N. T. & aliis Scriptoribus ſit inſueta. *Bezæ* ſe oppoſuit *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica Verſionum N. T. cap. XXXIX. pag. 482. Apoſtolum ad τοὺς LXX. *Geneſ.* I. 2. γῆν ἀόρατον appellantes, reſpexiſſe exiſtimans. Pro *Beza* viciſſim pugnat *Maſſonius* in Hiſtor. Critic. Reip. Literar. gall. edita Tom. IV. pag. 83. ſq. qui cum-

cum 2 *Maccab.* VII. 28. comparare mavult : *ἀξιῶ σε τέκνον ἀναβλέψαντα εἰς τὸν ȣ̓ρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα ἰδόντα, γνῶναι, ὅτι ȣ̓κ ἐξ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεός.* Atque ita quidem legitur in editionibus, ad exemplar *Alexandr.* curatis, quando *Vaticanum* exhibet *ἐξ ȣ̓κ ὄντων*. Ex noſtratibus Rev. ***Raphelius*** in Annotatt. Xenophonteis pag. 315. ſq. illam *Bezæ* interpretationem defenderat, re vero amplius expenſa in Polybianis pag. 667. *Camerarianam* metatheſin amplectitur, variaque loca veterum affert, in quibus eadem particulæ *μὴ* tranſpoſitio occurrit. Sic *Arrianus* de Expedit. Alex. VII. 23. 12. *ὅτι ȣ̓κ ἐπὶ μεγάλοις διεσπȣδάζετο*, pro *ȣ̓ διεσπȣδάζετο ἐπὶ μεγάλοις.* Ita *Xenophon* & alii Græci ſimiliter, *ȣ̓κ ἔφη ἰέναι*, *venturum ſe negabat.* Quod ad ſenſum nihil intereſſe crediderim, utrum eligas. Malim tamen poſtremum hoc amplecti. Subtilior enim videtur *Schmidius*, quando in altera illa verborum collocatione emphaſin quærit, quod & *Melchiorem Leydeckerum* in Archæologia Sacra diſſ. I. §. 53. ſq. feciſſe video, ubi cetera recte contra *Burnetum* locum hunc vindicat. Majoris momenti diſputatio eſt, qua inquiritur, quid per *τὰ μὴ φαινόμενα* debeat intelligi. Sunt enim, qui per ea hinc ipſam Dei eſſentiam, tanquam inviſibilem, quod Anonymus auctor Obſervationum, in *G. Arnoldi* Hiſtoriam Hæreſiologicam vernacule editarum, ſomniat; hinc materiam quidem ſubtiliſſimam & oculis non expoſitam intelligi volunt. At illi quidem phraſin Paulinam non ſatis adſequuntur. *Τὰ μὴ φαινόμενα* eadem ſunt, quæ *τὰ μὴ ὄντα*, *quæ non ſunt.* Id patet ex *Rom.* IV. 17. ubi Deus dicitur *τὰ μὴ ὄντα καλέσας*, reſpectu habito ad omnipotentiam ejus, ex conditis rebus omnibus apparentem. Ita 2 *Maccab.* VII. 28. omnino *τὰ ȣ̓κ ὄντα* in negotio creationis dicuntur, quæ hic audiunt *τὰ μὴ φαινόμενα.* Idem apparet ex oppoſito *βλεπόμενα.* Sicut enim per hæc res *vere exiſtentes* indicantur; ita neceſſe eſt, ut per *μὴ φαινόμενα* intelligantur res *exiſtentes*, quemadmodum v. 7. diluvium Noachicum inter *τὰ μὴ βλεπόμενα* numeratur, quod tunc, cum Noachus de eo imminenti moneretur, prorſus non exſtabat. Cum vero tum Deus, tum res, per ſubtilitatem ſuam oculis hominum non ſubjectæ, vere exiſtant; de neutro eorum ſermo hic eſſe poteſt. Accedit phraſis Hebræorum conſueta, qua מציאות *exiſtentiam rei*, נמצא i. e. *res quæ invenitur*, *ens* ſeu *exiſtens*, לא נמצא vero *rem non exiſtentem*, ſeu *Non Ens* communiter appellant. Conſtat præterea, hanc communem Judæorum de rebus conditis fuiſſe ſententiam, ad quam Paulus ſuos hic ducit, ut ex nihilo omnia condita eſſe pronunciarent. Vide Interpretes eorum ad *Geneſ.* I. 1. ubi מלא דבר *ex non re* omnia facta tradunt. Ita R. *Elias* in *Adderet Elijahu* diſtinguit inter creationem שיתהוה דבר מן דבר *qua res exiſtit ex re alia*, & inter creationem, שיתהוה דבר מלא דבר *qua res ex alia producitur*, h. e. quod addit, *ex beneplacito Dei, ad robur potentiæ ſuæ ſignificandum.* Vide locum, quem affert *Triglandius* in diſſertat. de Secta Karæorum pag. 155.

Ex dictis eadem opera intelligitur per *αἰῶνας mundum*, per *καταρτισμὸν* vero creationem ejus intelligi. In omnia tamen alia abit Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum de difficilioribus S. Scripturæ locis pag. 417. ſqq. Negat enim, *de creatione mundi ex nihilo* ſermonem eſſe, eo quod *τὰ μὴ φαινόμενα poſſint eſſe aliquid, ſed quod videri nequeat.* Aliud, credo, ex iis, quæ modo dicta ſunt, apparuit. Ponamus autem, rem ita habere, vel ſic tamen de creatione in ſe ſpectata locus accipi poſſet. Interim ipſe non effecit, ut *μὴ φαινόμενα* ita intelligamus, quia ſcilicet v. 1. fides vocetur *rerum non apparentium* (*οὐ βλεπομένων*) *convictio*, nihili autem nulla detur convictio ſeu demonſtratio. Ipſe non ignorat, voces phraſesque *pro ſubſtrata materia*, (liceat ita nunc loqui,) eſſe interpretandas. *Τὰ οὐ βλεπόμενα* v. 1. reſpondent *τοῖς ἐλπιζομένοις*. Hæc vero ibi inferunt res vere quidem exiſtentes, ſed nobis nondum collatas. Eadem itaque ratione etiam *τὰ οὐ βλεπόμενα* ſunt accipienda. Deus dicitur *μόνος ἔχων ἀθανασίαν* 1 *Tim.* VI. 16. Quisquam ne inde confecerit, animas hominum non eſſe *ἀθανάτους*? Ita dici poſſunt *μὴ βλεπόμενα*, quæ non apparent, nec apparere poſſunt, quia non ſunt; & dici quoque poſſunt *μὴ βλεπόμενα*, quæ quidem ſunt, quamvis non ſimul appareant & videantur. Præterea nunquam admiſerim, rerum non adparentium, non dari *convictionem* ſeu *demonſtrationem*. Quamvis enim talis non detur, quæ in oculos & rationis ſenſum incurrat, fides tamen, verbo Dei docentis nixa, & per Spiritum Sanctum obſignata, omnem aliam demonſtrationem vel convictionem ſuperat. Jam vero de hac fide loquitur Apoſtolus. Atque hinc fit, ut de rebus conditis loquens ejusmodi momentum commemoret, quod vel ſenſu vel ratione perſpici non poterat. Hoc momentum in eo poſitum eſt, quod *verbo* h. e. ex *mandato Dei* omnia ſunt condita. Alioquin enim cogitari poterat, ex materia quadam præexiſtente producta eſſe, quæ videmus. Hic ille eſt ſcopulus, ad quem Philoſophi gentiles, & noſtra quoque memoria non pauci offenderunt, vel materiam quandam, vel mundum adſpectabilem, ab æterno fuiſſe commenti. Priores illi ignorarunt, quæ ſunt fidei, ſicut poſteriores majorem conjecturarum ſuarum, quam teſtimonii divini, rationem habendam cenſuerunt.

Porro viro docto creatio mundi non videtur intelligi poſſe, quia *ῥήματος Θεοῦ*, nempe *προφορικοῦ*, hic mentio fit, alibi vero in Scriptura mundus per *τὸν λόγον*, nempe *ὑποστατικὸν*, conditus dicitur. At verbum *προσακτικὸν* ſeu præceptivum (ita enim loqui mallem) non erat opponendum *τῷ ὑποστατικῷ*. Mandato Dei ſeu *ῥήματι* acceptus hic fertur mundus, æque atque *ῥήματι δυνάμεως αὐτοῦ φέρεσθαι* ſeu conſervari dicitur *Hebr.* I. 3. Ὁ λόγος h. l. *comprehenditur* voce Θεοῦ, *quæ eſſentialiter ſumitur pro Deo Patre, Filio & Spiritu S. cujus verbo & juſſu condita ſunt omnia, ὅτι αὐτὸς εἶπεν, αὐτὸς ἐνετείλατο, ut Hiero Pſaltes loquitur. Conf. Geneſ. I. Fuit tamen in verbo mandati verbum hypoſtaticum, cum Pater dixit: Fiat lux &c. Dixit in jubendo non ſine*

*verbo*

*verbo, ſed per verbum hypoſtaticum, per quod facta ſunt omnia. Geneſ. I. 3. Job. I. 3. non ſine, ſed in Spiritu oris Domini Pſ. XXXIII. 6. h. e. in Spiritu S.* Habes verba B. *Calovii* in Bibliis Illuſtrat. ad h. l.

Verbum *νοῦν*, quod urget Vir doctus, non ſolum *conſiderare* aliquid, ſed etiam *plenius & certius cognoſcere* infert, ceu ante monuimus. Hoc vero per fidem ſalvificam fieri negari non poteſt, quamvis per eam *modus*, quo *mundus* creatus ſit, non magis conſtet, quemadmodum nec *modus* incarnationis Chriſti per fidem ſalvificam innoteſcit. Hujus autem fidei objectum mundi creatio æque recte conſtituitur, quam paulo poſt exiſtentia Summi Numinis v. 6. quæ nec ipſa ratione *modi* ſui per fidem perſpicitur plene, aut unquam perſpici poteſt. Aliud eſt *certum* de aliqua re *eſſe*, aliud *modum* rei alicujus *perſpectum habere*. Maria credebat, ſe filium Dei hominem pariturum, quis tamen ſibi perſuaſerit, eandem modum rei, quem quodammodo edocebatur, plene cognitum habuiſſe?

Non procedit Viri docti argumentatio, ad quam reſponderi non poſſe putat: *Quia de* fide ſalvante *hoc primo prædicatur, quod intelligamus mundi fabricam, ejusque ex nihilo originem, colligendum eſt, eam fidem conſiſtere in placido aſſenſu Scripturæ S. præſtito, in iis omnibus, quæ in illa traduntur, ſive poſſint, ſive minus, ratione humana capi.* Facile enim patet, cur & quo reſpectu Apoſtolus, de *fide ſalvifica* loquens, mundi, à Deo ex nihilo conditi, primo loco mentionem fecerit. Animus ipſi erat, afferre exempla credentium ex V. T. Hinc v. 2. majorum meminit, quorum fides in Sacris literis ſit memorata. Illa vero exempla inde à prima rerum origine, & quidem ſecundum temporum ſeriem, recitat. Initium facit ab *Abele*, pergit ad *Enochum*, *Noam*, *Abrahamum* &c. His præmittit creationem mundi, tanquam primum omnium Dei beneficiorum, quod veteres illi omnes æque, ac hodienum credentes, plena fide receperint. Verbum itaque *νοῦμεν* per *ἀνακοίνωσιν*, Apoſtolo familiarem, (vide v. c. ad cap. II. 3.) h. l. adhibet, idemque ſpeciale hujus fidei exemplum ex veteribus commemoraturus erat, ſi quidem tale aliquod in ſacris tabulis Moſaicis diſerte exhibitum fuiſſet. Senſus eſt, credentes omnes æque ac nos, inde à prima rerum origine. perſuaſum ſibi habuiſſe ea, quæ facta ſunt, ſolo Dei nutu & numine atque adeo ex nihilo condita eſſe. Eſt vero & alia cauſa, cur creationem mundi fide olim receptam, & adhuc recipiendam, primo loco afferat Apoſtolus. Creatio enim rerum omnium primum eſt *exiſtentiæ* Dei argumentum. Hanc vero *exiſtentiam* primum fidei *objectum* conſtituit Apoſtolus v. 6. Denique Paulus illius primo omnium meminit, quod in ſcriptorum Moſis, ex quibus potiora credentium exempla affert, limine itidem commemoratur. Ex eo interim non conſequitur, quod Vir doctus veretur, fidem, quam Apoſtolus v. 1. deſcribit, eſſe tantum *generalem quendam aſſenſum, verbo Dei univerſo præſtitum*, atque adeo illis, qui ita ſentiunt, admiſſa vulgari expoſitione commatis tertii, reſponderi non poſſe. Neque

que enim, quod modo monuimus, in eo erat Apoſtolus, ut tantum *fructus*, fidei ſalvificæ proprios & peculiares, ediſſereret, ſed, ut *exempla* eorum afferret, in quibus *fides ſalvifica* aliis atque aliis modis pro re nata ſe exſeruerit. Huc pertinet omnino exemplum *Noachi* v. 7. allatum, cujus fides ex eo demonſtratur, quod ex præcepto divino arcam, ob diluvium imminens, quod nondum videbat, formarit, atque ſic periculum cum ſuis evaſerit. Conferri huc velim exempla inde à v. 23. recitata, de quibus B. *Schomerus* in commentario ſuo ad comma illud ita diſſerit: *In his & reliquis omnibus exemplis oſtenditur, quod certa fuerit de promiſſionibus divinis, de gratia ejus & cœleſti hæreditate fides Patriarchis, quam certam fidem in merito Chriſti fundatam eſſe aliunde conſtat. Nam ad ſcopum Apoſtoli non pertinet hoc loco, cauſam reconciliationis & juſtificationis noſtræ docere, ſed vim tantummodo fidei & fiduciæ in adverſis.* Ab altera vero parte pleraque, quæ afferuntur, exempla credentium eo ſpectant, ut fructus, fidei ſalvificæ maxime proprii, in iis appareant.

Itaque ſtat hactenus deſcriptio fidei ſalvificæ commate primo tradita, nec *dilutior* fit, (quod, ne fiat, veretur vir doctus,) *nec cauſa noſtræ Evangelicæ damnum infertur.* Teneamus modo, exempla afferri veterum, in quibus fides ſalvifica exſtiterit, divino promiſſo, quod in Meſſia acceperant, innixa, ſed aliis atque aliis modis pro diverſitate *πειραζομένων* probata.

Non morari quenquam debet, quod *βλεπομένων* tantum mentio fit, cum præſtantior ſit cognitio rerum inviſibilium, puta angelorum & Spiritus humani. Cum enim per *τὰ βλεπόμενα* res, quæ exiſtunt, omnes, indicentur, quod ante oſtendimus, præter rem angeli & animæ hominum ex *βλεπομένων* h. e. eorum, quæ *ἐγένοντο* ſive, *facta ſunt*, numero, excluduntur. Propterea etiam *οἱ αἰῶνες* in plurium numero commemorantur, ut nempe non ſolum mundus *adſpectabilis*, & quæ in eo ſunt condita, ſed & reliqua Dei opera, divino juſſu condita intelligantur. Et quis, quæſo te, animam ſuam excluderet, qui ſe totum manus Dei opus profiteatur?

Denique urget vir doctus phraſin *εἰς τὸ γεγονέναι*, ut efficiat, Apoſtolum de creato hoc univerſo non cogitaſſe. *Nam quis*, inquit, *diceret*, eo fine *mundum coagmentatum eſſe, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent. Neque enim creatio hujus univerſi novam fabricam rerum conſpicuarum ex inconſpicuis producendarum intendebat, neque, ſi intendiſſet, dici poteſt, quænam illæ res ſint.* Scilicet per *εἰς τὸ finem* tantum indicari vult, qui ab agente adhuc intendatur. At illa phraſis etiam *effectum* infert, qui ex actione aliqua per ſe conſequitur. Sic *Petrus* 1 ep. III. 7. maritos uxoribus jubet *ἀπονέμειν τιμὴν, εἰς τὸ μὴ ἐκκόπτεσθαι τὰς προσευχάς, ne impediantur preces.* Honorem illi tribuere jubentur, ex eo, quod alioquin precibus recte vacare non poſſent. Hic enim futurus erat officii neglecti effectus, quo tamen alioquin fungi debebant ad volun-

luntatem Summi Numinis, qui *σκεῦος ἀσθενέστερον* non contemni volebat, perficiendam. Scilicet *εἰς τὸ*, idem eſt quod *ὥστε*, ut *Jac. Cappellus* monuit; Latine *Grotius* recte reddidit, *ita ut*. Ita *Rom.* VII. 6. *Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, ἀποθανόντες, ἐν ᾧ κατειχόμεθα ὥστε δουλεύειν ὑμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος.* Ibi non minus locum habere poterat *εἰς τὸ*, quam *ὥστε*. Ex quo patet, particulas has ſecum invicem permutari. Urgere illas majori ſpecie poterat vir doctus, ſi Paulus ſcripſiſſet *εἰς τὸ ποιῆσαι*. Jam vero ſcripſit, *εἰς τὸ γεγονέναι*, *ut facta ſint*, non vero, *ut faceret*. Itaque hæc phraſis non ad *conſilium* ſeu *finem*, Deo propoſitum, ſed ad homines, *effectum* illum creationis nunc quidem perſpicientes, refertur. Hoc ſubindicavit *Eraſmus Schmidius*, quando verſionem ſuam ita format: *ut ſtatuamus, ea, quæ cernimus, non eſſe ex apparentibus facta.* Similem loquendi rationem videre mihi videor 2 *Cor.* IV. 7. *ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ, καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν.* h. e. *habemus autem theſaurum hunc in teſtaceis vaſculis, ut excellentia virtutis ejus ſit* (i. e. cognoſcatur, vel appareat eſſe) *Dei, non autem ex nobis.* Scilicet imbecillitas credentium non erat cauſa, ut *excellens virtus*, quæ in illis ſe exſerebat, Dei eſſet, ſed occaſionem potius ſuppeditabat *cognoſcendi*, virtutem illam non eſſe ipſorum, ſed potius Dei, ex gratia eam conferentis.

Poſt hæc pergit Cl. *Oederus* pag. 411. ad argumentum, quod ipſi *maximum* ac *decretorium* appellare placuit, *quodque vel ſolum abunde ſufficere* poſſit. Negat ſcilicet, *τοὺς αἰῶνας* vel *τὸν αἰῶνα univerſum* hoc, ſeu *mundi fabricam* in ſacris literis unquam ſignificare. Provocat hoc fine ad *Eraſmum Schmidium*, qui in Notis ad *Matth.* XII. 32. duos tantum locos, nempe eum, quem dixi, & *Matth.* XIII. 39. 40. 49. ad hanc ſignificationem voci vindicandam attulerit, quamvis ipſe fateatur, utrinque *tempus & in ſpecie tempus durationis mundi accipi poſſe*. Ex his conficit: *Enimvero, cum nullum ſit hujus ſignificationis exemplum, ut ipſe fateri cogitur, rectius ſignificatio, quæ probari non poteſt, omiſſa eſſet.* Enimvero *Schmidius* candide egit, quando etiam alteram illam *temporis* notionem locum hic habere profeſſus eſt; *mundi* tamen ſignificatum diſerte incluſum cupit, quando in ſpecie tempus durationis *mundi* indicari exiſtimat. De aliis locis cumulandis non laboravit, quibus in re comperta opus non eſſe prudens ſtatuebat; quod ipſum alibi in enarrandis vocum Græcarum diverſis ſignificatibus factum ab eo eſſe conſtat. Propterea & alibi *αἰῶνας* per *mundum* convertit v. c. *Hebr.* I. 2. & XI. 3. Non habebat V. C. cur *Seb. Schmidium* commentar. in Hebr. I. 2. pag. 33. ubi de voce *αἰὼν* curate diſſerit, *humani aliquid paſſum eſſe* ſcriberet, quando 1 *Cor.* II. 7. *Coloſſ.* I. 26. & *Epheſ.* III. 9. affert, ut probet, *initio mundi etiam competere pluralem τῶν αἰώνων ſeculorum, non tantum decurſui temporum multa ſecula complectenti.* Exempla enim hæc omnia contrarium probare exiſtimat. Sed id quidem nunc mittimus, cum *Schmidius*, hæc tradens, in eo non occupetur, ut *τοὺς αἰῶνας*

*νας mundum* denotare probet: hoc enim eadem pagina, tanquam *certum* præſtruit. Itaque ad noſtram diſputationem non admodum ſpectat. Id potius noſtrum eſt, ut *exemplo ſaltem unico & indubitabili*, quod Vir doctus poſtulat pag. 424. voci *αἰὼν* ſignificatio *mundi* conſtet. Quod ſi igitur oſtendero, in Novo Fœdere voces *αἰὼν* & *κόσμος* ut *ἰσοδυνάμους* adhiberi, rem ſpero fore confectam. Jam video, à Domino noſtro Diabolum *ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου*, *Joh.* XII. 31. XIV. 30. & XVI. 11. appellari. Idem vero à Paulo 2 *Cor.* IV. 4. vocatur *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου*. Addo huic exemplum aliud. Paulus 1 *Cor.* I. 20. & III. 19. in *σοφίαν τοῦ κόσμου τούτου* animadvertit; eandem vero 1 *Cor.* II. 6. *σοφίαν τοῦ αἰῶνος τούτου* appellat. Similiter Apoſtolus IX. 26. phraſin *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* opponit *τῇ συντελείᾳ τῶν αἰώνων*, h. e. *fini* ſeu *conſummationi mundi appropinquanti*. Vide, quæ ibi ſcripſimus. Plura non addo, ne intelligentiæ ejus diffidere videar. Interim non nego, primariam & frequentiorem vocis *αἰὼν* & *αἰῶνες* ſignificationem eſſe *tempus*, ſeu *ſæcula*, nunc ſimpliciter, nunc ſubindicatis rebus, quæ in tempore ſunt, vel aguntur. Hinc factum eſt, ut Patres nonnulli, quos recitat Feſſelius Adverſarior. Sacror. Tom. I. pag. 200. *τοὺς αἰῶνας Hebr.* I. 2. & hoc loco interpretentur per *χρόνους, καὶ πάντα τὰ ἔγχρονα*, imo & *αἰώνια*, h. e. *tempora, & quicquid in tempore eſt*, aut *ſemper erit*. Varia etiam exſtant in N. T. loca, ubi vox *αἰὼν* & *αἰῶνες* æque recte per *ſæcula*, vel *tempus*, quam per *mundum* converti poteſt. Ratio rei in eo poſita eſt, quod *tempora* ſeu *ſæcula* & *res hujus univerſi* ita ſecum invicem ſint conjuncta, ut alterum ſine altero nunquam fuerit. Quando Numen O. M. res condidit, temporis factum eſt initium, &, quando res, quæ interitui ſunt obnoxiæ, peribunt, tempus omne exſpirabit, & cum æternitate permutabitur. Hoc voluit B. *Seb. Schmidius* l. c. pag. 33. ita ſcribens: *Non poſſunt h. l. nuda tempora intelligi, nec à rebus abſtrahi; cum ſint ſecula condita ſeu facta. Atqui tempora ſeorſim à rebus nulla condita ſeu facta ſunt: quod negari nequit; cum nulla tempora & ſecula ſint niſi in rebus, & quæ per res durantes fiunt. Recte autem intelliguntur* per *αἰῶνας ſeu* ſecula facta, *res, quarum exiſtentia eſt temporaria, h. e. ſecundum tempora, habens ſuum initium, medium, finem ſaltem à Deo dabilem. Res finitas forte melius dixeris, quam temporales & temporarias, quod hæc vocabula in alio potius ſenſu accipiantur.* Adde *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. lib. III. cap. 2. pag. 197. ſq. ubi usque ad pag. 233. varios vocis עולם & *αἰὼν* ſignificatus ex comparatis diligenter Scripturæ locis ediſſerens, oſtendit, eam nunc de *præſenti ſæculo*, partim *materialiter*, i. e. de viſibili hoc mundo, partim *formaliter*, tum de rebus, quæ in hoc mundo geruntur, tum de mundo corrupto; partim *temporaliter*, v. c. de omnibus mundi ætatibus ab initio usque ad finem mundi &c.; nunc de *abſoluta æternitate* adhiberi. Quod ſi tamen Cl. *Oederus* illa *mundi* notione offenditur, vertat per *tempora* vel *ſæcula*, qualia ſcilicet a Sacris Scriptoribus indicantur h. e. in cenſum relatis rebus, quæ in tempore exiſtunt, atque adeo conditæ ſunt. Si hoc non allubuerit, probandum ipſi erit, *αἰῶνας* h. l. non poſſe niſi

de

Digitized by Google

de *ſæculis gratia* explicari, quod ex argumentis ab ipſo allatis nondum perſpicitur.

Recte interim *Guſſetius*, ad quem V. C. provocat, in Commentar. L. Hebr. pag. 613. largitur, Apoſtolum voce *αἰών* & *αἰῶνες mundum* indicaſſe, quamvis ſignificatio hæc voci Hebr. עולם in V. T. nunquam fuerit ſubjecta. *Quin nec*, ita pergit, *Chaldaicæ Paraphraſes dictione illa pro* mundo *utuntur, ſunt autem illæ vetuſtæ quidem, ſed Apoſtolicis ſcriptis fere* ὁμόχρονοι. Targum *tamen in* Canticum *ponit cap.* II. 3. bis עולם *pro* mundo, *ſed iſtud Targum aliis longe recentius habetur. Mirum ergo, unde Apoſtoli hanc locutionem hauſerint? Unum ſuccurrit. Rabbini ſic loquuntur, & quidem frequentiſſime, ac in rebus graviſſimis, de quibus traditio Patrum eorum agat, ut* עולם הזה *&* והבא, עולם עליון ותחתון ואמצעי *&* גופיי ורוחני *ſimiliaque. Probabile eſt itaque, Judæos inter ſe circa tempora Apoſtolica ſic locutos, ut τὸν αἰῶνα* mundum *vocarent, & quandoque αἰῶνας ut* Ebr. I. Non diſputabo nunc, an Hebræum עולם nunquam in V. T. de *mundo* dicatur. Largiar hoc tantiſper, & vel ſic *Guſſetius* hoc ipſum non, quod V. C. opinatur pag 424. *ex præconceptæ opinionis vehementia*, ſed ſapienter affirmaſſe merito credetur. Non neceſſe, fateor, erat, ut *Guſſetius* ad Rabbinicam loquendi conſuetudinem, Apoſtolica ætate receptam, ſe tantum reciperet. Provocaturus rectius erat ad Dominum noſtrum, Apoſtolorum Magiſtrum. In ſermonibus Domini, quos Evangeliſtæ recitant, *κόσμου* ſeu *mundi*, h. e. rerum, quæ in mundo exiſtunt, vel aguntur, inprimis hominum conditorum, mentionem ſæpe fieri conſtat. Nec minus compertum eſt, Salvatorem noſtrum dialecto Syro-Chaldaica, tum temporis inter Judæos recepta, uſum eſſe. Ea vero, ſicut & lingua Hebræo Biblica, vocem עולם & עלמא exhibet, qua procul dubio uſus eſt Dominus, quando Evangeliſtæ Græcum *κόσμον* repræſentant. Quas enim voces alias huc pertinentes, Hebr. L. habet, v. c. חלד & תבל illæ non tam ad rerum univerſitatem, quam *terram* noſtram, ſignificandam adhiberi poſſunt. Ex quo factum eſt, ut *οἱ* LXX. utramque per *γῆν* vel *οἰκουμένην*, nunquam autem per *κόσμον* expreſſerint. Ab altera vero parte Syrus N. T. Interpres Græcum *κόσμος* per *olam* vel *olmo* convertit. Habemus itaque Dominum noſtrum hujus ſignificatus vocis עולם doctorem, nec neceſſe eſt, ut uſum ejus a Rabbinis repetamus. Cum vero Dominus noſter ita locutus ſit, ut intelligi ab omnibus poſſet, nullum mihi eſt dubium, illa ætate hanc *τοῦ* עולם ſignificationem communi uſu frequentatam fuiſſe.

Supereſt, ut tandem Cl. *Oederi* ſententiam de Apoſtolicæ phraſeos ſenſu proferam. Eam p. 426. ita proponit: Fide intelligimus ſecula eſſe connexa verbo Dei, *i. e. poſtquam ſalutari agnitione Chriſtum agnovimus factum nobis ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem & redemtionem, retroſpicimus, ſummaque voluptate miramur, &, quanquam ſapientiæ divinæ theſauri minime exhauriri*

*hauriri poſſint, aliqua tamen parte intelligere incipimus, conſilio maxime prudenti factum eſſe, ut gratia Jeſu Chriſti, qui χθὲς καὶ σήμερον h. e. antiquis recentioribusque temporibus idem eſt, non tamen eadem ſemper ratione ſit propoſita. Nam quemadmodum Eccleſia Dei, fere ut ſinguli homines, ſuas ætates diſtinctas habet, ejusque infantia aliter comparata eſt, aliter adoleſcentia, rurſus aliter robuſtior juventus, à quibus omnibus adulta & virilis ætas in multis diverſa eſt: ita placuit Sanctiſſimo Numini reſpondere indoli hominum unaquaque ætate viventium.* His poſitis diverſas alias Eccleſiæ ætates ſeu αἰῶνας ita proponit, ut prima ab *Adamo* ad diluvium usque; altera ab *Abrahamo* tanquam *adulta* usque ad Moſen; tertia ab ævo Meſſiæ, tanquam *juvenilis* usque ad Davidem; quarta a Davide, *virili* ætati proxima, usque ad finem Prophetarum Vet. Teſtam. decurrere exiſtimari debeat. Hæc quidem apud ipſum legi velim. *Ita*, inquit pag. 430. *habemus varios αἰῶνας*, varia ſecula, *quibus diverſis modis Chriſtum h. e. medullam & animam totius Scripturæ propoſitum eſſe, nemo, qui Scripturas legit, negare poteſt.* Denique pag. 431. extrema hujus commatis verba: εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι, ita explicat: *Ita apte connexuit Eccleſia tempora & ætates Sapientiſſimum Numen, ut e conſiliis divinis abditis ſane & multo ſecretioribus, quam ut a quoquam vel Angelorum, vel hominum, pernoſci potuerint, ea, quæ in oculos omnium ſenſusque ceteros incurrunt, proficiſcerentur. Scilicet ipſe Chriſtus, humana natura aſſumta, omnibus ſe viſibilem præbens, obambulans Judæam & Galilæam, evangelium ſanctiſſimo ore ſuo prædicans, tot mirabilia cum ſumma omnium admiratione patrans &c. huc paſſio Servatoris, huc mors, reſurrectio, miſſio Apoſtolorum, denique omnia pertinent, quæ dudum & præſignificata erant, & prænunciata, tum vero adimpleta.* Hæc quidem omnia cordato lectori expendenda ſecure permitto. Judicet ille, num iſta vel *phraſi*, vel *ſcopo* Apoſtoli reſpondeant. De *phraſi* in ſuperioribus abunde dictum eſt. Scopus vero Apoſtoli is erat, ut exempla fidelium ex veteri memoria in hoc capite afferret. Hinc verſ. 2. ἐν ταύτῃ (πίστει) γὰρ ἐμαρτυρήθησαν οἱ πρεσβύτεροι. Poſtea, expoſita illa credentium ſerie, cap. XII. 1. ad νέφος *μαρτύρων*, *nubem teſtium*, ante productam, provocat. Credine poteſt Paulus, in limine catalogi hujus integrum credentium, qui tum in Novo Fœdere erant, cœtum afferre voluiſſe? Credine poteſt cogitaſſe de variis gratiæ Evangelicæ ſæculis ſeu æonibus, qui πρεσβυτέροις illis ſeu Patribus ignoti erant? Non poteſt obverti, Apoſtolum uti verbo νοοῦμεν, quod etiam ad credentes N. T. referri debeat. Quo enim id conſilio fecerit, in ſuperioribus eſt oſtenſum. Quod ſi porro Apoſtolo ea fuiſſet mens, ut diverſas illas gratiæ ætates exponeret, credine poteſt in Davide ſubſiſtere, & *Prophetarum* nudo nomine mentionem facere voluiſſe? Credine poteſt, ejusmodi etiam *fidei* exempla recitaturus fuiſſe, quæ non tam ad gratiæ ſalvificæ myſterium, quam ad omnia alia fiduciæ, in Deo poſitæ, documenta ſpectant?

Verſ.

Verſ. 4. *Πίστει πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν προσήνεγκε τῷ Θεῷ κ. τ. λ.*] De etymologia nominis הבל *Abel* vel potius *Habel*, (ceu rectius ſcribi putat *Druſius* in commentario ad Voces Hebraic. N. T. pag. 5.) à variis varie tradita lege eruditiſſimum *J. A. Fabricium* in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti p. 113. ubi & alia de eodem, item pag. 134. & in Volumine altero affert. Adde *Suicerum* Tom. I. ſuo loco, *Feſſelium* Tom. II. Adverſariorum Sacrorum pag. 364. & *J. C. Dietericum* in Antiquitt. Biblicis Nov. Teſtament. Tom. I. p. 11. ſq. De *Caino* & nominis origine legatur idem *Fabricius* loc. citat. pag. 114. ſqq. *Altingius* in Heptade Diſſertatt. Tom. V. Operum p. 123. itemque *J. A. Danzii* diſſertatio ſingularis de nomine Caini vindicato.

Ad noſtrum comma propius ſpectant B. *Jo. Fechtii* Hiſtoria Abelis & Caini, Roſtochii 1704. *Samuel Bochartus* Parte I. Hierozoici pag. 537. ubi variæ afferuntur cauſæ, cur Abelis ſacrificium pro Caini illo Deo placuerit, *Franc. Fabricius* in diſſertat. de natura fidei Abelicæ, quæ ſeptima eſt earum, quas libro de Jeſu Chriſto, unico Eccleſiæ fundamento, complexus eſt. Abelem ut Chriſti typum repræſentat *Snabelius* in Amœnitatibus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ pag. 202. *Dan. Gerdeſius* Parte II. Obſervatt. Sacrar. ad hiſtoriam Patriarcharum, & D. *Joach. Langius* in commentario ad epiſtolas S. Joannis p. 472. Contra *Spencerum*, ἰσοθέου etiam hic θελοντα, in de Legibus ritualibus Hebræorum pag. 974. 984. edit. Lipſienſ. lege *Witſium* in Miſcellaneis Tom. I. pag. 458.

*πλείονα θυσίαν*] *majoris pretii hoſtiam*, ut *Eraſm. Schmidius* cum *Beza* vertit. Eodem ſenſu ſupra III. 3. πλείονος δόξης & πλείονα τιμήν. Conf. *Matth.* VI. 25. XII. 41. 42. & *Colomeſii* Obſervatt. Sacras pag. 112. Abel fidem ſuam demonſtraſſe eo videtur, quod primitias atque adeo præſtantiſſimum quodque gregis ſui cum adipe obtulit *Geneſ.* IV. 4. ſicut ab altera parte Cainus ibidem v. 3. ſimpliciter dicitur obtuliſſe de frugibus terræ, non habita ſcilicet ratione, cujus ſint generis, nobiliores ne, an ſequiores.

*δι᾽ ἧς ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος*] δι᾽ ἧς, ſcilicet πίστεως. Hujus enim exempla afferre conſtituerat Apoſtolus.

*μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ*] Quodnam teſtimonium hoc fuerit, quod ſignum, diſquirit, ut alios taceam, *Jo. Buxtorfius* in Catalectis pag. 229. Adde *Jo. Melchioris* Opera Tom. II. pag. 627. ſq. Ceterum Gentiles quoque heroum ſuorum opera laudaturos, ad teſtimonium a Diis profectum provocare oſtendit *J. H. Majus* in Obſervatt. Sacris lib. III. pag. 150. ſq. ed. II. Sic *Plutarchus* de Lycurgo pag. 57. C. *Οὐ γὰρ ἔγωγε προσθείην Λυκούργῳ μιαρὸν οὕτω τῆς Κρυπτείας ἔργον ἀπὸ τῆς ἄλλης αὐτοῦ πρᾳότητος καὶ δικαιοσύνης τεκμαιρόμενος τὸν τρόπον, ᾧ καὶ τὸ δαιμόνιον ἐπεμαρτύρησε.* Intelligitur vero ibi Oraculum Delphicum, quod θεοφιλῆ Lycurgum dixerat. Vide eundem *Majum* lib. I. pag. 129. ſq.

Καὶ δι' αὐτῆς ἀποθανὼν ἔτι λαλεῖται] *& per hanc* (fidem) *etiam mortuus adhuc loquitur.* Ita recte *Eraſmus Schmidius.* Pro λαλεῖται Codices quidam & Patres quoque habent λαλεῖ, quod *Millius* ad loc. & in Prolegom. §. 639. in contextum vero ipſum recipit Editor N. T. Græco-Latini. Sed nihil mutatione opus eſt, cum vel ſic *loquendi* notio, in forma ſcilicet media, verbo conſtet. Sunt quidem ex noſtratibus nonnulli, qui τὸ λαλεῖται per *prædicatur* vel *celebratur*, convertunt. Id vero fieri vix poteſt. Patet enim, Apoſtolum hic eleganter per ὀξύμωρον loquelam tribuere etiam mortuo, quemadmodum ſanguini loquelam adſcribit *Hebr.* XII. 24. Loquitur autem per teſtimonium in Scriptura *Geneſ.* IV. 9. obvium. Taceo alia a noſtratibus in hanc ſententiam allata. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 356. & *Starckium* ad h. l. Utramque expoſitionem conjungi vult *Amelius* Parte II. der Erörterung pag. 845. *Wittichius* paſſivam notionem non præter rem pro coacta habet, ſi nempe de Abele per fidem ſermo adhuc haberi dicatur. Id enim ait non poſſe fieri niſi per fidem noſtram, quatenus nempe fideles de Abele cum laude loquantur, cum tamen Apoſtolus procul dubio de fide ipſius Abelis loquatur, tanquam qui fide ſuſtentaverit ſperata, & ex fide juſtus vixerit & perſeveraverit. Denique minime omnium audiendum puto *Jo. Saubertum*, quando in Operibus Poſthumis pag. 97. phraſin ita interpretatur: *& propter illam* (nempe fidem) *mortuus eſſe adhuc dicitur, i. e. nos adhuc dicimus & credimus, eum propter fidem eſſe mortuum.* Non recogitabat ὁ μακαρίτης, ſic ſcribendum fuiſſe δι' ἣν, ſi dicere voluiſſet Apoſtolus: *propter quam.* Imo ſcribendum hoc ſenſu potius fuerat: ἀποθανεῖν ἔτι λέγεται.

Verſ. 5. Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη κ. τ. λ.] Etymologiam nominis *Henochi* ediſſerit Celeb. *Fabricius* noſter in Codice Pſeudepigrapho V. T. p. 219. in Vol. II. pag. 55. quemadmodum alia de eo tradit ibidem inde à pag. 176. ſqq. pluresque de eodem Scriptores recitat p. 212. ſqq. Inſtar omnium fere eſt *Aug. Pfeifferi* de Henocho diſputatio in Operibus ejus Criticis pag. 513. recuſa, cui jungi poteſt illa *Auguſti Calmeti*, quæ in Prolegomenis ejus Biblicis Latine ſeparatim editis Tomo II. pag. 462. ſq. exſtat. Confer præterea *Suicerum* Tom. I. 1130.

μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον] de phraſi hac lege nos Vol. I. Curarum p. 586.

καὶ οὐχ εὑρίσκετο] Phraſis hæc Hebraiſmi ſuſpecta viſa eſt nonnullis, quos appellat Cl. *Georgius* in Vindiciis Nov. Teſt. ab Hebraiſmis pag. 115. allatis ſimul veterum locis, in quibus eadem ſignificatio obtinere videtur. Ita *Ariſtoteles* de Plantis I. 1. ἡ ζωὴ ἐν τοῖς ζώοις εὑρέθη, & *Herodotus* in Euterpe: τέρατα δὲ πλέω Αἰγυπτίοις εὕρηται ἢ τοῖσι ἄλλοις ἅπασι ἀνθρώποισι. Adde *Gatakerum* ad Antonin. VIII. 8. ubi εὑρέθη & εὑρίσκετο uſurpatur de re exiſtente, quam Hebræi inprimis נמצא appellare ſolent. Inſpice etiam *Suicerum* Tom. I. pag. 1264.

διότι

*διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεὸς*] De *morte* id accipiendum eſſe vel *naturali* vel *naturali ſimili*, atque eam conſecuta ad meliorem vitam translatione non dubium eſt. Vide *Ritmeieri* diſput. de nomenclaturis mortis emphaticis §. 13. & *Colomeſium* Obſſ. Sacr. pag. 98. ſqq. Id interim diſputatur, utrum hic Enochus placide naturali morte functus dicatur, an, ſine ea intercedente, per *ἀλλαγὴν* quandam vivus in cœlum ad *Moſis* & *Eliæ* exemplum in cœleſtes ſedes migrarit. Poſterius volunt noſtrates tantum non omnes, interque eos nominatim *Waltherus* in Spongia Moſaica, & *Pfeifferus* in diſſertat. ſingulari de Henocho, & in Dubiis Vexatis. Prius placet *Wolfburgio* in Obſervatt. Sacris pag. 396. Ut *Pfeiferi* partibus me jungam, efficit inprimis phraſis, *οὐχ εὑρίσκετο.* Hæc enim de Elia, quem in cœlum ſine morte naturali translatum eſſe non negat *Wolfburgius*, adhibetur 2 *Regg.* II. 17. ולא מצאוהו *& non invenerunt eum.* Gentiles nonnullos ſuorum, qui diis chari fuerint, ad ſedes deorum commigraſſe tradunt. Ita *Ælianus* Var. Hiſtor. VIII. 18. auctor eſt, Euthymum, ſtrenuum apud Locros pugilem, ad flumen Cæcinum deſcendentem, *ἀφανισθῆναι*, h. e. nunquam deinceps comparuiſſe. Hercules quoque *ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη*, teſte *Lyſia* Orat. XXXI. p. 494. Hæc, itemque his ſimilia recitat *J. H. Majus* lib. I. Obſervatt. Sacr. pag. 42. edit. II. auctioris.

*μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ*] Verbi *εὐαρεστῆσαι* notionem triplicem diligenter & erudite exponit *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 668. Oſtendit enim idoneis locis, inferre primum eum, qui placeat alteri & gratus ſit ob pulchritudinem aliasve dotes; deinde eum, qui alteri ſe probet vitæ probitate; ac denique eum, qui aliqua re contentus ſit, & acquieſcat. Mediam h. l. ait obtinere, ut *εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ* ſit, *Deum colere*, ex præſcripto non primæ tantum, ſed & ſecundæ tabulæ Decalogi *Jac.* I. 27. eoque cultu ac pietate, tum juſtitia, temperantia, pietate aliiſque virtutibus Deo placere. Lutherus vertit *Geneſ.* V. 24. ein göttlich Leben führen. Ita nihil aptius dici poteſt, quam quod ſequitur verſ. 6. ſine fide fieri non poſſe, ut quis Deum colat. Hoc enim ut faciat, & eſſe Deum credat oportet, & remuneratorem fore ipſum colentibus. Vide ibi cetera, ex quibus patet, Henochum hic dici ideo coluiſſe Deum, atque adeo ipſi placuiſſe, quod crederet, Deum & eſſe, & remuneratorem eſſe, quæ fides divinæ remunerationis cultus divini omniumque virtutum, Deo placentium, mater ſit, quo ſenſu *Chryſoſtomus τὴν εὐαρέστησιν τῆς μεταθέσεως*, *πίστιν* vero *εὐαρεστήσεως αἰτίαν* appellat. Interpretationem hanc adſtruxit M. *Jo. Juſtus Loſius* in commentatione epiſtolica ad verſum 6. hujus capitis Hildeſiæ 1725. 4. edita. Confer Relationes de Novantiquis Theolog. an. 1725. pag. 611. Video, *Guſſetium* in Commentariis L. Hebr. pag. 210. radice הלך lit. L. tertiam, quam ex *Raphelio* attuli, ſignificationem h. l. amplecti, ut idem ſit, quod *acquieſcere*, & *contentum eſſe;* atque in hanc rem provocare ad XIII. 16. ubi Paulus ait: *τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς*, i. e. ut ipſe quidem interpretatur, *iis gaudet & acquieſcit.* Ceterum comma

hoc

hoc cum *Geneſ.* V. 24. & τῶν LXX. verſione comparat *Wokenius* in Moſe Harmonico pag. 21.

Verſ. 6. Χωρὶς δὲ πίστεως ἀδύνατον εὐαρεστῆσαι] *Vulg.* addit *Deo*, *Syrus* item & *Arabs*, cumque illis B. *Lutherus* noſter. Interim in Græco Codice nullo vox Θεὸς exſtat, quam tamen ἀπὸ κοινοῦ vel ex antecedenti εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ, vel ex ſequenti προσερχόμενον τῷ Θεῷ repeti ſenſus ipſe jubet. *Eraſmus Schmidius* hæc ita vertit: *Abſque fide autem impoſſibile eſt*, eum *placuiſſe* Deo, ut ſcilicet ad *Abelem* (ſcribere procul dubio voluit *Enochum*) referatur, de quo paulo ante dictum ſit, quod μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ. Enimvero fides antea diſerte vindicata erat *Henocho*, & ex eo adſtructa, quod Deo dicatur placuiſſe. Itaque non opus erat, ut iterum diceretur, ſine fide id fieri non potuiſſe. Præſtat igitur ſtatuere, quod, quæ de Abele & Henocho in hypotheſi pronunciata ſunt, ea nunc in theſi ad omnes alios transferantur, inprimis, cum nexus ratio ex ante dictis conſtet. De Henocho hic non amplius ſermonem eſſe ex eo etiam apparet, quod verbi formam mutat Apoſtolus, & præteritum εὐηρεστηκέναι in aoriſtum εὐαρεστῆσαι convertit. Accedit, quod theſin illam univerſalem probatione muniat Apoſtolus, qua nihil opus erat, ſi ad Henochum reſpexiſſet. Ad totam hanc phraſin explicandam ſpectat laudata modo M. *Loſii* diſſertatio.

Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον Θεῷ] Precantes alias ἔρχεσθαι πρὸς τὸν Θεὸν dicuntur à *Xenophonte* & *Arriano*, quod patet ex locis à *Raphelio* allatis: quo item ſenſu hic accipi voluit B. *Gerhardus* noſter, quemque phraſis hæc obtinet ſupra IV. 16. & VII. 25. Cum vero etiam ad reliquum Dei cultum ſignificandum adhibeatur X. 1. 22. & XII. 22. 23. præſtat de eo h. l. interpretari, & προσέρχεσθαι pro initio quodam vel parte habere illius εὐαρεστήσεως, de qua commate proximo ſuperiori Apoſtolus loquitur. Habes ſummam ſententiæ *Rapheliana*, quam amplexus quoque eſt M. Loſius in commentatione paulo ante laudata, nec mihi diſplicentem, quamvis etiam de iis accipi poſſit, qui ad veritatem cœleſtem profitendam accedunt, & alias προσήλυτοι vocantur. Confer præterea *Cappelli* Opera p. 358. *Epiſcopium* Tom. I. Operum pag. 16. & *Croji* Obſervatt. Sacr. pag. 265.

ὅτι ἐστι] *quod exiſtat*, ſcil. Deus. At exiſtentiam Dei credere *nimis adhuc leve eſt, quam ut primo loco in ejus officiis, qui Deo placere ſtudeat, ponatur. Neſcio, an unquam homo accurate loqui ſolitus, dixerit: qui vicini mei amicitiam ambit, is ante omnia ſciat, firmiterque credat eſſe in rerum natura atque vivere illum vicinum meum. Nam hoc ita per ſe clarum, ut ſine tædio vix moneri queat.* Ita receptæ expoſitioni ſe opponit Cl. *Oederus* in Centuria Conjecturarum pag. 441. Aliam itaque viam ingreſſurus, ad duos Vet. Teſt. locos hic reſpexiſſe putat Apoſtolum. Alter eſt *Geneſ.* V. 24. ubi de *Enocho* dicitur: ואיננו i. e. *& non fuit*; quem ſubindicans Apoſtolus innuerit, quod

quod, etſi occurrat de Enocho vocabulum, quod poſſet interitum ſanctiſſimi viri ſignificare, longe tamen aliud ipſe crediderit, & expertus ſit. Alter eſt *Jerem.* XXXI. 15. 16. allato *Matth.* II. 18. ubi de parvulis Bethlehemiticis, ab Herode trucidatis, matres, eas plane interiiſſe putantes, dicant: ואיננו ὅτι οὐκ εἰσί. His poſitis, id putat velle Apoſtolum, quod, *qui ad Deum accedere velit, credere debeat*, eſſe ſe, *h. e.* minime interire, *etiamſi inſolita plane ratione, quod* Enocho *accidit, abripiatur à Deo*; *&* præmia *parata eſſe quærentibus ipſum.* Itaque vocem ἐστὶ non ad Deum, ſed ad credentem refert, qui, ſi vel maxime mirabili ratione ex hoc mundo avocetur, tamen credat, ſe minime interire, ſed *eſſe manereque*; & *mercedem* amplam repoſitam eſſe quærentibus Deum.

Miratus, fateor, ſum, cum primum hæc legi, & miraturus eram amplius, niſi meminiſſem, hæc quidem luxurianti, & nova nimis cupide ſectanti Auctoris ingenio adprime reſpondere. Leve hoc illi eſt, adhortari Apoſtolum ad *exiſtentiam* Dei credendam, cum notitia Dei aliqua omnium cordibus ſit inſcripta, nec niſi improbo ſceleſtorum labore deleri poſſit. Cenſeri ita forte poterat, ſi Paulo de notitia Dei, tanquam exiſtentis, qualicunque, vel naturali illa, ſermo eſſet. Jam vero ex data v. 1. fidei deſcriptione patet, loqui eum de *fide* cum *fiducia* conjuncta, & *certo* argumento innixa, h. e. quæ ὑπόστασιν & ἔλεγχον habeat. Quæ cauſa eſt, cur non ſolum de *exiſtentia* Dei, ſed & de *mercede*, ab eo exſpectanda, loquatur. Atque hæc non ſunt ſeparanda. Prius horum ex naturæ lumine penitus conſtat, alterum non item. *Mercedem* enim ut quis exſpectet à Deo, *promiſſo* divino opus eſt, quod innixum ſit conciliationi hominis cum Deo factæ. Hanc vero non minus quam promiſſionem ipſam ratio ignorat, revelationis ope inſtruenda. Propterea Apoſtolus promiſſionis ſæpiuſcule meminit, v. c. X. 36. XI. 9. 10. 13. & 39. Nonne vero etiam multi ſunt, qui, quoad ſibi relicti ſunt, nec ad Deum vere acceſſerunt, Deum exiſtere in corde magis negant, quam affirmant, &, vel dubii ancipiteſque hærent, vel ſaltem, ubi eſſe Deum profitentur, tum providentiam Numinis in vita præſente, tum μισθαποδοσίαν in altera aliqua vita inficiantur? Naturaliſtarum pleroſque ita agere, me non monente, conſtat, & vereor, ne major eorum ſit copia, quam quiſquam ſibi perſuadere poſſit. Miror præterea, Virum doctum locutionem hanc cum altera illa, quæ de *vicino* aliquo adhiberi poſſit, non ſine riſu quodam comparare potuiſſe. Itane æque facile ipſi videtur, credere, exiſtere illum hominem, quem oculis conſpicis, & exiſtere Deum, quem non vides? S. *Joannes* 1 ep. IV. 20. hominem, qui, quem videt, non amet, ſtatuit, multo minus amare Deum, quem non videt, ideo procul dubio, quod, quæ in oculos incurrunt, hominis intellectum & voluntatem impetu quaſi quodam, certe facilius, ad ſe rapiant, quam quæ oculis non ſunt expoſita. Miratus olim ſum, cum legerem, quam graviter B. *Lutherus* paſſim queratur de duritie vel fluctuatione hominis in exiſtentia Nu-

minis perpetuo & conſtanter in vitæ humanæ caſibus tenenda. Sed mirari deſii, alia ipſe experientia edoctus. Intelligere mihi videor, Viro docto id inprimis fraudi fuiſſe, quod exiſtimavit, non reſpondere hoc *excellentiſſimæ fidei* Henochi. At mihi quidem perſpicere videor, quomodo ex occaſione fidei Henochi ad hanc theſin de fide ejusque momentis univerſalem formandam acceſſerit. Scilicet ex Henochi, in cœlum qua corpus & animam tranſlati, exemplo ſingulariter patebat, quam beneficus Deus ſit in eos, qui, ut fide cum ipſo conjuncti ſunt, ita probis moribus ipſi placere omni ope annituntur. Hinc fit, ut doceat, omnes & ſingulos, qui Deo placere velint, credere debere, & exiſtere Summum Numen, & præmia ampliſſima largiri. Addere denique liceat, paganis, iisque non ſtupidis aut infrunitis, duo hæc capita quod ad fidem de Deo adeo non *levia* eſſe viſa, ut potius eadem requiſiverint. Ita *Epictetus* jubet ὀρθὰς ὑπολήψεις περὶ Θεῶν ἔχειν, ὡς ὄντων ϗ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς ϗ δικαίως. Nec minus *Seneca* ait: *Primus eſt Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla Majeſtas eſt.* Affert hæc loca, itemque alia, *Grotius* ad h. l. & de Jure Belli & Pacis II. 46.

Oſtendiſſe mihi adhuc videor, nihil eſſe, quod deſerendam receptam phraſeos Paulinæ expoſitionem adducere virum doctum admodum potuerit. Jam expendamus rationes, quibus novam ſuam ſuperſtruxit. Paulum ait alluſiſſe ad locos V. T. allatos. Non vereor, ne pervicax videar, ſi hoc negavero. Ad *Geneſeos* locum in phraſi, ὅτι ἐςί, certe non alluſit Paulus. Illum enim diſerte profert v. 5. ipſam loci illius verſionem, quam LXX. habent, retinens. Utrinque vero legitur οὐχ εὑρίσκετο pro Hebræo ואיננו. Jam veri omnino ſimile eſt, ſi Paulus in phraſi Hebraica id quæſiviſſet vel inveniſſet, quod vir doctus hic quærit, eum a verſione Græca abiturum fuiſſe, quod alias feciſſe ipſe oſtendit. Neque aliter judicandum eſt de *Jeremiæ* loco, de quo, puto, ipſe non cogitaſſet, niſi eadem phraſis ואיננו ibi legeretur. Jam vero minus probabile eſt, alluſionem ad locum aliquem fieri, in quo una alterave vox exſtat, niſi alia περικείμενα luculenta acceſſerint. Ponamus vero, recte ita conjectum eſſe: ne ſic quidem quidquam emolumenti ad hanc ſententiam acceſſerit. Phraſis enim ואיננו in V. T. de *mortuo* frequenter occurrit. Num vero mors Hebræis *interitum* omnimodum, qui *permanentiæ* ſit oppoſitus, ſecum ferre credita eſt? Hoc nemo, credo, dixerit. Ergo nec abreptio vel tranſlatio Enochi inſueta videri cuiquam Hebræorum potuit cum interitu Enochi conjuncta. Itaque nec Apoſtolus huc reſpicere potuit. Idem eſto de matribus Bethlehemiticis judicium. Videbant illæ liberos trucidatos: abſit, ut illos *interiiſſe* ipſis, aut nulla ſui parte ſuperſtites viſos eſſe, credamus. Hoc in Gentiles potius ceciderit, *nullam ſpem habentes*, non item in Judæos, quibus promiſſiones non præſentis ſed & futuræ vitæ in promtu erant. Græcos Scriptores τὸ εἶναι pro *vivere*, & τὸ οὐκ εἶναι pro *mori* adhibere conſtat, & oſtenſum à me eſt ad

*Matth.*

*Matth.* II. 18. At inter illos quoque fuiſſe, qui homines morte non prorſus confici aut interire crederent, vel ex Platonica Philoſophia conſtat. Itaque nec Hebraica nec Græca phraſis velificatur conjicienti.

Multo vero magis eidem adverſatur vocum Paulinarum ſtructura. Paulus ita : *πιςεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ Θεῷ, ὅτι ἐςὶ, καὶ τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται.* Hoc vir doctus ita vertit : *qui ad Deum accedere vult, eum oportet credere*, quod ipſe *ſit*, vel *maneat*, *& quærentibus ipſum remunerator ſit futurus.* Itaque τὸ εἶναι idem illi eſt, quod *manere, non interire.* Vellem probaſſet, ſimplex verbum εἰμὶ ita uſurpari. Crederem forte, id ſibi voluiſſe Paulum, ſi ſcripſiſſet, ὅτι ἔςαι. Et qua, quæſo, veri ſpecie duo *prædicata*, quæ hic conjunguntur, à ſe invicem diſcerpit, alterum ad hominem referens, alterum ad Deum tanquam præmiorum largitorem? Nonne, ſi hoc voluiſſet Paulus, ſcripturus ita erat: *ὅτι ἐςὶ, καὶ ὅτι τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν ὁ Θεὸς μισθαποδότης γίνεται?* Qui verba, prout jacent, legerit, non poteſt non ex illa quidem interpretatione credere, de eodem *ſubjecto* utrumque *prædicatum* efferri, atque adeo hoc dici, quod credere oporteat hominem, & ſe aliquando perpetuo futurum, & ſe quærentibus præmia largiturum eſſe.

Verſ. 7. Πίςει χρηματισθεὶς Νῶε] Originem nominis *Noachi*, & alia ab antiquitate, tum vere, tum falſo, de eo prodita exponit *Fabricius* noſter in Codice Pſeudepigrapho V. T. Vol. I. pag. 229. ſqq. & in Supplementis Vol. II. Ad noſtrum vero inſtitutum propius pertinent *Franc. Fabricii*, Theologi Leidenſis, diſſertationes tres, quæ in Chriſtologia ejus Noachica & Abrahamica, Lugduni Batav. 1727. edita, conſpiciuntur. Illarum I. de Sacrificio Noachi II. de fœdere Dei cum Noacho III. de Prophetia ejusdem commentatur. Illis adde ejusdem Diſſertationem *de fide Noachi* ad h. l. quæ XIV. eſt inter eas, quas commentatio erudita de Jeſu Chriſto, unico & perpetuo Eccleſiæ fundamento complectitur. De verbo χρηματίζεσθαι lege, quæ ſcripſi Vol. I. pag. 36. 588. & 1165. Confer *Jo. Pearſoni* notas ad Symbolum Apoſtolic. pag. 14. verſionis Latinæ, ubi oſtendit, Græcos illud adhibere ad oraculum ſive reſponſum divinum ſignificandum.

*εὐλαβηθεὶς*] *reveritus*, ſcilicet *χρηματισμόν*. De voce hac lege ad *Actor.* XXIII. 10. & *Hebr.* V. 7.

*δι᾽ ἧς κατέκρινε τὸν κόσμον*] Τὸ δι᾽ ἧς referendum eſt ad *πίςει*, non ad *κιβωτὸν*, quod fecit *Eraſmus* & *Beza*. Neque enim alterum prædicatum, *δικαιοσύνης ἐγένετο κληρονόμος*, ad *arcam* quadrat.

Verſ. 8. Πίςει καλούμενος Ἀβραὰμ] Duo Codices legunt *ὁ καλούμενος*, quod ideo in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Defendit etiam *Eſtius*, nec alienus admodum videtur *Millius*. *Vulg.* habet : *qui vocatur Abraham*; & ſic *Eraſmus* : *appellatus Abraham*; eo ſcilicet

 ſenſu,

ſenſu, ac ſi Apoſtolus reſpiciat mutationem nominis *Abram* in *Abraham.* Conf. ad *Rom.* IV. Rectius tamen, omiſſo illo articulo, *καλέμενος* de vocatione divina, ad Abrahamum perlata, accipitur, cum *egreſſus* ejus in peregrinam terram ſtatim fiat mentio. Ita ſupra V. 5. ſimili ſenſu Aaron dicitur *ὁ καλέμενος ὑπὸ Θεῦ.* Interim de illa nominis *Abram* & *Abraham* origine ac permutatione leges, ſi placet, *Feſſelium* Tom. II. Adverſariorum Sacrorum pag. 373. præſtantiſſimum *Jo. Albert. Fabricium* in Codice Pſeudepigrapho V. T. pag. 341. ſqq. & *Matth. Hillerum* in Syntagmatibus Sacris pag. 198. De argumento, quod hic tractatur, luculente diſſerit *Franc. Fabricius* in Chriſtologia Noachica & Abrahamica pag. 160. ſqq. ubi diſſert. IV. de Vocatione Abrahami, ejusque obedientia fidei usque ad pag. 245. commentatur.

Verſ. 9. *Πίςει παρῴκησεν εἰς τὴν γῆν κ. τ. λ.*] Spectat huc ejusdem *Fabricii* diſſertatio V. de fide Abrahami habitantis in tabernaculis & exſpectantis civitatem l. c. pag. 246-278. quæ & comma decimum perſequitur. Adde B. *Jo. Chriſtoph. Pfaffii* diſſert. ſingularem de fide Abrahami, *Tubing.* 1717. & *Guſſetii* Confutationem libri Chiſſuk Emuna Part. I. cap. XVIII. Pauci Codices omittunt *πίςει*, adprobante *Millio*, in Prolegomenis, ſed refragante orationis Paulinæ ſerie. Diſtinguitur enim hic *exitus* Abrahami ab *habitatione*: utrumque autem momentum fidei ejus adſcribitur.

*εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας*] i. e. *in terram promiſſam*, ubi abſtractum pro concreto nonnullis per Hebraiſmum videtur poſitum. Sed vide recte eum amolientem Cl. *Georgium* in Vindiciis Nov. Teſtament. ab Hebraiſmis pag. 213.

*ἐν σκηναῖς κατοικήσας*] De more veterum in tentoriis habitandi lege *Gurtlerum* in Originibus mundi & *Jac. Lydium* de re militari p. 181. ſq.

Verſ. 10. *Ἐξεδέχετο γὰρ τὴν τὺς θεμελίυς ἔχυσαν πόλιν*] Per *πόλιν* hanc *Clericus* ad *Hammondum* intelligit *Hieroſolymam*, inconvenienter omnino, cum cœleſtes ſedes indicentur, quæ paulo poſt v. 16. vocantur *πατρὶς ἐπυράνιος*, & *πόλις*, quemadmodum eadem, ut *μέλλυσα*, opponitur *πόλει μὴ μενύσῃ.* Adde *Cloppenburgium* Tom. II. Oper. pag. 380.

*ἧς τεχνίτης καὶ δημιυργὸς ὁ Θεός*] Similiter *ἀρχιτέκτονα καὶ δημιυργὸν* conjungit *Polybius* pag. 720. *δημιυργῦ* vocem cum illa *τεχνήματος* adhibet *Xenophon* lib. V. pag. 573. Utrumque obſervavit *Raphelius.* In voce *δημιυργὸς* exponenda inprimis diligentem ſe præſtat doctiſſimus *Elsnerus* pag. 365. ſq. notatisque Patrum quorundam, de quibus *Suicerus*, expoſitionibus, oſtendit, Deum ab externis quoquo Scriptoribus *δημιυργὸν τῦ κόσμυ* appellari, quemadmodum urbium conditores *κτιςαὶ*, *οἰκιςαὶ* & *ἀρχηγέται* ſint vocati, & ſingulari quadam religione culti.

Verſ. 11. *Πίςει καὶ αὐτὴ Σάῤῥα*] De origine nominis, factaque ejus cum altero permutatione, lege *Fabricium* noſtrum in Codice Pſeudepigrapho V. T. pag.

pag. 419. Adde *Th. Hyde* de religione veterum Perſarum cap. II. pag. 81. qui *Sarai* putat ſignificare, *principiſſa mea*, vel, *Domina mea*, in plurali; *Sara* vero *Domina.* Si *Menaſſen ben Iſrael* audias, *Sarai* privatam & particularem Dominam, *Sara* autem dominam univerſalem infert. Vide cum de Termino vitæ pag. 109. Ex *Jo. Clerici* ſententia, in commentar. ad *Geneſ.* XVII. 15. prodita, שרה idem eſt, quod שרת חמון *princeps multitudinis*, quod conveniens & rectum videtur.

*δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος ἔλαβε*] *καταβολὴ* ſimpliciter de *ortu* uſurpatur ab *Arriano* Diſſertatt. Epictet. lib. I. cap. 13. obſervante *Raphelio*, quemadmodum, monente *Lamb. Bos*, *Lucianus* de Amoribus pag. 888. phraſin hanc integram adhibet, dicens, naturam *χαρισαμένην τοῖς ἄῤῥεσιν ἰδίας καταβολὰς σπερμάτων viris propriam dediſſe ſeminis emiſſionem. Philo*, notante *Jo. Alberto* in Muſei Bremenſis Vol. I. pag. 123. *σπέρμα εἰς τὴν μήτραν καταβληθὲν* dicit pag. 14. Operum, ſicut *Heliodorus* lib. IV. p. 176. *κυοφορήσασαν τὴν καταβολὴν* commemorat. *Σπέρματα εἰς γῆν ἢ μήτραν καταβαλλόμενα* memorat *M. Antoninus* lib. IV. §. 26. ubi vide *Gatakerum.* Subintelligendum hic aliquid eſſe phraſis ipſa docet, quale autem id ſit, non æque patet. Neque enim audiendus eſt *Jac. Cappellus*, quando ſine ulla ellipſi *καταβολὴν σπέρματος* interpretatur *collocationem ſeminis*, h. e. ut poſſet & ipſa (*Sara*) ſemen conferre, tanquam ſine quo ſemen maſculum irritum foret. Conſtat enim, quantopere ſemen illud fœmineum hodiernis Phyſicorum principiis & experientiæ adverſetur. Itaque recte hanc expoſitionem, quamvis ex alia ratione, averſatur *Ludov. Cappellus* in Spicilegio Notarum pag. 125. Rectius *Boſius* ſupplet & vertit, *τὸ δέχεσθαι σπέρμα καταβεβλημένον*, *ad recipiendum ſemen injectum*, ſicut *Eraſm. Schmidius*, *ad concipiendum & retinendum ſemen.* Cave tamen, putes, id in verbo ipſo *καταβολὴ* latere, cum illud, ceu vidimus, de viris dicatur. Lege in hanc ſententiam Cl. *Schellhornium* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. pag. 865. ſqq. qui vel *συλλαμβάνειν* vel *καταχεῖν*, aut ſimile quid, ſubintelligi ſuadet. In alia abit *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 234. rad. ירע lit. B. qui phraſin hanc cum illa, *καταβολὴ κόσμου*, comparat, & per *fundationem ſobolis* interpretatur; ſicut pag. 846. rad. שות lit. C. *σπέρμα* h. l. de poſteritate, non autem humore genitali, accipit. Ad *μήτραν* Saræ, recipiendo vel fovendo ſemini non idoneam, hic reſpici, dubitari non poteſt ex *Rom.* IV. 19. ubi *νέκρωσις τῆς μήτρας Σάῤῥας* in fidei probatæ argumentum affertur.

*καὶ παρὰ καιρὸν ἡλικίας ἔτεκεν*] Verbum *ἔτεκεν* pauci Codices omittunt probante *Grotio*, ut ſic voces antecedentes pendeant à verbo *ἔλαβε.* Rectius autem retinetur. Apoſtolus enim hic & *conceptionem* & *partum* inter fructus fidei Saræ numerat, quemadmodum pauloante v. 8. & 9. fidei Abrahami & *exitum* ejus & *commorationem* in terra peregrina tribuerat. Idem patet ex ſequente phraſi, *ἐπεὶ πιστὸν ἡγήσατο τὸν ἐπαγγειλάμενον*, h. e. *quoniam fide-*

*lem duxerat eum, qui promiſerat.* Quæ vero erat illa promiſſio? Ea ſpectabat diſerte ad partum maſculi. Vide *Geneſ.* XVII. 19. & XVIII. 10. Ita vel ideo τῆ τεκεῖν hic fieri debebat mentio.

Verſ. 12. *καθὼς τὰ ἄςρα τῦ ὐρανῦ τῷ πλήθει*] Vide *Vorſtium* de Adagiis N. T. cap. II. Poſterorum Abrahami copia hinc cum multitudine ſtellarum, hinc cum arena non numerabili comparatur, non ſine aliquo, ut videtur, diſcrimine. Stellæ enim numerari forte poſſint, ſi omnes oculis intuentium paterent. Idem vero de arena maris fieri non poteſt. Quod ad ſtellas attinet, conſtat, *Flamſteedium* Anglum, ſummam earum, quæ vel nudis vel armatis oculis conſpici poſſint, ad ter mille reduxiſſe. Hanc vero ſummam Abrahami poſteritas multis modis ſuperat.

*ϗ ὡσεὶ ἄμμος*] Nonnulli Codd. habent *ϗ καθὼς*, alii vero *ϗ ὡς ἡ ἄμμος*, quam poſteriorem lectionem in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, procul dubio ideo, quod facile fieri potuerit, ut ex *ὡς ἡ* pronuntiationis vitio fieret *ὡσεὶ*. Sed quod fieri potuit, non neceſſe eſt factum eſſe, aut factum credere. Taceo, minus probabile eſſe, quod ante vocem *ἄμμος* articulus *ἡ* fuerit collocatus, cum proxime *ἄμμος* deſcribatur addita phraſi, *ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης*, iterumque, *ἡ ἀναρίθμητος*.

*ἡ παρὰ τὸ χεῖλος*] Hæc, in tribus codd. non lecta, parentheſi includit idem editor Nov. Teſtam. quæ proinde expuncta mallet. Sed temere ita egit. Paulus quidem *Rom.* IX. 27. phraſi ſimplice *ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης* utitur, ex quo puto factum, ut non nulli τὸ, *παρὰ τὸ χεῖλος* h. l. omitterent. Atque utraque phraſis apud τὺς LXX. frequens eſt. Sic *Joſ.* XI. 4. *ἡ περὶ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης τῷ πλήθει.* Conf. *Judic.* VII. 22. 1 *Regg.* XIII. 5. 3 *Regg.* IX. 26. &c. Simplex illa ſine *χεῖλος* legitur 2 *Regg.* XVII. 11. 3 *Regg.* IV. 20. *Jeſ.* X. 22. &c. Itaque nihil obſtat, quo minus utraque diverſis locis uſus eſſe exiſtimetur Apoſtolus. *Herodotum* lib. II. pag. 139. *παρὰ τὰ χείλεα τῶν τε ποταμῶν ϗ τῶν λιμένων* dicere obſervavit *Raphelius.* De ipſo adagio lege *Vorſtium* l. c. cui Hebraicum videtur, quamvis non neget apud Poëtas Græcorum occurrere. Locis ab eo adductis adde hunc *Pindari* Olymp. Od. II. fine:

*ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν.*

& alium ex Ode XIII. v. 1426. Eos indicavit, & ex ſcholiis illuſtravit Cl. *Jo. Alberti* pag 432. ſqq.

*ἡ ἀναρίθμητος*] Scholia *Pindari* recentiora, ſive *Demetrii Triclinii* ſint, ſive *Iſaaci Tzetzæ*, ita: *ὥσπερ ἡ ψάμμος ἀναρίθμητός ἐςιν, ὕτω ϗ αἱ τύτυ πρὸς ἀνθρώπυς εὐεργεσίαι.* *Sophocles ἀναρίθμητον* dicit *ἀνήριθμον Trachin* v. 251. *Ælianus* H. A. autem XVII. 17. *κρείττονα ἀριθμῦ*, & XV. 18. *περιττότερον ἀριθμῦ.* Vide *Lamb. Boſium.* De phraſi, quæ videtur hyperbolica, lege

Vener.

Digitized by Google

Vener. *V. E. Laſcheri* Stromata pag. 40. Elegantiam & pondus totius commatis graviter exponit *A. Blackwallus* in Claſſicis Sacris Tomo II. pag. 56. & 65.

Verſ. 13. καὶ πεισθέντες] Deſunt hæc in variis Codd. Patribus item, & Verſionibus. Omiſſa etiam in editionibus *Complut. Colin.* & illa *Eraſmi Schmidii*, qui tamen in verſione Latina expreſſit. Omiſit etiam editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. *Millius* inquit: *conſtat addititium eſſe. Whitbius* in Examine pag. 76. ait: *Textui additum eſſe probant Græca ſcholia, & verſiones omnes, ſed ſine textus præjudicio; quod enim fide videbant & ſalutabant, de eo certe perſuaſi fuerint, neceſſe eſt.* Enimvero non video, quomodo pro interpretamento, quod *Millius* ex *Oecumenio* dicit, vocis ἀσπασάμενοι haberi poſſit. Ἀσπάσασθαι enim aliud quid & plus infert, quam πεισθῆναι. Vide de verbo ἀσπάζεσθαι *Suicerum* Tom. I. pag. 552.

ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς] *M. Antoninus* ξένον κόσμου vocat eum, qui ignarus eſt eorum, quæ in mundo geruntur lib. IV. §. 29. Adde VIII. 15. & XII. 1. 13. Sic IV. 46. de illis dicit, quæ aliis ξένα φαίνονται. Παρεπίδημοι ſunt, qui aliquo in loco tantum ad tempus commorantur, *Polybio* pag. 1280. & pag. 1391. Vide *Raphelium* pag. 676. Confer *Suicerum* Tom. I. pag. 442. *Hipparchus* in Fragmentis Pythagoricis, à *Galeo* editis, p. 609. *vivere* explicat per παρεπιδημίαν ποιεῖν.

Verſ. 13. ἐμφανίζουσιν, ὅτι τὴν πατρίδα ἐπιζητοῦσι] Illuſtrantur hæc diligenter à Cl. *J. H. à Seelen* programmate ſingulari, quod Meletema de patria a fidelibus V. T. quæſita inſcripſit & edidit Lubecæ 1732. Oſtendit vero is ſpeciatim, per patriam illam non terram Canaan, nec Hieroſolymam, ſed cœleſtes ſedes intelligi. Has autem ab externis quoque Scriptoribus patriam vocari oſtendit *F. A. Lampius* in Exercitat. ad Pſ. XLV. p. 584.

Verſ. 14. Καὶ εἰ μὲν ἐκείνης ἐμνημόνευον] Verbi μνημονεύειν notionem, affectum & ſtudium aliquod inferentem, explanat & eum Hebraico זכר comparat *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 228. b.

ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν] Cl. *Schœtgenius* pag. 985. Horarum per πόλιν illam intelligit primo urbem cum regione terrena, quam poſteri ipſorum inhabitaturi eſſent, deinde veram religionem, quæ in eadem florere debebat; denique vero antitypum illius urbis & cultus, nempe Meſſiam, Regem ipſius, cum Eccleſia N. T. Non crediderim aliam hic urbem intelligi, quam cœleſtem illam, de qua v. 10. & 13. Ideo enim ἐπουράνιος vocatur. Nec ipſe vir doctus negat, à Judæis vitam æternam urbis nomine appellari v. c. in *Jalkut Rubeni* fol. 165. 3. Adde *Joſephi* locum de Bello Judaico lib. III. cap. 14. ubi ſocios ſuos ſpe vitæ cœleſtis ſolaturus, ait: οὐκ ἴστε, ὅτι τῶν μὲν ἐξιόντων τοῦ βίου κατὰ τὸν τῆς φύσεως νόμον —— —— κλέος μὲν αἰώνιον, οἶκοι δὲ καὶ γενεαὶ βέβαιοι, καθαραὶ δὲ ἐπήκοοι μένουσι ψυχαὶ, χῶρον οὐρανοῦ λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον;

Verſ.

Verſ. 17. *ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος*] h. e. qui promiſſiones non ſolum acceperat, ſed etiam fide receperat. Hæc enim eſt verbi emphaſis apud *Polybium* pag. 1351. Vid. *Raphelium.* Aliud itaque eſt *ἀναδέχεσθαι* promiſſiones, quod fit *fide*, aliud *λαβεῖν*, de quo v. 13. & *κομίζεσθαι*, de quo infra v. 39. Hoc enim fit, cum quis re promiſſa fruitur.

Verſ. 18. Πρὸς ὃν ἐλαλήθη] i. e. *reſpectu cujus*, ut *Er. Schmidius* vertit, vel, *de quo* dictum erat. Vid. ad *Hebr.* I. 7. & IV. 13.

*Ὅτι ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα*] *Ὅτι* abeſt a duobus Codd. ideoque expungere auſus eſt editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, cum tamen *Geneſ.* XXI. 12. apud τὺς LXX. totidem verbis legatur, quos Apoſtolum utplurimum ſequi conſtat.

Verſ. 19. *Λογισάμενος, ὅτι καὶ ἐκ νεκρῶν δυνατὸς*] *Reputans* &c. Sic *Heſychio* & Gloſſis eſt *ἐνθυμοῦμαι*, *cogito*, *ineo conſilium*, *exiſtimo.* Conf. 2 *Cor.* X. 2. & *Rom.* III. 28. Adde *Jo. Alberti* pag. 434.

*ὅθεν*] *unde*, ſcilicet *ἐκ νεκρῶν ex mortuis*, ut id ſit, quod *ἐξ ὧν.* Vide *Lamb. Bos* pag. 249. & *Alberti* l. c. Ita *Xenophon* Exped. Cyr. lib. VI. p. 302. *αἱ πόλεις ἡμῶν, ὅθεν ἐσμὲν, urbes noſtræ, ex quibus ſumus. Terentius* Eunuch. Act. I. Sc. II. verſ. 35. *è prædonibus*, *unde* (i. e. à quibus) *emerat.*

*αὐτὸν καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο*] Vide *Alethæum* Tom. III. der Erläuterung pag. 401. & M. *Jo. Dopperti* Programma Paſchale Schneebergæ 1719. editum, & in *Gabrielis Terne* Sylloge Programmatum pag. 829. ſq. recuſum. Obſcurum inprimis eſt, quid ſibi velit *ἐν παραβολῇ.* Plerique vertunt *in ſimilitudine*, vel per *ſimilitudinem*, quod tamen quo ſenſu dicatur, diſſentiunt. *Lamb. Bos* & *Jo. Alberti* putant, Apoſtolum hic non reſpicere ad Iſaacum, jam Patri quaſi ex morte, cui eum deſtinaverat oblaturus, redditum; ſed ad nativitatem Iſaaci miraculoſam ex effœto Abrahami corpore, & emortuo Saræ utero. Senſus itaque fuerit, reputaſſe Abrahamum, Deum vel ex mortuis poſſe ſuſcitare & reddere filium, ſi eum obtuliſſet, quemadmodum etiam eum primo, cum ipſi naſceretur, quaſi ex mortuis acceperat. In hanc ſententiam provocat ad *Rom.* IV. 19. ubi Abrahami *σῶμα νενεκρωμένον* dicitur, quemadmodum in hoc capite ipſe Abrahamus *νενεκρωμένος* vocatur. Itaque vocem *νεκρῶν* non de mortuis proprie dictis, ſed de *Abrahamo* & *Sara*, tanquam effœtis, accipit; quemadmodum verbum *ἐκομίσατο* non *accepit*, ſed *acceperat*, nempe cum ipſi naſceretur, convertit. Speciem habet hæc interpretatio, de cujus tamen veritate eſt quod dubitem. Primum enim phraſis *ἐκ νεκρῶν* frequens eſt in N. T. neque tamen unquam ſenſu hoc metaphorico adhibetur. Paulus ipſe infra XII. 20. Patrem vocat Chriſtum *ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναγαγόντα*, i. e. *ἐγείραντα.* Abrahamus & Sara non *νεκροὶ* hic appellantur, ſed *νενεκρωμένοι*, ex ea ſcilicet parte, qua per naturam fieri non poterat, ut alter gigneret, pareret

altera

altera. Abraham hic repræſentatur, in quantum Iſaacum, a Deo juſſus, morti erat traditurus. In tantum itaque non poterat non eum inter mortuos numerare. Hoc vero feciſſe dicitur, innixus promiſſioni divinæ, fore, ut ex Iſaaco poſteros haberet. Hæc promiſſio non amplius ad Iſaacum, in quantum naſci debebat, ſed ad poſteros, ex Iſaaco prodituros, ſpectabat. Illam itaque promiſſionem ratam futuram credebat Abrahamus, ſi vel maxime Iſaacus ex vivis tolleretur, ideo ſcilicet, quod perſuaſum ſibi habebat, Deum Iſaacum etiam ex mortuis ſuſcitare & ſibi reddere poſſe. Hæc mihi ita cohærere videntur, ut de reſpectu aliquo ad nativitatem Iſaaci ex Parentibus effœtis, h. e. quaſi mortuis, habito, cogitari non poſſit. Accedit, quod Paulus alias, ubi præſentiſſimum vitæ periculum recitat, ſe ait confiſum eſſe Deo, *τῷ ἐγείροντι τὺς νεκρύς*. 2 *Cor*. I. 9. Denique verbum *ἐκομίσατο* rectius in præterito per *recepit* accipitur, ut indicetur, quid factum ſit, poſtquam *obtulit* filium ſuum inſtar victimæ. Ex his itaque patet, *παραβολὴν* ſeu *ſimilitudinem*, hic commemoratam, eam eſſe non poſſe, quæ inter nativitatem Iſaaci & liberationem ejusdem à morte imminente interceſſerit.

Alii *ſimilitudinem* ita dici cenſent, quod Iſaacus *quaſi mortuus* fuerit, nempe in mente Abrahami, atque adeo Abrahamus ex quaſi mortuis eum receperit. Sed id quidem vim phraſeos Græcæ non exhaurire videtur.

*Hombergius* in Parergis pag. 351. *ἐν παραβολῇ in præſentiſſimo periculo*, cum ſcilicet Iſaacum morti quaſi projiceret, interpretatur, ideo ſcilicet, quod *παραβάλλεσθαι* ſignificet *periculo ſe objicere*, & *παράβολος audacem* & *temerarium* inferat; ex quo colligit, *παραβολὴν diſcrimen* ſeu *periculum* ſignificare poſſe. Recte vero contra eum *Boſius* monuit, eam vocis *παραβολὴ* ſignificationem ab *Hombergio* nullo Scriptoris loco eſſe comprobatam, nec ex cognatis illis verbis tuto colligi. Interim ſimile quid in mentem venit *Camerario*, ad h. l. ita ſcribenti: *περιφραστικῶς credo accipi poſſe, ut ſit ἐν παραβολῇ, παραβόλως i. e. exponens ſe periculo, amittendi filii, illum recepit.* Eandem ſententiam alia quadam ratione ornavit Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 676. Ἐν παραβολῇ idem putat eſſe poſſe, quod *παραβόλως* quemadmodum alias dicitur *ἐν τάχει*, pro *ταχέως*, & *ἐν ἀληθείᾳ* pro *ἀληθῶς*. Voce autem *παραβόλως* ſæpius utitur *Polybius*, quam Interpretes nunc *audacter*, nunc *perículoſe*, vertunt, ipſe vero (*Raphelius*) aliquot in locis *inſperato* reddi poſſe cenſet; quo ſenſu *Plinius* IX. ep. 26. dicat: *Sicut enim maxime mirabilia, quæ maxime inſperata, maxime periculoſa, utque Græci magis exprimunt, παράβολα.* Polybii locis aliquot in hanc ſententiam recitatis, denique id velle Apoſtolum ſignificat, *quod Abrahamo præter ſpem præterque opinionem hoc evenerit, ut filium ſuum vivum reciperet, cum jam in eo eſſet, ut ipſum immolaret.* Quando ego recogito, voces *παραβάλλεσθαι*, *παράβολος* & *παραβόλως* de iis Græce dici, qui nunc extra ſpem poſiti, nunc temere, aliquid audent & moliuntur, eo quod rebus ſuis aliter conſuli non poſſe cenſent, non

 video,

Digitized by Google

video, quomodo hoc ſenſu Abrahamus ἐν παραβολῇ filium ſuum recepiſſe dici poſſit, qui non temere, ſed juſſu divino, adductus, nec ſine ſpe, ſed plenus fiduciæ, in DEI omnipotentia collocatæ, filium offerre DEO voluerit.

Itaque malim in eorum ſententia acquieſcere, qui *ſimilitudinem* hanc *typicam* eſſe ajunt, eo ſenſu, quod Abrahamo omni hoc facto aliud quid repræſentatum ſit, quam in re ipſa latebat, ſive jam ad *reſurrectionem* ſive ad *Chriſtum*, aliquando Deo offerendum, & ex mortuis reſuſcitandum, id ſpectaſſe cenſeas. Iſaacus enim morti ita vicinus erat, ut vitæ jactura ex præſentiſſimo & jam intentato ictu penderet. Ab illo vero præter exſpectationem liberatus *figuram* omnino præſtabat factæ reſurrectionis; ſive idem erat, ac ſi ex mortuis reſurrexiſſet. Scilicet, quo ſenſu Abraham dicitur obtuliſſe Iſaacum, quem oblaturus erat, eodem ſenſu Iſaacus ex mortuis excitatus dicitur. Lege in hanc rem Interpretes noſtrates, & inprimis *Calovium*, tum vero *Glaſſium* pag. 316. & 325. libri II. Philologiæ Sacræ. In hac ſententia id inprimis me fulcit, quod vox παραβολὴ reſpondeat Hebraico משל quod LXX. Interpretes ita expreſſerunt, quodque Hebraici במשל dicere ſoleant, ubi aliquid *typice* repræſentari indicant. Idem puto firmari phraſi Pauli ipſa, quando ait: καὶ ἐν παραβολῇ i. e. *etiam in ſimilitudine*, qua puto innui, præter id, quod Abrahamus Iſaacum vivum receperit, illud quoque eum cepiſſe emolumenti, ut amplius aliquid ſibi repræſentatum ſimul intelligeret. Lege interim de omni hoc argumento *Franc. Fabricii* diſſertat. de Tentatione & Fide Abrahami, quæ XII. eſt inter eas, quas in Commentatione *de fide Noachica & Abrahamica* exhibuit, pag. 516-650. ubi inter cetera tum aliorum, tum *Hombergii* & *Raphelii* interpretationes ſub modeſtum examen vocantur §. 56. ſqq. ac tandem ipſius hujus typi ratio fuſe ediſſeritur.

*ἐκομίσατο*] *recepit*. Hunc verbi ſignificatum aliquot *Polybii* locis adſtruit *Raphelius*. Conf. ad v. 39.

Verſ. 20. *Πίστει περὶ μελλόντων εὐλόγησεν Ισαὰκ τὸν Ιακὼβ καὶ τὸν Ησαῦ*] Vide huc *Fabricii* modo laudati Tractatum de fide Chriſtiana Patriarcharum & Prophetarum, Diſſert. I. pag. 21.

Verſ. 21. *Πίστει Ιακὼβ —— καὶ προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ*] De his verbis cum contextu Hebræo וישתחו אל ראש המטה *Geneſ.* XLVII. 31. conciliandis dudum ſoliciti fuerunt Interpretes. Vide huc ex noſtratibus *Auguſt. Pfeiferum* in Dubiis Vexatis ad h. l. pag. 103. Opp. Criticor. *Hackſpanium* in Notis Philologic. pag. 248. ſq. *Chriſtian. Noldium* in Concordantiis Particularum Hebraic. not. 1747. pag. 1050. *Franc. Wokenium* in Moſe Harmonico pag. 42. & 62. iterumque in Bibliotheca Wittebergenſi Vol. I. pag. 251. ſq. (ubi ſententiam ſuam contra animadverſionem, in Bibliotheca Theologica ſelecta Parte XLVII. pag. 1054. allatam, tuetur,) nec minus

Digitized by Google

nus eruditiſſimum *Joan. Grammium* in diſputat. III. de allegatione verſionis Græc. LXX. viralis in Nov. Teſt. pag. 61. ſqq. Ex ceteris comparari meretur *Guil. Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 647. & ex Anglis *Leonh. Twells* in Examine Critico Nov. Teſt. Græco-Anglicani Part. II. pag. 72. ſqq. Non commemorabo hic omnes conciliandi rationes, quas eruditi inierunt. Legere eas, qui volet, poterit in *Krakevitzii* diſſertat. mox laudanda. Tres inter eas ſunt potiores. Alii enim Paulum τοὺς LXX. more alias ipſi recepto, in hac allegatione penitus ſecutum eſſe ajunt, quamvis non ignoraret, ſecundum Hebræum textum Geneſ. XLVII. 31. verti debuiſſe, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης, quod *Symmachus* exhibet; nihil autem mutare voluiſſe, cum ad argumentum, quod tractabat, nihil referret. Ita *Seb. Schmidius* ad h. l. *At* inquit, LXX. *ſæpius errarunt: Ita dicere, erraſſe illos, & Apoſtolum non habuiſſe hic corrigendi illos gravem cauſam, quid temeritatis habet?* Nec aliter *Sal. Geſnerus* in Comment. ad Geneſ. XLVII. *Satis fuit ipſi* (Apoſtolo) *oſtendere, Jacobum in futurum Meſſiam fide præditum fuiſſe, inque ea vitam feliciter finiiſſe, de reliquo, utrum virgam Joſephi attingens, aut ſub baculo innixus, an denique ad culcitram verticemque lecti converſus, Deum adoraverit, non magnopere laborans.* His adſtipulatur laudatus modo *Grammius* l. c.

Alii hoc loco non ad *Geneſ.* XLVII. 31. ſed potius ad XLVIII. 12. reſpexiſſe putant Apoſtolum. Hanc ſententiam præ ceteris adſtruere anniſus eſt B. *Albertus Joachimus de Krackevitz* in Novo Philologiæ Specimine, exhibente Harmoniam Pauli & Moſis circa Jacobum, filiis Joſephi benedicentem, Roſtoch. 1705. cujus ſummam habes in *Starkii* Notis Selectis pag. 88. ſq. qui & ipſe eam amplectitur, quemadmodum & à B. *Jo. Petr. Grünenbergio*, ad quem *Krackevitzius* provocat, adprobata adſuit. Eadem placuit B. *Alberto Ehlers*, cujus verba ex notis ejus MSS. ad h. l. deſcribam. Ille ſcilicet non de Jacobo, ſed de Joſepho, verba hæc vult intelligi, hoc ſenſu: *Fide Jacobus moriens utrique filiorum Joſephi benedixit: qui* (ſcilicet *Joſephus*) *incurvavit usque ad ſummitatem baculi ſui.* Scilicet τὸ ἀυ. (ita pergit) per pronomen relativum exponitur de eo, cujus in caſu obliquo proxime ante mentio eſt, quod alias fieri debet v. c. *Ruth* III. 16. *Jeſ.* XXIII. 27. *Jerem.* XXXVI. 32. Matth. XIII. 41. XXIV. 31. *Luc.* IX. 52. Αὐτῦ vero refertur ad ſcipionem Joſephi, adeoque reciproce pro ἀυτῦ, quod ſæpe fit, v. c. *Luc.* XII. 27. 1 *Corinth.* VII. 37. *Joh.* I. 47. *Hebr.* VI. 7. Imo *Jac. Cappellus* teſtatur, Stephanicos, Plantinianos, aliosque probæ notæ codices legere h. l. ἀυτῦ, ſicut & in Bibliis Polyglottis eſt impreſſum. Sic & *Auguſtinus* quæſt. 162. apud Nobil. in Geneſ. teſtatur, Geneſ. XLVII. apud τοὺς LXX. in Codd. nonnullis legi ἀυτῦ i. e. *virga ſua*. Reſpicitur autem ad id, quod *Geneſ.* XLVII. 12. de incurvatione Joſephi dicitur. Ibi enim ſermo eſt de Jacobo, filiis Joſephi benedicturo, cujus benedictionem Paulus h. l. in fidei Jacobææ teſtimonium citat. Quapropter ibidem quoque incurvatio, προσκύνησις, quam habet Paulus, quærenda: non vero

Ddd dd 2 recur-

recurrendum eſt ad *Geneſ.* XLVII. 31. eum ibi relata alio plane tempore ſint geſta, prout initium capitis XLVIII. clare indicat, quicquid etiam *Schmidius* dicat in h. l. & in Hebr. Nec obſtat, *Geneſ.* XLVIII. 12. nil dici de ſcipione. Nam hæc Paulus inſtinctu Spiritus S. de ſuo adjecit, tanquam ſua, non tanquam ex Geneſi citata. Conferatur *Flacii* gloſſa in h. l. Similia, v. c. nomina Magorum Ægyptiorum, prophetia Enochi &c. ex ſimili inſtinctu in N. T. afferuntur. Indicare autem voluit Paulus, quod Joſephus non pronus in terram proſtratus fuerit, ſed, quod ſe facie ſua verſus terram, demiſſo ſcilicet vultu, incurvaverit usque ad ſummitatem ſcipionis ſui, quem geſtare conſueverit. Incurvavit autem ſeſe Joſephus, tum, ut bona cum venia & honore Patris filios ſuos à Patre abduceret, tum inprimis, ut veneraretur divinam benedictionem, quam auditurus erat, ut loquitur *Schmidius* ad Geneſ. XLVIII. 12. Addit denique, B. *Gerhardum* commentar. in Gen. XLVII. 31. & *Waltherum* in Harmonia Biblica pag. 137. pridem monuiſſe, quod Paulus ad *Gen.* XLVIII. 12. reſpexerit. Habet, fateor, ſpeciem hæc ratio conciliandi: talem tamen non habet, quæ certum me reddat. Inprimis enim obſtat, quod Apoſtolus verba τῶν LXX. Geneſ. XLVII. 31. ipſiſſima repetit, ſi exceperis, quod nomen Ἰσραὴλ affert. Id vero indicio eſt, eum hæc ipſa verba non de Joſepho, ſed de Jacobo, quem ante diſerte appellaverat, intellecta voluiſſe. Porro τὸ ϗ non patitur, ut de *Joſepho* cogitemus, ſed vult, ut *Jacobum* repetamus, qui ut ἀποθνήσκων εὐλόγησε, ita ϗ προσεκύνησε. Ita prorſus v. 22. Πίστει Ιωσὴφ τελευτῶν — — ἐμνημόνευσε, ϗ περὶ τῶν ὀστέων αὐτοῦ ἐνετείλατο. Vides hic eadem ratione participium τελευτῶν cum duobus prædicatis, ad idem *ſubjectum* relatis, conjungi.

Reſtat denique tertia ſententia eorum, qui Apoſtolum non ſolum ad *Geneſ.* XLVII. 12. reſpexiſſe, ſed & τοὺς LXX. locum rectiſſime vertiſſe exiſtimant. Inter hos eſt *Leonh. Twells* in Examine Novi Teſtamenti Græco-Anglicani Part. II. pag. 72-77. Editor ejus in notis allegatione hac adeo abuſus erat, ut vel hinc patere crederet, Scriptorem epiſtolæ hujus, τοὺς LXX. penitus ſequentem, Hebr. linguæ ignarum fuiſſe, atque adeo epiſtolam ipſam Paulo tribui non poſſe. *Twelſius*, contrarium evicturus, *Jo. Clerici* cogitata, quibus Annotator ille uſus erat, in commentario ad h. l. examinat, verſionemque Græcam recte ſe habere affirmat. At ſubtiliora ſunt, quæ affert, atque id præterea præſtruunt, quod vox מטה in Hebræo non inſtructa fuerit vocalibus quam proinde οἱ LXX. per מטה legere potuerint, recteque legerint, & convenienter illi lectioni interpretati ſint. Annotatori Anglo rectius obvertitur, ex eo, quod Apoſtolus τοὺς LXX. ſecutus ſit, non ſequi, quod vel ipſe veram expoſitionem ignorarit, vel Græcam illam omni ex parte approbaverit; ſed id potius, quod nihil cauſæ fuerit, cur eam h. l. mutaret. Recte interim obſervat *Twelſius* pag. 75. inanem eſſe, quam idem attulerat, conjecturam, quod ſcili-

ſcilicet οἱ LXX. Geneſ. XLVII. 31. ſcripſerint κράβτου vel κραββάτου, *lecti*, ex quo deinceps librariorum vitio factum ſit ῥάβδου. Nam primo quidem οἱ LXX. vocem Hebr. מטה vertunt ῥάβδος, deinde nunquam in Hebr. מטה exprimendo adhibent vocem κράββατος; denique vero ex κράβτου vel κραββάτου tam facili incuria, quam ſibi perſuadet, naſci non potuit ῥάβδου.

Liceat his addere, *Hombergium* in Parergis pag. 345. approbare *Bezæ* verſionem: *& adoravit baculo innixus*, cum mos veterum fuerit, ut, cum pro concione dicerent, vel alibi ſermonem facere vellent, baculo innixi id facerent. Ita ait *Homerum* ſæpe, ubi Heroem aliquem loquentem affert, σκήπτρῳ ἐρεισάμενον dicere. Paulo poſt tamen verti mavult: *incurvavit ſe.* Cl. *Jo. Henr. Schulzius* in Diſput. de verbo προσκυνεῖν, Altorfii 1730. habita, pag. 26. interpretatur: *& deoſculatus eſt Iſrael apicem ſceptri ejus. Scilicet*, ita pergit, *ut tam honorato filio, tamque ſpectabili munere tot jam annis pro Rege defuncto, & adhuc fungenti, viciſſim honorem & obſequium præſtaret, poſtquam is ſibi officio, quæ filius patri debet*, (nempe viſitando eum ægrotum & juſſibus ejus ſe obſtringendo) *prompte præſtiterat. Neque vero illud tantum humano & profano ritu fecit, ſed* πίστει, fide, *in filio ſcilicet veneratus illum, cujus Joſephus in multis typus fuit, Servatorem JESUM CHRISTUM: non aliter, ut David per Spiritum S. futurum Meſſiam, ex ſuo ſemine naſcendum, Dominum ſuum dixit.* Similia his video afferri in Bibliotheca Theologica Selecta vernacule edita, Parte XLIX. pag. 1058. ſq. Anonymus, cui illa cogitata debentur, ad Geneſ. XLVIII. reſpici putat, ubi Jacobo res ſit cum Joſepho & filiis ejus. Porro monet, Joſephum faſcibus imperii ſeu ſceptro decorum, domeſticis quoque ſuis & aulicis comitatum, ad Patrem moribundum acceſſiſſe, qui viciſſim Joſephum non tam civili quodam cultu ſit proſecutus, quam, plenus fide, preces ad Deum ſupplices fecerit, vota pia pro ſalute poſteritatis ſuæ, & ſpeciatim Joſephi ejusque poſterorum nuncupans. Vide tamen, quæ ad hæc obſervat *Wokenius* in Bibliotheca Wittebergenſi l. c.

Quæ *Rich. Simoni* de hoc loco viſa ſint. patebit ex Hiſtoria ejus Critica Verſionum Nov. Teſt. pag. 482. & Interpretum pag. 476. Ad vocem ἄκρον ſubintelligi debere μέρος monuit *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. pag. 111. Et hæc quidem de loco non parum vexato ſufficiant, de quo ἐπέχειν ipſe malim, quam certi quicquam pronunciare. Neque tamen diffiteor, tutiſſime illos agere, qui primam, quam ſupra attuli, ſententiam tuentur. Obſignabo illam expoſitionem verbis Cl. *Schœtgenii* pag. 986. Horarum: *Apoſtolus*, inquit, *lectionem Græcam LXX. Senum retinuit, tum quia ad ſcopum ejus fecit, tum etiam, quia cum veritate conſentanea fuit. A poſteriore ut ordiamur, Jacobus, cum adventum Joſephi audiret, in lecto ſe erexit, pedesque extra lectum habuit, quod inde probamus, quia poſt abitum Joſephi & reliquorum filiorum ejus pedes ad jacendum rurſus compoſuit. Geneſ. XLIX. 33. Sic ergo ſedens, & baculo propter infirmitatem innixus cum Joſepho & aliis filiis locutus eſt, precesque ad*

*Deum fundens benedictionem illis impertivit. Ita quoque Gregentius, cujus verba vel ideo adduci merebantur, ita Grotius, Perkinſius, & alii. - - Ad ſcopum vero Apoſtoli hac verba producta ſic faciunt: Jacobus, quamvis admodum infirmus eſſet, tantam tamen erga ſupremum Numen reverentiam, erga filiorum vero ſalutem amorem habuit, ut omnes benedictiones divinas, ſibi & Patribus factas, veriſſimas crederet, easque filiis ſuis, & ſingulis tribubus adplicaret.*

Verſ. 23. Πίστει Μωσῆς γεννηθεὶς ἐκρύβη τρίμηνον κ. τ. λ.] Vide *Wokenii* Moſen Harmonicum pag. 72.

ὑπὸ τῶν πατέρων αὐτοῦ] Lege *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 361.

ὅτι εἶδον ἀστεῖον τὸ παιδίον] Inſpice *Suicerum* Tom. I. p. 557.

τὸ διάταγμα τοῦ βασιλέως] Poſt has voces in Cod. Claromontano Gr. & Gr. Lat. hæc leguntur: Πίστει μέγας γενόμενος Μωυσῆς ἀνεῖλεν τὸν Αἰγύπτιον, κατανοῶν τὴν ταπείνωσιν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. Atque hæc *Zegerus* non dubitat genuina eſſe, quæ ex contextu exciderint ideo, quod commatis proximi idem ſit, quod hujus eſt, initium. Non alienus ab hac ſententia eſt *Millius* in Prolegom. §. 496. 498. Rectius vero ſpuria videntur *Whitbio* in Examine, cum nullum eorum veſtigium vel in expoſitionibus vel in verſionibus vetuſtis exſtet.

Verſ. 24-28. illuſtrantur à *Surenhuſio* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 650. ſq.

Verſ. 24. Πίστει Μωσῆς μέγας γενόμενος] Phraſin hanc de adulta ætate *Homero* aliquoties adhiberi oſtendit *Eraſmus Schmidius* & *Lamb. Bos* pag. 252. Conf. *Jac. Gronovii* diſput. de voce μέγας Lugd. Bat. 1694. habitam. Quadraginta annos Moſen tunc habuiſſe conſtat ex *Actor.* VII. 32.

ἠρνήσατο λέγεσθαι] *renuit, adverſatus eſt vocari.* Emphaſin hanc vocis ex Patribus exponit *Suicerus* Tom. I. p. 510.

Verſ. 25. Μᾶλλον ἑλόμενος] Eodem verbo utitur in ſimili aliqua cauſa *Xenophon* de Ageſilao, imperium domeſticum ampliſſimo illi in Aſiam præferente. Vid. Orat. ejus de Ageſilao pag. 522.

Verſ. 26. Μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος, κ. τ. λ.] Vid. *Henr. Mori* Opera Theolog. p. 238.

τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ] Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani vertit *ſufferings of Iſrael*, *calamitates Iſraëlis* præeunte Grotio. Contra hunc lege *Calovium*; contra illum *Leonh. Twells* in Examine Critico pag. 29. *Ignominia Chriſti* illa eſt, quam quis Chriſti cauſa perfert. Conf. *Gal.* VI. 17. Philip. III. 10. & Coloſſ. I. 24.

ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν] Verbum ἀποβλέπειν de iis dici, qui aliquid ab alio exſpectant, oſtendit *Raphelius* ex *Xenophonte* & *Polybio*.

Adde

Adde *Jo. Alberti* in Muſeo Bremenſi Vol. I. pag. 123. ex *Philone* & *Themiſtio.* Μισθαποδοσίαν Hebraico פרם i. e. *mercedis retributioni* reſpondere, Paulumque ea, ut quondam Phariſæum, ad Hebræos, Phariſaicæ ſectæ utplurimum addictos, ideo uſum eſſe, ut oſtenderet, ſe priſtinam ſuam ſententiam hac in parte non mutaſſe, ſubtilius quam verius tradit *Vitringa* lib. I. Obſervationum Sacrarum cap. 18. fin. pag. 224.

Verſ. 27. τὸ γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε] Exſtat ad hæc *Joannis Jacobi Hottingeri* Diſſertatio de inviſibilis viſione per fidem, Tiguri 1706.

Verſ. 19. Πίστει διέβησαν τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν] Tranſitum hunc maris rubri *Joſephum* Antiquitatt. II. cap. 7. pag. 68. extenuare, & cum Pamphylico Alexandri M. tempore tranſitu obliquo, obſervato æſtu, conferre, *Philonem* vero mediam ſciſſuram vocare, & de Vita Contemplativa pag. 1215. deductis violenter aquis & utrinque conſolidatis in parietum ſpeciem medium interſtitium agnoſcere, obſervat *J. B. Ottius* in Annotationibus ad Joſephum Tomo II. edit. Havercampianæ pag. 317. Vereor, ne ad Joſephum prope accedat *Relandus* Diſſertatt. Miſcellan. Parte I. pag. 76. quando de ſinu maris rubri accipit. Miraculi hujus rationem & magnitudinem recte vindicant *Natalis Alexander* in Hiſtor. Eccleſ. Ætat. IV. Diſſertat. I. *Salomon Deylingius* in Obſervationibus Sacris Parte III. Obſervat. V. & *Auguſtinus Calmetus* in Prolegom. & Diſſertationibus Biblicis Latine junctim editis Tom. I. p. 57.

ὡς διὰ ξηρᾶς] ſcilicet γῆς. Sine Hebraiſmo, quem *Vorſtius* & *Olearius* ſtatuunt. Eadem enim voce ſæpius uti *Ariſtotelem*, & *Herodotum* aliquoties ξηρὸν in genere neutro dicere oſtendit Cl. *Georgius* in Vindiciis Novi Teſtamenti ab Hebraiſmo pag. 70. Vide v. c. *Ariſtotel.* Meteorol. II. 1. pag. 578. & *Herodot.* lib. II. cap. 68.

ἧς πεῖραν λαβόντες] Πεῖραν λαμβάνειν *Polybius* duplici ſignificatu adhibet. Nunc enim eſt *periculum facere*, nunc *experiendo diſcere*, quo ſenſu poſteriore infra verſ. 36. occurrit. Vide *Raphelii* Annotationes Polybianas pag. 680.

Verſ. 30. Πίστει τὰ τείχη Ἱεριχὼ ἔπεσε, κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας.] De urbe *Jericho*, vocisque origine lege *Andream Maſium* ad Joſuam pag. 37. ſq. & *Voſſium* in Harmonia Evangelica de paſſione Chriſti pag. 14. Ruinam murorum non cauſæ alicui naturali, ſed divino juſſui deberi oſtenderunt *Samuel Reyherus* in Matheſi Moſaica pag. 588. ſq. *J. A. Schmidius* & *J. J. Weidnerus* Diſſertationibus ſingularibus, ille Wittebergæ 1697. hic *Lipſiæ* 1709. nec non *Joannes Franciſcus Buddeus*, Jen. 1690. quæ in Parergis ejus pag. 229. ſq. recuſa eſt. Adde *Morhofii* Stentorem Hyaloclaſten cap. XIV. pag. 187. *Kircheri* Phonurgiam pag. 217. Obſervationes Hallenſes Germanicæ Tom. IV. p. 225. ſq. miraculum hic contigiſſe inficiantur.

Verſ. 31. Πίστει Ῥαὰβ] De nominis hujus origine lege *J. B. Cotelerium* ad Patres Apoſtolicos Tom. I. pag. 152. b. De Rahab ipſa *J. G. Abichtii* Diſſertationem ſingularem, Lipſiæ 1712.

ἡ πόρνη] Vocem alii per *meretricem*, alii per *cauponariam* interpretantur. Vide *Jacobum Cappellum* ad h. l. *Starckii* Notas Selectas, *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 173. & *de Roa* in Singularibus lib. III. pag. 310. *Peregrinam*, ſive *Gentilem* dici mavult *Braunius* in Selectis Sacris pag. 305. & cum eo *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 63. De tota hac cauſa lege etiam *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis Dub. XXV. & *Cornelium Adamum* in Exercitationibus Exegeticis pag. 453. ſqq.

ἐ συναπώλετο τοῖς ἀπειθήσασι, κ. τ. λ.] Vide *Franciſci Wokenii* Harmoniam Veteris & Novi Teſtamenti Part. II. pag. 199. ſq.

Verſ. 32. Ἐπιλείψει γάρ με διηγέμενον ὁ χρόνος] *Deficiet enim me tempus commemorantem.* Sic *Iſocrates* ad Demonic. pag. 7. ἐπιλίποι δ᾽ ἂν ἡμᾶς ὁ πᾶς χρόνος, εἰ πάσας τὰς ἐκείνε πράξεις καταριθμησαίμεθα. *Thomas Magiſter* de Dictionibus Atticis verbum ἐπιλείπειν & tertio & quarto caſui perſonæ jungi exemplis oſtendit. Obſervavit hæc *Joannes Alberti* pag. 436. Adde *Herodoti* locum lib. II. p. 178. a *Raphelio* annotatum. Ne phraſis hyperbolica nimis videretur, de tempore, epiſtolæ iſti ſcribendæ deſtinato, accipiendam eam eſſe monuit *Sebaſtianus Schmidius* & cum eo *Starckius* ad h. l. Sic & *Syrus* accepit.

Verſ. 33. Comma hoc una cum ſequentibus pluribus ſingularem ſpirat dicendi elegantiam & gravitatem, quam nemo externorum Scriptorum ſuperaverit.

Verſ. 34. ἔφυγον ςόματα μαχαίρας] Vide ad *Luc.* XXI. 24. & adde nunc Cl. *Georgii* Vindicias Novi Teſtamenti ab Hebraiſmis pag. 279. ubi cum *Pſochenio* & *Eraſmo Shmidio* Hebraiſmi ſuſpicionem à phraſi ςόμα μαχαίρας contra *Gatakerum* & *Vorſtium* amoliri annititur.

Verſ. 35. ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν] Vocem τύμπανον & verbum τυμπανίζεσθαι diligenter explicarunt complures, quorum nubem habes apud *Petrum Zornium* in diſſertatione ſingulari, quæ exſtat in Opuſculis ejus Sacris Tomo II. pag. 307. ſqq. Potiores ſunt *Gatakerus* in Adverſariis cap. XLVI. *Hieronymus Magius* de Equuleo cap. VIII. IX. & X. *Jacobus Perizonius* in epiſtola, quam *Jo. d'Outrein* commentario ſuo in h. l. inſeruit, quamque laudatus *Zornius* notis ſuis illuſtratam loc. cit. repetiit, & *Ezechiel Spanhemius* ad Ariſtophanis Plutum verſ. 470. Probo *Perizonium*, qui τύμπανον ait, inſtrumentum fuiſſe ſupplicii convexum & incurvum, ut erant tympana, cui incumbebant, & illigabantur noxii, ut dein virgis vel fuſtibus cæderentur, & ſæpe usque ad necem. *Photius* in Lexico MS. ita: τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται καὶ κρεμᾶται. Τύμπανον, τὸ τῆ δημίε ξύλον, ᾧ τὲς παραδιδομένες διεχειρίζετο· καὶ τὸ ἀποτυμπανίζειν ἐντεῦθεν. Patrum expoſitiones habes apud *Suicerum* Tom. II. pag. 1327. qui & *Gatakeri* obſervata in ſummam refert. Conferri etiam poterit Lacerda pag. 113. Adverſariorum.

ἐ

*οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν*] Ad ſeptem fratres Maccabæos reſpici, ſunt, qui exiſtiment. Vide 2 *Maccab.* VI. & adde *Zeltneri* Gloſſam ad h. l.

Verſ. 36. & 37. Supplicia, his commatibus commemorata, perſequitur *Joannes Wandalinus* in Martyrologio Veteris Teſtamenti Paulino, ſive de Cruciatibus Veteris Teſtamenti, quod Hafniæ præſide D. *Joanne Steenbuchio* anno 1715. lucem vidit. Adde *Auguſtini Calmeti* Diſſertationem de Suppliciis, quorum in Sacra Scriptura mentio eſt, quæ exſtat Tom. I. Prolegomenorum & Diſſertationum ejus Biblicarum pag. 122. ſqq. verſionis Latinæ Manſianæ; nec minus *Chriſtiani Benedicti Michaëlis* Diſputat. de pœnis capitalibus in Sacra Scriptura commemoratis ac Hebræorum inprimis, Halæ 1730. *Chriſtiani Stockii* Diſputatt. quinque de pœnis Hebræorum capitalibus, Jenæ 1702. *Caroli Lundii* de iisdem, Aboæ 1696. 8. *Melchiorem Leydeckerum*, de Republica Hebræorum lib. VII. cap. 12. & *Joannem Jacobum Huldricum* in Notis ad Toldos Jeſchu pag. 81.

Verſ. 36. *πεῖραν ἔλαβον*] Vide ad verſ. 29.

*ἔτι δὲ*] *inſuper*, ut *Luc.* XIV. 26. Ita *Polybius* paſſim, cujus locos recitat *Raphelius* pag. 680.

Verſ. 37. Ἐλιθάσθησαν] Sic *Jeremiam* lapidibus obrutum tradunt *Gregorius Syncellus* & *Elmacinus* apud *Fabricium* in Codice Pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti p. 1111. Hoc ſupplicii genus ex antiquitate Hebræorum explicant *Daſſovius* in Diſputatione de Suſpendio hominis lapidibus obruti, Wittebergæ 1699. *Jo. Steph. Menochius* de Republica Hebræorum lib. VIII. cap. 2. Quæſt. 3. *J. H. Otto* in Lexico Rabbinico pag. 318. & pag. 618. ſqq. & *J. B. Carpzovius* ad Schickardum de Jure Regio Hebræorum pag. 264.

*ἐπρίσθησαν*] *diſſecti ſunt*, ſerra ſcilicet; vide *Gatakerum* cap. XLV. Adverſariorum. Eo ſupplicii genere *Jeſaiam* adfectum eſſe tradunt Judæi in *Jevammoth* fol. 49. 2. *Præcepit* (Manaſſes) *ut ligno cedrino interficeretur, quo facto adduxerunt cedrum, & ut ipſum diſſecarent. Cum ad os ejus pervenirent, animam efflavit.* Habes verſionem Cl. *Schœtgenii* ex Horis Hebraicis pag. 987. Idem teſtantur Patres, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. pag. 831. *Styanum Thirlbium* ad Juſtinum Martyrem pag. 395. & *Fabricium* noſtrum loc. cit. pag. 1088. Receptum hoc ſupplicii genus olim fuiſſe, oſtendit *Gatakerus* loc. cit. &, quem *Elsnerus* hic affert, *Caſaubonus* ad Svetop. Caligulam cap. 27. & ad *Ariſtophanis* Equites v. 765. Confer *Pet. Chr. Kragelund* Diſputat. de ſerra martyrii inſtrumento Hafniæ 1700. Cum neutrius Prophetæ cædes, hic recitata, in Veteris Teſtamenti tabulis occurrat, *Whiſtonus* in Conatu textum Hebræum reſtituendi pag. 107. & 134. ſuſpicatur, ſceleris hujus memoriam deſtinato conſilio a Judæis deletam eſſe. Quod ut τῇ ὑποθέσει δουλεύοντος indicium eſt, ita leve merito aliis videbitur.

ἐπειράσθησαν] Deeſt in duobus Codicibus & totidem verſionibus *Syr.* & *Æthiop.* nec non Patribus aliquot; in reliquis eadem prorſus ratione exhibetur: quem conſenſum merito mirandum appellat *Millius* ad loc. (cum in vocibus duabus adeo affinibus ἐπρίσθησαν & ἐπειράσθησαν varietatis occaſio ampliſſima fuerit,) atque vel hoc nomine ſolicitandum recte negat. Idem profitetur Celeb. *M. C. Pfaffius* de Variant. Lectionibus Novi Teſtamenti pag. 241. & *Elsnerus* ad h. l. quemadmodum nuperrime lectionis γνησιότητα, recitatis diverſis eruditorum conjecturis, adſtruxit doctiſſimus *Joannes Henricus à Seelen* Programmate ſingulari, quod Parte I. Meditationum ejus Exegeticarum pag. 1. ſqq. recuſum exſtat. Confer ejusdem Selecta Literaria pag. 249. & *Petri Zornii* Biblioth. Antiquario-Exeget. Tom. I. pag. 240. & 375. Qui aliter vocem legi volunt, ii ἐπυρώθησαν cum *Beza*, ἐπυράσθησαν cum *Piſcatore*, ἐπηρώθησαν cum *Tan. Fabro*, ἐπερόθησαν cum *Gatakero* loc. cit. & *Colomeſio* Obſervatt. Sacr. p. 1. ἐπάρθησαν cum *Knatchbullo*, quod & B. *Lutherus* expreſſit, vel cum *Jo. Alberti* ἐσπειράσθησαν, i. e. *ſpiris rotarum involuti*, aut, *ſtrangulati ſunt*, ſubſtituunt. His adde *Steph. le Moyne* conjecturam in epiſt. de Dodone Tom. VII. Antiquitatum Græcarum Gronovii p. 301. Is mavult ἐπράθησαν, *venditi ſunt*. Mihi placet recepta illa, eo quidem ſenſu, ut calamitates quævis, inprimis autem difficiliores, quæ animum ſolicitare vehementer poſſint, ſignificentur. De tentationibus, à Deo vel Satana ad credentes delatis, accipit *Jacobus Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 735. ubi eadem opera oſtendit, verbum hoc ex gloſſemate non natum, ſed omnino γνήσιον eſſe. Quod enim *Daniel Dyke* in libro Anglicano *de myſterio deceptionis ſui* verbum ad explorationem, promiſſis factam, refert, id merito acutius viſum eſt *Colomeſio* loc. cit. Quod Apoſtolus verbum ἐπειράσθησαν illi ἐπρίσθησαν proxime junxit, paronomaſias, cujus alias ſtudioſiſſimus eſt, cauſa factum puto. Confer *Jacobum Cappellum.*

ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν] *ovillis & caprinis pellibus.* Ita Codices in univerſum omnes, quorum conſenſus lectionis veritatem æque ac in antecedente voce ἐπειράσθησαν adſtruere merito judicatur. Interim vel ſic *Ludolphus Küſterus* in Præfatione ad repetitam Novi Teſtamenti Milliani editionem, tres poſteriores voces pro ſcholio & interpretamento antecedentium, ἐν μηλωταῖς, habere potuit, ideo inprimis, quod, docente *Heſychio*, voce μῆλα, vox hæc de *quadrupedibus* quibusvis, præcipue vero de *ovibus* & *capris*, adhibeatur. Sed omnem hanc conjecturam nihili eſſe oſtendit *Jacobus Haſæus* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 703. *Sed an*, inquit, *vir doctus* μῆλα ab αἰξὶ, *cum junguntur, diſtingui ignoravit? Porro in* μηλωτὴ *hic ſubauditur vocabulum* ἐσθὴς, *denotareque videtur ab* αἰγείοις δέρμασι *diſtinctum veſtimentum, ex ovium lana paratum, eaque villoſa admodum & birſuta, at* αἴγειον δέρμα, *quæ plena locutio, eſſe ipſam caprarum pellem, quæ una cum villis humeris injiciebatur.* —— —— *Huic de utroque genere veſtimentorum heic loci explicationi eo potius*

*tius locus concedendus eſt, quo magis conſtat, utriusque generis veſtibus uſos eſſe Prophetas & pios viros tempore legalis Oeconomiæ.* Μηλωτὴν *quippe habuit Elias* 1 *Regg. I.* 8. 1 *Regg. XIX.* 13. 19. *quibus ultimis in locis diſerte illud veſtimentum ab Alexandrinis vocatur* μηλωτή. - - - *Verum aque & Prophetæ* αἰγείοις δέρμασι *induti incedebant ſeu caprarum aliorumque animantium exuviis, ut ex Zachar. XIII* 4. *apparet, ubi hoc veſtimenti genere falſos Prophetas veros imitari voluiſſe innuitur. Conf.* Matth. *VII.* 15. - - - *Veſtes ejusmodi* δοραὶ αἰγῶν *pelles caprarum, dicuntur Theognidi v.* 55. *& Hannoni pag.* 3. δέρματα θήρεια. Hactenus *Haſæus*, quæ quidem malim, quam, quod in ſequentibus admitti itidem poſſe putat, ut locutio utraque, quamvis συνώνυμος, conjuncta exiſtimetur. Nec inconvenienter *F. A. Lampius* ibidem in notis pag. 708. obſervat, per μηλωτὰς intelligi poſſe veſtes, ex pellibus in hunc uſum præparatis conſarcinatas, per δέρματα vero αἴγεια pelles crudas, magnam corporis partem nudam relinquentes, quales Lupercalibus per petulantiam gerebantur, uſui alias incommodas, nec niſi in duriſſima neceſſitate adhibitas. Sic enim eleganter Apoſtolum ab aſperiori vitæ genere ad aſperrimum deſcendere. Multo itaque minus opus eſt, ut legamus μαλλωταῖς i. e. *veſtibus villoſis*, quod idem *Haſæus* Claſſ. II. Biblioth. Bremenſ. pag. 1044. in mentem ſibi veniſſe profitetur quidem, ſed Codicum conſenſu prohibitus recte ipſe abjicit; quemadmodum Claſſ. IV. pag. 354. ſq. Vulgatum Interpretem tuetur, quando vocem Græcam eadem Latina *melotis* expreſſit. Civitate enim latina eam aliquando donatam fuiſſe patet ex *Caſſiano* de habitu Monachi cap. XI. & *Iſidoro* lib. XIX. Originum cap. 24. Vide præterea de μηλωταῖς & αἰγείοις δέρμασι differentes *Bochartum*, Part. I. Hierozoic. pag. 419. *Munckerum* in Mythograph. Tom. I. pag. 37. *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theolog. Philolog. pag. 96. *Suicerum* Tom. II. pag. 368. & *Dougtæum* in Analectis Sacris V. T. Excurſ. CXV. De ipſo hoc Prophetarum habitu differit etiam *Claudius Delle* in *Hiſtoria*, ſive *Antiquitatibus Status Monaſtici & Religioſi*, gall. editis lib. III. cap. VIII. & IX. Conf. Acta Erudit. Lipſ. 1700. pag. 72. Vide etiam nonnulla apud *Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum pag. 450. & *Joſ. Arndium* in Miſcellaneis Sacris pag. 52.

Verſ. 38. Ὧν οὐκ ἦν ἄξιος ὁ κόσμος] In *Sanhedrin* fol. 11. 1. *Bath kol* de cœlo aliquando ad Magiſtros, in ſchola Gloriæ Hierichunte conſidentes, dixiſſe fertur: *Adeſt hic aliquis* &c. *ſed ſeculum ipſius eo dignum non eſt.* Vide *Schœtgenium* pag. 988. Adde *Schotti* Adagialia Sacra ad h. l.

ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι, καὶ ὄρεσι, καὶ σπηλαίοις] Tempore Antiochi id uſu veniſſe auctor eſt *Joſephus* Antiquitt. XII. 8. pag. 411. ubi de illis, qui Judæum aliquem, religionis cauſa in deſertum profugum, ſequentes, in ſpecubus victitabant, ait: καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις διῆγον.

Verſ. 39. *οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν*] *non obtinuerunt promiſſum illud*. Ita vim verbi *κομίσασθαι* exprimunt *Beza* & *Eraſmus Schmidius* ad h. l. quæ tenenda eſt contra Socinianos, etiam ex hoc loco negantes, Vet. Teſtam. fidelibus promiſſiones bonorum ſpiritualium factas eſſe. Contra eos diſputavit B. *Godofr. Olearius* in Analyſi hujus epiſtolæ pag. 36. ſq. hinc ex ſermonis ſerie, hinc ex ipſis, quæ hic occurrunt, dictionibus. De his ſpeciatim ita: *Cardo negotii in phraſibus ἐπαγγελίαν κομίζειν, & προβλέψασθαι περί τινος verſatur. Ἐπαγγελίαν igitur κομίζειν interpretor*, id, quod promiſſum eſt, accipere; *ea enim vis verbi κομίζειν. Quod promiſſum itaque Patribus fuit, nos accepimus & aſſecuti ſumus. Ita nempe κομίζειν opponitur τῷ λαμβάνειν ἐπαγγελίαν, quod poſterius identidem Patribus in hac epiſtola conceditur. Eademque vis eſt verbi κομίζειν in eodem negotio ſupra X. 36. ubi perſeverantia nobis opus eſſe dicitur, ἵνα κομίζωμεν τὴν ἐπαγγελίαν*, ut reapſe nobis obtingat *id quod promiſſum eſt; nam λαβεῖν* eſt accepiſſe promiſſum, *ſub certis conditionibus implendum*. Ita ille. De phraſi *προβλέπεσθαι* mox dicemus. Nollem tamen *ὁ μακαρίτης* verbum *κομίζεσθαι* oppoſuiſſet *τῷ λαμβάνειν*, tanquam quod de Patribus, reſpectu promiſſionum, in hac epiſtola identidem dicatur. Id enim nusquam fieri video. Quando enim v. c. *Hebr.* IX. 15. dicitur *ὅπως τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν*, id quidem ad fideles Nov. Teſtam. pertinet, *θανάτου γενομένου*. Imo cap. XI. 13. Patriarchæ dicuntur *μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόρρωθεν αὐτὰς ἰδόντες*. Præter hos non exſtat in hac epiſtola locus, qui huc pertineat. Itaque ſic potius ſtatuerim: *κομίζεσθαι* & *λαμβάνειν ἐπαγγελίαν* idem inferunt, nempe, *id quod promiſſum eſt, obtinere, & conſequi*, ut illo fruaris. Huic vero opponitur *ἀναδέχεσθαι τὴν ἐπαγγελίαν* v. 17. i. e. promiſſum, verbo factum, *fide recipere* & *ἔχειν ἐπαγγελίαν* VII. 6. i. e. promiſſum ejusmodi fide, tanquam acceptum, *tenere*. Poſteriores illæ phraſes de fidelibus Nov. Teſtam. adhibentur. Eæ vero omnino præſtruunt, promiſſiones de bonis ſpiritualibus eisdem eſſe factas. Quomodo enim alioquin dici poterant eas *ἀναδέξασθαι* aut *ἔχειν*?

Verſ. 40. *Τοῦ Θεοῦ περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψαμένου*] Phraſin hanc ita exponit *Olearius* loc. cit. pag. 36. Προβλέπεσθαι, inquit, *proximo ſignificatu notat* proſpicere, *vel*, videndo anticipare, *quod etiam faciunt, qui aliquid exſpectant; ſpe enim illud proſpiciunt. Imo præterea particula πρὸ in compoſitione cum hujusmodi verbis ſignificare ſolet aliquam προβολὴν, ut ſenſus ſit* exſerto *atque velut exporrecto corpore, qui eſt geſtus & habitus aliquid vehementer exſpectantium, in rem exſpectatam eſſe intentum, quem ſignificatum in voce προκόπτειν, aliisque ſimilibus præpoſitio illa habet.* Προβλέπειν *autem περί τινος, idem, quod προβλέπειν παρά τινος*, ab aliquo exſpectare aliquid; *obſervavitque illum particulæ περὶ uſum* Vigerius *in elegante libello de idiotiſmis* pag. 473. *Quamvis ſi contentioſe ea de re altercari cuiquam placeat, nec abſurdum ſit, dicere*, exſpectationem *alicui* de aliquo eſſe, *vel*, de aliquo aliquid exſpectando

do proſpicere *aliquem : quæ convenientior eſt communi particulæ* περὶ *uſui interpretatio.* At vereor, ut ὁ μακαρίτης verum phraſeos Paulinæ ſenſum perſpexerit. Refert ille verbum προβλέπεσθαι ad Deum, tanquam majus quippiam à nobis i. e. fidelibus N. T. exſpectantem. Majus vero illud paulo ante p. 36. de fide magis *firma* magisque *efficace* interpretatus erat, qualis in fidelibus N. T. præ illis Veteribus, ex uberiore, quam nacti ſint, gratia eſſe debeat. Non crediderim hoc vel *rem*, vel *phraſin*, admittere. Non illam, quia nunquam credo, fideles V. T. ſaltem aliquos, prout & in N. T. varii ſunt fiduciæ gradus, minore fiducia prædiros fuiſſe, quam hodie ſunt, qui Novi Fœderis felicitate perfruuntur. Qui exempla fidei veterum à Paulo allata recogitarit, vix aliter cogitaverit. Idem nec phraſis patitur. Primo enim ex τοῦ μακαρίτου ſententia ſequeretur, fideles Nov. Teſt. ideo obtinere promiſſa à Deo, quod fiducia præſtent antiqui Fœderis fidelibus. At hujus momenti cauſa non in nobis, ſed divini Numinis conſilio, & ſapientiſſima œconomia quærenda eſt, cujus etiam ratio in ſequentibus, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι, ſubjicitur. Deinde τὸ κρεῖττον, in hac epiſtola, in comparatione Vet. Teſtam. cum Novo, ſæpius occurrit, eo autem ſenſu fere ſemper, ut indicetur aliquid, quod à Deo in homines, non autem ab hominibus in Deum profectum eſt. Ita VII. 19. οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι᾽ ἧς ἐγγίζομεν τῷ Θεῷ. Sic VIII. 6. Νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τέτευχε λειτουργίας, ὅσῳ καὶ κρείττονός ἐστι διαθήκης μεσίτης, ἥτις ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις νενομοθέτηται. Sic XI. 16. πατρὶς κρείττων h. e. ἐπουράνιος commemoratur. Itaque rectius phraſis hæc id ſibi velle credetur, quod Deus de fidelibus N. T. *melius quid providerit*, h. e. de melioribus illis proſpexerit, melius illis conſuluerit. Προβλέπεσθαι ſcilicet non ſimplicem *prævisionem* rei, quæ *exſpectationem* ſecum ferat, ſed curam aliquam, &, quam Latine dicimus, *providentiam* ſignificat. Græcum verbum, quod nec alias infrequens eſt, Latino *providere*, vel *proſpicere* reſpondet, quæ ſignificatio etiam præpoſitioni περὶ magis congruit. Non exſtat alias vel in ſacris vel in profanis Græcorum monumentis, quoad meminerim, verbi hujus uſus. Itaque ex περικειμένοις de ſenſu h. l. judicium formari debet. Si *præviſionem* Dei indicare Paulus voluiſſet, ſcripturus potius erat προϊδὼν, vel προγινώσκων vel προεωρακὼς, quibus verbis in ſimili negotio alias utuntur Sacri Scriptores. Apud τοὺς LXX. ſemel invenio idem verbum Pſ. XXXVI. 13. Ὁ δὲ Κύριος ἐκγελάσεται αὐτὸν, ὅτι προβλέπει, ὅτι ἥξει ἡ ἡμέρα αὐτοῦ. Sermo ibi eſt de infenſo peccatoris in juſtum animo; cum vero ridere dicitur Deus, qui videat, venturum eſſe ſuper eum diem judicii ſui. Ibi προβλέπειν reſpondet Hebræo ראה, quod ut ſæpe apud Hebræos prægnans eſt & emphaticum, h. e. cum cura & conſilio conjunctum: ita etiam h. l. merito pro tali habetur. quo innuatur, Deum de judicio convenienti jam proſpexiſſe. Τὸ κρεῖττον illud, de quo providit Deus fidelibus N. T. non putem eſſe aliud, quam Meſſiam in carne repræſentatum. Is enim ut promiſſus erat veteribus, ita ab his conſpiciebatur, quos propterea Dominus ipſe beatos prædicabat, *Luc.* X. 23.

ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι] Obſcurum fere eſt, quid hæc ſibi velint. Lege varias Interpretum ſententias in D. *Alberti Joach. de Krakevitz* diſputat. de beatitudine fidelium Vet. Teſt. non ſine fidelibus Nov. Teſt. conſummanda, Gryphiswald. 1726. Ille quidem cum *Seb. Schmidio conſummationem* accipit *de beatitudine corporis ſimul & animæ, quatenus illa cum fine mundi danda eſt, in ultimo omnium judicio.* Præſtare vero puto illam *Calovii*, his verbis expreſſam: *Loquitur Apoſtolus per κοινωνίαν cum Hebræis, quibus illa τελείωσις obtigit, quod Dominum in diebus carnis noverint, quam beatitudinem prædicavit Chriſtus Luc. X. 23. Si autem illi, quos recenſuit, promiſſionem conſecuti fuiſſent, non veniſſet hac beatitudo aut perfectio ad poſteros illos ipſorum, ſed perfecti ipſi fuiſſent ſine iisdem.* Idem ni fallor clarius exprimit *Alex. Morus* in notis ad h. l. *Duplex*, inquit, *Domini adventus ἐπαγγελία dicitur. Prior Gal.* III. 18. *poſterior clare præcedentis capitis v. 36. 37. unde potiſſimum lucem huic loco fœnerabimur. Prior adventus promiſſio veterum erat, poſterior proprie noſtra eſt. In utroque ſtatus Eccleſiæ perfectus deſcribitur, quaſi duplex τελείωσις: prior Hebr. VII.* 11. *&* 19. poſterior 1 *Cor. XIII.* 10. *Præcedentis igitur capitis fine - - hortabatur Paulus Hebræos Chriſtianos ad patientiam, ut, facta Dei voluntate, promiſſo potirentur, ἵνα κομίσησθε τὴν ἐπαγγελίαν. Quam ἐπαγγελίαν? illam de qua modo loquebatur, potiundam in adventu poſteriore Domini, de quo loquitur continenter.* Ἔτι γὰρ, *inquit*, μικρὸν ὅσον ὅσον ὁ ἐρχόμενος ἥξει, καὶ οὐ χρονιεῖ. *Nunc vero, abſoluto veterum Martyrum panegyrico, dicit, eos non accepiſſe promiſſum*, οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, *nempe ſuam, h. e. non viderunt Dominum in carne. Nos autem Chriſtiani videmus, metentes*, ὃ μὴ κεκοπιάκαμεν *Joan. IV.* 38. *& uſurpantes, quod ſibi promiſſum exſpectabant veteres, & quidem ſine illis*, χωρὶς αὐτῶν; *at illi tamen videbunt aliquando Dominum venientem in gloria, ſed non ſine nobis* μὴ χωρὶς ἡμῶν: *quod enim nos exſpectamus, ipſis commune nobiscum erit, adventus Domini poſterior; tunc in eo erimus pares, &c.* Scilicet τελείωσις illa *conſummationem* reſpicit, quam cæleſtis & æterna beatitas conferet utriusque Fœderis fidelibus. Utrique autem illius participes redduntur, propterea, quod eam in Veteri Teſtamento per Chriſtum venturum, in Novo autem per Chriſtum natum & conſpectum ſperabant. Ab illa τελειώσει beati δίκαιοι τετελειωμένοι appellantur *Hebr.* XII. 23. Conf. *Jac. Lydii* Agoniſtica Sacra pag. 131. *Hermannus Venema* in Diſſertationibus Sacris lib. I. cap. IV. pag. 65. non multum abludit, quando hanc Apoſtoli mentem eſſe tradit, *Sanctos Oeconomiæ veteris non eſſe* ſine nobis conſummatos, *ſcilicet ſub ipſa illa veteri Oeconomia, ſeu* ſine Evangelio, (id enim eſſe putat *ſine nobis*,) *non adeptos eſſe ſuum τέλος*. Conferatur idem pag. 99.

CAPUT

# CAPUT XII.

VErſ. 1. Τοιγαροῦν καὶ ἡμεῖς τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων] Nubes fere eſt eorum, qui phraſin νέφος μαρτύρων ex Græcis Latiniſque Scriptoribus tanquam uſu receptiſſimam repræſentarunt. Vide ex noſtratibus *Eraſm. Schmidium* ad h. l. *Glaſſium* in Rhetorica Sacra col. 1695. *Feſſelium* Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 74. *Joſuam Arndium* in Miſcellaneis Sacris p. 78. & *Raphelium* in Annotatt. Herodoteis. Tum vero *Gatakerum* in Adverſariis cap. II. pag. 5. & 8. *Suicerum* voce νέφος, *Lamb. Bos* Exercitatt. pag. 253. *Neubourium* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. pag. 265. *Jac. Haſæum* ibidem Claſſ. II. pag. 1026. *Jac. Elsnerum* pag. 370. & *Jo. Albertum* pag. 439. Ex Latinis Auctoribus exempla afferunt *Taubmannus* ad Virgil. Georg. IV. 60. & *La Cerda* ad XII. Æneid. v. 254. Nec Hebræis eam inſuetam eſſe *Haſæus* l. c. ex Nahumi I. 3. convenientius autem *Ludov. Cappellus* in Spicileg. Notarum pag. 126. ex *Jeſ.* LX. 8. apparere putant.

Cur multitudo teſtium *nubes* dicatur, oſtendit *Feſſelius* l. c. Præcipuam cauſam recte adſecutus *Elsnero* videtur *Euſtathius*, à *Gatakero* allatus, quando ad πυκνότητα h. e. *confertam denſitatem*, quæ conſpectum fere impediat, reſpici arbitratur. Fortaſſe non erravero, ſi dixero, *nubem* de multitudine ideo uſurpari, quod innumeris guttis, ex exhalationibus natis, referta eſt, quas reſoluta in terram effundit. Talis vero erat ille fidelium V. T. index, pluribus exemplis onuſtus, & quaſi prægnans. Fuerunt, qui conſilium Pauli, cur dictione illa h. l. uſus ſit, inveſtigare conati ſunt. Inter hos *Lampius* Bibl. Bremenſ. Claſſ. II. pag. 1027. in notis ex eo, quod hoc commate phraſibus, ex palæſtra petitis, utitur Apoſtolus, ita argumentatur: *Alludit ergo per* nubem teſtium *ſive ad multitudinem ſpectantis populi ex univerſa Græcia in Gymnaſio pulverulento nubem pulveream excitantis & κελεύσμασι ſuis animos athletis curſoribusve ſubdentis, ſive, quod malim, ad hieronicarum ſtatuas, quibus gymnaſia & palæſtræ exornata erant, ut earum intuitu ad ſimiles victorias & honores obtinendos inflammarentur.* Non diſſentit *Alberti* loc. cit. Alii ad eosdem *ſpectatores* eo ſenſu alludi cenſent, ut ſancti in cœlis homines tanquam teſtes fidei militantium in Eccleſia ſignificentur. Hoc autem merito diſplicet *Elsnero*, cui potius reſpici videtur mos veterum, ex quo nomina virtuſque victorum Olympicorum in commentariis & faſtis deſcribi ſolebant, ut aliis ad eandem virtutis viam ingrediendam auctores eſſent. Mihi quidem hæc omnia erudite cogitata videntur. Quando vero recogito, phraſin hanc, tanquam proverbialem, Scriptoribus frequentatam eſſe, ubicunque res ferebat, & copia indicanda erat, neque veriſimile fieri, quod illi ſimul in argumento ipſo, de quo loquebantur, aliam invenerint, cur illa uterentur, niſi eam, quod multitudo adeſſet; mihi etiam h. l. nihil am-

Digitized by Google

amplius, quam *copiam*, indicari voluiſſe Apoſtolus videtur. Ea enim ad inſtitutum ejus ſufficiebat, ut ſcilicet intelligerent Hebræi, fas eſſe, ut viæ, a tot ſanctis hominibus calcatæ, inſiſterent.

*ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα.*] *depoſito omni onere.* Phraſin hanc præter *Gatakerum* illuſtrant *Alexander Morus* in Notis pag. 207. *Joannes Henricus Majus* Obſervationum Sacrarum lib. IV. pag. 56. ſqq. *Cornelius Adami* in Obſervationibus pag. 338. ſqq. & noviſſime *Jacobus Elsnerus* loc. cit. Ex palæſtra petitam eſſe nemo eorum dubitat, quod etiam ex curſu gymnico mox ſequente apparet. Confer *Fabri* Agoniſtic. lib. II. cap. 3. *Joannem Arowſmithum* in Tacticis Sacris pag. 308. ſq. *Jacobum Lydium* Agoniſt. Sacr. pag. 64. & in præfatione ad Florum Sparſionem pag. 6. Non æque vero patet, ad quod momentum per ὄγκον reſpiciatur, utrum ad pinguem habitum corporis, quem athletæ quærebant, an ad pondus capillitii, quod certaturi ſolebant deponere. Vide *Morum* loc. cit. qui poſterius ſtatuit. Quicquid hujus erit, ad ſpiritualia hæc reſpectu fidelium transferenda eſſe, quisque per ſe intelligit. *Onus* itaque illud *Adami*, & cum eo *Majus* loc. cit. de *ſuperbia* accipit ex propria juſtitia, divitiis item, privilegiis, immunitatibus & prærogativis, quas ex Judaismo priſtino Ex-Judæi ſomniare ſolebant. Non inconvenienter *Elsnerus* Φρόνημα τῆς σαρκὸς ex *Rom.* VIII. 6. intelligi vult. *Salmaſii* ſententiam mox percipiemus.

*καὶ τὴν εὐπερίςατον ἁμαρτίαν*] *ἀπερίςατον* unus *Stephani* Codex legit mendoſe ex facili τῦ α & ευ in veteribus membranis permutatione. Eam locum hic habere non poſſe oſtendit *Salmaſius* libro mox citando p. 256. Diverſas Interpretum de vocis ſignificatu ſententias præter *Gatakerum* collegit *Heinſius* in Exercitationibus ad h. l. De eadem agunt ex noſtratibus *Eraſmus Schmidius* ad h. l. *J. C. Dietericus* Antiquitatt. Biblic. Vol. I. p. 343. *Adamus Rechenbergius* in Exercitationibus in Nov. Teſtam. p. 65. & *Raphelius* in Xenophonteis & Polybianis, qui illi lucem affundit ex affinibus vocibus περίςατος, ἀπερίςατος & περίςασις, cum noſtra illa apud externos Scriptores non exſtet. Inſpice præterea *Suicerum* Tom. I. p. 1261. *Caſaubonum* in Caſaubonianis meis p. 75. & 90. *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico pag. 249. ſq. contra *Heinſium*, cui εὐπερίςατος is dici videtur, *qui alterum in lucta aut in curſu facile circumvenit;* diſputantem, *Alexandr. Morum*, *Jacobum Elsnerum* & *Jo. Alberti* ll. cc. *Salmaſius* loc. cit. pag. 254. monet ἀπερισάτυς Græcis dici, *quibus nihil eſt, quo diſtineantur, ac diſtrahantur, non liberi, non divitiæ, non alia negotia, officia, artes.* In rem præſentem affert *Arrianum* lib. III. vel potius lib. IV. cap. ultimo pag. 433. Καὶ ἵνα μὴ δόξῃς, ὅτι παράδειγμα δείκνυμι ἀνδρὸς ἀπερισάτυ, μήτε γυναῖκα ἔχοντος, μήτε τέκνα, μήτε πατρίδα, ἢ φίλυς, ἢ συγγενεῖς, ὑφ᾽ ὧν κάμπτεσθαι καὶ περισπᾶσθαι ἠδύνατο. *Et ne putes, me tibi oſtendere exemplum hominis* ἀπερισάτυ, (i. e. domeſticis negotiis non occupati) *qui nec uxorem, nec liberos habeat, neque patriam, aut propinquos, aut amicos;*

*cos; accipe mihi Socratem.* Hunc ἀπερίστατον idem pag. 255. confert cum homine, qualem Dominus noſter deſcribit *Matth.* XIX. 29. Ex his conficit porro, εὐπερίστατον dici peccatum, *quo facile qui· poteſt in turbas moleſtiasque & varia accidentia & occupationes conjici. Et recte*, ſic pergit, *ita interpretatur Theophylactus*: ἢ δι᾽ ἣν εὐκόλως τὶς εἰς περιστάσεις ἐμπίπτει, i. e. *ut* Heſychius *interpretatur*, θλίψεις, μερίμνας, ἀνάγκας. *Nam, ut addit idem* Theophylactus, οὐδὲν οὕτω κινδυνῶδες, ὡς ἁμαρτία. *Alias etiam adfert expoſitiones, ſed ea ſola vera eſt, quam ultimo loco poſuit. Primam adducit* τὴν εὐκόλως περισταμένην ἡμᾶς, quod facile nos circumſtat. *Eam ſecutus eſt* Vulg. *verſionis auctor ab* Hieronymo *correcta*: facile circumſtans nos peccatum. *Secunda plurimum differt ab utraque*, ἢ τὴν περίστασιν εὐκόλως παθεῖν δυναμένην, quod facile pati poteſt ſubverſionem aut everſionem. *Sed non hoc velle Apoſtolum certum eſt.* Porro pag. 257. ὄγκον non de *tumore* aut *arrogantia*, ſed de ſarcina mundanorum negotiorum & curarum ſecularium accipi debere cum *Theophylacto* profeſſus, phraſinque ab agonali curſu petitam arbitratus pag. 258. ita cauſam omnem perorat: *Ea gratia vult etiam Apoſtolus in eo certamine, quod Chriſtus ſuis propoſuit, nudos decurrere, quaſi depoſitis ſarcinis & oneribus omnium humanarum curarum ac negotiorum, amoto præcipue ex divitiis jam quæſitis ac conſervandis aut quærendis obſtaculo, quo citius queant ad metam pervenire, ubi brabium eos exſpectat.* Ea de cauſa in epiſt. ad Timoth. I. cap. 6. dixit: *avaritiam eſſe radicem omnium malorum, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Hæc eſt* εὐπερίστατος ἁμαρτία, *quæ eos conſequitur, qui non abjecerunt omne onus divitiarum.* Eandem, quam *Salmaſius* hic tenet, expoſitionem expreſſit *Eraſmus Schmidius, peccatum facile noxium* dicens.

Plerique tamen ſequuntur *Chryſoſtomum*, cui εὐπερίστατος eſt ἡ εὐκόλως περιϊσταμένη ἡμᾶς, *peccatum, quod facile nos cingit.* Hanc vocis notionem ex ſignificatu verbi περιΐστημι i. e. *circumdo, circumſto*, egregie firmat *Elsnerus*, & pag. 374. cum priore illa *Theophylacti*, quam *Salmaſius* probat, ita recte conciliat: *Hinc cum peccatum ſit res periculoſiſſima, fieri non poteſt, quin* imminens peccatum, εὐπερίστατος ἁμαρτία, damnum periculumque *eadem opera* creet & afferat. Atque id quidem præſtare & mihi videtur. Apoſtolum puto τὸ περικείμενον νέφος μαρτύρων opponere τῇ εὐπεριστάτῳ ἁμαρτίᾳ, ſeu *peccato* nos *circumſiſtenti.* Ab hoc animum mentemque avocari, ad illos autem teſtes oculos converti vult, ut ſic peccati illecebræ periculoſæ exemplis veritatis & pietatis teſtium profligentur & procul eſſe jubeantur. Hoc forte voluit Interpres Latinus vetus, per *fragile* convertens, quamvis id voce ipſa omnino non ſignificetur, nec proinde cum *Alex. Moro* probari poſſit. In hanc *fragilitatis* notionem *Salmaſius* pag. 249. abripit illam veterum expoſitionem, quando ἁμαρτίαν hanc ταχέως περιτρεπομένην, h. e. *Salmaſio* judice, *peccatum, quod facile ſubverti poſſit*, interpretatur. Eadem habes apud *Suidam*,

& *Photium* quoque in Lexico MS. τὸ εὐπερίστατον per μωρὸν & ταχέως περιτρεπόμενον explicantem. Rectius vero τὸ περιτρεπόμενον vertitur, *quod ſe facile convertit*, ut *Elsnerus* vult pag. 374. Scholiaſten *Thucydidis* advocans, qui lib. I. cap. 78. περιΐστασθαι exponit περιτρέπεσθαι. Idem contra *Clericum* recte oſtendit, εὐπερίστατον activam habere ſignificationem, æque ac εὐανάπνευστος recte dicatur *facile reſpirans*, & εὐαίσθητος, *facile ſentiens*; quemadmodum *Kuſteri* expoſitionem ad *Suidam* Tom. I. pag. 902. merito repudiat. Ejus enim judicio peccatum εὐπερίστατον dicitur ideo, *quod homines illud libenter circumſtant, vel ſectantur.* Hoc ipſum *Kuſterum* ex *Salmaſio* l. c. pag. 252. hauſiſſe ex vero admonitum eſt in Actis Erudit. Lipſienſ. Tom. IX. Supplementorum pag. 395. Ibidem præterea docetur, εὐπερίστατον eſſe, *quod tenaciter inhæreat, & inſtar oneris laqueique implicet nos atque gravet*, quo ſenſu περίστασις ὅπλων *Ezech.* XXVI. 8. & χαλεπὴ περίστασις 2 *Maccab.* IV. 16. dicatur. Ceterum de *labe originali* potiſſimum hic ſermonem eſſe noſtrates pridem oſtenderunt.

δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν] i. e. *perſeveranter*, vel *conſtanter curramus*, ut *Er. Schmidius* & *Beza* convertunt. Ὑπομονὴν *conſtantiam* denotare alias monuimus. Vide etiam hic *Elsnerum.*

τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα] Phraſin copioſis veterum exemplis *Lamb. Bos*, *Raphelius* in *Xenophonteis* & *Herodoteis*, tum *Elsnerus* adſtruunt: *Herodotus* lib. VII. pag. 443. προκέεται ἀγὼν, idemque lib. VIII. pag. 564. πολλοὺς πολλάκις ἀγῶνας δραμέονται, quemadmodum *Ælian.* Hiſt. Animal. III. 2. τὸν προκείμενον δρόμον διανύειν dicit.

Verſ. 2. Ἀφορῶντες εἰς τὸν κ. τ. λ.] *Arrianus* Epictet. II. 19. pag. 222. εἰς τὸν θεὸν ἀφορῶντας ἐν παντὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ eſſe vult ſuos.

τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν] Similiter *Ariſtides* pag. 16. ἀρχηγέτην καὶ τέλειον appellare monet *Lamb. Bos* in Animadverſionibus ad Scriptores Græcos pag. 70. ἀρχηγὸν Græcis primum rei alicujus auctorem dici docet variis *Polybii* locis *Raphelius* pag. 683. Quo ſenſu Dominus noſter ita appelletur, oſtendit *Suicerus* Tom. I. pag. 532. & Tom. II. pag. 728. nec minus *Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tom. V. lib. IX. cap. 8. §. 7. Adde quoque *Jo. Cloppenburgium* Tom. I. Operum pag. 626. & *Henr. Morum* in Opp. Latinis pag. 355. Noſtrates quidem ita appellari putant, quod & viam ad ſalutem muniat, & fidem, qua ad eam pervenitur, doceat & largiatur. Sunt tamen, qui Chriſtum *ducem* & *anteſignanum fidei* appellari etiam hoc nomine putant, quod fidelibus ſuo *fidei* exemplo præluxerit. Vide huc B. *Jo. Frid. Mayeri* diſput. de fide Chriſti. Gryphiswald. 1704. habitam, cujus potiora momenta habes in Eclogis Evangelicis a S. Rev. *Erdm. Neumeiſtero* noſtro auctius recuſis Parte I. pag. 1013. Confirmari hæc poſterior ſententia poteſt ex eo, quod Chriſtus *Act.* III. 15. vocatur ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *dux vitæ*, & ſupra II. 10.

10. ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας αὐτῶν *dux ſalutis eorum*. Uterque enim locus ita accipi poteſt, ut Chriſtus ante ſuos in vitam & ſalutem introiiſſe, eosque illuc vocaſſe exiſtimetur. Eandem ſignificationem vocis ἀρχηγὸς tribuerunt οἱ LXX. v. c. *Michæ* I. 13. ubi *Lachiſch* vocatur ἀρχηγος ἁμαρτίας i. e. *dux* & *exemplum peccati;* ſicut 1 *Maccab.* IX. 61. ἀρχηγοὶ τῆς κακίας, ſimiliter vocantur. Quod ſi præterea de fide *noſtra*, ſeu quæ in credentibus eſt, ſermo fuiſſet Apoſtolo, additurus forte erat ἡμῶν. Jam vero, hac voce omiſſa, cogitandum eſt, eum de *fide* in genere loqui, cujus exemplar Dominus ſiſtat. Si jam ἀρχηγὸς πίστως hoc ſenſu ſumitur, τελειωτὴς dicetur ideo, quod fidem conſtanter probarit, & usque ad finem tenuerit, quo ſenſu Dominus *Joh.* IV. 34. ait: τελειώσω ἔργον. Lege in hanc ſententiam *Joſephi Hallett*, Angli, Paraphraſin & notas in tria poſtrema capita hujus epiſtolæ, quæ ad exemplum *Jac. Piercii* Paraphraſeos & notarum ad antecedentia ejus capita Anglice prodierunt Lond. 1733. 4.

ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ] Particula ἀντὶ duplici ſenſu accipi poteſt, ut vel idem ſit, quod *loco*, *vice*, *pro*, vel idem, quod *propter*. Priori ſenſu hæc Apoſtoli mens foret, quod Chriſtus morti ſe ſubjecerit *pro* gaudio, quo in hac vita perfrui potuiſſet. Ita accepit B. *Lutherus*, *Beza* & *Eraſm. Schmidius*, olim vero *Chryſoſtomus*, cujus interpretationem adſtruit *Raphelius* ex voce προκειμένης, qua *Herodotus* lib. I. pag. 6. de momentis duobus ſimul propoſitis, atque adeo præſentibus, quorum alterutrum erat eligendum, utitur. Ita ut & ego ſtatuam, phraſi antecedente, προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα, adducor. In eo enim conſtituti jam erant Hebræi, adeo ut ad illum conſtanter perficiendum excitari deberent. Et ſic poteſtatem dicitur habuiſſe Chriſtus *præſentis* vitæ gaudiis perfruendi, quibus tamen ſponte ſua ſe abdicarit, mortem pro nobis ſubiturus. Qui τὸ ἀντὶ *propter* vertunt, Chriſtum hic dici putant æternum illud gaudium ſpectaſſe, quod ſibi exantlandis laboribus immineret. Pro hac ſententia militat, & ὁμοψήφυς alios affert *Starckius* ad h. l. Facit huc, quod *Sextus Empiricus* lib. XI. §. 99. ait: ὁρῶμεν γὰρ ὡς τινὰ γενναῖα ζῶα, καθάπερ ταῦροι, καὶ ἀλεκτρυόνες, ἅπερ μηδεμιᾶς αὐτοῖς ὑποκειμένης τέρψεως καὶ ἡδονῆς διαγωνίζεται μέχρι θανάτυ. Confer ibi ſequentia.

ὑπέμεινε ςαυρὸν] *pertulit crucem* i. e. *mortem*. Nota & hic paronomaſiam, Apoſtolo familiarem, προκειμένης —— ὑπέμεινε.

αἰσχύνης καταφρονήσας ] De ignominia, à Chriſto contemta, diſſerit *Jo. d'Outrein* in Heelige Sinnebeelden Tom. II. pag. 50. ſqq.

ἐν δεξιᾷ τε τῦ θρόνυ τῦ Θεῦ ἐκάθισεν] Vide ad I. 3. & 13. item VIII. 1.

Verſ. 4. Ἀναλογίσασθε γὰρ κ. τ. λ.] Illuſtrat hæc *J. H. Urſinus* in Adverſariis Sacris pag. 1. ſqq. *Reputate enim*, vertit *Er. Schmidius;* verbumque Græcum, tanquam ab Arithmeticis & Geometris petitum, in notis ita expli-

 cat:

Digitized by Google

cat: *ſecundum proportionem per collationem ad invicem conſiderate*, h. e. comparate vos cum Jeſu &c. Hanc verbi vim adſtruit Rev. *Raphelius* in Herodoteis p. 637. ex lib. I. pag. 510.

*ἵνα μὴ κάμητε, ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν ἐκλυόμενοι*] *Hombergius* pag. 354. *ςιγμὴν* poſt verbum *κάμητε* tolli, & voci *ὑμῶν*, ad quam proxime pertineat, jungi vult. Interim *Beza* & *Schmidius*, vulgatam interpunctionem ſecuti, vertunt: *ne veſtris animabus remiſſi fatiſcatis*. Et ſane nihil intereſt, ad quod verbum voces *ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν* referas. Nam *τὸ κάμνειν* æque ac *τὸ ἐκλύεσθαι* in Sacro Codice alias ſimpliciter, ſine additis his aliisve vocibus, adhibetur, ut certus eſſe non poſſis, cui proprie h. l. jungi debeant. At *τὺς* LXX. video utrumque verbum cum addito adhibere, v. c. 2 *Regg.* XVII. 2. *κὴ αὐτὸς κοπιῶν κὴ ἐκλυόμενος χερσὶ* & *Job.* X. 1. *κάμνων τῇ ψυχῇ μυ.* Qui poſterior locus ut pro *Hombergio* facit; ita prior vulgarem interpunctionem tuetur. Similiter *Polybius* p. 1117. *παραλελυμένυς κὴ τοῖς σώμασι κὴ ταῖς ψυχαῖς* dicit, quæ phraſis noſtræ eſt ſimillima. Ceterum *κάμνειν*, *προκάμνειν* & *ἀποκάμνειν* de militibus, animum deſpondentibus, dici, oſtendit *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theolog. Philolog. pag. 406. Hoc autem loco ad palæſtram & athletas reſpici, ſermonis ſeries oſtendit, nec minus veterum auctoritas, quos recitat idem *Adami*, & *Jac. Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 73.

Verſ. 4. *Ουπω μέχρις αἵματος*] Ita *M. Antoninus* I. 16. *ἕως ἱδρῶτος.* Vide ibi *Gatakerum* pag. 41. & pag. 195. Adverſariorum. Joſephum *Philo* pag. 414. ait *μέχρι θανάτυ διωχθῆναι.* *Clemens Romanus* Epiſt. §. 4. *ἄχρι νίκης ὐ μέχρι θανάτυ.* *Sext. Empiricus* XI. §. 99. *διαγωνίζεται μέχρι θανάτυ* de gallis dimicantibus iterumque §. 102. ſicut 101. *μέχρι τῆς ὑςάτης ἀναπνοῆς διαγωνίζεσθαι* & §. 107. *μέχρι τελευτῆς ἀριςεύοντες.* Vide *Fabricii* notas p. 709. Pugiles & pancratiaſtas ad ſanguinem & mortem usque decertaſſe oſtendit *Cornel. Adami* in Obſervatt. pag. 454. Ex Athleticis quoque *Olearius* in Analyſi pag. 38. explicat, ut ſenſus ſit, eos quaſi ad *ruborem* tantum pugnaſſe, *ſudoremque* ad ſummum, non vero ad *ſanguinem*: quemadmodum de *Diogene* Cynico Laertius *Diogenes* dicat, exercuiſſe cum Xeniadæ, Domini ſui, liberos *ὐκ ἀθλητικῶς, ἀλλ' ἐρυθήματος κὴ εὐεξίας χάριν.*

*πρὸς τὴν ἁμαρτίαν ἀνταγωνιζόμενοι*] Id *διαγωνίζεσθαι* dicit *Sextus* modo allatus. Confert hæc *Gatakerus* cum *Antonini* illo III. 4. *πάσης ὕβρεως ἀνέπαφον, πάσης ἀναισθητον πονηρίας*, appellantis.

Verſ. 5. *Καὶ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως*] *Joſ. Hallett* in *Paraphraſi* paulo ante laudata mavult legere hæc cum interrogandi nota: *κὴ ἐκλέλησθε τῆς παρακλήσεως*; hoc ſenſu: *fierine poteſt, ut obliti ſitis exhortationis Scripturæ?* Rationem ita ſtatuendi hanc habet, quod probabile non ſit, Apoſtolum vere oblivionis hoc in capite accuſare Hebræos voluiſſe. Nihil admodum video diſcriminis quod ad ſenſum, utram lectionem ſequaris. Utrinque enim ſupponi-

ponitur, fieri potuiſſe, ut exhortationem illam ex animo dimitterent. Et convenientius eſt, verba hæc pro aſſertione ſimplice habere, quam & antecedentes phraſes ſecum ferunt: *Et obliti eſtis exhortationis.* Ita recte *Eraſmus Schmidius*, pro quo *Vulg.* habet *conſolationis.* Jam quidem & hæc allato ex *Proverbiis* loco continetur, ſed antecedit itidem *exhortatio*, quæ & Paulino ſermoni convenientior eſt. Sic & *Harpocration* παράκλησιν exponit προτροπήν. Conf. *Lydii* Agoniſtica Sacra pag. 104. ubi in antecedentibus docet, Athletas ab Athlothetis, prædotribis & aliptis tum in certamine, tum ante illud excitari ſolitos, ut fortes & ſtrenuos ſe præberent. Sic *Ælianus* de Animal. Natur. VI. 1. δέονται μὲν ἄνθρωποι λόγου τοῦ προτρέψοντος καὶ ἀναπείσοντος ἀγαθοὺς εἶναι, καὶ τὴν μὲν δειλίαν διώξοντος, τὸ δὲ ἐνθαρσὲς παρασκευάσοντος, ἀθληταὶ μὲν ἐς τὰ στάδια, στρατιῶται δὲ ἐς τὰ ὅπλα. Confer *Burettii* diſſertationem, quæ exſtat Tomo I. Hiſt. Academiæ elegantiorum literarum pag. 248. Quod ad phraſin ἐκλέλησθε, nota ſimilem *M. Antonini* XII. 26. Οταν δυσφορῇς ἐπί τινι, ἐπελάθου τοῦ, ὅτι πάντα κατὰ τὴν τῶν ὅλων φύσιν γίνεται.

Comma hoc una cum ſequentibus usque ad v. 11. explicat *Steph. Charnock* Tom. II. Operum Anglicanorum pag. 1281.-1291.

Υἱέ μου, μὴ ὀλιγώρει παιδείας κ. τ. λ.] Conferunt hæc cum *Proverb.* III. 11. 12. *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 654. ſq. & *Wokenius* in Harmonia Vet. & Nov. Teſt. pag. 383. Idem negat, quod nonnulli volunt, ad *Jobi* V. 12. reſpici, ibidem p. 232.

Verſ. 6. Ον γὰρ ἀγαπᾷ Κύριος, παιδεύει.] Vide *Schotti* Adagialia Sacra ad h. l. & ſimiles Judæorum ſententias apud *Schœtgenium* pag. 988. ſq.

Verſ. 7-9. explicat *Henr. Stephanus* in diſſert. de Stylo Nov. Teſt. p. 16. Syntagmatis Honertiani.

Verſ. 7. Ει παιδείαν ὑπομένετε] Codices aliquot habent εἰς παιδείαν, prave omnino, cum ſequens ἀπόδοσις oſtendat, πρότασιν hic per εἰ afferri. Confer *Millium.*

ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεός] *tanquam cum filiis vobiscum agit Deus.* Ita *Arrianus* pag. 307. Epictet. οὐκ ἔδει οὕτω μοι προσενεχθῆναι τὸν ἀδελφόν. Vide *Raphelium*, qui & plura *Xenophontis* loca affert, imitatorem nactus *Hutchinſonum* in not. ad Xenophontis Cyropædiam pag. 499. Aliorum auctoritates recitat *Lamb. Bos* pag. 254. *Demoſthenis* ſimilia habes apud *Andr. Dounaum* in Prælectionibus in ejus Philippicam de Pace pag. 188. ubi & *Platonis* ex Charmide locus recitatur: σὺ μὲν ὡς φάσκοντός ἐμοῦ εἰδέναι περὶ ὧν ἐρωτῶ, προσφέρῃ πρός ἐμέ. Ex hoc loco patet, phraſin μέσην eſſe, & nunc amicum, nunc oppoſitum animum inferre. Sic *Lucian.* in Timone pag. 128. δυσμενῶς μοι προσενηνεγμένων; ait in *Phalarid.* pag. 737. Καὶ εἰ φιλανθρώπως προσφέρομαι τοῖς καταίρουσιν. Amicam & benevolam mentem h. l. ſignificari

vel vox *υἱὸς* oſtendit. Nec omittendus eſt *Lud. Kuſterus* de Verbis mediis pag. 14. edit. Wollianæ, monens, eleganter *προσφέρεσθαί τινι* dici, qui ſe offert vel præbet erga aliquem, hoc vel illo modo. Hæc ſcilicet eſt verbi medii natura.

Verſ. 8. *ἄρα νόθοι ἐστὲ καὶ οὐχ υἱοί*] Νόθους per Baſtarte vertit *Lutherus*. Vide *Stadenii* Expoſitionem vocum hujus verſionis difficiliorum p. 35.

Verſ. 9. *Εἶτα τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν*] *Curcellæus* hic habet *εἰ δὲ*, procul dubio per errorem, ex eo forte natum, quod v. 7. ab *εἰ* & v. 8. ab *εἰ δὲ* incipiunt. Nullus enim vel ſcriptus vel editus liber ita legit. Præterea vero altera illa lectio efficacior eſt. Particula enim *εἶτα* hic non *deinde* ſignificat, ſed quod alias *Latini* dicunt, *itane*, vel *itane vero*. Id jam obſervavit *H. Stephanus* in diſſert. citata, quemadmodum etiam *Eraſm. Schmidius* in verſione Latina per *ita* expreſſit. Nuper vero Cl. *Jo. Alberti* in Obſervatt. Sacr. pag. 441. eidem ſignificatui inſiſtens, voluit præterea, ut prior illa commatis hujus pericope usque ad verbum *ἐνετρεπόμεθα* cum interrogandi nota legeretur, hoc ſenſu: *Itane vero carnis quidem noſtræ patres habuimus caſtigatores & reveriti ſumus? neque multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum ut vivamus?* Cui ſententiæ firmandæ ſubjungit: *Habet illud εἶτα inſignem emphaſin initio periodi, quum interrogatio fit ab indignabundo, vel admirabundo, cum vehementia quadam, quæ ex præmiſſis juſta videtur & conveniens interroganti.* Affert etiam loca veterum non inficianda. Idem monuerat de hujus particulæ uſu *Ludolph. Kuſterus* in Ariſtophanis Plutum verſ. 79. *εἶτ' ἐσίγας* Πλοῦτος *ὤν itane vero ſilebas, te Plutum eſſe.* Quam dicendi rationem aliis ejusdem Poetæ & aliorum Auctorum locis firmat. Nec minus Rev. *Raphelius* in Annotat. Arrianis p. 648. adducto etiam *Devario* de particulis L. Græcæ pag. 126. Quod ad ſenſum non diſſentio a Cl. *Alberti*, neque tamen neceſſe puto, ut prior commatis hujus pars interrogative efferatur, cum poſterior totum comma afficere cenſeri poſſit. Ita *Ælianus* in loco, quem ipſe ex Fragmentis pag. 967. attulit: *εἶτα, ἀσελγέστατε, τοσοῦτοι ἐχθροὶ γενόμενοι οὐκ ἤρκησαν, ἀλλ' ἄρα καὶ ἐμὲ εἰς τὴν τῶν ἐχθρῶν προσεῖλες τάξιν; Itane o libidinoſiſſime, non ſufficiebant tibi tot inimici, ut me quoque in inimicorum ordinem adſciveris?*

*τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας*] *Patres carnales* hic opponuntur *τῷ* Πατρὶ *τῶν πνευμάτων*, *Patri ſpirituali.* Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. pag. 348. Ita reſpicitur ſimul ad labem originalem, quam a Parentibus nacti ſumus, & regenerationem, quam Patri cœleſti debemus. Alias R. *Elkana* in *Jalkuth Rubeni* f. 162. 1. obſervante *Schœtgenio*, vocatur אל אלהי הרוחות *Dominus Deus Spirituum.*

*καὶ ζήσομεν*] *ut vivamus.* Ita exponit *Grotius*, ſed ex Hebraiſmo, quem putat. Similiter *Herodotum* lib. V. pag. 340. loqui docet *Raphelius* pag. 637. *Obſe-*

*Obſecrabant Ariſtagoram*, inquit, εἴκως αὐτοῖσι παράσχοι δύναμίν τινα, κὴ κατέλθοιεν εἰς ἑωϋτῶν.

Ad totum hoc comma pertinet *Marckii* Exercitat. Exegetica XLVIII. pag. 766. ſqq.

Verſ. 11. ὕϛερον δὲ καρπὸν εἰρηνικὸν τοῖς δι' αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης] Vox δικαιοσύνης omnino pertinet ad καρπὸν εἰρηνικὸν, quamvis ab illis ſit ſeparata. Ut tamen Synchyſin omnem amoliatur Cl. *Wokenius* Parte II. Pietatis Criticæ pag. 137. ait, ſeparationem hanc ideo factam eſſe, quia vox δικαιοσύνης ante illas, δι' αὐτῆς, collocari non potuerit, ne τὸ αὐτῆς referretur ad vocem δικαιοσύνης, quod omnino ad παιδείαν ſpectet. Itaque verti vult: *fructum pacificum - - dabit*, nempe, *juſtitiæ*. Mihi quidem Apoſtolus ſine ullo orationis vitio ea ratione hic ſcripſiſſe videtur, quæ probatiſſimis Scriptoribus frequentatur. Καρπὸν εἰρηνικὸν plerique *pacificum*; *Eraſm. Schmidius* autem *tranquillum* vertunt, pro quo *Lamb. Bos* mavult *lætum*, vel, *jucundum*, quo ſenſu *Lucianus* Imagin. pag. 2. dixerit: κὴ τοῦτο μὲν ἴσως εἰρηνικώτερόν ἐϛι, *& hoc forte non adeo acerbum eſt*; *Plato* autem ep. VII. ex contraria parte, ἀποτελεῖν καρπὸν πικρότατον. *Starckius* in Notis ad h. l. Selectis pag. 99. itidem *gratum* vertit, provocans ad τοὺς LXX. voci εἰρηνικὸς hanc notionem tribuentes *Mich.* VII. 3. *Deut.* XXIII. 7. & *Jerem.* IX. 7. Perſiſtere equidem malim in recepta expoſitione. Δικαιοσύνη enim Apoſtolus hic εἰρηνικὸν καρπὸν tribuit, reſpectu habito ad πίϛιν, qua qui ſunt δικαιωθέντες, εἰρήνην ἔχουσι πρὸς τὸν Θεόν. *Rom.* V. 1. Ad *oleam*, qua victores olim coronabantur, quæque pacis fuerit ſymbolum, reſpectum habitum fuiſſe exiſtimat *Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 152.

Judæos caſtigationibus divinis egregium fructum etiam ad vitam mundi futuri tribuiſſe, ex *Bereſchith Rabba* Sect. IX. fol. 10. probat *Schœtgenius* pag. 990. Externorum hanc in rem loca affert *Gatakerus* ad M. Antoninum pag. 195. & 378. ed. in 4.

Verſ. 12. Διὸ τὰς παρειμένας χεῖρας καὶ τὰ παραλελυμένα γόνατα ἀνορθώσατε] Comparat hæc cum *Jeſ.* XXXV. 3. *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 656. Phraſes ex palæſtra petitas explicant *Lydius* in Agoniſticis Sacris pag. 67. *Cornel. Adami* in Obſervationibus pag. 456. & M. *Guhling* in diſputat. de Locutionibus Pauli ex palæſtra Græcorum veterum pag. 19. Adde *Pet. Zornium* in Biblioth. Antiquario Exegetica pag. 876. Phraſin poſtremam ex *Polybio* & *Xenophonte* illuſtrat *Raphelius*. *Polybius* pag. 1117. ait: *omnes ſtabant muti*, ὥσπερεὶ παραλελυμένοι κὴ τοῖς σώμασι κὴ ταῖς ψυχαῖς, ex quo patet, παραλύεσθαι ad corpus & animum transferri.

Verſ. 13. Καὶ τροχιὰς ὀρθὰς ποιήσατε] Vide *Surenhuſium* l. c. pag. 657. Phraſin a curſoribus gymnicis petitam exponit *Lydius* pag. 139. & *Cornel. Adami* in Obſervationibus pag. 401. Ita *Pindarus* Olymp. X. ϛάδιον μὲν ἀρίϛευσεν εὐθύδρομον ποσσὶ τρέχων.

Ἵνα

*ἵνα μὴ τὸ χωλὸν ἐκτραπῇ, ἰαθῇ δὲ μᾶλλον*] *Ne*, quod *claudum eſt, deflectat à via, ſed potius ſanetur.* Ita *Beza* & *Eraſm. Schmidius.* Malim vetere: *ne claudum* ſcil. membrum, *luxetur*, ſeu loco ſuo excidat. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. Lat. voce *μέλος*, & *Grotium* ad h. l. *Chryſoſtomus*: *ὡς πρὸς δρομεῖς, καὶ πύκτας, καὶ πολεμιστὰς διαλέγεται.* *Eos alloquitur tanquam curſores, & pugiles, & bellatores.* Conf. *Cornel. Adami* l. c. pag. 453. qui ad pugiles & athletas potius, quam curſores, reſpici vult, quod *Grotius* putabat. Sed cum hoc facere malim, ideo, quod proxime ante *τροχιῶν ὀρθῶν* fit mentio, quas ad curſores ipſe *Adami* refert.

Verſ. 14. *Εἰρήνην διώκετε μετὰ πάντων*] Lege *V. E. Læſcheri* Decimas Evangelicas Part. VI. pag. 299. & *Rob. Gelli* Reliquias Anglice edit. Tom. II. pag. 700-722.

Verſ. 15. *Ἐπισκοποῦντες, μήτις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος*] Phraſin *ὑστερεῖν* expoſui ſupra ad IV. 1.

*μήτις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα ἐνοχλῇ*] Apud *τοὺς* LXX. *Deuteronom.* XXIX. 18. ita: *μήτις ἐστὶν ἐν ὑμῖν ῥίζα ἄνω φύουσα ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ.* Ad hæc verba tantum non omnes reſpexiſſe putant Apoſtolum, nec dubitant pro *ἐνοχλῇ* h. l. legendum eſſe *ἐν χολῇ*, quod Græci habent. Ita *Eſtius, Ribera, Grotius, Colomeſius* pag. 20. Obſſ. Sacr. Ex Anglis, *Millius* ad loc. & in Prolegom. §. 495. *Whitbius* in Commentar. ad locum, (qui tamen in Examine pag. 77. nihil definit) *W. Wallius* in Notis Criticis in N. T. pag. 335. & noviſſime editor N. T. Græco Anglicani, qui *τὸ ἐν χολῇ* in ipſum contextum recepit. Ex noſtratibus denique fere B. *Gothofredus Olearius* in Analyſi pag. 40. (ubi ita legentibus non magnopere ſe refragaturum ſcribit) & Vener. *Pfaffius* in Diſſertat. de variantibus lectionibus N. T. pag. 230. ſqq. *Millius* receptam lectionem vetuſtiſſimum ait eſſe errorem, & ab ipſis rei Chriſtianæ primordiis inolitum, primum autem a *περιεργίᾳ* librarii alicujus profectum, qui, quod deeſſet verbum, ex *ἐν χολῇ* levi mutatione fecerit *ἐνοχλῇ*. *Pfaffius* vero, intelligens in Cod. Alexandr. *τῶν* LXX. pro *ἐν χολῇ* legi *ἐνοχλῇ*. (quod *J. E. Grabe* in ſua editione non permutare cum altero illo debebat) Paulum ejusmodi aliquo codice uſum exiſtimat.

Ab altera parte pro lectione *ἐνοχλῇ* tanquam germana, & ab Apoſtolo ipſo profecta, pugnant, tum noſtrates inprimis, tum alii. Illi vero diverſas rationes ineunt. Nonnulli enim Apoſtolum illum locum Deuteronomii ſpectaſſe quidem ajunt, ſed ita, ut quædam deſtinata opera mutaret. Ita ſtatuit *Surenhuſius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* pag. 657. ex noſtratibus autem *Calovius*, & *Starckius* in Notis Selectis. Alii vero negant, Paulum mentem ſuam in illum Deuteronomii locum intentam habuiſſe. Id placere video *Franc. Wokenio* in Obſervationibus miſcellaneis ad loca quædam V. & N. T. pag. 11. ſqq. (vide Faſciculum ejus Obſervationum Critico-Biblicar. Lipſ. 1726. editum) ubi

ubi contra *Millium* diligenter diſputat. Idem videtur eruditiſſimo *Wilb. Erneſto Trillero*, cujus hanc habe obſervationem per literas mecum communicatam. *Sed ego*, inquit, *nihil mutandum arbitror, nec ad illum Deuteronomii locum ſolum reſpici credo, inprimis, cum ſenſus hiscere, & verbo carere videatur, ſi ἐνοχλῇ hic in ἐν χολῇ mutetur. Maneat ergo ἐνοχλῇ*, turbet. *Metaphora autem ducta hic eſt à radicibus, herbis & plantis amaris quæ plerumque ventrem turbant & ſolvunt, ut ex Dioſcoride & Plinio conſtat, & nemini Medicorum ignotum eſt, quod & ſalia amara facere conſuevere. Medicamenta enim ἐνοχλέοντα Hippocrati paſſim audiunt ea, quæ intro ſumta turbas excitant, & ventrem ſolvunt. Ab hac naturali re deduxit ſenſum moralem pro more, quem ſervare ſolet auctor epiſtolæ ad Hebræos, adeo, ut per ῥίζαν πικρίας iram & contentionem, per ἐνοχλεῖν autem ipſos peſſimos effectus & turbas, quas acres contentiones ciere ſolent, intellexiſſe videatur. Ita Plutarchus περὶ εὐθυμίας pag. 314. hoc fere ſenſu dixit: βλασφημίαι καὶ ὀργαὶ καὶ φθόνοι καὶ κακοήθειαι, καὶ ζηλοτυπίαι ἐνοχλοῦσι δὲ καὶ παροξύνουσι τοὺς ἀνοήτους.* Hactenus *Trillerus*.

Mihi quidem non dubium eſt, Paulum ſcripſiſſe ἐνοχλῇ. Id ut credamus, poſcit communis Codicum conſenſus, nec ullo exemplo turbatus, tum vero antiquiſſimarum verſionum auctoritas. Utrumque momentum hoc majoris pretii & ponderis eſt, quod verbum ἐνοχλῇ non frequens eſt vel τοῖς LXX. vel Sacris N. T. Scriptoribus, ex quo fieri alioquin facile poterat, ut librarii de mutatione vel interpretamento cogitarent. Sed vel ſic, neutrius veſtigium alicubi exſtat. Senſus præterea vocum obvius eſt; quando Paulus caveri jubet, ne quam noxam radix ejusmodi adferat. Et quemadmodum in ſequente phraſi, καὶ διὰ ταύτης μιανθῶσιν οἱ πολλοὶ, verbum exſtat de iis, ad quos noxa illa pervenire poſſit; ita prior phraſis, μήτις ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα tale verbum itidem requirit.

Non dubito quoque, τοὺς LXX. vere ita olim vertiſſe, ut apud eos hodie legitur, nempe ἐν χολῇ. Nam voces illæ, ἐν χολῇ καὶ πικρίᾳ optime reſpondent Hebræis ראש ולאנה Vox enim utraque לאנה וראש itidem *Thren.* III. 19. vertitur per πικρίαν καὶ χολήν. Hinc & Codices omnes in vocibus ἐν χολῇ exprimendis conſentiunt. Quod ad exemplum Alexandrinum attinet, non dubito, illius lectionem ἐνοχλῇ poſtliminio ex Nov. Teſtam. natam eſſe. Idem ſentire video *Joſ. Hallettum*, Anglum, in *Paraphraſi* ſua ſuperius allegata.

Denique Apoſtolum non tam allegaſſe hunc *Deuteronomii* locum, quam ad illum alluſiſſe puto. Hujus ſententiæ has habeo rationes. Quemadmodum verba τῶν LXX. heic non exſtant, ita nec verba contextus Hebræi פן יש בכם שרש פרה ראש ולענה penitus exprimuntur. Pro duplice enim voce ראש ולאנה affertur una, nempe πικρία, neque exſtat phraſis יש בכם. Quæ

cauſa eſt, cur phraſin illam omnem inſtar proverbii frequentatam fuiſſe exiſtimem, qua hoc loco commode uſus ſit Apoſtolus. Firmat ſententiam meam phraſis addita: ϗ διὰ ταύτης μιανθῶσι πολλοὶ, cujus nota nulla in contextu Hebræo, aut verſione Græca, exſtat. Sic *Act.* VIII. 23. *Petrus* Simoni Mago χολὴν πικρίας tribuit.

*L. M. Artemonius*, i. e. *Sam. Crellius*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto pag. 213. alia affert, quæ nunc expendemus. Lectionem ἐνοχλῇ, quæ eſt in Cod. Alexandrino τῶν LXX. & h. l. cum textu Hebraico פן יש בכם שרש פרה ראש ולאנה optime putat conciliari poſſe, modo vox ולענה ſumatur pro *ulaani* a radice ענה *in afflictionem*, *impeditionem*; ſicut *Grotius* obſervat, τὺς LXX. & Chald. Paraphraſten Jeſ. LVII. 3. legiſſe בני עונה *avena*, à radice עוה *inique egit*, pro בני עון *bne avon*, & vertiſſe υἱοὶ ἀνομίας. Addit τὺς LXX. inter alia τὸ ענה vocibus ἀνταποκρίνομαι, ἀντείπω, καταλέγω, ἀνθίςημι, ταπεινόω, κακόω, περισπάω (*diſtraho*, *impedio*) nomen vero ejus ſubſtantivum per ταπείνωσιν, περισπασμὸν (*impeditionem*) quod poſterius cum ἐνοχλήσει optime congruat, reddidiſſe. His poſitis ולענה idem eſſe putat, quod εἰς περισπασμὸν, εἰς ὄχλησιν, aut ἐνόχλησιν. Hebraica ergo verba id ex mente ejus ſignificant: *ne ſit in vobis radix ferens amaritudinem*, *&* (ne ſit) *in impedimentum*. In Græcis verbum φύω vult eſſe activum, quod requirat accuſativum, & pro πικρίας legendum πικριὰς, hoc vocum ordine: μήτις ῥίζα, πικριὰς ἄνω φύυσα, ἐνοχλῇ, *ne qua radix, amaritudines proferens, impediat.*

At, dum *Crellius* verſionem cum Hebræo conciliare conatur, & Hebraicis & Græcis male omnino conſulit. Vox Hebr. ולענה non poteſt non de re amara ſeu abſinthio accipi. Hoc enim ſenſu, ad res morales tranſlato, paſſim occurrit, v. c. *Jerem.* IX. 14. XXIII. 15. *Thren.* III. 15. *Amoſi* V. 7. & VI. 12. quemadmodum proprie accipitur *Proverb.* V. 4. Imo, quod plus valet, *Thren.* III. 19. utraque vox ראש ולענה conjungitur. Neque poteſt hic τὸ ל pro præfixo haberi, aut ענה de *afflictione* explicari. Quamvis enim verbum Hebraicum in *Piel* ענה *adfligere* ſignificet, nunquam tamen Subſtantivum hujus ſignificatus, inde formatum, ex omnibus Hebraiſmi copiis oſtenderit. Novi quidem עני & ענות *inopiæ* & *adflictionis* notione occurrere, at de ענה, tanquam ſubſtantivo, nihil ejusmodi habeo compertum. Si quid hujusmodi indicari *Deuteron.* XXIX. debuiſſet, ex rationibus Linguæ Hebr. ſcribendum fuiſſet ולענותך quod legimus *Jud.* XVI. 6. Quomodo *Grotii* illa obſervatio huc faciat, non intelligo. Quando LXX. Intt. Subſtantivum hujus verbi per ταπείνωσιν aut περισπασμὸν expreſſerunt, ante oculos habuerunt עני vel ענות. Non rectius de Græca verſione cogitat. Largiamur, vocem Φύυσα activam proprie habere notionem, quod ex paſſivo φύομαι i. e. *naſcor*, apparet. Non ignorat, credo, *Crellius*, activa etiam verba neutrorum inſtar uſur-

uſurpari, ſubintellecta v. c. voce *ἑαυτὴν*. Hoc certe loco in verſione Gr. *πικρίας* pro accuſativo haberi non poteſt. Qnemadmodum enim hic *ῥίζα πικρίας radix amarulenta* dicitur, ita alibi *πικρίας ἔργον* Jeſ. XXVIII. 21. *σκόλοψ πικρίας Ezech.* XXVIII. 24. & *βότρυς πικρίας Deut.* XXXII. 3. occurrit, ubi etiam *σαφυλὴ χολῆς* exſtat. Similiter *Act.* VIII. 23. *χολὴ πικρίας* dicitur. Cur denique pro *πικρίας* legi velit, mutato accentu, *πικριὰς*, prorſus non video. Hoc novi, *πικρίαν* Græcum eſſe, *πικριὰν* non item. Prius illud *οἱ* LXX., Scriptores N. T. & externi quoque frequenter adhibent, poſterius nunquam. Et conſtare ſibi poterat *Crellii* conjectura, etiam ſine illa accentus mutatione, modo cetera ferri poſſent.

Verbum *ἐνοχλεῖν*, tanquam inſolens, ſuſpectum nonnullis videri potuiſſe miror, cum apud *τὰς* LXX. aliquoties legatur, ſimplex vero in Nov. Teſt. occurrat, & *Antoninus* quoque VII. 16. dicat : *τὸ ἡγεμονικὸν αὐτὸ ἐχ ἑαυτῷ ἐνοχλεῖ ; mens an non ipſa perturbat ſe ?* Non dicam de *Heſychio*, & *Suida*, qui ejus faciunt mentionem. Memini, *Libanium* eodem in epiſtolis adhuc *ἀνεκδότοις* aliquoties uti.

Phraſi noſtræ convenienter *Polybius*, pag. 1542. de avaritia ait : *παρ' οἷς ἔφυ τὸτο φυλον, ὐδέποτε κατέληξε πρότερον, ἢ μεγάλοις κακοῖς περιβαλεῖν τὰς ἅπαξ αὐλῷ χρησαμένας*, obſervante *Raphelio*.

Per *ῥίζαν* illam *πικρίας* epulum idololatricum ſpeciatim intelligi, vix quisquam perſuaderi ſibi patietur a *Spencero* de Legibus Ritualibus Hebræorum lib. II. cap. 3. Sect. I. pag. 714. edit. Lipſienſ.

Verſ. 16. *Μήτις πόρνος ἢ βέβηλος, κ. τ. λ.*] Lege ad hæc *Guſſetium* in Confutatione libri *Chiſſuk Emuna* Part. I. cap. 34. §. 70.

*ὡς Ησαῦ, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτῦ*] Cur ob ſpretum primogenituræ jus Eſavus inter *profanos* numeretur, disquirit *Vitringa* Obſervatt. Sacr. lib. II. cap. 2. pag. 44. Patriarcharum in terra Canaan divitias vel corporales, vel ſpirituales ait fuiſſe, quarum illæ in ſumma pecudum copia, & amplo famulitio; hæ in amplis promiſſionibus à Deo factis, de poſſeſſione terræ Canaan, ſubactione hoſtium, & præſertim nativitate *Semidiis benendti* conſtiterint. Hæc bona, quorum maxima pars primogenito competierit, Eſavum ait repudiaſſe, ideoque *profanum* eſſe appellatum, non tam *priorum*, quam *poſteriorum bonorum* reſpectu, quippe qui, ſpretis *πρωτοτοκίοις*, indicarit, ſe nihil facere *promiſſionem Seminis benedicti ;* ſatis eſſe ſibi ratus, ſi ipſe beatus viveret, neque præſtantiſſimam hanc divitiarum paternarum partem quicquam curare. *Dixit Eſau, abeo ad moriendum, & quorſum mihi τὰ πρωτοτόκια ? Joſ. Hallett* in Paraphraſi ſua & notis Anglic. ad h. l. *jus* illud *primogenituræ* non in Sacerdotio, ſed in *dominio ſuper fratres* poſitum fuiſſe cenſet, provocans ad *Geneſ.* XXVII. 28. 29. & inprimis verſ. 37. ubi Iſaacus ad Eſavum ita : *ecce Jacobum Dominum tibi conſtitui, omnes fratres ejus ipſi ſervos feci.*

Addit idem, Eſavum profanam mentem eo vel maxime probaſſe, quod una cum πρωτοτοκίοις libertatem vendiderit.

Verſ. 17. *μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὗρε*] *Non enim reperit pænitentiæ locum*, ut *Beza*; vel, *non reperit retractationis locum*, ut *Eraſmus Schmidius*. Hoc enim ad ſenſum magis quadrat, & indicio eſt, *retractationem* illam ad Iſaacum referri. Phraſis eadem exſtat *Sapient.* XII. 10. *ἐδίδους τόπον μετανοίας*, & apud *Tatianum* Orat. ad Græc. pag. 59. *διὰ τοῦτο γοῦν ἡ τῶν δαιμόνων ὑπόστασις οὐκ ἔχει μετανοίας τόπον.* *Μετάνοιαν* ad Iſaacum ſpectare, quem mentem ſuam mutare cupiebat Eſavus, ut ex hiſtoria ipſa patet, ita phraſis quoque confirmat. *Μετανοεῖν* enim non ſolum ſignificat *pænitere*, ſed, quæ propria verbi notio eſt, *ſententiam mutare*, ſicut *μετάνοια* quoque *ſententiæ mutationem* infert. Id pluribus *Xenophontis* & *Polybii* locis oſtendit Rev. *Raphelius*, & veſtigiis ejus inſiſtens *Thomas Hutchinſonus* ad Xenophontis Cyropædiam lib. I. pag. 3. Sic *Polybius* pag. 927. Darium pugnare cum Alexandro voluiſſe teſtatus, addit, *ὕστερον δὲ μετανοῆσαι*, *mox vero ſententiam mutaſſe.* Idem lib. IV. pag. 459. Philippum ait *πυθόμενον τὴν τῶν Δαρδανίων μετάνοιαν*, *percepiſſe, quod Dardanii conſilium mutarint.* In hanc ſententiam lege plura apud *Raphelium*, *Boſium*, *Joannem Buxtorfium* in Catalectis pag. 27. *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 23. *Franciſcum Wokenium* in Moſe Harmonico pag. 44. & *G. G. Kirchmaierum* in Parallelismo Dictionis Novi Teſtamenti & Polybii pag. 55.

*καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτὴν*] ſcilicet *μετάνοιαν*, non *εὐλογίαν*. Propior enim eſt vox *μετάνοια*; & quod Eſavus ante obtinuiſſe negatur, id hic cum lacrymis quæſiviſſe, dici merito creditur. Interim *Beza* & *Schmidius* ad *benedictionem τὸ ἐκζητῆσαι* referunt.

Verſ. 18. Οὐ *γὰρ προσεληλύθατε κ. τ. λ.*] Ad hæc & ſequentia aliquot commata commentatur *Jacobus Altingius* in Operibus Tomo V. ubi de Sabbato, pag. 72. ſqq. & *Godofr. Olearius* Obſervatt. in Matthæum pag. 337.

*ψηλαφωμένῳ ὄρει, καὶ κεκαυμένῳ πυρὶ*] Vox *ὄρει* deeſt in quatuor circiter Codicibus, Verſionibus aliquot, & Patribus, quam tamen vel ſic *Millius*, ad locum, retinendam recte cenſuerat, mutata autem poſtea ſententia, in Prolegomenis §. 1075. ad librarium aliquem refert, qui eam ex verſ. 22. huc tranſtulerit, ut eſſet, quod *ὄρει Σιὼν* reſponderet. Rationem præterea hanc habet, quod vox *ὄρει* non facile à quoquam potuerit omitti. Interim id facilius fieri potuit in paucis ejusmodi Codicibus, quam ut in tot alios reciperetur. Quod ſi omittatur *ὄρει*, vox *ψηλαφωμένῳ* ad *πυρὶ* referri debebit una cum *καιομένῳ*, ut indicetur *ignis contrectabilis & incenſus.* At neutrum de igne, tanquam ſubjecto, dici commode poteſt. Itaque neceſſe eſt, ut *ὄρος*, tanquam ſubjectum, addatur, ad quod prædicatum utrumque referri poſſit. Senſus eſt: *non acceſſiſtis ad montem, tactui expoſitum & igni ardentem.* Novi quidem, *Bezam*

&

& *Schmidium* ita vertiſſe, ut alter *incenſum*, alter *ardentem*, *ignem* diceret, atque adeo τὸ καιομένῳ non ad *montem*, ſed ad *ignem*, qui *ſuccenſus* eſſet, referret. Rectius vero B. *Lutherus montem* utriusque prædicati ſubjectum ſtatuit. Scilicet vox κεκαυμένῳ eſt dativus, & pertinet ad ὄρει, πυρὶ vero ablativus, & pendet à ſuppreſſa præpoſitione ἐν. Id recte tradidit *Lambertus Bos* pag. 257. Exercitationum. Ita *Exod.* III. 2. βάτος καίεται πυρὶ. Sic *Deuteronom.* IV. 11. τὸ ὄρος ἐκαίετο πυρὶ, ad quem locum hic inprimis reſpici comparatio utriusque oſtendet. Confer *Apocal.* VIII. 8. Sic *Æſchylus* adv. Theb. dixit ἀπλόμενον πυρὶ, quod Schol. explicat καιόμενον. Perperam itaque vocem ὄρει in contextu omiſit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani.

Pro ψηλαφωμένῳ *Wilb. Wall* in Notis Criticis ad Novum Teſtamentum pag. 316. legere ſe, ſi quis Codex, aut ſi qua translatio accederet, malle ſcribit οὐ ψηλαφωμένῳ, *qui tangi non debeat*, ut ſic reſpiciatur ad præceptum, de monte Sinai non tangendo datum *Exod.* XIX. Sed non recogitaverat vir doctus, montem *Sinai* hic dici *contrectabilem*, ſeu, *tactui obnoxium*, ut opponi poſſet monti *Sion*, tanquam qui nec tactui, nec viſui ſit obnoxius, quo nomine verſ. 22. πόλις Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος vocatur. Taceo, montem, qui tangi prohibetur, eo ipſo, ut tactui expoſitum repræſentari. Omnis dubitatio evaneſceret, ſi cum Cl. *Schœtgenio* in Horis pag. 991. verteremus per *montem fumantem*, ut tactus Dei indicetur, qui *montem fumare* fecerit: quo ſenſu Pſalm. CXLIV. 5. dicitur, *attinge montes, & fumabunt.* Confer Pſalm. CIV. 32. Obſtat tamen, quod οἱ LXX. utrinque adhibuerint verbum ἅπτεσθαι, non autem ψηλαφᾶν, quo poſteriori illi alias utuntur, ubi de re ſermo eſt, quæ manibus tractetur & palpetur. Sic *Exod.* X. 21. σκότος ψηλαφητὸν dicunt, quod ad locum noſtrum propius accedit.

Verſ. 19-21. Vide *Joannis Martianai* Conatum novæ Verſionis Gallicæ pag. 389-394.

Verſ. 19. Καὶ σάλπιγγος ἤχῳ, καὶ φωνῇ ῥημάτων] De hac *voce* verborumve ſono lege *Vitringam* lib. IV. Obſervationum Sacrarum cap. X. §. 15.

ἧς οἱ ἀκούσαντες παρῃτήσαντο μὴ προστεθῆναι αὐτοῖς λόγον] Unus alterve Codex τὸ μὴ in hac phraſi omiſit, quod tamen retineri Atticiſmus poſtulat, ex quo verbo negandi, quale eſt τὸ παραιτεῖσθαι, i. e. *precari, ne aliquid fiat*, particula negandi eleganter addi ſolet. Id fit v. c. in verbis ἀρνοῦμαι, ἐξαρνοῦμαι, ἀπάγω &c. Vide *Lamb. Bos* pag. 258.

Verſ. 20. Οὐκ ἔφερον γὰρ τὸ διαστελλόμενον] Vide *Hornbeckii* Vetera & Nova lib. I. pag. 389.

ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται] *aut jaculo configetur.* Deſiderantur hæc in variis Codicibus, verſionibus & Patribus, ideoque *Zegero* ex *Exod.* XIX. 13.

 ab

*omnium*, h. e. ad judicem, qui Deus eſt omnium. Per Judicem autem illum non Dominum noſtrum, ſed Patrem intelligit, cum in ſequentibus Filius, ut *Mediator* N. T. repræſentetur; phraſique hac privilegium N. T. indicari cenſet, ſecundum quod Deus, non Judæorum tantum ſed & Gentilium Deus ſit, imo Pater omnium, ex Pauli aſſerto: *ὡς Θεὸς ϗ πατὴρ πάντων. Eph.* IV. 16. Lege cetera.

*καὶ πνεύμασι δικαίων τετελειωμένων*] *& ad ſpiritus juſtorum conſummatorum*, ut *Beza*, vel, *perfecte ſanctificatorum* ut *Eraſm. Schmidius* vertit. Reſpondet hæc phraſis ex parte Judæorum illi, qua צדיקים גמורים i. e. *juſtos perfectos* appellare conſueverunt. Loca eorum habes apud *Lightfootum* in Horis ad *Luc.* XV. 7. & *Theod. Haſæum* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. pag. 112. ſq. pleniſſime vero omnium apud Cl. *Schœtgenium* in Horis Hebraicis pag. 993. ſqq. ubi primum quidem Judaicam Juſtorum perfectorum deſcriptionem ex ſcriptis Judæorum ſiſtit, deinde vero dicta ad mentem Apoſtoli, quoad quidem fieri potuit, adplicat. Hujus adplicationis ſumma pag. 1002. ita exhibetur: *Vos, inquit Apoſtolus, qui N. T. membra eſtis; ad ſocietatem illorum perveniſtis, qui* ſpiritus *ſunt* Juſtorum perfectorum. Spiritus *dicit, h. e. homines ſpirituales, qui à Spiritu Dei aguntur, & opera non carnis, ſed Spiritus, peragunt.* Juſti perfecti *ſunt perfectione juſtitiæ Chriſti ipſis imputatæ, quæ longe potior eſt omni perfectione & juſtitia legali.* Ex his patet, Virum doctum totam dictionem ad fideles in hac vita ſuperſtites transferre, quod & præter *Lightfootum* l. c. *Braunius* in Commentar. ad h. l. & ex noſtratibus *Amelius* Part. I. der Erörterung pag. 39. faciunt. Contra hæc *Haſæus* l. c. non dubitat, Paulum, vindicaturum communionem, quæ piis, in terris viventibus, cum incolis cœli, & Deo, & Angelis, & Sanctis intercedit, hac phraſi uſum eſſe, ut innueret eos, qui poſt abſolutum vitæ hujus curſum æterna in cœlis quiete ac gloria fruuntur. Id ait ex totius textus *συναφείᾳ*, ſcopoque Apoſtoli, tum vero ex verborum vi atque uſu patere. *Quis enim*, ita pergit, *πνεύματα de animabus, corporibus ſuis adhuc alligatis, explicabit? quis non ita dici ſolum eas poſſe, quando ex ergaſtulo ſuo liberati ſunt, intelligit? Certe ea locutio tantum invaluit apud Judæos, ut ſtatum, in quo pii erunt, poſt hanc vitam, ad diem futurum judicii vocent* עולם הנשמות *ſeculum τῶν πνευμάτων. Δικαίους autem dici fideles poſt hanc vitam ſuperſtites jam à nobis abunde viſum eſt. Unde, quæ πνεύματα ſint δικαίων, unusquisque ſponte ſua haud difficulter cognoſcet. Quid nimirum aliud, quam αἱ* ψυχαὶ τῶν δικαίων, quæ ſunt in manibus Dei, neque ullo tormento exagitantur, *ſicut legitur in libro* Sap. *III. 3. cum quibus conferri debet* Aſariæ *canticum, in quo v. 86. ψυχαὶ ϗ πνεύματα δικαίων ad laudes Dei excitantur.* Idem firmatur R. *Meir ben Gabbai* verbis ex lib. *Avodath Kodeſch* fol. 53. col. 3. *quando Rabbini noſtri mentionem faciunt ſæculi, in quo animæ ſeparatæ à corpore, non eos vocant* juſtos, *ſed* Spiritus, *ſive* animas juſtorum, (*ψυχὰς vel πνεύματα δικαίων*) *quando autem commemorant ſæculum futurum*

*turum poſt reſurrectionem*, *ubi eſt corpus* junctum animæ, *vocant* juſtos. Accedit vox τετελειωμένος, quam idem pag. 112. convenienter ex altera adfini τέλειον 1 *Cor.* XIII. 10. ubi de ſæculo futuro omnino adhibetur, explicat. Scilicet non dubito, reſpici ad animas fidelium, quos c. XI. recitaverat Apoſtolus. Hoc ſenſu de *Enocho*, in cœleſtem vitam mature tranſlato, auctor libri *Sapient.* IV. 13. ait: τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσε χρόνους μακρούς. Nec aliter Dominus noſter de ſe *Luc.* XIII. 32. καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι. Confer *Beauſobrium* & *Infantium* ad h. l. Memini, *Jo. Clericum* in notis ad Heſiodi Θεογονίαν v. 189. *animas plenas* accipere de iis, *quibus expletum ſit vitæ tempus.*

Scripſeram hæc, cum in manus incidit diſputatio Rev. *J. L. Moshemii* de Eccleſia Primogenitorum in cœlo adſcriptorum, Helmſtad. 1733. digna, quæ amplius expendatur. Ejus quidem judicio pag. 4. *per* primogenitos in cœlo adſcriptos *generatim illi intelligendi ſunt, qui ſub initium introducta in orbem terrarum fidei Chriſtianæ ex quibusvis hominibus tum temporis, tam Judæis, quam Ethnicis, ad gratiæ regnum Chriſti electi vocatique erant; ſpeciatim vero, & præcipue illi, qui primum ex Judæis vocati erant, quippe ad quos præ omnibus aliis* κατ' ἐξοχὴν *pertinet.* Quæ quidem ſententia ex verborum Paulinorum paraphraſi, pag. 20. ſuppeditata, clarius intelligitur. *Vos acceſſiſtis ad hilarem atque ingentem cœtum primorum fidelium ex Judæis & Gentilibus à Deo collectorum, quorum ſtatum, vitam, factaque Deus ſpecialiter attendit, quibus in regno gratiæ utitur, eamque ob cauſam eos vocavit, ut illis poſt hanc vitam illam æternam daret, ſi conſtantes permanerent. Acceſſiſtis ad cognitionem perfectam, nec amplius umbra atque exemplaribus vos paſcitis, ſed clariori luce jam gaudetis.* Non ſine veri ſpecie hæc ita dicuntur, quæ proinde aliis curatius expendenda relinquo.

καὶ τῷ αἵματι ῥαντισμοῦ κρείττονα λαλοῦντι] Codices pauci & verſiones quoque habent κρεῖττον, quod propterea loco alterius illius in contextum recepit editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani. Quod ad ſenſum nihil intereſt, & vel propterea communior lectio retineri debebat. Κρείττονα *gratiora* interpretatur *Jac. Cappellus.*

παρὰ τὸν Ἄβελ] Ita plerique Codices. Alii habent παρὰ τὸ Ἄβελ, ſed duo tantum, quos recitat *Millius.* Et ſic quoque editiones *Aldi*, *Frobenii*, *Colin.* & *Er. Schmidii.* Eam lectionem, tanquam Græcis veteribus & Syro quoque receptam, præfert *Grotius*, ut ſcilicet eo rectius ad αἷμα referatur, quod B. Lutherus quoque in verſione diſerte expreſſit. Rectius vero communior lectio tenetur, quam etiam vindicat *Joſ. Hallett* in Paraphraſi & Notis ad h. l. Ita ſupra XI. 4. *Abel adhuc* dicitur *loqui.* Vide huc *Balthaſ. Bebelii* diſputat. de clamore ſanguinis Habelis & Chriſti Argentorati 1670. *Wolfburgium* in Obſervatt. Sacris pag. 364. & Auctorem Obſervatt. Miſcellanearum vernacule editarum Parte III. pag. 712. Tum *Grotium* de Satisfactione

Hhhhh Chri-

Chriſti Tom. III. Opp. pag. 337. a. *Jo. Robinſonum* in Endoxis pag. 97. & noviſſime *Snabelium* in Amœnitatibus Theolog. Emblematicæ & Typicæ p. 109. ſqq. Atque is quidem hoc habet ſingulare, quod per ſanguinem non illum Abelis a Caino fuſum, ſed agni, ab Abele in ſacrificium mactati, intelligit. *Opponit*, inquit, *Paulus Oeconomiam V. T. legalem illam, quæ animata erat, ut ita loquar, ſacrificiorum ſanguine, Oeconomiæ Teſtamenti novi, cujus Mediator eſt Chriſtus Jeſus: opponit ſanguinem ſanguini. Cum in diſcrimine aſſignando elaboraret, quid convenientius, quam ſanguini Chriſti opponi ſanguinem ſacrificiorum, quem primum omnium obtuliſſe Abelem Scriptura* ῥητῶς λέγει, *cumque hoc ſacrorum faciendorum cruentum genus mortem Chriſti adumbraverit, idque* πίστει *Abel agnoverit, teſtatum habuit, Deo ſacrificium oblatum placuiſſe. Meliora autem loqui ſanguinem Chriſti ſanguine ſacrificii Abelis, licet id Deo non diſplicuerit, perſpicuum eſt, quia ſacrificium Abelis typicum, Chriſti verum, ibi brutarum pecudum ſanguis, heic ſanguis Dei ipſius.* Actor. XX. Admitti hæc omnino poſſent, niſi propius videretur, verbum λαλεῖν referre ad Abelis ipſius ſanguinem effuſum, qui *clamaſſe* dicitur Geneſ. IV.

Verſ. 25. *πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ τὸν ἀπ᾽ οὐρανῶν ἀποστρεφόμενοι*] Τὸν ἀπ᾽ οὐρανῶν, ſcilicet *loquentem*, quod B. *Lutherus* in verſione expreſſit, & *Jo. Buxtorfius*, nepos, in Diſſertationibus varii argumenti pag. 101. ſubintelligi vult. Æque bene vero ſubintellexeris τὸν ἐρχόμενον, quem ſe appellat Dominus ipſe *Joh.* III. 31. ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, ἐπάνω πάντων ἐστί. Sic 1 *Cor.* XV. 47. ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ vocatur. Confer *Gaillardi* Specimen Quæſtionum de filio hominis pag. 141.

Verſ. 26. Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείω οὐ μόνον τὴν γῆν] Comparat hæc cum *Hagg.* II. 7. *Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 660. Vide etiam, quæ in utriusque loci comparationem affert *Guſſetius* in Commentariis L. Hebr. pag. 942. b.

Verſ. 27. Τὸ δὲ, ἔτι ἅπαξ, δηλοῖ τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν] Verbi σαλεύεσθαι tanquam de navibus, quæ anchoris innituntur, nunc ſurſum, nunc deorſum jactatis, proprie adhibiti, inde vero ad quemvis motum & agitationem, v. c. Reipublicæ, translati, notionem diligenter explicat *Lamb. Bos* pag. 259. & *Jac. Elsnerus* pag. 377.

ὡς πεποιημένων] Cum non appareat, quomodo πεποιημένα i. e. *facta, abſoluta & elaborata*, ad σαλευόμενα, *jactata & fluctuantia*, quadrent, *Boſius* l. c. pag. 261. legere maluit, levi facta mutatione, πεπονημένα, h. e. *quaſſata & debilitata*, manente eadem metaphora, cum πονεῖν & πονεῖσθαι Græcis eleganter dicantur naves cum ſuis armamentis, quando in tempeſtate ex nimia jactatione, vel etiam in pugna navali ita quaſſatæ ſunt, & debilitatæ, ut reparari debeant. Sic *Arrianus* Exped. Alex. VI. 15. καὶ τὰ πλοῖα αὐτῷ τὰ πεπονηκότα ἐπεσκευάσθη. Senſum itaque hunc eſſe vult: *Illo dicto*, ἅπαξ &c. *ſignifi-*

*ſignificat Deus, ſe Oeconomiam V. T. inſtabilem & fluctuantem ita, ut quaſſata fatiſcat, & ἐγγὺς ἀφανισμοῦ ſit, ſede ſua remoturum.* Conjecturam hanc ingenioſam omnino & eruditam, aliis veterum locis quod ad vocem πεπονημένων adſtruxit Cl. *Jo. Alberti* in Periculo Critico pag. 55. ſed idem tamen, refragantibus Codicibus omnibus, nihil mutandum eſſe recte cenſuit. Atque idem eſt judicium Cl. *Elsneri* l. c. Πεπονημένα, inquit, *vocantur* χειροποίητα, *ut* Beza *jam vidit, ſupra* IX. 11. *quæ Moſes* ἐποίησε, VIII. 5. *quorum erat* μετάθεσις VII. 12. 18. & VIII. 13.

Cl. *Alberti* l. c. ſenſui conſuli optime poſſe cenſuit, ſi vox πεποιημένος eo ſenſu accipiatur, quo λόγος dicitur πεποιημένος i. e. *oratio ficta*, cui à Dionyſio Halicarnaſſ opponitur λόγος ἀφελὴς & ἀποίητος. Ita ſcilicet Vetus Oeconomia deſcriberetur, tanquam μετὰ πολλῆς φαντασίας conſpicua, & opus minime ſimplex, ſed fictum quid, περιττὸν καὶ πεποιημένον, minus ſolidum, adeoque durationis expers, ſic ut ſit σαλευόμενον. Et hæc quoque non inepte dicuntur. Cum vero illa verbi notio nec τοῖς LXX. nec N. T. Scriptoribus, apud quos alioquin vox ipſa frequenter occurrit, ſit recepta, communior vero illa commodum ſenſum ſecum ferat, in hac præſtat acquieſcere.

Memini, *Paulum Bauldry* in Bibliotheca Novorum librorum Lud. Neocori an. 1699. pag. 383. retinere receptam verbi lectionem & ſignificationem, modo integra ſententia ita conformetur: ὡς πεποιημένων, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα, atque ſic vertatur: *tanquam factarum* (rerum) *ut* exſpectent *ſtabiles.* Jam negari quidem non poteſt, verbum μένω, æque ut Latinum *maneo, exſpectandi* ſenſu valere. Confer *Valeſium* ad Euſebium pag. 260. b. Hoc tamen loco eam adoptare nolim. Nam & hæc ſignificatio a Scriptoribus Sacris exulat, & Paulus nominatim etiam in hac epiſtola v. c. VII. 3. 24. X. 34. & XIII. 14. verbum hoc adhibet, ubi de perſiſtentia rei, quæ alii pereunti opponitur, ſermo eſt. Scilicet res, quæ facta eſt, & vel hoc nomine interitui obnoxia, opponitur rei perpetuo ſubſiſtenti, nec unquam mutandæ, vel abolendæ. Ita ἀχειροποίητος οἰκία ſimul dicitur αἰώνιος ἐν τοῖς οὐρανοῖς, tanquam οἰκοδομὴ ἐκ Θεοῦ *2 Cor.* V. 1.

Verſ. 28. Διὸ βασιλείαν ἀσάλευτον παραλαμβάνοντες ] Phraſin ex Græciæ Scriptoribus diligenter exponunt *Lamb. Bos*, *Elsnerus* & ex parte *Raphelius* in Herodoteis pag. 642. & Polybianis pag. 687.

ἔχωμεν χάριν, δι' ἧς λατρεύωμεν ] Codices aliquot legunt ἔχομεν & λατρεύομεν. Utrumque præfert *Millius* in Proleg. §. 750. quamvis ad ipſum locum receptam lectionem tenendam cenſuerit. Eandem adoptavit *Starckius* in Notis Selectis. Prius illud ἔχομεν in contextum recepit Editor Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, alterum vero λατρεύωμεν retinuit, ſibi ipſi fere contrarius & quaſi ἑαυτοντιμωρούμενος. Præſtat ſane lectio communior, eo ſenſu, ut Hebræi incitentur ad gratias Deo agendas, verumque ei cultum præſtandum. Ἔχωμεν

 χάριν

Verſ. 2. Μιμνήσκεσθε τῶν δεσμίων] Captivorum curam ſolicite habuiſſe Chriſtianos veteres, teſtis eſt *Lucianus* de morte Peregrini pag. 762. obſervante *Elsnero*.

ὡς καὶ αὐτοὶ ὄντες ἐν σώματι] Ita monente eodem, *Porphyrius* περὶ ἀποχῆς §. 38. τί δεινὸν ἦν, ἐν σώματι εἶναι, *cur grave eſſet, in corpore eſſe*, i. e. vivere. Senſus igitur eſt, meminiſſe eos debere, ſe adhuc vivere, & iisdem calamitatibus eſſe obnoxios.

Verſ. 3. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι] γάμος de conjugio dicit *Arrianus* Indic. VIII. 6. *Herod.* lib. IX. pag. 630. & clarius *Plutarchus*, cujus ſententia cum Paulina noſtra egregie conſpirat, in Amatorio pag. 750. γάμον καὶ σύνοδον ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς, ἧς ὐ γέγονεν, ὐδ' ἐςιν ἱερωτέρα κατάζευξις. Vide *Raphelium* & *Boſium*. Subintelligendum in hac ſententia eſſe non ἐςί, quod *Beza* præter alios voluit; ſed potius ἔςω, plures monuerunt. Id poſcunt imperativi, qui in hoc capite hinc antecedunt, hinc ſequuntur; tum vero res ipſa. Quis enim dixerit, conjugium apud omnes eo loco haberi, quo hic haberi vult Paulus? Lege plura in hanc ſententiam apud *Eraſm. Schmidium* & *Hombergium*. *Colomeſius* pag. 148. Obſervat. Sacrarum ſimiliter verti volebat Gallice : *que le mariage ſoit honorable entre tous.* Et ſic verſio *Montenſis : que le mariage ſoit traité de tous avec honneteté.* Hanc interpretationem à *Malleti* exceptionibus tuetur *Arnaldus* in Nova illius Verſionis defenſione pag. 311. ſq. adductis ex ipſis Pontificiis *Eſtio* & *Emanuele a Saa* ὁμοψήφοις. In verſionem Novi Teſtamenti Græco-Anglicani, quæ itidem τὸ ἐςί exprimit, ἀμίαντον prave convertit, recte animadvertit *Leonh. Twells* in Examine illius Critico, Parte I. pag. 150.

καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος] Judæi conjugium ערס שלם *torum perfectum* dicunt, ex quo liberi bonæ indolis oriuntur. Vide *Schœtgen.* pag. 1004.

De argumento ipſo, quod hic tractatur, lege *Speneri* Reſponſa Theolog. Germanica Parte II. pag. 318. ſqq. Obſervationes Miſcellaneas Parte II. pag. 293. & *Spanhemii* Dubia Evangelica Parte III. pag. 657. ſq. Patres, conjugii honeſtatem & decus a veterum hæreticorum calumniis vindicantes, affert *Suicerus* Tom. I. pag. 725.

Verſ. 5. Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος] *Sint mores veſtri alieni ab avaritia.* Τρόπος ſcilicet *mores* ſignificat apud *Herodotum* lib. I. pag. 46. ὁρῶντες αὐτῦ τὺς τρόπυς.

ἀρκύμενοι τοῖς παρῦσιν [ Παρὸν Græcis eſt, quod adeſt bonum, quodque præſens eſt, quamvis parvum & vile ſit; & diſtinguitur ab alieno, itemque ſumtuoſo & magnifico. Ita vim vocis explicat & locis *Xenophontis* ac *Herodoti* munit *Raphelius* pag. 325. & 644. *Xenophon.* Memorab. lib. I. pag. 577. ςρατεύοιτο δὲ πότερος ἂν ῥᾷον, ὁ μὴ δυνάμενος ἄνευ πολυτελῦς διαίτης ζῆν, ἢ ᾧ τὸ παρὸν ἀρκοίη & Conviv. pag. 70. οἷς μάλιςα τὰ παρόντα ἀρκεῖ.

*Ου μή σε ἀνῶ, ὐδ᾽ ὐ μή σε ἐγκαταλίπω*] Vide *Surenhuſii* Βίβλον καταλλαγῆς pag. 661. ſq. & *Wokenii* Harmoniam Veteris & Nov. Teſt. Part. II. pag. 196.

Verſ. 6. *Κύριος ἐμοὶ βοηθὸς*] Vide Viros modo laudatos. *Εμοὶ βοηθὸς* per hebraismum pro *ἐμῦ βοηθὸς* dici nonnullis viſum eſt. At lege in contrariam ſententiam Cl. *Georgii* Vindicias Nov. Teſtam. ab Hebraismis pag. 234.

Verſ. 7. *Μνημονεύετε τῶν ἡγυμένων ὑμῶν*] *Memores eſtote ductorum veſtrorum.* Ita *Beza*: vel *ducum,* ut *Eraſm. Schmidius.* *Vulg.* habet *Præpoſitorum,* quod *Malletus* exprimi volebat in verſione Gall. *Montenſi*, quæ habet: *ſouvenez vous de vos Conducteurs.* Vide quæ vindiciarum loco affert *Arnaldus* in Defenſione illius verſionis continuata pag. 484. ſqq. In Martyrio S. Ignatii §. 4. *ἀποδῦναι δὲ τὸν μισθὸν ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς ὑπαντησάσαις αὐτῷ διὰ τῶν ἡγυμένων γραμμάτων εὐχαριςῶν*, *reddi autem mercedem Eccleſiis obviantibus* (Chriſti) *per præcedentes literas gratias agens.* Ibi *Th. Smithus* in notis ad Martyrium illud, quod una cum *Ignatii* epiſtolis Oxonii 1709. prodiit, p. 106. oſtendit vocem *ἡγυμένων* non jungendam eſſe ſequenti *γραμμάτων*, ſed ſibi relictam verti debere per *Præfectos*, ſive *Epiſcopos*. Id manifeſtum eſt, per *ἡγυμένυς* h. l. indicari *doctores* eccleſiæ, cujuscunque fuerint dignitatis. *Chryſoſtomo* & aliis ætatis ſequentis Scriptoribus *ἡγυμένυς* dici *monaſteriorum præfectos*, oſtendit *Suicerus* Tom. I. pag. 1315. *Theodoretus* ad h. l. explicat per *προςατεύοντας*, *qui præſunt*; *Theophylactus* autem confert cum *τοῖς κοπιῶσι καὶ προϊςαμένοις ἐν Κυρίῳ*, ut Paulus ait 1 *Theſſal.* V. 12. Conf. infra ad v. 17. *Μνημονεύειν* ita accepit *Laur. Ramirez de Prado*, quaſi per illud *memoria Sanctorum*, per Diptycha propagata, & cum cultu quodam conjuncta innuatur. Sed vide *Pet. Zornii* Opuſcula Sacra Tom. II. pag. 687. ubi cum B. *Jo. Fechtio* in Tract. de origine & ſuperſtitione Miſſarum, in honorem Sanctorum celebratarum, cap. VI. §. 4. oſtendit, memoriam Sanctorum, h. l. inculcatam, non tam exteriore eorum commemoratione, quam recordatione intrinſeca eaque practica abſolvi, atque adeo diptychorum originem ex his verbis deduci non poſſe. Qui ſpeciatim doctores hic intelligantur, de eo ſupra diximus pag. 594.

*ὧν ἀναθεωρῦντες*] Attentam conſiderationem verbo hoc inferri *Chryſoſtomus* docuit, ita *παραφράζων· συνεχῶς ςρέφοντες, παρ᾽ ἑαυτοῖς ἐξετάζοντες, λογιζόμενοι, ζητῦντες ἀκριβῶς.* Confer *Suicerum* Tom. I. p. 274.

*τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναςροφῆς*] *exitum converſationis.* *Αναςροφὴ* eſt *converſatio*, quam vocem Gloſſarium Latino-Græcum exponit *ἀναςροφὴ, διαγωγὴ, βίος.* Lege plura apud *Suicerum* Tom. I. pag. 322.

Verſ. 8-15. explicat M. *Jo. Gothofr. Lave* in diſputat. ſingulari ad hunc textum Lipſ. 1705.

Verſ.

Verſ. 8. *Ιησῦς Χριςὸς χθὲς κ̣ σήμερον ὁ αὐτὸς*] Ex noſtratibus lege ad hæc diſputationes D. *Chriſtiani Kortholti*, Kilonii 1692. & 1710. *J. G. Dorſchei* de æterna Jeſu Chriſti Majeſtate Argentor. 1643. & D. *Dav. Schwerdtneri*, Lipſ. 1659. Adde illis D. *Godofredi Jungſtii* Exercitat. Sacram de Jeſu Chriſto ſemper eodem, Bremæ 1710. ubi oſtendit, ad eſſentiam, decreta, opera & nomen utrumque reſpici, quorum ratione Chriſtus ſemper *idem* dicatur. Lege præterea *Henr. Morum* in Operibus Theolog. Latin. pag. 238. *Robert. Gell* in Reliquiis anglice editis pag. 723-734. ex noſtratibus autem *V. E. Læſcherum* in Decimis Evangelic. Part. IV. pag. 175. *Alethæum* Tom. II. pag. 515. & Obſervationes Miſcellaneas vernacule editas pag. 284. ſq. nec omitte *Petavium* in Dogmatibus Theolog. Tom. V. lib. VII. cap. II. Judæos voce אמש *heri* de tempore præterito, & היום *hodie*, de tempore præſenti uti, obſervat *Schætgenius* in Horis pag. 1004. *Ariſtophani χθὲς* idem eſt atque *olim* in *Pluto* Act. II. Scen. III. init. *ἄμεινον ἢ χθὲς πράττομεν* & in Ranis Act. II. Sc. VI. fin. *χθές τε κ̣ πρώην nuper & heri procuſi numi.* Vide *Jo. Alberti* pag. 443. & adde *Eraſmi* Adag. XLII. Centur. V. Chil. II. Contra Socinianos, quibus inprimis hic locus opponitur, eum vindicat, ut alios taceam, *Calovius* in Apodixi præexiſtentiæ Filii Dei lib. II. cap. 26. & *Spenerus* in Tractatu vernaculo de Deitate Chriſti pag. 553. ſq. Inter hos nuper *L. M. Artemonius*, ſeu *Samuel Crellius*, in Initio Evangelii S. Joannis reſtituto, pag. 347. notis ita: *Cur dicit* heri? *cur tempus adeo breve ponit? Cur etiam non dicit ἀπ' αἰῶνος, aut ἀπὸ τῶν αἰώνων*, à ſeculo, *aut* à ſeculis? *Quia nempe brevi tempore ante, & Chriſtus ipſe, & ejus poſtea doctrina exiſtere cœperat. Alioquin prout poſuit εἰς τὺς αἰῶνας, tempus adeo longum* in futurum, *ſic etiam longum tempus* in præteritum, *nempe ἀπ' αἰῶνος, aut quid ſimile poſuiſſet.* Sane, cum hæc loquendi ratio omne temporis genus ex uſu Scripturorum indicet, idque adeo Chriſto tribuatur eo modo, ut ſemper idem fuiſſe dicatur, idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus, *ab æterno fuit*, & *in æternum erit.* Quæ quidem aſſertio eo firmatur, quod Chriſtus alibi ante, quam tempus eſſet, exſtitiſſe dicitur.. Nolim cum Rev. *Zeltnero* in notis ad verſionem Lutheri Biblicam pag. 217. hæc ita accipere, quaſi illis Apoſtolus excitet tantum Hebræos, ut qualis Chriſtus ab illis ſit olim agnitus, qualis etiam adhuc hodie agnoſcatur, talis etiam agnoſcatur in poſterum, fide ſcilicet conſtanter ſervata. Id largiar, Dominum h. l. illis ut eundem & immutabilem repræſentari, eo conſilio, ut & ipſi eandem mentem perpetuo præſtent. Huc ſpectat v. 9. ubi jubentur *μὴ περιφέρεσθαι διδαχαῖς ποικίλαις κ̣ ξέναις.*

Verſ. 9. *Διδαχαῖς ποικίλαις καὶ ξέναις μὴ περιφέρεσθε*] *doctrinis variis & peregrinis ne circumferamini*, ſcilicet, tanquam ventis. Verbum enim hoc proprie de navibus dicitur, quæ in mari ventorum vi agitantur & circumferuntur. Sic *Plutarchus* de audiendis Poëmat. pag. 28. *παντὶ λόγῳ πλάγιον ὥσπερ πνεύματι παραδιδόναι ἑαυτὸν* dicit. Vid. *Lamb. Bos* pag. 267.

Conſ.

Conf. ad *Epheſ.* 14. Διδαχαὶ ξέναι quæ ſint , ex Patribus docet *Suicerus* Tom. I. pag. 905. & II. pag. 440.

καλὸν γὰρ χάριτι βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν ] Vide *Starckii* Hebraiſmos pag. 16. *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. pag. 167. & D. *Conr. Mel* Antiquarium, atque hinc Acta Erudit. Lipſienſ. an. 1707. pag. 397.

Verſ. 10-12. cum V. T. oraculis, ad quæ reſpicitur, comparat *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς pag. 666. ſqq.

Verſ. 10. Ἔχομεν θυσιαστήριον κ. τ. λ.] Totum comma exponit *Lightfootus* in Operibus Anglicanis Tom. II. Parte II. pag. 1259-1262. Adde *Cloppenburgium* Tom. I. Opp. pag. 86. *Henr. Hammondum* de Juribus Epiſcoporum pag. 66. & *Dougtæum* Analectis Nov. Teſt. pag. 143. Per θυσιαστήριον ipſe Chriſtus indicatur ex *Apoc.* VI. 9. Ita enim *Chryſoſtomus* & alii, de quibus *Suicerus* Tom. I. pag. 1427. Μετωνυμικῶς vero ita appellatur ex victima, quam in ara crucis obtulit. Confer Rev. *Sal. Deylingii* Obſervatt. Sacras Parte II. pag. 301.

ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν] Tres Codd. omittunt vocem ἐξουσίαν, quam propterea addititiam cum *Eſtio* cenſet *Millius* in Prolegom. Sed vide *Whitbii* Examen pag. 77.

Verſ. 11. Ὧν γὰρ εἰσφέρεται ζώων τὸ αἷμα κ. τ. λ. ] Vide *Hammondum* l. c. p. 67. & *Relandi* Antiquitates Hebraic. pag. 329.

Verſ. 12. Διὸ καὶ Ἰησοῦς ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε ] Lege *Jo. Dougtæi* Analecta N. T. pag. 145. ſqq. & inprimis *Pet. Zornii* Opuſcula Sacra Tom. II. p. 193. ſqq. ubi, cum oſtendiſſet apud Judæos & Romanos ſupplicia de fontibus extra urbem ſumta eſſe, verba hæc amplius illuſtrat, typique & antitypi rationes ediſſerit. Per portam illam urbis Hieroſolymit. *Bernh. Lamius portam eſquilinam* vel *fumariam*, in Apparatu Geographico cap. XIII. §. 3. *Hottingerus* autem in Cippis Hebraic. pag. 16. *portam veterem*, quæ poſtea *porta judicii* dicta ſit, intelligunt. Pro πύλης codex unus, *Barberin.* legit πόλεως, quam vocem *Tertullianus* etiam adverſus Judæos cap. ultimo exprimit, & recte quidem, quod ad ſenſum, judice *Grotio*. Imo ex noſtratibus B. *Oleario* in Analyſi pag. 43. hæc lectio non diſplicet, tanquam quæ reſpondeat τῇ παρεμβολῇ. Abſit vero, ut auctoritate unius Codicis adducti quicquam mutemus, cum ſenſus idem ex recepta lectione naſcatur, quem *Tertullianus* non tam, quod aliter legerit, quam, quod aliud ſignificari non poſſit, expreſſit. Hodienum eum, qui extra civitatem progreſſus eſt, *extra portam* eſſe dicimus. Sic prorſus *Plautus* Milit. Act. II. Sc. IV. *Credo ego iſthoc exemplo tibi eundum eſſe actutum extra portam.*

Verſ. 13. Τοίνυν ἐξερχώμεθα πρὸς αὐτὸν ἔξω τῆς παρεμβολῆς κ. τ. λ.] Explicantur hæc à Rev. *Henr. Scharbau* in Parergis Theolog. Parte II. num. III. pag. 101. *J. Conr. Keslero* in diſput. de ſequendo Jeſu extra portam paſſo Bremæ

Digitized by Google

mæ 1705. & *Lutkenio* in Collegio Biblico pag. 375. Ex hoc loco hircum emiſſarium, de quo Levit. XVI. & qui hic reſpici videtur, quemque alii *Chriſtum*, alii *Judæos* reprobos adumbraſſe exiſtimant, ad Apoſtolos potius & Ex-Judæos, quos Judæi Gentilibus omni modo vexandos tradiderint, referri poſſe exiſtimat *Bernh. Pet. Karlius* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. pag. 225. ſqq. At vereor, ut cuiquam ſententiam ſuam probarit. Particulam τοίνυν, initio ſententiæ collocatam, præter rem *Camerario* ἑβραΐζειν viſam eſſe oſtendit *Stolbergius* in Exercitat. Græc. Ling. pag. 73. Confer *Salmaſ.* de L. Helleniſt. pag. 108.

τὸν ὀνειδισμὸν αὐτοῦ φέροντες] Vide *Amelium* Parte I. der Erörterung pag. 101.

Verſ. 14. Οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν] Civitatem hanc non de inſtabili hac vita, ſed de urbe Hieroſolymorum, tunc adhuc ſtante, ſed non multo poſt cum toto cultu Levitico deſtruenda, accipiendam ſuſpicatur Cl. *Oederus* in Syntagmate Obſervatt. Sacrar. pag. 747. Nec aliter Cl. *Schœtgenius* in Horis pag. 1005. Hieroſolyma πόλιν ait appellari κατ' ἐξοχὴν, quæ, cum cultu Levitico mox deſtruenda, cnm civitate futura permutanda ſuadeatur. Mihi quidem πόλις μέλλουσα de Oeconomia N. T. accipi non poſſe videtur, quæ tunc non amplius erat μέλλουσα, ſed vere exiſtebat, ita, ut qui eam inſtar civitatis ingreſſi eſſent, non jam ξένοι & πάροικοι, ſed συμπολῖται τῶν ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ appellari poſſent.

Simile apud Perſas proverbium frequentari conſtat ex *Chardinii* Itineribus in Perſiam Tom. III. pag. 33. Confer *Maſſoni* Hiſtor. Criticam Reipubl. Liter. Tom. III. pag. 227. ſq. *Schotti* Adagialia Sacra ad h. l. & *Picinelli* Lumina Reflexa pag. 731.

Verſ. 15. Δι' αὐτοῦ οὖν ἀναφέρωμεν θυσίαν αἰνέσεως] De verbo ἀναφέρειν lege *Suicerum* Tom. I. p. 325. qui & pag. 1425. θυσίαν αἰνέσεως ex Patribus interpretatur. In *Vajicra Rabba* Sect. IX. fol. 153. & *Tanchuma* fol. 55. 2. Magiſtri dicunt: *Tempore Meſſiæ omnia ſacrificia ceſſabunt, ſed ſacrificium laudis non ceſſabit. Omnes preces ceſſabunt, ſed laudes non ceſſabunt.* Vide *Schœtgenii* Horas pag. 1005. & *Vitringam* de Vetere Synagoga in Prolegomenis pag. 41.

τουτέστι καρπὸν χειλέων] Plerique, hic ad *Hoſ.* XIV. 3. פרים שפתינו reſpectum habitum ab Apoſtolo fuiſſe exiſtimantes, alias atque alias rationes ingreſſi ſunt, quibus hinc τοὺς LXX. hinc Apoſtolum, qui eorum verſionem retinuiſſe exiſtimatur, cum Hebraico contextu concilient. Vide, quæ hanc in rem dixi in diſſert. de Juvencis labiorum Vitembergæ anno 1711. habita. In ea quidem ita ſtatui, quod Apoſtolus τοὺς LXX. ſimpliciter ſecutus ſit; quod alias quoque pro re nata facit, nec neceſſe putarit, verſionem Græcam, quamvis ab Hebraico diſcrepantem, emendare. Idem ſentire video Cl. *Schœtgenium*



Digitized by Google

*genium* pag. 1006. Video tamen nunc alia ratione, & forte rectius, dictioni Paulinæ conſuli poſſe, ſi dicamus, ad Hoſeæ locum Apoſtolum non reſpexiſſe. Accipe hanc in rem B. *Jo. Henr. Maji* verba ex lib. IV. Obſervatt. Sacrar. pag 61. *Probari*, inquit, *nequit, aut Hoſeam ex Paulo, aut hunc ex illo eſſe exponendum. Neque enim in ſimili verſantur materia, neque ullum adeſt indicium, unde Auctorem epiſtolæ ad Hebræos oraculum Hoſeanum in animo habuiſſe liquido conſtet. Sola profecto phraſis, καρπὸς χειλέων, nondum evincit, quod viri boni vellent, ſiquidem illa & in Proverbiis recurrit c. XXXI. 31. δότε αὐτῇ ἀπὸ καρπῶν χειλέων αὐτῆς. Eſtque ſimilis Hebraica Jeſ. LVII. 19.* נוב שפתים proventus labiorum. *Quæ verba ſi tranſlata comparerent in LXX. virali editione, quis dubitet, per καρπὸν χειλέων fuiſſe reddita? At nunc ea deſideramus. Mea eſt conjectura, uſitatum fuiſſe dicendi genus καρπὸς χειλέων, & ſtilo inprimis Helleniſtarum congruens, ita, ut nec Hoſeæ, nec Davidis, nec Jeſaiæ etiam locum exprimere debuerit volueritque divinus in N. T. Scriptor, liberrime, ſine ullo ad antiquiorum aliquem reſpectu, tritiſſima locutione* verba *circumloquens fructum labiorum.* Convenienter hæc dici puto. Simile quid ad v. 15. capitis ſuperioris vidimus. *Pocockii* de hoc loco ſententiam approbat *Amelius* Parte I. der Erörterung pag. 124. Phraſin ipſam, *καρπὸν χειλέων*, ab Hebraiſmi ſuſpicione contra *Vorſtium* Philolog. Sacr. Part. II. pag. 36. liberat Cl. *Georgius* in Vindicis Nov. Teſt. ab Hebraiſmo pag. 304.

*ὁμολογούντων τῷ ὀνόματι αὐτοῦ*] Et hanc phraſin à ſimili ſuſpicione vindicat idem pag. 128. 275. contra *Vorſtium* l. c. pag. 138. Conf. *Suicerum* Tom. II. pag. 477.

Verſ. 16. *Τῆς δὲ εὐποιΐας καὶ κοινωνίας μὴ ἐπιλανθάνεσθε*] Vide *Immanuelis Weberi* Diſſert. Lipſ. 1683. editam, & in Theſauro Diſputationum Vol. II. recuſam. Phraſi hac Paulum id innuere, quod Judæi גמילות חסדים i. e. *liberalem beneficiorum in alios collationem*, frequenter appellant, exiſtimat *Vitringa* de Vetere Synagoga lib. III. Parte I. c. 12. p. 805. *Quod enim*, inquit, *per unam vocem εὐποιΐα non potuit, id ſupplevit alia voce κοινωνίας, quæ quaſi* retributionem benevolentiæ, *&* reciprocum amoris exercitium *denotat, quod eſt in ſignificatione vocis* גמילות *Quare etiam τὸ* גמילות חסדים *à Cl.* Coccejo (in Lexic. ad v. חסד) *per εὐχαριστίαν redditum eſt, etſi latius pateat. Sumit Paulus κοινωνίας vocem eodem ſenſu in epiſtola ad Corinthios* 2. IX. 13. Idem de phraſi hac ſtatuiſſe *Jac. Rhenferdium*, patet ex Diſſertatione ejus de Decem Otioſis Synagogæ pag. 167. ubi ſe id alibi amplius oſtenſurum pollicetur. De voce *κοινωνία* lege etiam *Suicerum* Tom. II. p. 126. & 128. Elogia, in beneficentiam etiam à Gentilibus collata, habes apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis pag. 731.

*τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ Θεός*] *Vulg.* vertit: *talibus hoſtiis promeretur Deus*, quam verſionem *Beza* barbariei poſtulaverat, defenderat autem *Jo. Vorſtius* in Miſcellaneis Academic. c. VII. pag. 60. confutatur viciſſim à

*Webero*

*Webero* in diſputatione citata. Atque hic quidem cum *Beza*, *Er. Schmidio*, & aliis, εὐαρεστεῖται vertit, *delectatur*. B. *Jo. Henr. Majus* lib. IV. Obſervatt. Sacr. pag. 154. mavult: *ſacrificiis acquieſcit*, vel, *ſacrificia approbat*, ut ſic activam habeat ſignificationem, quamvis formæ ſit paſſivæ, id quod aliis verbis accidere *Er. Schmidius* ad 2 Pet. I. 3. *Grævius* ad *Lucian.* Tom. I. p. 995. & *Vechnerus* lib. I. c. 8. Hellenolexiæ oſtenderint. Confer quæ de hac ſignificatione dicta ſunt ad XI. 5. Contrarium τοῦ εὐαρεστεῖσθαι eſt δυσαρεστεῖσθαι, quo utitur *Polybius* lib. III. c. 8. δυσηρεστοῦντο τοῖς ὑπ' Ἀννίβου πραττομένοις, *facta Hannibalis ipſis diſplicebant*. Vide *Raphelium*. Patrum expoſitiones lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 1236. Laudatus *Majus* p. 155. monet, ſe in Codice quodam Græco hujus epiſtolæ *Uffenbachiano* Sæculi VII. legiſſe εὐεργετεῖται. *Perquam facilis*, inquit, *eſt migratio unius vocis in alteram, ſed non æque dictu facile, quænam alteri præponenda.* Idem τὸ εὐεργετεῖται ſuaviſſime cum τῇ εὐποιΐᾳ καὶ κοινωνίᾳ congruere putat, cum Deus ipſe beneficio affici dicatur in pauperibus *Matth.* XXV. 40. Mihi non dubium eſt, Apoſtolum ſcripſiſſe εὐαρεστεῖται. Verbum enim activum à Paulo in hac epiſtola duplici vice ante adhibetur, nempe XI. 5. & 6. ſicut & λατρεύειν εὐαρέστως XII. 28. exſtat. Idem, ubi de offerendis corporibus noſtris loquitur, θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν & εὐάρεστον τῷ Θεῷ appellat, *Rom.* XI. 1. Hoc vero loco illa phraſi etiam ideo uſus fuiſſe videtur, ut ſubindicaret, victimas & ſacrificia, quæ olim, rite oblata, Deo admodum placuerint, nunc penitus diſplicere, & eorum loco ſpiritualia illa expoſci. Exſtat ad hoc comma ſingularis *Henrici Mori* diſſertatio in *Diſcourſes on ſeveral textes of Scripture*, Londini 1692. 8. editis. In ea p. 360. ſq. inter cetera monet, eleemoſynas ideo ſacrificia Deo accepta dici, ut indicetur, eas ſolius Dei intuitu, ſine ſperato lucro vel gloria, erogandas æque eſſe, ac olim Deo ſoli ſacrificia fuerint oblata. Præterea eleemoſynas comparat cum victimis, molis & libaminibus, holocauſtis item, hoſtiis pacificis & hoſtiis pro peccatis. Confer Acta Eruditor. Lipſienſ. an. 1693. pag. 430. Judæos res varias, quas commendatas eſſe volebant, cum ſacrificiis comparaſſe v. c. pœnitentiam, ſtudium legis, preces & eleemoſynas, &c. oſtendit Cl. *Schœtgenius* pag. 1006. ſq.

Verſ. 17. πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε] Exſtat *Franc. Hare*, Doctoris Theologi, concio in hæc verba Anglicana *Londin.* 1719. 8. edita, & *auctoritatem Eccleſiaſticam vindicatam* ſiſtens. Huic Rev. *Benjamin Hoadley*, Epiſcopus, ſingularem libellum oppoſuit ibid. 1720. 8. excuſum. Utriusque ſcripti ſummam, ſi placet, leges in Bibliotheca Anglicana Gallice edita, Tom. VII. Part. I. pag. 1. ſqq. & pag. 36. ſqq. item in Memoriis Literariis Magnæ Britanniæ Anglice editis T. I. p. 1. ſqq. & T. II. p. 264. ſqq.

De voce ἡγούμενος dixi ſupra ad v. 7. Jam velim notes, quæ de ea erudite commentatur *Vitringa* de vetere Synagoga lib. III. Part. I. p. 647. ubi ex *Servio* ad *Virgil.* Aeneid. III. 13. 14. docet, Latine rectius & ſignificantius per *ductores*, quam *duces* verti; deinde vero oſtendit, eandem cum He-

braico אלוף i. e. *doctor*, quod *Grotius* vult, vel cum נגיד, i. e. *præfectus*, commode quidem conferri poſſe, rectius tamen cum מנהיג comparari. Lege eum, & ipſe judica.

*αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν*] Vide *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. IV. ubi de Hierarchia Eccleſiaſt. lib. III. cap. X. De verbo *ἀγρυπνεῖν* lege *Suicerum* Tom. I. pag. 70. & *Jo. Conr. Dietericum* in Antiquitat. Biblicis N. T. Vol. I. pag. 30.

*ἀλυσιτελὲς γὰρ ὑμῖν τοῦτο*] *Inutile enim hoc vobis eſt*, i. e. per *λιτότητα*, noxium. Vide *Raphelii* Herodoteas pag. 644. Confer, quæ ſcripſimus ad *Philem.* epiſt. v. 11.

Verſ. 18. *ἐν πᾶσι καλῶς θέλοντες ἀναστρέφεσθαι*] Vide *Suicerum* T. I. p. 323.

Verſ. 19. *ἵνα τάχιον ἀποκατασταθῶ ὑμῖν*] *quo eo celerius reſtituar vobis.* Sic *Polybius* pag. 740. *ἀποκατέστησαν αὐτὸν εἰς οἶκον*, *domum ſuam ipſum deduxerunt.* Lege alia loca in *Raphelii* Polybianis pag. 688. Ex hoc quoque loco *W. Wall* in Notis Criticis ad N. T. pag. 317. patere putat, primo quidem, quod epiſtolæ hujus Scriptor non ignotus eſſe voluerit illis, ad quos ſcribebat; deinde vero, quod epiſtola ipſa non ad Ex-Judæos Hieroſolymitanos, ſed eos potius, qui in *Aſia* &c. diſperſi fuerint, ſcripta ſit. Hos enim præ illis cognitos habebat, ad hos etiam iter meditabatur. Confer quæ in hanc ſententiam diximus in Prolegomenis.

Verſ. 20. *Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης κ. τ. λ.*] Vide D. *Andr. Kunadi* diſput. de magni Paſtoris ovium ex mortuis reſurrectione Witteb. 1659. Idem comma una cum ſequenti exponit *Jac. Altingius* Tom. IV. Operum in calce pag. 138-162. nec non *Campeg. Vitringa* in calce commentarii Belgici in epiſt. ad Galatas & Titum pag. 245-262.

*ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν*] Lege *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. IV. ubi de Hierarchia Eccleſiaſt. lib. III. c. VII. §. 12.

*τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν ἐν αἵματι διαθήκης*] Voces *ἐν αἵματι διαθήκης* non ad *ἀναγαγὼν*, ſed ad *τὸν μέγαν* proxime referri debere, cenſet *Trillerus* in Examine locorum quorundam N. T. vernacule edito pag. 19. ſq. Compara vero oppoſitas *Schœnlandi* Vindicias pag. 84. & *Pfeifferi* diſſertationem pag. 32. *Calovius* & *Starckius* idem cum *Trillero* ſentiunt, non præter rem. De *ſanguine fœderis* ex antiquitate diſſerit *Jac. Lydius* de re militari pag. 202.

Verſ. 21. *Καταρτίσαι ὑμᾶς*) Vide *Suicerum* Tom. II. pag. 59.

*εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων*) Voces *τῶν αἰώνων* Codd. nonnulli omittunt, ideoque Editor N. T. Græco-Anglicani in contextu parentheſeos notis incluſit tanquam ſuſpectæ fidei, more quidem ſuo, ſed præter neceſſitatem.

Verſ. 22. *Ἀνέχεσθε τοῦ λόγου*] *Pricæus* legi malebat *ἀντέχεσθε* ut *Tit.* I. 9. Rectius receptam lectionem, perpetuo Codicum conſenſu firmatam, tuetur doctiſſimus *Jo. Alberti* p. 33. Periculi Critici. Sic 2 *Tim.* IV. 3. *τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται.* Paulus ſcilicet vult, ut Hebræi *ferant* & in bonam

nam partem accipiant epiſtolam ſuam, aculeatis ſententiis ſubinde diſtinctam. Hanc Pauli ſententiam eſſe, ex addita ratione, à brevitate literarum petita, intelligitur.

καὶ γὰρ διὰ βραχέων ἐπέστειλα ὑμῖν] Ita *Polybius* pag. 71. διὰ βραχέων καὶ κεφαλαιωδῶς.

Verſ. 23. γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον] i. e. *à vinculis liberatum*. *Millius* quidem in Prolegom. §. 69. Timotheum potius ad certa quædam negotia *dimiſſum* dici, unde ſit rediturus. Id vero putem contrariari receptæ verbi ſignificationi, quæ in Actis Apoſtolicis inprimis frequens eſt. Vide *Act.* III. 13. IV. 21. 23. &c.

μεθ' ὃ (ἐὰν τάχιον ἔρχηται) ὄψομαι ὑμᾶς.] De his verbis vide ſupra in Prolegomenis, pag. 586. ubi inter cetera oſtenſum eſt, in illis egregium argumentum repoſitum eſſe, quo conſtet, Paulum epiſtolam hanc ſcripſiſſe, quam in rem lege ex noſtratibus *Seb. Schmidium* in Prolegomenis ad commentarium in hanc epiſtolam pag. 5. & *Jo. Pearſonum* in Operibus Poſthumis pag. 99. Adde quoque *Witſii* Miſcellanea Tom. II. pag. 202.

Verſ. 24. Ἀσπάσασθε πάντας τοὺς ἡγουμένους ὑμῶν] Vide ſupra ad v. 7. & 17.

Ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας] i. e. *Itali*. Ita *Herodotus*: οἱ ἀπὸ Πελοποννήσου pro οἱ Πελοποννήσιοι. Conf. *Raphelii* Herodoteas ad h. l. & Polybianas ad Matth. XV. 1.

Verſ. 25. Ἀμήν] Cl. *Jo. Alberti* ex Scaligeranis pag. 9. docet, apud Arabas vocem hanc uſurpari, ut Latinum, *explicit*, aut, *finis*. Sed recte addit: *Quod hoc loco, ut non abſurde, ita nec neceſſe.*

Πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου] Subſcriptionem hanc ab ipſo Apoſtolo non eſſe profectam, multa ſunt, quæ perſuadeant. Primo enim à multis Codd. abeſt; deinde in aliis varie effertur; denique per Timotheum miſſa dici non poteſt, cujus ad ſe reditum Paulus, epiſtolam ſcribens, exſpectabat v. 23. & cum quo ipſe potius venturus, quam literas miſſurus erat. Itaque nec probaverim B. *Olearium* in lectione Cod. Alexandr. Πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης τῆς Ἰταλίας acquieſcentem, & à Timotheo literas has perlatas eſſe exiſtimantem. Qui ſubſcriptionem illam addidit, procul dubio voces ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ex verſ. 24. mutuas ſumſit, quibus alius Ῥώμης addidit. Cetera, quæ heic dici poterant, lege apud *Millium*.

PRelum hæc tantum non omnia reliquerant, quando ad manus meas perveniunt *Jac. Peircii*, Angli, Paraphraſis & Notæ in epiſtolam ad Hebræos *Lond.* 1727. 4. Anglice editæ. Illis, ad finem *à Peircio* non perductis, *Joſephus Hallett, jun.* tria poſtrema capita eadem ratione à ſe illuſtrata addidit, præmiſſa etiam in ipſam Epiſtolam hanc Introductione, qua in Scriptorem ejus, & Linguam, qua ſcripta videatur, inquirit. Hæc adeo diligenter & erudite, novis quoque obſervationibus interſperſis, elaborata mihi viſa eſt, ut dignam habuerim, quam Latina civitate donatam lectori h. l. exhiberem. Addidi ad oram animadverſiones ad aſſertiones ejus quasdam, quæ non omni ex parte admitti poſſe, ſed curatiori examini alias ſubjiciendæ videntur. Introductio illa ita inſcribitur:

# CONATUS
## AD
## DETEGENDUM EPISTOLÆ AD HEBRÆOS
### SCRIPTOREM, LINGUAMQUE, QUA SCRIPTA PRIMUM EST, INVESTIGANDAM RELATUS.

NOn quidem prorſus & omni modo neceſſe eſt, ut de utroque hoc momento nobis conſtet. Omnis enim antiquitas in eo conſpirat, quod epiſtola hæc à *Sacro* quodam Scriptore profecta ſit, cujus fide & integritate æque ac illa ceterorum Novi Fœderis Scriptorum niti tuto poſſimus. *Paulus*, enim, *Barnabas*, *Lucas* & *Clemens Romanus* illi ſunt, quorum nomina in hac cauſa appellantur. Quo vero nomine *Pauli* epiſtolas in canonem recepimus, eodem & (a) germana *Barnabæ* ſcripta recipere in canonem debebamus. *Clementis* quoque ſcriptis eadem, quæ *Lucæ* illis, auctoritas competit. (b) Ejusdem enim illi ſunt conditionis: neuter erat Apoſtolus: uterque vero Apo-

(a) Enimvero *Paulus* a *Barnaba* non uno nomine in hoc capite diſtinguitur. *Paulus* enim a Domino ἀμέσως erat vocatus *Act.* IX. 5. 6. & 15. Idem ſe dicere poterat *Apoſtolum, non ab hominibus, nec per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem* Gal. I. 1. Quæ tradebat aliis, *ea a Domino acceperat* 1 *Cor.* XI. 23. Horum, ut alia taceam, nihil de *Barnaba* ex vero dixeris.

(b) Interim veteremEccleſiam cauſas habuiſſe neceſſe eſt, cur*Lucæ* ſcripta, non autem *Clementis* illa, in canonem retulerit. Hujus vero Eccleſiæ auctoritas non parvi in hoc negotio eſt momenti.

Apoſtolorum ſocius & diſcipulus. Volupe tamen, nec minus utile futurum eſt, & Scriptorem epiſtolæ, &, qua uſus eſt, linguam cognitam habere. Hæc cauſa eſt, cur in utrumque argumentum cum maxime inquiram.

## I. De Auctore Epiſtolæ ad Hebræos.

Cum epiſtolæ hujus Scriptori nomen ſuum præfigere non lubuerit, factum eſt, ut aliis atque aliis conjecturis cum adſequendi occaſio daretur. Illi interim, quibus inſcripta eſt, de Scriptore adeo non erant incerti, ut eum potius perſpectiſſimum haberent. Id apparet ex his Scriptoris verbis, quibus & *preces eorum* pro ſe expetit, & eosdem ita cohortatur: *Hoc magis vero moneo vos, ut hoc faciatis, ut eo citius vobis reſtituar. Hebr.* XIII. 18. 19. Quando itaque epiſtolam hanc acceperunt, & Scriptorem cognitum habuerunt, dubitari non poteſt, quin de eo verba ad alios fecerint; nec dubium eſt, quin eorum poſteri ſimiliter eandem notitiam ad reliquos ſuæ ætatis pertulerint.

In veterum Chriſtianorum ſcriptis, quæ quidem ætatem tulerunt, epiſtolæ hujus nulla, niſi ſub finem Sæculi II. à reparata ſalute, mentio exſtat. *Hermas* enim, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Juſtinus Martyr*, *Smyrnenſium* Eccleſia, *Irenæus*, *Theophilus Antiochenus*, *Tatianus*, *Athenagoras*, *Hermias*, *Lugdunenſis* denique Eccleſia ejus non meminerunt. Nonnullis quidem à *Clemente Romano* in epiſtola ad *Corinthios* proprie viſa eſt allegari. At aliter res habet. Omnis enim ratio in eo conſiſtit, quod *Clemens Romanus* duas tresve ſententias & phraſes adhibet, ſimiles illis, quas in epiſtola ad Hebræos legimus. Jam vero non neceſſe eſt, ut credamus, eas ex hac epiſtola mutuas ſumtas eſſe. Quæ enim *Clemens* ſcribit, ea (c) ut *ſua* affert, ſine ullo indicio, quo conſtare poſſit, ea *allegationis* loco habenda eſſe. Verba hæc ſunt: Ἰησῦν Χριςὸν —— —— ὃς, ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης ἀυτῦ, τοσῦτω μείζων ἐςὶν ἀγγέλων, ὅσω διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Γέγραπται γὰρ ὕτως· ὁ ποιῶν τὺς ἀγγέλυς ἀυτῦ πνεύματα, καὶ τὺς λειτυργὺς ἀυτῦ πυρὸς φλόγα

(c) Hæc ratio rem non perſuadet. *Clemens* enim in epiſtolis ſuis etiam alias diſertis Scriptorum Sacrorum phraſibus utitur, non facto ejus, cui inprimis eas debeat, indicio. Ita in 1 ep. ad *Corinthios* §. 3. ait: δἰ τῦ καὶ θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, reſpectu habito vel ad *Rom.* V. 12. vel ad *Sapient.* II. 24. Similiter ibidem §. 1. dicens: ὑποτασσόμενοι τοῖς ἡγυμένοις ὑμῶν, reſpexiſſe videtur ad *Hebr.* XIII. 17. πείθεσθε τοῖς ἡγυμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε. Quando ibidem §. 43. ita ſcribit: ὅπυ καὶ ὁ μακάριος πιςὸς θεράπων ἐν ὅλῳ οἴκῳ Μωυσῆς τὰ διατεταγμένα αὐτῷ πάντα ἐσημειώσατο ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ſine allegata Scriptura; non dubium eſt, eum vel ad *Numer.* XII. 7. vel, quod malim, ad *Hebr.* III. 5. reſpexiſſe. Non dicam, in omni hac epiſtola ita agere *Clementem*, ut ipſa tractandi ratio paſſim oſtendat, Paulinam hanc ipſi exempli quaſi loco ob oculos poſitam fuiſſe. Eodem modo *Ignatium* video in epiſt. ad *Polycarpum* §. 2. afferre illud Domini noſtri dictum: φρόνιμος γίνυ, ὡς ὄφις, ἐν ἅπασιν, καὶ ἀκέραιος, ὡσεὶ περιςερὰ, reſpicientem ſcilicet ad *Matth.* X. 16. quamvis nec Domini noſtri, nec *Matthæi* faciat mentionem. Ita in ep. ad *Epheſios* §. 3. ὑπερηφάνοις, inquit, ὁ θεὸς ἀντιτάσσεται, ſine facta, vel Scripturæ, vel *Petri* 1 ep. V. 5. vel *Jacobi* IV. 6. mentione.

γα (*Pſ.* CIV. 4.) Ἐπὶ δὲ τῷ υἱῷ αὐτοῦ οὕτως εἶπεν ὁ δεσπότης. (*Pſ.* II. 7. 8.) υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. Αἴτησαι παρ' ἐμοῦ, καὶ δώσω σοὶ ἔθνη τὴν κληρονομίαν σου, καὶ τὴν κατάσχεσιν τὰ πέρατα τῆς γῆς. καὶ πάλιν λέγει πρὸς αὐτόν. κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. Cap. XXXVI. Hic *Clemens* Pſalmorum librum triplici vice allegat, epiſtolam vero ad Hebræos prorſus tacet. Nec ullo modo ſignificat, ſe verba hæc ex illa repetiiſſe. Diverſis præterea utitur (d) *phraſibus*, diverſo (e) *ordine*, diverſis itidem (f) *locis* ex V. T. allatis, quod cuique, hunc *Clementis* locum cum illo ad Hebræos I. 3-7. comparanti, patebit. Quod ad *ſententias* attinet, in quibus uterque conſentiunt, fieri poteſt, ut *Clemens* illas ex epiſtola ad Hebræos deſumſerit; ut certum vero affirmari nequit. Æque enim fieri potuit, ut (g) *Clemens* ſæpe audiret Paulum, ea in privatis vel publicis ſermonibus proferentem, iisdemque poſtea ut ſuis uteretur; cujusmodi quid Scriptori cuique alteri uſu venit.

Sæculo II. inclinante diſerta mentio epiſtolæ hujus facta eſt in ſcriptis *Clementis Alexandrini*, & *Tertulliani Carthaginenſis*. Ex horum locorum ſitu, cum Judæa comparato; ubi epiſtola ad Hebræos primum omnium fuit publicata, in proclivi eſt, conjecturam facere. *Clementem* præ *Tertulliano* Auctorem cogni-

(d) In eo momento, ex quo potiſſimum *Clemens* ad *Hebr.* I. 3. reſpexiſſe h. l. recte viſus eſt eruditis, phraſes adeo non diverſæ exſtant, ut, ſi paucas voces exceperis, eædem potius exſtent. *Paulus* ita: ὁ ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης - - - - τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον παρ' αὐτοὺς κεκληρονόμηκεν ὄνομα. *Clemens* ſic: ὃς, ὢν ἀπαύγασμα τῆς μεγαλωσύνης αὐτοῦ, τοσούτῳ μείζων ἐστὶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν. Pro δόξης hic legis μεγαλωσύνης, ſed hæc vox in eodem commate tertio apud Paulum tanquam ἰσοδύναμος legitur. Loco Paulini κρείττων apud *Clementem* habes μείζων. Interim phraſin integram, quam alibi in Scripturis non inveneris, ὅσῳ διαφορώτερον ὄνομα κεκληρονόμηκεν, retinuit *Clemens*. Fierine, quæſo, poteſt, ut eam aliunde, quam à Paulo mutuam ſumtam eſſe credamus? Exigua, quæ alias inter utrumque intercedit, differentia ex eo nata eſt, quod *Clemens* orationis ſuæ ſeriem nonnihil aliter inſtrueret

(e) Ordo in duobus Scripturæ locis allatis, ab utroque obſervatus, non niſi eo differt, quod, quem locum Paulus priorem affert, eum poſteriorem *Clemens* faciat, utrumque interim ad eandem aſſertionem probandam adhibens.

(f) Iisdem ſane *Clemens* locis utitur, quod *Paulus* ex Pſalmis affert; ſed non omnibus, & uno longiore. Hoc vero nihil aliud indicat, quam, quod *Clemens* argumentationem Paulinam in ſummam & compendium retulerit.

(g) Epiſtolam ad *Hebræos Clementis* ætate exſtitiſſe largitur *Halletus*. Argumentationem, ſeu ſententias Pauli eſſe non negat: phraſin autem non tam ex epiſtola ipſa, quam ex ſermonibus Pauli hauſtam eſſe contendit. Judicet lector, an non prius illud ſit probabilius. Theſis Pauli primaria hæc eſt: τοσούτῳ κρείττων γενόμενος τῶν ἀγγέλων, ὅσῳ διαφορώτερον κεκληρονόμηκεν ὄνομα. Hæc Apoſtoli verbis concepta eſt, quemadmodum loci Davidici ad eam probandam idonei, ex verſione τῶν LXX. petiti ſunt. Clemens theſin illam primariam iisdem Pauli verbis exprimit, & locis præterea iisdem utitur. Nonne in proclivi eſt, credere, Clementem illa ex epiſtola potius ſcripta, quam ex ſermonibus Paulinis in memoriam ſibi revocaſſe? Itane Clemens propoſitionem Apoſtoli, etiam quod ad verba, itane locos eo pertinentes mente ſervare poterat, ut tanta utrinque convenientia appareat?

cognitum habere potuiſſe, cum *Alexandrina* 260. tantum milliaribus ab urbe Hieroſolymorum diſtet, quando *Carthago* 1400. & amplius ab eadem eſt remota. Veri quoque ſit ſimile, epiſtolam hanc *Alexandria Carthaginem* perlatam fuiſſe.

*Clemens Alexandrinus* illam frequenter, ut *Pauli*, affert. Verba hæc ſunt: Παῦλος —— *τοῖς Εβραίοις γράφων* —— *Η πάλιν, φησὶ, χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς τίνα τὰ ςοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, κ. τ. λ.* Stromatum lib. VI. pag. 645. Pariſ. 1641. Vide etiam pag. 420. 514. Compara *Hebr.* V. 12. *Euſebius* auctor eſt, *Clementem* in Hypotypoſibus ſuis (quæ nunc quidem non exſtant) ita ſtatuere: *τὴν πρὸς Εβραίους ἐπιςολὴν Παύλου μὲν εἶναί φησι* (Κλήμης) *γεγράφθαι δὲ Εβραίοις Εβραϊκῇ φωνῇ. Λουκᾶν δὲ φιλοτίμως αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα ἐκδοῦναι τοῖς Ελλησιν.* Hiſt. Eccleſ. lib. VI. cap. 14. *Pauli quidem epiſtolam eſſe* (Clemens) *ait, inſcriptam vero Hebræis lingua Hebraica: Lucam autem cum cura translatam Græcis dediſſe.* Ab altera parte *Tertullianus*, qui eadem, qua *Clemens Alexand.* ætate & vixit & ſcripſit, epiſtolam ad Hebræos, ſine ulla dubitantis ſpecie, tanquam a *Barnaba*, Pauli comite, profectam, allegat. *Exſtant enim*, inquit, *& Barnabæ titulus ad Hebræos.* —— *Monens itaque diſcipulos* —— *Impoſſibile eſt enim*, inquit, *eos, qui ſemel inluminati ſunt, & donum cæleſte guſtaverunt*, &c. de Pudicitia, cap. XX. Vide *Hebr.* VI. 4. Jam quæritur, uter horum audiri præ altero debeat? Non poſſum non, fateor, pro eo ſtare, quod *Clemens Alexandrinus* tradidit, tum, quod, (ceu modo obſervavimus) Judææ propior, quam *Tertullianus* vixit; tum, quod *Tertullianus* unus eſt, qui *Barnabæ* epiſtolam hanc adſcribit, nullum in antiquitate Scriptorem aſſeclam nactus. *Communis*, *unanimis* nec *interrupta* traditio veterum, Paulum epiſtolæ Scriptorem credere jubet.

Ex veteribus Eccleſiæ Scriptoribus tres (præter *Tertullianum*) exſtant, qui *Pauli* eſſe negarunt.

Inter hos *Irenæus* (quem *Cavius* in A. C. CLXVII. refert) primus commemoratur. *Stephanus Gobarus*, à *Photio* allegatus, hujus rei auctor eſt. Verba ejus ad *Photium* Cod. CCXXXII. pag. 904. ed. Rothomag. 1653. hæc ſunt: Οτι Ιππόλυτος καὶ Ειρηναῖος τὴν πρὸς Εβραίους ἐπιςολὴν Παύλου, οὐκ ἐκείνου εἶναί φασι. *Hippolytus & Irenæus epiſtolam Pauli ad Hebræos, ipſius eſſe inficiatur.* Hæc vero narratio fidem non meretur, quod *Hieronymus* (qui ad *Irenæum* propius quam *Stephanus Gobarus* accedit) diſerte teſtatur, epiſtolam ad Hebræos tanquam Paulinam, a Græcis Scriptoribus omnibus eſſe receptam. Vide paulo poſt. Quod ſi *Irenæus*, qui Græce ſcripſit, Pauli eam eſſe unquam negavit, *Hieronymus* id ignorare non potuit, quippe cui *Irenæi* ſcripta ita erant cognita, ut in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* longe plura, quam quæ hodie exſtant, attulerit. Si vero *Hieronymus* ſciviſſet, *Irenæum* id negaſſe, mentionem ejus omnino facturus, cumque ex ceterorum numero ex-

Kkkkk ceptú-

cepturus erat, quando ſcribit, Scriptores Græcos illam, ut *Pauli* recepiſſe. Una fortaſſe ratio, cur *Stephanus Gobarus Irenæum*, tanquam negantem, affert, in eo fuit poſita, quod in operibus, quæ *Stephanus* legit, illius mentionem nusquam fecit, quemadmodum illa in libris *Irenæi*, hodie exſtantibus, non occurrit. Interim certum eſt, eum illius in opere, hodie deperdito, *diſſertationes varias*, h. e. Miſcellanea, complexo, meminiſſe. *Euſebius* Miſcellanea hæc affert, aitque, *Irenæum* aliquot epiſtolæ ad Hebræos loca in iis recitare. *Βιβλίον τι διαλέξεων διαφόρων, ἐν ᾧ τῆς πρὸς Εβραίους ἐπιςολῆς, καὶ τῆς λεγομένης Σοφίας Σολομῶντος μνημονεύει, ῥητά τινα ἐξ αὐτῶν παραθέμενος.* Hiſt. Eccleſ. V. 26. ubi notari velim, voces, *διαλέξεων διαφόρων*, ab *Hieronymo* in *Catal. Scriptor. Eccleſiaſt.* recte per *variorum tractatuum*, non autem, ut *Valeſius* fecit, per *variarum diſputationum* converſas eſſe.

*Cajus*, ſeu *Gaius*, (A. D. 210.) Eccleſiæ Romanæ Presbyter; ab *Euſebio* & *Hieronymo* in medium affertur, tanquam qui epiſtolas Pauli tantum *tredecim* recitet, atque illam ad Hebræos inter eas non numeret. *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. VI. 20. ita: *Γάϊος —— τῶν τοῦ ἱεροῦ ἀποςόλου δεκατριῶν μόνων ἐπιςολῶν μνημονεύει, τὴν πρὸς Εβραίους μὴ συναριθμήσας ταῖς λοιπαῖς.* *Hieronymus* autem, in *Cat. Scriptor. Eccleſ.* ſub voce *Gaius*: *Gaius* —— epiſtolas Pauli tredecim tantum enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, non ejus dicit.

*Hippolytus* (A. D. 220.) *Irenæi* diſcipulus, hac occaſione itidem commemoratur. *Stephanus Gobarus* apud *Photium* l. c. auctor eſt, *Hippolytum* illam ad *Hebræos* epiſtolam Pauli eſſe negaſſe. *Photius* quoque ipſe *Hippolytum* affert, dicentem, epiſtolam ad *Hebræos* non eſſe *Pauli*. *Ιππόλυτος —— λέγει —— ὅτι ἡ πρὸς Εβραίους ἐπιςολὴ οὐκ ἔςι τοῦ Αποςόλου Παύλου.* Cod. 121. pag. 301.

Relatum legimus præter *tres* illos, *Eccleſiam Romanam* & Scriptores quosdam *Latinos* eam, ut *Pauli*, non admiſiſſe. *Euſebius* Hiſt. Eccl. III. 3. ait: *Οτι γε μήν τινες ἠθετήκασι τὴν πρὸς Εβραίους πρὸς τῆς Ρωμαίων ἐκκλησίας, ὡς μὴ Παύλου οὖσαν αὐτὴν ἀντιλέγεσθαι φήσαντες, οὐ δίκαιον ἀγνοεῖν.* Addit idem lib. VI. cap. 20. *Επεὶ καὶ εἰς δεῦρο παρὰ Ρωμαίων τισὶν οὐ νομίζεται τοῦ Αποςόλου τυγχάνειν.* Suffragatur his *Hieronymus* ep. 129. ad Dardanum: *Latinorum conſuetudo non recipit in Scripturas Canonicas epiſtolam ad Hebræos.* Ex *Philaſtrio* Hæreſi 41. in Bibliotheca Patrum Tom. IV. col. 22. Pariſ. 1624 ſequentia diſcimus: *Sunt alii quoque, qui epiſtolam Pauli ad Hebræos non aſſerunt eſſe ipſius, ſed dicunt, aut* Barnabæ *eſſe Apoſtoli, aut* Clementis *de urbe Roma Epiſcopi.* *Auguſtinus* ita: *Epiſtola, quæ inſcribitur ad* Hebræos: *quam plures Apoſtoli* Pauli *eſſe dicunt, quidam vero negant:* de Civitate Dei XVI. 22. Lugd. 1561. De his teſtimoniis duo ſunt annotanda. Primum quidem, quod *Latini* ſecundum *Euſebium* & *Hieronymum* epiſtolam illam non Sacro alicui Scriptori tribuerint, ſed Canonicæ Scripturæ partem eſſe negarint. Itaque Romanæ Eccleſiæ teſtimonium adhiberi non poteſt ab illis, qui ſtatuunt, epi-

Digitized by Google

epiſtolam ad Hebræos à *Barnaba* vel *Luca* ſcriptam eſſe. Deinde vero, quod idem *Hieronymus* teſtatum reliquit, quod, quamvis ſua ætate Eccleſia *Romana* epiſtolam hanc repudiarit, ſuperioribus tamen Sæculis ab eadem tanquam *Pauli* fuerit recepta. *Illud*, inquit, *noſtris dicendum eſt, hanc epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi- — Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas — & tamen nos ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerumque* (ejus) *abutuntur teſtimoniis, non, ut interdum, de apocryphis facere ſolent, — ſed quaſi canonicis & Eccleſiaſticis.* Dardano ep. 129. Quando *omnes retro Eccleſias* eam ait recepiſſe, *Romanam* illam *veterem* non excipit; & dum *univerſalem* illam receptionem *Romanæ recentioris* conſuetudini opponit, idem eſt, ac ſi diſerte moneret, Eccleſiam illam particularem *olim* eam recepiſſe. Ita teſtimonium hoc parum admodum valet, ut credamus, Paulum ejus Scriptorem non eſſe. Omne enim ejus robur in eo conſiſtit, quod ſecum fert ſententiam *Eccleſiæ Latinæ recentioris*, à *quatuor* Scriptoribus particularibus firmatam. *Tertullianus* Scriptor Latinus erat: *Gaius* vero Eccleſiæ *Romanæ* Presbyter. *Irenæus Lugduni* in *Gallia* vivebat: *Hippolytus* autem, *Cavii* Hiſt. Liter. pag 67. judicio, extremos vitæ ſuæ annos *Romæ* agens, diem, vel ibi, vel ſaltem in *Italia* obiit. Confer *Dupinium*, in vita Hippolyti nota b. Vol. I. pag. 87. Hoc itaque argumentum parvi erit ponderis, ſi comparetur cum illo, quod pro altera parte pugnat.

*Clemens Alexandrinus* (A. D. 192.) jam commemoratus eſt. Reliquos, qui intra quatuor priora Sæcula epiſtolam ad Hebræos, tanquam Paulinam, allegant, eo ordine excitabimus, quo in *Cavii* Hiſtoria Literaria collocantur.

*Origenes* (A. D. 230.) *Clementis Alexandrini* diſcipulus, ſæpe eam tanquam Pauli affert. Inter cetera enim Comment. in Johan. pag. 56. edit Huetii, Rothomag. 1668. ita: Ἐν τῇ πρὸς Ἑβραίους ὁ αὐτὸς Παῦλός φησιν, Ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ κ. τ. λ. Confer pag. 22. 58. & 416. Adde eundem contra Celſum pag. 143. Philocal. pag. 10. *Cantabrig.* 1677. de Oratione pag. 89. 97. &c. *Oxon.* 1686. *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. VI 25. ita: Περὶ τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολῆς ἐν ταῖς εἰς αὐτὴν ὁμιλίαις ταῦτα διαλαμβάνει (ὁ Ὠριγένης) ὅτι ὁ χαρακτὴρ τῆς λέξεως, τῆς πρὸς Ἑβραίους ἐπιγεγραμμένης ἐπιστολῆς, οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγῳ ἰδιωτικὸν τοῦ Ἀποστόλου, ὁμολογήσαντος ἑαυτὸν ἰδιώτην εἶναι τῷ λόγῳ, τουτέστι τῇ φράσει. Ἀλλά ἐστιν ἡ ἐπιστολὴ συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα· πᾶς ὁ ἐπιστάμενος κρίνειν φράσεων διαφορὰς ὁμολογήσαι ἄν. —— Ἐγὼ δὲ ἀποφαινόμενος εἴποιμ' ἄν, ὅτι τὰ μὲν νοήματα τοῦ Ἀποστόλου ἐστὶν ἡ δὲ φράσις καὶ ἡ σύνθεσις ἀπομνημονεύσαντός τινος τὰ Ἀποστολικά, καὶ ὥσπερεὶ σχολιογραφήσαντος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου. Εἴ τις οὖν ἐκκλησία ἔχει ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ὡς Παύλου, αὕτη εὐδοκιμείτω καὶ ἐπὶ τούτῳ. Οὐ γὰρ εἰκῆ

οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παύλου αὐτὴν παραδεδώκασι. Τίς δὲ ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, τὸ μὲν ἀληθὲς Θεὸς οἶδεν. Η δὲ εἰς ἡμᾶς φθάσασα ἱστορία ὑπό τινων μὲν λεγόντων, ὅτι Κλήμης ὁ γινόμενος Επίσκοπος Ρωμαίων ἔγραψε τὴν ἐπιστολήν· ὑπό τινων δὲ, ὅτι Λουκᾶς, ὁ γράψας τὸ Ευαγγέλιον, καὶ τὰς πράξεις. Id eſt, interprete *Valeſio*: *Denique de epiſtola ad Hebræos in Homiliis, quas in eandem epiſtolam conſcripſit, ita ſentit: ſtilum epiſtolæ, quæ inſcribitur ad Hebræos, carere illa ſermonis ruſticitate, quæ propria eſt Apoſtoli; quippe qui rudem atque imperitum ſeſe confitetur in ſermone, i. e. in forma ac ratione dicendi. Verum epiſtola illa in verborum compoſitione majorem præfert Græci ſermonis elegantiam, ut fatebitur, quiſquis de ſtili differentia perite judicare poteſt.* Et poſt pauca: *Ego vero ita cenſeo: ſententias quidem ipſas Apoſtoli eſſe, dictionem autem & compoſitionem verborum eſſe alterius cujuſdam, qui dicta Apoſtoli commemorare, & quaſi in commentarios redigere voluerit ea, quæ a Magiſtro audiverat. Proinde, ſi qua eccleſia hanc epiſtolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temere majores eam Pauli eſſe tradiderunt. Quis autem revera illam ſcripſerit, ſoli Deo notum eſſe opinor. Sed Scriptores, quorum monumenta ad nos uſque pervenerunt, partim Clementi, Romanæ urbis Epiſcopo, eam adſcribunt, partim Lucæ, qui Evangelium & Actus Apoſtolorum prodidit.* Ex his manifeſtum eſt, cauſam, cur *Origenes ſtructuram*, & *dictionem* Pauli non eſſe crediderit, in eo poſitam eſſe, quod *differentiam ſtili manifeſtam* inter hanc & reliquas Pauli epiſtolas non dubias ſibi obſervare videbatur, cum illa ad Hebræos majorem Græcæ linguæ elegantiam & nitorem præferat. Quantacunque vero quod ad ſtilum ſit differentia, non tamen neceſſe eſt, ut *Origeni* aſſentiamur, *ſententias* tantum Paulo vindicanti, quas alius aliquis ex memoria literis conſignarit. Eadem enim ſtili dictioniſque diverſitas ex eo poteſt derivari, quod *Clemens Alexandrinus* tradit, Apoſtolum nempe eam *Hebraice* ſcripſiſſe, quam *Græcam* alius fecerit. Teſtimonium antiquitatis, ab *Origene* allatum, *privatæ* ejus *opinioni* & *argumentis* præferri meretur. Et quemadmodum ille expreſſe docet, veteres eam inter Paulinas numerare; ita patet quoque, eundem multum huic teſtimonio tribuiſſe, quoniam impetrare a ſe non potuit, ut illud pro falſo haberet, quamvis ab hac ſuſpicione non alienus fuiſſe videatur. Difficile ſcilicet ipſi videbatur, teſtimonium illud cum ſtilo epiſtolæ aliiſque illorum, qui *Clementem* aut *Lucam* Scriptorem venditabant, teſtimoniis conciliare. Malebat igitur precariam illam, quam diximus, conjecturam facere, quam judicium antiquitatis, *Paulo epiſtolam hanc vindicantis*, ſpernere. Certum itaque eſt, Eccleſias & Scriptores, quos *Origenes* appellare *antiquos* poterat, in eo conſenſiſſe, quod *Paulus* epiſtolam ad *Hebræos* literis tradiderit. Hoc vero eorum in argumento hiſtorico teſtimonium non poteſt non magni ponderis cenſeri, quoniam illos, qui reſpectu *Origenis* veteres dici poterant, vel cum Apoſtolis ipſis, vel ſaltem cum proximis eorum ſucceſſoribus verſatos fuiſſe neceſſe eſt.

*Alexan-*

*Alexander Alexandrinus* (A. D. 313.) epiſtolam ad Hebræos ita allegat: ἀλλὰ ὡς ὁ Απόςολος, Ιησοῦς Χριςὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. Apud *Socratis* Hiſtoriam Eccleſ. lib. I. cap. 6. pag. 12. Mogunt. 1677. Vide *Hebr.* XIII. 8. Dubitari non poteſt, Paulum ab eo ſignificari, quippe quem paulo poſt *Apoſtolum* vocat pag. 13. Expreſſiora vero hæc ſunt: Παῦλος φάσκων περὶ αὐτοῦ· Ον ἔθηκε κληρονόμον πάντων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε. Apud *Theodoritum* Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. 4. pag. 13. Mogunt. 1679. Vide *Hebr.* I. 2.

*Euſebius Cæſarienſis* in Judæa (A. D. 315.) ſuam ſententiam ita expromit: Τοῦ δὲ Παύλου πρόδηλοι καὶ σαφεῖς αἱ δεκατέσσαρες (ἐπιςολαί.) Οτι γε μέν τινες ἠθετήκασι τὴν πρὸς Εβραίους, πρὸς τῆς Ρωμαίων ἐκκλησίας, ὡς μὴ Παύλου οὖσαν αὐτὴν ἀντιλέγεσθαι φήσαντες, οὐ δίκαιον ἀγνοεῖν. Καὶ τὰ περὶ ταύτης δὲ τοῖς πρὸ ἡμῶν εἰρημένα κατὰ καιρὸν παραθήσομαι. *Sciendum tamen eſt, epiſtolam ad Hebræos à nonnullis ideo eſſe repudiatam, quod dicerent, eam ab Eccleſia Romana pro certa & genuina Pauli epiſtola non haberi. Sed de iſta quidem quid Veteres tradiderint, ſuo tempore proferemus.* Hiſtor. Eccleſ. III. 3. Convenienter his in ſequentibus tradit, quæ quod ad hanc epiſtolam ex *Clementis Alexandrini* & *Origenis* ſcriptis didicerat, quod ex ſuperioribus patet. *Euſebius* ibidem cap. XXXVIII. hæc addit: ἐν ᾗ (ἐπιςολῇ τοῦ Κλήμεντος) τῆς πρὸς Εβραίους πολλὰ νοήματα παραθεὶς, ἤδη δὲ καὶ αὐτολεξεὶ ῥητοῖς τισιν ἐξ αὐτῆς χρησάμενος, σαφέςατα παρίςησιν, ὅτι μὴ νέον ὑπάρχει τὸ σύγγραμμα. Οθεν εἰκότως ἔδοξεν αὐτῷ τοῖς λοιποῖς ἐγκαταλεχθῆναι γράμμασι τοῦ Αποςόλου. Εβραίοις γὰρ διὰ τῆς πατρίου γλώττης ἐγγράφως ὡμιληκότος τοῦ Παύλου, οἱ μὲν τὸν Ευαγγελιςὴν Λουκᾶν, οἱ δὲ τὸν Κλήμεντα τοῦτον αὐτὸν ἑρμηνεῦσαι λέγουσι τὴν γραφήν. Ο καὶ μᾶλλον εἴη ἂν ἀληθὲς, τῷ τὸν ὅμοιον τῆς φράσεως χαρακτῆρα τήν τε τοῦ Κλήμεντος ἐπιςολὴν καὶ τὴν πρὸς Εβραίους ἀποσώζειν, καὶ τῷ μὴ πόῤῥω τὰ ἐν ἑκατέροις τοῖς συγγράμμασι νοήματα καθεςάναι. *In qua* (Clementis Epiſtola) *cum multas inſerat ſententias, deſumtas ex epiſtola ad Hebræos, iiſdemque interdum verbis utatur, ſatis indicat, opus illud nequaquam recens eſſe. Quamobrem cum reliquis Apoſtoli ſcriptis non ſine cauſa hoc etiam recenſitum videtur. Cum enim ad Hebræos patrio ſermone ſcripſit Paulus, alii Lucam Evangeliſtam, alii hunc, de quo loquimur, Clementem, epiſtolam illam eſſe interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cum præſertim & Clementis & illa ad Hebræos epiſtola eundem habeat ſtilum, nec utriusque ſcripti ſententiæ valde inter ſe diſcrepent.*

*Athanaſius Alexandrinus* (A. D. 326.) in libris ſuis, procul dubio germanis, epiſtolam ad Hebræos, tanquam Pauli, frequenter advocat. Ita in libro de Incarnat. verbi Dei Tom. I. pag. 55. Pariſ. 1627. Οπερ καὶ ὁ Παῦλος σημαίνων φησί. Πίςει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι θεοῦ. *Hebr.* XI. 3. Conf. Epiſt. ad Serapion. pag. 180.

Auctor *Synopſis Scripturæ*, quæ inter *Athanaſii* ſcripta exſtat, non eſt cognitus: itaque definire non poſſum, quo loco illa ſecundum temporis ſeriem collocari debeat. Cum vero liber ipſe pro *antiquo* habeatur, & ab eruditorum nonnullis *Athanaſio* ipſi tributus ſit, non alienum ab hoc loco eſt, videre, quidnam in eo de argumento noſtro ſtatuatur. Verba ejus hæc ſunt: Παύλου Ἀποστόλου ἐπιστολαὶ ιδ. πρώτη ἡ πρὸς Ῥωμαίους, —— δεκάτη, ἡ πρὸς Ἑβραίους. *Pauli Apoſtoli XIV. exſtant epiſtolæ, quarum prima eſt ad Romanos — decima vero ad Hebræos.* Vide *Athanaſii* Opera Tom. II. p. 60. 61.

*Cyrillus Hieroſolymitanus*, (A. D. 350.) ex epiſtola ad Hebræos locum afferens: ὥσπερ ἀλλαχοῦ, inquit, λέγει ὁ αὐτὸς Παῦλος· καὶ παρακαλεῖτε ἑαυτοὺς καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται. *Alibi idem Paulus ait: exhortamini vos invicem quotidie, quoad* hodie *dicitur.* Vide *Hebr.* III. 13.

*Hilarius Pictavienſis* in *Gallia* (A. D. 354.) epiſtolam hanc ita allegat: *Paulus ad Hebræos dixerit:* Tanto melior factus Angelis, quanto excellentius ab his poſſidet nomen: ex *Hebr.* I. 4. Vide *de Trinitate* lib. IV. pag. 36. Baſil. 1570.

*Lucifer Calaritanus* in *Sardinia*, (A. D. 354.) teſtimonium addit his verbis: *Paulus dicit ad Hebræos*: Et Moſes quidem fidelis in tota domo ejus, tanquam ſervus &c. *Hebr.* III. 5. *De non convertendis Hæreticis, in Biblioth. Patrum* Tom. IX. *col.* 1054.

*Hilarius* Romanæ Eccleſiæ Diaconus, (A. D. 354.) epiſtolam hanc tanquam Apoſtoli aliquoties allegat: *Et*, inquit, *ut Apoſtolus ſignificaret, quis intelligendus eſſet per Melchiſedech, adjecit:* Sine dubio enim, ait, quod minimum eſt, a meliore benedicitur. *Hebr.* VII. 7. *Quæſt. Vet. & Nov. Teſtam.* inter Opera Auguſtini Tom. IV. Part. II. Quæſt. 108 pag. 144. Vide antea eadem pagina, & pag. 145. 147. Quod vero *Apoſtoli* nomine *Paulum* ſignificet, dubitari nequit ex eo, quod reliquas ejuſdem Apoſtoli epiſtolas eadem ratione ad partes vocat. Vide ibid. Quæſt. 108. pag. 148. Quæſt. 110. p. 152. & paſſim.

*Victorinus*, ad Eccleſiam *Romanam*, teſte *Auguſtino* lib. VIII Confeſſionum cap. 2. pertinens, (A. D. 362.) ita: *Lectum apud Paulum ad Hebræos de Chriſto*, qui eſt character ſubſtantiæ ejus. (*Hebr.* I. 3.) Vide *adv. Arium* lib. II. Biblioth. Patrum Tom. IV. col. 220.

*Epiphanius*, (A. D. 368.) in Judæa natus & eductus, quam, cum *Cypri* ageret Epiſcopum, interdum adibat, Hæreticos quoſdam aſſerit, ita ſtatuentes: περὶ αὐτοῦ δὲ τοῦ Μελχισεδὲκ φασιν, ὅτι ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, ἐκ τῆς πρὸς Ἑβραίους τοῦ Παύλου ἐπιστολῆς παριστᾶν βουλόμενοι. *De Melchiſedeco vero ipſo ſtatuunt, quod ſine matre, ſine patre, ſine poſteris, fuerit. idque ex Pauli epiſtola ad Hebræos* (VII. 3.) *adſtruere conantur.* Vide Hæreſ. LV. Melchiſed. cap. 1. pag. 468. Tom. I. Colon. 1682. Hic Lector, velim, obſervet, *Epiphanium* eo loco Apoſtolo non contradixiſſe. Id enim tantum ſibi vult, quod

quod Hæretici illi verba Apoſtoli prave acceperint, perſuaſi, *Melchiſedecum* nunquam Patrem vel matrem habuiſſe; cum tamen Apoſtoli mens iſta potius ſit, *Epiphanio* recte monente, *quod mentio eorum in S. Scriptura non fiat.* Τὸ δὲ ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ȣ̓ διὰ τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν πατέρα ἢ μητέρα, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ κατὰ τὸ φανερώτατον ἐπωνομάσθαι. Ibib. c. II.

*Ephrem Syrus* (A. D. 370.) epiſtolam ad Hebræos ita allegat: *Idemque alio in loco Paulus:* Vivus eſt, (inquit,) ſermo Dei, & efficax &c. *Hebr.* IV. 12. *Confeſſ. Tom. III.* p. 607. *edit. Voſſ. Colon.* 1616.

*Baſilius* (A. D. 370.) in Judæa primum educatus, poſtea, *Cappadociæ* Epiſcopus, nuſquam, quoad mihi quidem conſtat, vel *Paulum*, vel alium quemque, tanquam Scriptorem epiſtolæ ad Hebræos, nominatim appellat; interim tamen (quod ad noſtrum inſtitutum ſufficit,) eandem, ut Apoſtoli, in medium affert. Verba ejus hæc ſunt: Ὁ Ἀπόςολος λέγει, ὅτι προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, καὶ πόλει Θεȣ̃ ζῶντος, Ἰερȣσαλὴμ ἐπȣρανίῳ κ. τ. λ. (*Hebr.* XII. 22.) Homil. in Pſ. XIV. Tom. I. pag. 129. Pariſ. 1638. Confer Homil. XXVII. pag. 522. Conſtit. Monaſtic. cap. 22. Tom. II. pag. 789. Epiſt. 43. Tom. III. pag. 68. Eadem vero ratione *Baſilius* ceteras *Pauli* epiſtolas, ſine nomine ejus diſerte appellato, producit. Vide Comment. in Jeſaiam Tom. II. p. 63. Conſtit. Monaſtic. cap. 1. pag. 749. cap. 7. pag. 770. & alibi paſſim. Hæc quidem ſuffecerint, ut intelligatur, *Baſilium Paulum* pro Scriptore epiſtolæ ad Hebræos habuiſſe. Interim non omittendum eſt, *S. Paulum* libro IV. adverſus Eunomium, qui ſub *Baſilii* nomine exſtat, tanquam epiſtolæ hujus Scriptorem expreſſe afferri. Verba hæc ſunt: Ὁ Παῦλος (βοᾷ) Ὁς ὢν ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ, Ὃς ἐν μορφῇ Θεȣ̃ ὑπάρχων Tom. I. pag. 762. Vid. *Hebr.* I. 3. & *Philip.* II. 6. Interim non innitor admodum huic teſtimonio, cum multum diſputetur, num quartus & quintus liber adverſus Eunomium a *Baſilio* ſint exarati. *Dupinius* germanos eos eſſe exiſtimat, quia ut tales a *Græcis* & *Latinis* in Concilio Florentino A. D. 1439. adferantur. Ab altera parte *Cavius* non præter rationem dubius eſt, ideo, quod in antiquiſſimis quibusque Codicibus non leguntur, nec à *veterum* ullo excitantur

Præterea ſcire velim lectorem, *Baſilium* in libro *de Spiritu Sancto*, qui *Amphilochio* inſcriptus eſt, epiſtolam ad Hebræos a reliquis ſcriptis Pauli videri diſtinguere. Verba hæc ſunt: Παύλȣ ἐν πνεύματι διαμαρτυραμένȣ περὶ Χριςȣ̃, ὅτι ἐςὶν ἐν δεξιᾷ τȣ̃ Θεȣ̃ καὶ τȣ̃ Πατρὸς λέγοντος· Κάθȣ ἐκ δεξιῶν μου καὶ τȣ̃ ἁγίȣ Πνεύματος μαρτυρȣ̃ντος, ὅτι ἐκάθισεν ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης τȣ̃ Θεȣ̃. i. e. *Paulo in Spiritu profitente de Chriſto*, quod ſit ad dextram Dei, *& Patre dicente:* Sede ad dextram meam. *Et Spiritu S. teſtante*, quod conſedit ad dextram majeſtatis Dei. Vide in calce capitis VI. Tom. II. pag. 303. 304. Ubi notandum eſt, quod, quamvis *Eraſmus* & *Cocus* in Cenſura quorundam Scriptorum pag. 126. &c. extremam hujus libri partem a *Baſilio* ſcriptam eſſe negent, ab omnibus tamen prima quatuordecim capita eidem accepta ferantur.

tur. Ceterum in his verbis locus prior ex *Rom.* VIII. 34. poſterior vero ex *Hebr.* I. 3. recitatur. Quæri itaque poteſt, cur *Baſilius* non hunc æque ac alterum ſub *Pauli* nomine laudet? Nonne id facturus fuiſſet, ſi epiſtolam ad Hebræos a Paulo profectam eſſe crediſſet? Sed id quidem non ſequitur. *Baſilio* Paulum epiſtolæ Scriptorem viſum eſſe dubitari non poteſt: neque hic locus videtur adverſari. Res ita habet. *Baſilius* utrumque locum ex memoria recitat. Priorem in epiſtola ad *Romanos* exſtare meminerat, ideoque ut *Paulinum* laudabat, de altero idem facturus, ſi eum in epiſtola ad Hebræos exſtare diſtincte meminiſſet. At verba quidem textus ſatis tenebat, non vero æque certus erat, *qua* Novi Teſtamenti *parte* eadem legerentur. Hæc cauſa eſt, cur Scriptorem nullum ſpeciatim appellet, lapſum aliquem veritus, atque adeo ut *Spiritus S.* oraculum afferat, de eo ſcilicet certus, quod in Scripto quodam N. T. Apoſtolico exſtet. Itaque *Baſilius* inter eos omnino numerandus eſt, qui epiſtolam hanc non ſolum *θεόπνευςον*, ſed & Pauli eſſe exiſtimarunt.

*Gregorius Nyſſenus* in *Cappadocia* ( A. D. 370. ) *Baſilii* frater, his proximus, epiſtolam hanc *Paulo* vindicat. Verba ita habent: *Κατὰ τὴν τȣ̃ Παύλȣ φωνὴν, ὅς φησιν, ὅτι τελείων δέ ἐςιν ἡ ςερεὰ τροφὴ, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων. Secundum Pauli phraſin, dicentis, quod perfectorum ſit ſolidus cibus, qui ſenſus habeant per habitum exercitatos.* (*Hebr.* V. 14.) Vide Epiſt. de Pythoniſſa Tom. I. pag. 871. Pariſ. 1615.

*Gregorius Nazianzenus* in *Cappadocia* ( A. D. 370. ) germanos Sacræ Scripturæ libros enumerans, *quatuordecim* Pauli *epiſtolas* appellat, quot non ſunt, ſi illam ad Hebræos non addas. *Δέκα δὲ Παύλȣ τέσσαρές τ' ἐπιςολαί.* Cum 33. Tom. II. pag. 98. Pariſ. 1611.

*Amphilochius Lycaoniæ* ( A. D. 370. ) hoc loco appellandus eſt, teſtatus, *Paulum quatuordecim epiſtolas ſcripſiſſe, unam ad* Romanos, *unam ad* Hebræos, *quarum hæc nonnullis falſo ſpuria exiſtimetur, cum illis hæc gratia vere facta ſit.* Verba hæc ſunt:

*Παῦλον σοφῶς γράψαντα ταῖς ἐκκλησίαις*
*Επιςολὰς δὶς ἑπ]ὰ, Ρωμαίοις μίαν*
*- - - κ̀ πρὸς Εβραίȣς μίαν.*
*Τινὲς δὲ φασι τὴν πρὸς Εβραίȣς νόθην,*
*Ουκ ἔυ λέγοντες· γνησία γὰρ ἡ χάρις.*

Vid. ad Seleuch. in *Beveregii* Pandectis Tom. II. pag. 180.

*Combefiſius* germanum hoc *Amphilochii* ſcriptum eſſe cenſet: quando *Billius*, *Cavius*, *Dupinius* & *Millius Gregorio Nazianzeno* adſcribere malunt. Quod ſi ita res habeat, novum ſic non habebimus teſtimonium. Cum vero diſſentientium argumenta a demonſtratione longe abſint, illius mentionem faciendam eſſe cenſui.

*Didymus*

Digitized by Google

*Didymus Alexandrinus* (A. D. 370.) teſtem hujus cauſæ præſtat non inficiandum. *Paulus*, inquit, *in epiſtola*, quam *ad Hebræos ſcribit*, *de Pſalmorum volumine teſtimonium proferens*, *ad Spiritum S. id dictum eſſe commemorat* &, ſicut dicit hic Spiritus Sanctus: Hodie, ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, &c. (*Hebr.* III. 7.) *De Spiritu Sancto lib.* I. in init. inter *Hieronymi* Opera Tom. VI. col. 484.

*Macarius Ægyptius* (A. D. 373.) promit epiſtolam ad Hebræos, tanquam ab auctore poſterioris ad *Corinthios* exaratam. Ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς, ὁ Ἀπόστολος, ἑνὶ ἀνδρὶ, παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ. καὶ πάλιν. Οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς. *Junxi enim vos, inquit Apoſtolus, uni viro, ut virginem puram ſiſtam Chriſto* (2 *Cor.* XI. 2.) *Iterumque: cujus domus nos ſumus* (*Hebr.* III. 6.) Vide Homiliam XLIX. pag. 534. Francofurt. 1594. Conf. Homil. IX. pag. 110.

*Ambroſius Mediolanenſis* (A. D. 373.) ſæpe ad hanc epiſtolam, tanquam Apoſtoli, provocat, interdum vero etiam Paulum nominatim appellat. Ita v. c. ait: *Paulus dixit: quia Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe eſt, & in ſecula.* (*Hebr.* XIII. 8.) De Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap. VI. Tom. II. pag. 183. Baſil. 1567.

*Hieronymus* (A. D. 378.) qui repetitis vicibus & *Romam* & *Judæam* adierat, atque adeo exactam notitiam traditionis, utroque in loco tunc ſuperſtitis, notitiam ſuppeditare poterat, epiſtolam ad Hebræos perpetuo ut Paulinam adfert. In *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſt.* voce *Paulus*, Tom. I. col. 350. ita: *Epiſtola autem, quæ fertur ad Hebræos, non ejus* (*Pauli*) *creditur propter ſtili ſermonisque diſſonantiam; ſed vel Barnabæ juxta Tertullianum, vel Lucæ Evangeliſtæ, juxta quoſdam, vel Clementis Romani, poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem ajunt ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone: vel certe, quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, & propter invidiam ſui apud eos nominis titulum in principio ſalutationis amputaverit. Scripſerat autem ut Hebræus Hebræis Hebraice, i. e. ſuo eloquio diſertiſſime, ut ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum; & hanc cauſam eſſe, quod a cæteris Pauli epiſtolis diſcrepare videatur.* Quæ hanc in rem in epiſtola *ad Dardanum* tradit, ea ſupra jam ſunt allata, ſi hoc exceperis, quod ibidem affirmat: *cum Eccleſiaſtici viri ſit, & quotidie eccleſiarum lectione celebretur.* Ep. 129 *Dardano.* Alio in loco hæc ait: *Pauli quoque idcirco ad Hebræos epiſtolæ contradicitur, quod ad Hebræos ſcribens utatur teſtimoniis, quæ in Hebræis voluminibus non habentur. Commentar. in Jeſ.* VI. 9. Tom. IV. col. 55. Hujus vero argumenti imbecillitas ex iis conſtabit, quæ paulo poſt de *lingua*, qua epiſtola hæc ſcripta eſt, commentabimur.

*Philaſtrius*, Italus, (A. D. 380.) Hæreticorum meminit, *qui epiſtolam Pauli ad Hebræos non aſſerunt eſſe ipſius, ſed dicunt, aut Barnabæ eſſe Apoſtoli, aut Clementis de urbe Roma Epiſcopi.* Vide ſupra.

LIIII *Fauſti*

*Fauſtinus*, Romanus, (A. D. 384.) eam Paulo tribuit, his uſus verbis: *Quomodo minoratus eſt* (Chriſtus) *exponat Apoſtolus Paulus:* -- Paulo minus, *inquit*, ab Angelis minoratum videmus Jeſum &c. (*Hebr.* II. 9.) *De fide* contra Arianos cap. 4. in Biblioth. Patrum Tom. IV. col. 683.

*Theophilus Alexandrinus* (A. D. 385.) epiſtolam hanc ita laudat: *Paulo nobiscum eadem prædicante*: Jeſus Chriſtus heri & hodie ipſe, & in æternum. (*Hebr.* XIII. 8.) *Epiſtola Paſchali I.* inter Opp. *Hieronymi* Tom. IX. col. 422. Vide Epiſt. Paſchalem III. col. 452.

*Gaudentius*, *Italus*, (A. D. 387.) eandem inter *Apoſtoli* ſcripta numerat. Accipe verba: *Vetus lex*, *ut ait Apoſtolus*, *umbra erat futurorum bonorum.* (*Hebr.* X. 1.) Serm. XIII. in Biblioth. PP. Tom. II. col. 49. Et iterum: *Significat Apoſtolus ad Hebræos*: Adhuc, *inquit*, in lumbis Patris erat Levi. (*Hebr.* VII. 10.) *Sermone II.* ibid. col. 15. Eadem prorſus ratione *Gaudentius* epiſtolam hanc, ſine commemorato Pauli nomine, in medium adfert; v. c. Serm. I. II. XIII. & alias. Itaque dubitari non poteſt, S. Paulum ex ipſius quidem ſententia epiſtolam ad Hebræos ſcripſiſſe.

*Thecla*, *Seleuciæ*, (A. D. 390.) quæ exemplum τῶν LXX. quod in Bibliotheca Regia exſtat, & *Codicis Alexandrini* nomine appellatur, deſcripſit (vide *J. E. Grabii* Prolegomena ad τὰς LXX. cap. I. Sect. 4. & 5.) epiſtolas Pauli *quatuordecim* numerans, hanc ad Hebræos poſt *ſecundam* ad *Theſſalonicenſes*, ante epiſtolas ad *Timotheum*, *Titum* & *Philemonem* collocat. Επιςολαὶ Παύλυ ιδ. Ibid. Sect. 2. *Epiſtolæ Pauli* (inquit *Grabius*) eodem locatæ ſunt ordine, (in MS. Alex.) *quo in noſtris Bibliorum editionibus: niſi quod epiſtola ad* Hebræos *proxime ſequatur duas ad* Theſſalonicenſes. *Ibidem in margine* not. a.

*Ruffinus*, *Italus*, (A. D. 390.) ſententiæ noſtræ convenienter, ita: *Paulus Apoſtolus*, *ad Hebræos ſcribens*, *dicit*: credere enim primo omnium accedentem ad Deum oportet, quia eſt &c. (*Hebr.* XI. 6.) *Symbolum ad* Laurentium, inter Opera Hieronymi Tom. IX. col. 167. Vide etiam col. 169. 181.

*Paulinus*, *Nolanus*, in *Italia*, (A. D. 393.) epiſtolam ad *Hebræos* & ad *Ephesios*, tanquam ab eodem Auctore profectam, adfert. *Apoſtolus* —— *gladium Spiritus dicit verbum Dei: de quo ad* Hebræos *ait*: Vivus ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti &c. *ep.* 50. *Tom. I.* p. 302. Pariſ. 1685. Eandem epiſtolam vide ſis inter Opp. Auguſtini Epiſt. 58. Tom. II. pag. 332.

*Auguſtinus*, *Africanus*, (A. D. 396.) qui *Romam* aliquoties vidit, eadem, qua nos hodie, ratione Pauli epiſtolas enumerans, ait: *quatuordecim epiſtolis Pauli Apoſtoli*, *ad Romanos*, —— *ad Hebræos*, *De Doctrina Chriſtiana* lib. II. cap. 8. Tom. III. pag. 29.

Idem

Idem alibi: *Melchiſedec*, —— *de quo in epiſtola, quæ inſcribitur ad Hebræos, (quam plures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt, quidam vero negant) multa & magna conſcripta ſunt.* De Civit. Dei lib. XVI. cap. 22. Tom. V. Par. II. pag. 209.

*Chryſoſtomus*, *CPolitanus*, (A. D. 398.) in Commentario in hanc epiſtolam, de ea, tanquam Paulina, ſine ulla dubitatione, loquitur. In præfatione ſpeciatim de eo differit, cur Paulus, Gentium Apoſtolus, ad Hebræos ſcripſerit: & oſtendit, fas fuiſſe, ut ita ageret. *Εἰ τοίνυν ἐθνῶν Ἀπόστολος ἦν (ὁ Παῦλος) ——— τί κοινὸν πρὸς Ἑβραίους εἶχε; τί δὲ αὐτοῖς ἐπίστελλεν;* Præf. in epiſt. ad Hebr.

His Scriptorum particularium teſtimoniis illa *Conciliorum*, ea ætate celebratorum, jungere fas eſt.

*Concilium Laodicenum* (A. D. 364.) Indicem librorum Codicis Sacri exhibens, *quatuordecim* Pauli epiſtolas interque eas unam ad *Romanos* & unam ad *Hebræos* affert. *Ἐπιστολαὶ Παύλου δεκατέσσαρες, πρὸς Ῥωμαίους μία, —— πρὸς Ἑβραίους μία.* *Canon.* ultimo in *Juſtelli* Bibliotheca Juris Canon. Vet. Tom. I. pag. 55.

Concilium *Carthaginenſe* III. (A. D. 397.) in Indice librorum Scripturæ Sacræ Canonicorum *Pauli Apoſtoli epiſtolas tredecim, & ejusdem ad Hebræos unam* appellat, cap. XLVII. in Conciliis per Petrum Crabbe editis, Tom. I. pag. 451.

Iſtis omnibus addi poteſt teſtimonium Canonis *Apoſtolici* LXXXV. *quatuordecim* Pauli epiſtolas inter libros Scripturæ Sacræ memorantis. *Ἔστω ὑμῖν πᾶσι —— βιβλία σεβάσμια καὶ ἅγια, —— Παύλου ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες.* Vide *Beveregii* Cod. Canon. Eccleſ. Primit. vindicat. pag. 461. 462. Cujus ætatis hi canones ſint, definire mihi non licet. Cum vero ante Seculum V. compoſiti eſſe tantum non omnibus videantur, teſtimonium eorum negligere nefas duxi.

Hactenus Hiſtoriam traditionis Eccleſiaſticæ, de Auctore epiſtolæ ad Hebræos usque ad finem Seculi IV. perſecutus ſum. Ulterius ut progrediar, neceſſe non eſt, cum recentioris ætatis teſtimonia exigui ponderis ſint in cauſa, quæ ad initia naſcentis Eccleſiæ pertinet. Id interim notandum eſt, quod poſt A. D. 400. ſententia de Apoſtolo, epiſtolæ hujus Scriptore, *communi* & *non interrupto* conſenſu recepta fuerit.

Tacendum tamen non eſt. Seculo III. & IV. fuiſſe nonnullos, (quorum ſcripta etiamnum exſtant (qui epiſtolam hanc Paulo tribuiſſe non videntur. Tales ſunt *Minutius Felix*, *Cyprianus*, *Novatianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Julius Firmicus*, & *Optatus*. Obſervandum vero eadem opera eſt, nusquam apparere, quod illi ipſi eam Auctori alii adſcripſerint. Nonnulli eorum, (nominatim *Minutius Felix* & *Arnobius*) contra Gentiles ſcripſerunt, quo nomine Scripturam nunquam ad partes vocant. *Julius Firmicus* in libro *de erroribus profanarum religionum* ne ſemel quidem *epiſtolas* Novi Teſtamenti

 affert,

affert. Quamvis enim verba illa: *o mors, ubi eſt ſtimulus tuus?* adhibeat pag. 48. ad calcem Minucii Felicis, Lugd. Bat. 1612. ea tamen ex *Hoſea* XIII. 14. repetiiſſe videtur, prout in *Græca*, *Syriaca* & *Arabica* verſionibus expreſſa, & ab Apoſtolo 1 *Cor.* XV. 55. deſcripta ſunt. *Lactantius*, contra Gentiles itidem ſcribens, Scripturam diviniorem raro allegat, ſi excipias quædam Veteris Teſtamenti oracula, eo conſilio recitata, ut impleta ea eſſe conſtet. Itaque ex eo, quod epiſtolam hanc non allegant, colligi non poteſt, eam ab illis repudiatam fuiſſe.

Interim de *Cypriano* & *Novatiano*, Seculi III. medii Scriptoribus, aliter judicandum eſt. Plures exſtant in hac epiſtola loci, qui ad inſtitutum eorum maxime faciebant. Ex quo valde fit veri ſimile, eos cum aliis nonnullis Eccleſiæ Latinæ illius ætatis Scriptoribus ſenſiſſe, quos epiſtolam hanc pro canonica non habuiſſe auctor eſt *Hieronymus*. Vide ſupra p. 817. Conſtat præterea, *Optatum*, *Afrum*, (A. D. 368.) illam non allegare; quod ipſum tamen ex eo videtur repetendum, quod occaſionem allegandi non invenerit, ſicut nec epiſtolam ad *Coloſſenſes*, vel ſemel, *Marci* autem Evangelium *ſemel* tantum citat. Hoc minus vero epiſtolam illam inter ſpurias numeraſſe credi poteſt, quod *Victorinus*, non minus *Afer*, ejusque præterea æqualis, & *Auguſtinus*, in *Africa*, non multo poſt eandem, ceu ante vidimus, tanquam *Paulinam*, laudarunt.

Mirabitur forte lector, me *Optatum* inter illos Scriptores numerare, qui epiſtolam ad Hebræos in ſcriptis, adhuc exſtantibus, non allegent, cum *Baronius* Annal. ad A. D. 60. num. 50. *Spanhemius* Operum Tom. II. col. 201. & *Rich. Simon* Hiſtoria Critica N. T. Part. I. cap. XVI. p. 146. contrarium affirment. Judicem lectorem in hac cauſa conſtituam, ubi eam, qualis eſt, expoſuero. Locus, ad quem illi quidem provocant, hic eſt: *Indicavit Deus, per Prophetam dicens:* quoniam hoc eſt teſtamentum meum, quod diſponam domui Iſrael, & domui Judæ; & poſt dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corde eorum, in mentibus eorum ſcribam eas. *De Schiſmat. Donatiſtar.* lib VII. p. 180. Antverp. 1702. edit. Dupin. Fieri ſane vix poteſt, ut negemus. Auctorem, quicunque demum fuerit, ad *Prophetam*, non vero ad *Apoſtolum*, hic appellare. Ponamus vero, eum Apoſtolum voluiſſe, ad inſtitutum noſtrum certe id omne non faceret, cum locus ille non ab *Optato* profectus, ſed à recentiore manu ſit. *Cavius* inquit: *Non niſi ſex libros ab Optato contra Donatiſtas ſcriptos memorat Hieronymus; quin & ipſe* Optatus, *libro I. propoſiti ſui rationem reddens, ſe rem ſex libris abſoluturum eſſe promittit. Quid quod liber ſeptimus à præcedentibus ſtylo quam maxime diſcrepet, & contraria nonnunquam dogmata in medium producat? Adeo, ut antiqui quidem, Optato tamen diverſi, auctoris opus eſſe ſeptimum librum non immerito quis ſuſpicari poſſit. Dupinius* in *Nova Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ubi de *Optato* præcipit, easdem rationes urget. In ſua vero *Optati* editione argumentum ipſum diligentius perſequitur. *Optatum* ſex tantum libros ſcripſiſſe

pſiſſe largitur, eum vero, qui nunc vocatur *ſeptimus*, (exceptis interpolationibus,) tria additamenta ait complecti, ad librum I. II. III. pertinentia, quæ Auctor, abſoluto jam opere, adjecerit. *Liber ſeptimus*, inquit, *non eſt re vera liber diſtinctus à cæteris, ſed additamenta ad quosdam libros, (primum, ſecundum & tertium) ab ipſo* Optato *compoſita, opere jam confecto.* Ibid. Præfat. cap. III. Sect. 4. Quicquid vero hujus erit, certiſſimum eſt, longam illam ſectionem libri VII. ex qua locus ante productus adfertur, additamenti loco habendam eſſe. *Non exſtat hæc lacinia*, inquit idem p. 100. coll. pag. 107. *in ullo è quatuor codicibus MSS. quos mihi videre contigit, nec in prima editione Balduini, nec concinit cum antecedentibus & conſequentibus, quæ hac ſublata optime cohærent; nec ſtylum Optati ſapit, & ab ipſius placitis & doctrina prorſus abhorret.*

Doleo, monendum à me eſſe lectorem, quod *Spanhemius* in ſua de hoc argumento diſſertatione, & *Millius* in Teſtimoniis, quæ epiſtolæ ad *Hebræos* in ſua N.T. editione præmiſit, plus vice ſimplici libros quosdam veterum alienis & falſis nominibus inſigniverint. Uterque eorum eundem librum ſub *Gregorii Bætici*, & *Fauſtini* quoque nomine affert; ille quidem Tom. II. Opp. col. 201. num. 10. & 12. hic autem in N.T. inter Teſtimonia de epiſtola ad Hebr. p. 659. 660. edit. Oxon. cum tamen liber ipſe à *Fauſtino* ſit profectus. Vide *Dupinii* Hiſtoriam Scriptorum Eccleſiaſtic. Vol. II. p. 85. 192. & *Cavii* Hiſtoriam Literariam p. 188. 231. Titulus ejus in Bibliotheca Patrum Tom. IV. col. 680. ita habet: *Fauſtini Presbyteri, vulgo Gregorii Bætici, ad Gallam Placidiam de Trinitate, ſive de fide contra Arianos. Liber nunc demum Auctori ſuo reſtitutus. Idacius Clarus* à *Spanhemio* & *Millio* ut auctor libri contra *Varrimadum* excitatur. *Chifletius* tamen, *Cavius*, Hiſtor. Literar. p. 232. & 371. *Dupinius* Vol. II. p. 192. & Vol. IV. p. 171. & *Oudinus*, Supplement. p. 124. *Vigilii Tapſenſis* eſſe adſeverant. *Millius* libros *Titi Boſtrenſis* ſpurios, & varia opuſcula *Athanaſio* v. c. *de Paſſione & Cruce*, *de S. Deipara*, *de communione eſſentiæ Patris*, *Filii & Spiritus S.* & *Auguſtino*, puta *de Incarnatione verbi*, & *de fide ad Petrum*, falſo inſcripta allegat. Hæc monere debebam, ne in negligentiæ ſuſpicionem inciderem, qui *Optatum, Gregorium Bæticum, Idacium*, *Titum* &c. non allegarim. Nulli equidem operæ in cauſa hac penitus expedienda peperci, rem omnem ſumma fide ſine adſcriptis coloribus repræſentavi, nec allegationibus aliorum ſecure uſus ſum, ſed ſingulos veterum locos ex Scriptoribus ipſis hauſi.

Ut tandem omnia complectar, ex dictis conſtat, tres tantum ſententias de Auctore epiſtolæ ad Hebræos inter veteres receptas fuiſſe. Unus *Tertullianus* eam *Barnabæ* adſcripſit. Tres, quatuorve, una cum Eccleſia Romana recentioris ætatis, Pauli eam eſſe, atque adeo Canonicam, negarunt. Communior vero ſententia inde ab eo tempore, quo quidquam de illa traditum legimus, usque ad A. C. 398. Paulo vindicat; quemadmodum hujus intervalli Scriptores (alii ex *Africa*, alii ex *Judæa*, nonnulli ex *Gallia*, quidam ex *Italia*,

iique vel *Roma*, vel alibi verſati, teſtes ſunt hujus traditionis, Paulum epiſtolam hanc ſcripſiſſe. His vero teſtimoniis ad fidem rei pleniſſime faciendam multum tribuendum eſt. Quamvis enim *opinionibus* Patrum, (qui, quod obiter dicam, eadem, qua veteres Gentilium Philoſophi, ratione judicium formabant,) in rebus, ad *doctrinas* Evangelii aut *ſenſum* Scripturæ ſpectantibus, non admodum ſtandum ſit; fateri tamen neceſſe eſt, eos de argumento hiſtorico, quod ipſorum oculis erat expoſitum, idoneum teſtimonium ferre potuiſſe. Quando itaque illi affirmant, traditionem epiſtolam ad Hebræos ſcriptum Paulinum credere juſſiſſe, dubitare non poſſumus, traditum ita fere fuiſſe. Quoniam inſuper hæc traditio jam tempore *Clementis Alexandrini* & *Origenis* atque adeo 130. annis poſt, quam epiſtola ipſa exarata fuit, *antiqua* fuit, origo ejus ad ipſius Pauli ætatem referri, neque cum ratione in dubium vocari poteſt.

Nonnulli hoc momentum ex eo confirmare conati ſunt, quod 2 *Pet.* III. 15. 16. legimus. Quod ſi probari poſſet, ſermonem ibi eſſe de epiſtola ad *Hebræos*, hoc Apoſtoli teſtimonium totam cauſam definire debeat. Mihi vero ex eo argumentum peti non poſſe videtur, perſuaſum habens, demonſtrari non poſſe, quod de hac epiſtola loquatur, niſi ante oſtenſum ſit, S. Paulum illius eſſe Scriptorem. At illi quidem ab altera parte ſententiam ſuam huic ſuperſtruunt hypotheſi, quod Petri epiſtolæ ad *Hebræos* vel *Judæos* ſint exaratæ. Mihi autem longe videtur probabilius, eas ad Chriſtianos Ex-Gentiles ſcriptas eſſe, ex variis ſcilicet locis, qui in illis leguntur (h). S. *Petrus* illos, ad quos ſcribit, tales repræſentat, qui in rebus ad Deum ſpectantibus *ignorantiæ* fuerint obnoxii. 1 *Pet.* I. 14. *Ut filii obedientes, non conformantes vos prioribus in ignorantia veſtra cupiditatibus.* Similia hæc ſunt illis, quæ *Paulus* ait de *Gentilibus*, 2 *Theſſ.* IV. 5. *Non in affectu concupiſcentiæ, ut Gentiles, qui Deum non norunt.* Et *Rom.* I. 22. 28. 32. *Profitentes ſe ipſos ſapientes, facti ſunt ſtulti —— nec approbabant Deum tenere in cognitione: ——— qui, quamvis noſſent legem Dei, non tamen conſiderabant, quod, qui hæc faciant, digni ſint morte; nec illi ſolum, qui hæc faciant, ſed & qui hæc facientibus conſentiunt.* Hic germanus verborum ſenſus eſt, quæ ita legi debebant: (i). *Οἵτινες τὸ δικαίωμα τȢ̃ Θεȣ̃ ἐπιγνόντες, ȣ̉κ ἐνόησαν, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτȣ εἰσιν, ȣ̉ μόνον δὲ οἱ αὐτὰ ποιȣ̃ντες, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκȣ̃ντες τοῖς πράσσȣσι.* *Actor.* XVII. 23. 30. —— *Deum, quem* ignorantes *colitis* —— *Temporibus* ignorantiæ *pepercit Deus.* Epheſ. IV. 17. 18. —— *Gentiles ambulant in* vanitate *mentis ſuæ*, intellectum *habentes* obtenebratum, *alieni a vita Dei per* ignorantiam, *quæ eſt in illis*, *ex* cœcitate *cordis ſui.*

Nihil

(h) Non contemnenda ſunt *Halletti* argumenta adeoque diligentius expendenda, quod cum in notulis his paucis fieri non poſſit, illorum examine, Deo dante, in Prolegomenis ad epiſtolas Petrinas & ad 2 *Pet. III. 15.* 16. defungar.

(i) At vide tu, quæ pro recepta lectione in *Curis* noſtris ad illum locum ſcripſimus.

Nihil vero horum ab Apoſtolis unquam dictum eſt de gente *Judaica*, quippe quæ divina *revelatione*, atque adeo cognitione & cultu veri Dei erat inſtructa. S. *Petrus* de illis, ad quos ſcribebat, loquitur, ut talibus, *qui ex* tenebris *vocati eſſent ad mirabilem Dei lucem.* 1 *Petr.* II. 9. Convenienter his legimus, S. *Paulum* ad Gentiles miſſum eſſe, *ut* oculos *ipſorum aperiret, eosque a* tenebris *ad* lucem *perduceret, Act.* XXVI. 17. 18. *quodque Pater fecerit nos participes hæreditatis Sanctorum in* luce, *& liberaverit nos a poteſtate* tenebrarum. *Coloſſ.* I. 12. 13. Illi, quibus ſcribebat *Petrus*, non erant populus Dei, nec gratiam conſecuti erant ante, quam Chriſtiani evaderent. 1 *Pet.* II. 10. *Qui* non *fuerunt adhuc* populus, *ſed nunc ſunt populus Dei; qui non obtinuerant* gratiam, *at nunc obtinuerunt gratiam.* Contra hæc Chriſtiani Ex-Judæi jam ante erant populus Dei, & gratiam erant conſecuti ante, quam Chriſtiana religio naſceretur. Diſſimilis vero erat Gentilium conditio. *Hi enim peregrini erant à fæderibus promiſſionis, non habentes ſpem, & ſine Deo in hoc mundo. Epheſ.* II. 12. Speciatim hic obſervari debet, quod phraſis *Petrina*, ultimo loco allata, a S. *Paulo* adhibetur, quando de Ex-Gentilibus loquitur *Rom.* IX. 24. 25. *Etiam nos* (Chriſtianos) *quos non ſolum ex Judæis, ſed etiam ex Gentilibus vocavit, quemadmodum per* Hoſeam *ait: appellabo eos populum meum, qui* non *erant populus* meus. Illi, quibus *Petrus* epiſtolas ſuas inſcripſit, *Gentiles* expreſſe vocantur, & in *peccatis* mundi *Gentilium* vixiſſe dicuntur. 1 *Pet.* IV. 3. *Sufficiat vobis, præteritum vitæ tempus ad voluntatem Gentilium egiſſe, quando vivebatis in laſcivia, cupiditatibus, vinoſitate, comeſſationibus, & abominabili idololatria.* Ita enim hæc verba legi oportet. (k) Vox ἡμῖν non exſtat in Alexandrino aliisque nonnullis Græcis codicibus, nec in *Lat. Syriaca, Arabica & Æthiopica* verſionibus. Obſervandum quoque eſt, Syriacam verſionem *ſecundam* perſonam ita hic exprimere: *Sufficiat præteritum tempus*, in quo vos *feciſtis*, &c. Verſiones *Arabica* & *Æthiopica* non minus, quam nonnulli Codices Græci manu exarati ita habent: *Sufficiat* vobis *præteritum tempus* &c. Jam eodem modo S. *Paulus* perpetuo loquitur de Gentilibus, tanquam his vitiis indulgentibus, *Epheſ.* IV. 19. *Qui ſenſu omni amiſſo, ſe ipſos tradiderunt laſciviæ, ad perpetrandum omne* impuritatis *genus.* 1 *Theſſ.* IV. 5. *Non in affectu* concupiſcentiæ, *ut Gentiles. Idololatria*, quam *Petrus* commemorat, omnino indicat *Gentilium* opera, per quæ à *Judæis* diſtinguebantur. 1 Cor. XII. 2. 2 *Cor.* VI. 16. & 1 *Theſſal.* I. 9. Et reliqua quoque vitia ab Apoſtolo ut *ſigna Gentilium characteriſtica* exhibentur. 1 *Cor.* V. 10. S. *Petrus* denique in limine epiſtolæ poſterioris indicat, Chriſtianos, ad quos ſcribebat, Gentiles olim fuiſſe. *Simon Petrus - - - illis, qui fidem æque pretioſam nobiscum obtinuerunt* h. e. *Gentilibus* credentibus, qui una cum *nobis* credentibus *Judæis ſimilis* pretii fidem conſecuti ſunt.

Non

(k) Quo jure ita præcipiat Auctor ad locum ipſum aliquando videbimus.

Non invenio quidquam, quod huic ſententiæ cum veri ſpecie obverti poſſit. Diſſentientes quidem, *Judæos* hos olim fuiſſe probaturi, id inprimis urgent, quod S. *Petrus* eos appellat, *peregrinos diſperſos.* 1 *Pet.* I. 1. Enimvero non minus Chriſtiani Ex-Gentiles, quam *Ex-Judæi* dici poterant *peregrini per Pontum, Galatiam, Aſiam* &c. diſperſi. Si *Petrus* ad exemplum *Jacobi* ſcripſiſſet: *duodecim tribubus*; vel *Judæis* diſperſis, argumentum inde duci poterat. Dum vero tantum affirmat, *Chriſtianos* per has regiones diſperſos fuiſſe, confici certe non poteſt, eos origine *Judæos* fuiſſe. Sic &, quando Chriſtianos cohortatur *ad vitam inter Gentiles honeſte agendam*, 1 *Pet.* II. 12. id quidem ad eos quadrabit, ſive circumciſi olim fuerint, ſive minus. Fœminæ *Chriſtianæ*, *filiæ Saræ* appellantur. III. 6. Sed nec illud probat, eas *origine* fuiſſe *Judæas*, quoniam *Gentiles* æque ac *Judæi* per fidem in Chriſtum facti ſunt *filii Abrahami Rom.* IV. 11. Præter rationes illas, quibus jam fecimus ſatis, *Eſtius* eodem inſtituto urget, quod Apoſtolus ait 2 ep. I. 19. *Habemus firmiorem ſermonem Propheticum.* Jam vero certiſſime conſtat, Prophetias V. T. non minus ad *Chriſtianos Ex-Gentiles*, quam *Ex-Judæos* ſpectare. Ex his itaque conſequitur S. *Petrum* epiſtolas ſuas *Chriſtianis Ex-Gentilibus* inſcripſiſſe.

Illi, ad quos *Petrus* mittebat epiſtolas, hærebant in *Ponto*, *Cappodocia*, *Aſia* & *Bithynia*. 1 *Pet.* I. 1. Ad hos vero Chriſtianos *Paulum* quoque ait ſcripſiſſe, 2 *Pet.* III. 15. His convenienter deprehendimus, *Paulum* vere ad Chriſtianos in *Galatia* & *Aſia* ſcripſiſſe. Una epiſtolarum ejus Eccleſiis *Galatiæ* deſtinata eſt. *Epheſus* & *Coloſſus* in *Aſia* Proconſulari ſitæ erant, non minus atque *Laodicea*. Itaque epiſtola, quæ *ad Epheſios* hodie dicitur, ad Chriſtianos in *Aſia* pertinebit, ſive ea *Epheſiorum*, ſive *Laodicenſium* cœtui inſcripta exiſtimetur. Cum itaque tres illæ Pauli epiſtolæ ad *Galatas*, *Epheſios* & *Coloſſenſes*, ad cœtus Chriſtianos in *Galatia* & *Aſia* ſint exaratæ, ad quos illæ *Petri* quoque directæ erant, dubitari non poteſt, *Petrum* in verbis allatis easdem epiſtolas innuere. Hoc *rei* ipſi apprime convenit; quemadmodum ſententia oppoſita, quæ epiſtolam ad *Hebræos* indicari vult, præter rationes modo allatas, ex eo etiam fide privatur, quod nulla ratione demonſtrari poteſt, Chriſtianos in *Judæa* ex regionibus ſuis expulſos, atque adeo per *Galatiam*, *Aſiam* & vicinas provincias eo intervallo, quod inter ſcriptionem epiſtolæ ad Hebræos, & poſterioris *Petrinæ* interjectum eſt, diſperſos fuiſſe. Epiſtola ad *Hebræos* ſine dubio miſſa erat ad Chriſtianos *Ex-Judæos*, in *Judæa* (l) degentes, quod in *Synopſi* oſtendetur. Qui igitur cum *Millio* exiſtimant, S. *Petri* epiſtolas ad *eosdem homines* ſcriptas eſſe, eos multa *parum veriſimilia* præſtruere neceſſe eſt. *Millius*

(l) De hoc merito dubitari, oſtenſum eſt ſupra in Prolegomenis ad hanc epiſtolam p. 593. Itaque nec neceſſe eſt, dicere, Hebræos, quibus epiſtola hæc inſcripta eſt, patriis ſuis ſedibus nunc ejectos, nunc iisdem reſtitutos eſſe. Rectius enim illi exiſtimantur, jam à longiori tempore in diverſis extra Judæam regionibus verſati, & ad fidem Evangelicam præconium Apoſtolicum perducti fuiſſe. Vide v. c. *Act.* II. 9. ſeqq.

*us* ait, epiſtolam *Petri* priorem A. D. 61. illam ad *Hebræos* A. D. 63. poſteriorem vero *Petri* A. D. 67. exaratas eſſe. Si hæc admittas, præſtrui neceſſe eſt, illos, ad quos tres illæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt, ex Judæa ejectos, & per *Galatiam Aſiam* &c. A. D. 61. diſperſos eſſe; hinc vero biennio poſt revertendi & in patriis regionibus (in quibus, cum epiſtola hæc ad Hebræos mitteretur, vixiſſe *Millio* videntur) commorandi facultatem nactos, denique vero, quadriennio poſt, iterum expulſos, & per eas, in quibus ante fuerant, regiones disjectos fuiſſe. Nihil vero hujusmodi ex hiſtoriarum monumentis conſtat.

Proximum eſt, ut inquiramus, num in epiſtolis ad *Galatas*, *Epheſios*, & *Coloſſenſes* talia exſtent, quæ in S. *Pauli* epiſtolis occurrere S. *Petrus* affirmat. Atque hic obſervandum eſt, *res* illas, quas *Petrus* hic ſubindicat, in *appellatis illis epiſtolis*, legi debere. Id quidem ex ipſis *Petri* verbis patebit. *Veniet autem*, inquit, *dies ille Domini*, - - *quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & officiis pietatis? Exſpectantes, & accelerare facientes adventum illius diei Dei, cujus efficacia cæli, igne accenſi, ſolventur, & elementa æſtuantia liqueſcent. Sed novos cælos, terramque novam, ſecundum promiſſum ejus exſpectamus, in quibus juſtitia inhabitabit. Quapropter, dilecti, hæc exſpectantes, ſtudete, ut immaculati & irreprehenſi ab ipſo inveniamini in pace. Et hanc Domini noſtri lenem patientiam ſalutem arbitramini: quemadmodum etiam dilectus noſter Frater Paulus, ſecundum datam ſibi patientiam, ſcripſit vobis; ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in illis de biſce* 2 *Pet.* III. 10-16. Hic diſerte affirmatur, ea, quæ *Paulus* ad *ipſos* ſcripſerit, *eadem* eſſe, quæ in *omnibus ſuis epiſtolis* tradiderit; additurque, *Paulum de his rebus* in omnibus ſuis epiſtolis præcipere. Conſequitur itaque, eum *hoc*, quodcunque tandem ſit, *ſcripſiſſe*, & de argumentis ſeu *rebus illis*, quæcunque illæ ſint, *locutum eſſe* ſpeciatim in epiſtolis ad *Galatas*, *Epheſios* & *Coloſſenſes*; ſive illas ad eosdem, quibus *Petrus* ſuas inſcripſerat, ſive ad alios exaratas eſſe exiſtimemus. Quicquid hujus erit, neceſſe eſt, ut *res* a *Petro* indicatas, in tribus illis epiſtolis æque ac in illa ad *Hebræos*, quæramus. Illi itaque, qui *Petrum* putant epiſtolam ad *Hebræos primario & ſeparatim*, deinde vero *omnes alias* Pauli *epiſtolas* hic ſignificaſſe; doceant, quomodo de *rebus*, à *S. Petro* indicatis, in *omnibus* Pauli *epiſtolis ſcriptum ſit & expoſitum*; & ſic ſuperſedere potero opera, ex qua appareat, de iisdem rebus Paulum in epiſtolis ad *Galatas*, *Epheſios* & *Coloſſenſes* ſpeciatim ſcripſiſſe & commentatum eſſe. Nemo itaque ſententiam meam, quod *S. Petrus* primario & ſeparatim de tribus, quas dixi, epiſtolis, deinde vero de reliquis, quas Paulus ſcripſerit, omnibus, loquatur, ex illis oppugnare poterit, quæ Petrus de *rebus*, in illis expoſitis, affert. Si quis enim affirmare audeat, de illis *rebus* ibi *non* agi, is ſane Apoſtolo diſerte contradixerit, qui expreſſis verbis teſtetur, de illis in *omnibus* Pauli *epiſtolis* diſſeri.

Quamvis hactenus diſputata ſufficiant ad exceptiones omnes à ſententia mea, quam ex verbis Petrinis adſerui, amoliendas, conſultum tamen videtur, oſtendere, quod *res*, quæ in epiſtolis Paulinis traditæ dicuntur, *vere* in illis inveniantur. Scilicet, dum *Petrus* ſcribit: *quemadmodum Paulus ſcripſit vobis, ſicut & in aliis ſuis epiſtolis, de his rebus loquens;* non id ſibi vult, quod *Paulus* de argumento *tantum* illo, quod proxime ante commemoretur, nempe, quod *lenis Domini patientia ſalus noſtra ſit*, ſcripſerit; ſed id potius ſignificat, *S. Paulum* de *diverſis illis argumentis* & capitibus, quæ *S. Petrus* antea in medium produxerat, locutum eſſe. Ea vero ſunt, *dies judicii extremi, obligatio ad ſanctitatem & pietatem, futurus juſtitiæ* & *gloriæ ſtatus, neceſſaria omnis maculæ & reprehenſionis amolitio, & longanimitas Dei ad ſalutem noſtram tendens.* De his *argumentis* Petrus ait *loqui* Paulum in *omnibus* ſuis epiſtolis. Conditio futura, & obligatio ad pietatis officia ſine dubio in tribus illis epiſtolis, ad quas *Petrum* h. l. reſpexiſſe exiſtimo, exponuntur. Vide v. c. *Galat.* VI. 7-10. *Epheſ.* I. 4. 13. 14. 18. IV. 17. &c. V. 1-18. *Coloſſ.* I. 5-9. 10. 22. 27. 28. III. 1-17. IV. 11. 12. In iisdem non minus, atque in epiſtola *ad Hebræos*, ſufficienter docetur, *in longanimi Dei patientia ſalutem noſtram poſitam eſſe.* Loci, qui ex epiſtola ad Hebræos huc ſpectant, iſti ſunt. *Hebr.* VI. 12. 15. *ut non ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per* fidem & patientiam *hæreditatem accipiunt promiſſionis. - - Atque ita cum patienter exſpectaſſet aſſecutus eſt promiſſum.* IX. 28. *Secundo abſque peccato conſpicietur* iis, *qui ipſum* exſpectant *ad ſalutem.* X. 23. 36. *Teneamus confeſſionem ſpei* non vacillantem. *Fidelis enim eſt, qui promiſit. - -* Patientia *enim habetis opus, ut voluntati Dei obſequuti reportetis promiſſionem. Adhuc enim puſillum quantulumcumque, & veniens veniet, nec tardabit.* Eadem ratione, qua hi loci probari poſſint id inferre, quod patientia Dei, dilato adventus Chriſti ad judicium tempore, in homines demonſtrata, moram illis fecerit ſalutem quærendi; non minus oſtendi poterit, diverſas, quas epiſtolæ ad *Galatas, Epheſios* & *Coloſſenſes* exhibent, phraſes idem ſignificare. Largiri poſſumus, locis ex epiſtola ad *Hebræos* modo allatis Apoſtolum id *præſtruere, quod patientia Domini ſalus noſtra ſit.* Idem vero ſine dubio *æque clare* in ceteris tribus epiſtolis traditur. Sic ſpeciatim *Gal.* VI. 9. *Ceterum benefaciendo ne* ſegneſcamus. Tempore *enim* juſto *metemus, ſi non* elanguerimus. Qui locus maxime *affinis* eſt locis ex epiſtola ad *Hebræos* cum maxime recitatis. Eadem vero doctrina de *longanimitate Domini, ſalute noſtra*, clarius urgetur *Epheſ.* II. 3. 4. 5. *Inter quos etiam nos omnes converſabamur aliquando, in concupiſcentiis carnis noſtræ, facientes cupiditates carnis & cogitationum: & eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri. Sed Deus, qui eſt dives in* miſericordia, *propter multam* charitatem *ſuam, qua* dilexit *nos etiam cum in peccatis eſſemus mortui* (h. e. cum propter peccatum ſententiæ mortis ſine ſpe reſurrectionis eſſemus obnoxii) *vivificavit nos* (vel beatæ reſurrectionis ſpem fecit) *una cum Chriſto.* His verbis Apoſtolus clariſſime docet, idololatricas & impias terræ gentes dignas fuiſſe morte;

Deum

Deum vero *gratiam*, amorem & patientiam in eos demonſtraſſe, & ſententiæ promulgationem distuliſſe. Poſtea inſuper accidit, ut Deus *Gentiles* cœtui ſuo jungeret, hæredesque faceret *ſalutis*. Itaque *longanimitas Domini* illis in *ſalutem* cedebat. Idem iisdem verbis *Coloſſ.* I. 12. & II. 13. docetur.

Sed ut ad inſtitutum noſtrum revertamur, monendum eſt, varia & multa in epiſtola ad *Hebræos* legi, illis *ſimilia*, quæ in aliis *Pauli* epiſtolis exſtant. *Timotheum* appellat *fratrem ſuum*, *Hebr.* XIII. 23. ſicut & 2 *Cor.* I. 1 *Col.* I. 1. & *Philem.* v. 1. Epiſtolam eandem conſueta ſibi ſalutandi formula claudit: *Gratia ſit vobiscum omnibus Amen*: quam quidem, ſua manu ſcriptam, epiſtolæ cujusque ſuæ ſignum eſſe ipſe profitetur 2 *Theſſal.* III. 17. 18. Ex his tamen momentis affirmare cum nonnullis non auſim, neminem, præter Paulum, epiſtolæ hujus Scriptorem fuiſſe. *Barnabas* enim, *Lucas* aut *Clemens Timotheum*, æque ac *Paulus*, *fratrem* appellare poterant, & ſcribere: *Gratia ſit vobiscum omnibus*, quæ formula finem *Apocalypſeos* conſtituit. Interim notandum eſt, hæc Paulinæ ſcribendi rationi apprime reſpondere.

Ad exceptiones, quæ volunt, *Pauli* non eſſe epiſtolam, non difficulter reſponderi poteſt. Obvertitur enim, Paulum ſcribere non potuiſſe, quæ legimus *Hebr.* II. 3. —— *ſalvatio delata eſt ad* NOS *per eos, qui eadem audiverunt. Præterea, Grotius* inquit, *Paulo hanc epiſtolam abjudicat; quod hujus Scriptor ſe eis annumeret, qui non à Chriſto ſed ab ejus diſcipulis notitiam Evangelii accepere.* Ad hæc obvium eſt regerere, quod *Grotius* eadem veri ſpecie probare poſſit, Paulum non eſſe Scriptorem epiſtolarum ad *Epheſios* & *Coloſſenſes* &c. Familiare Apoſtolo eſt, in eorum, ad quos ſcribit, numerum ſe referre, adhibitis vocibus, *nos*, & *nobis*. Sic *Epheſ.* II. 3. Inter quos (i. e. Gentiles) nos omnes *converſabamur aliquando in concupiſcentiis carnis noſtræ.* Et *Coloſſ. I.* 12. 13. *Pater - - liberavit* nos *à poteſtate tenebrarum.* His itemque aliis locis ſe ipſum inter *Gentiles* numerat, cum vere eſſet origine *Judæus.* Hac vero loquendi ratione uſus eſt, non ut falſi quidquam profiteretur, ſed ut exhortatio ſua & offenſioni minus obnoxia & magis efficax evaderet. Ita quoque, quando ſe ipſum h. l. iis accenſet, quibus Evangelium *confirmatum* erat ab iis, qui Chriſtum audiverant prædicantem, non id ſibi vult, quod Evangelium ab ipſo etiam Chriſto ἀμέσως non didicerit; ſed ponit, accidere aliquid illis, ad quos ſcribebat (quod accidere ex parte & ipſi poterat) & eadem opera, ad evitandam offenſionem, exhortationem ad ſe æque atque alios convertit.

*Clericus* epiſtolam ad *Hebræos*, *Paulo* jam fatis functo, ſcriptam eſſe ideo opinatur, quod *Hebr.* XIII. 23. ait: *Timotheus, frater noſter, liberatus eſt.* Poſteriorem enim hanc ad *Timotheum* epiſtolam proxime ante ſuprema Apoſtoli fata ſcriptam eſſe ait. Quod ſi itaque *Timothei captivitas* ante accidiſſet, quam literas ſuas ad ipſum ſcriberet; Apoſtolum ait captivitatis illius mentionem in his epiſtolis facturum, & *Timothei patientiam* atque *conſtantiam* commendaturum fuiſſe. Vide Hiſtoriam ejus *Eccleſiaſtic.* ad A. D. LXIX. p. 459.

At non meminerat *Clericus*, Apoſtolum id ipſum feciſſe 1 *Tim.* VI. 12. dicentem *Timotheo: præclaram profeſſionem profeſſus es coram multis teſtibus*; i. e. Chriſtianam religionem coram inimicis ejus, & coram judicibus tuis profeſſus es. Hoc enim ſenſu eadem verba, ὁμολογεῖν μαρτυρίαν, in ſequenti commate adhibentur, ubi *Chriſtus Jeſus bonam* profeſſionem teſtatus *coram Pontio Pilato eſſe* dicitur. *Clericus* nunquam probaverit, neceſſe fuiſſe, ut Apoſtolus aliquid amplius de hoc momento diceret.

Urgetur præterea, *linguam* & *ſtilum* in hac epiſtola *differre* a *lingua* & *ſtilo*, in aliis Pauli epiſtolis obvio. Sed ad hæc reſponderi facili opera poteſt.

Primo enim loco illi, qui illam *ſtili differentiam* urgent, non conſentiunt in eo, cujus ſtilo ille hujus epiſtolæ ſit ſimilis. *Clemens Alexandrinus*, loco ſupra allato pag. 807. not. c. *Lucam* eam *convertiſſe* docens, eadem opera innuit, ſtilum epiſtolæ hujus ſimilem eſſe illi *Lucæ*, quemadmodum expreſſis verbis ait, eandem, quæ in *Actis Apoſtolorum* eſt, dicendi rationem hic obſervari. Ὅθεν τὸν αὐτὸν χρῶτα εὑρίσκεσθαι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ταύτης τε τῆς ἐπιστολῆς, καὶ τῶν πράξεων. Vide *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 14. At *Euſebius*, itidem *Græcus*, *contraria* omnia tradit. Ex dictione enim colligit, *Græcum* epiſtolæ contextum non eſſe *Lucæ*, ſed *Clementis Romani*. Ait enim, alios *Lucam Evangeliſtam*, alios *Clementem Romanum* epiſtolam hanc dicere Græce convertiſſe; poſterius autem horum eſſe probabilius ex *ſtili convenientia*, quæ in epiſtola ad *Hebræos* & *Clementis* illa inveniatur. Vide ſupra. Recentiores in hoc capite non minus diſſentiunt. Quid vero tandem ponderis argumento, quod à *ſtilo* ducitur, tribui poteſt, quando illi, qui peritos ſtili judices præſtare ſe voluerunt, in tam diverſas abierunt ſententias, & duo omnino *Scriptores*, *Græci*, quorum judicio in æſtimanda *Græcæ* linguæ dictione præ aliis multum tribui debet, in hoc capite ſibi invicem adverſantur?

Deinde largiamur, linguam & dictionem hujus epiſtolæ *Lucæ* illi ſimilem eſſe, quod *Grotius* ſibi perſuaſit; ne ſic quidem conficietur, eum *auctorem* epiſtolæ fuiſſe. Quod ſi enim primum *Hebraice* eſt exarata, atque hinc *Græce* à *Luca* converſa, per ſe conſequitur, verſionis hujus ſtilum illi *Evangelii* & *Actorum* Apoſtolicorum, quæ eidem debentur, reſpondere debere. Si quis *Grotii* ſententiam defendere inſtituerit, ei auctor fuerim, ut *translationem Græcam* ſermonum Chriſti & *Pauli*, quam in *Evangelio* & *Actis* Lucæ legimus, ex *Hebræo* vel *Syriaco*, quod mox videbimus, factam, cum verſione epiſtolæ ad *Hebræos* comparet. Si utrinque eandem dicendi rationem deprehenderit, nil aliud ex eo effecerit, quam quod *Lucas* illarum commentationum ſit *interpres*.

Tertio loco obſervandum eſt, fruſtra eſſe *Grotium* & nihil agere, quando affirmat, voces & phraſes, quæ in epiſtola ad *Hebræos* exſtant, *nunquam* alias à *Paulo* adhiberi, pleraſque vero earum *Lucæ* eſſe peculiares & *proprias*. Recte quidem ait, verbum παραῤῥυῆσθαι in *tredecim* illis Pauli epiſtolis, de quarum veritate non dubitatur, non ocurrere. Conſtat vero etiam, idem nec

in

in aliis Novi Teſtamenti ſcriptis, ſi *Hebr.* II. 1 exceperis, obſervari. Negari quoque non poteſt, S. Paulum in aliis ſuis epiſtolis non adhibere vocem *αἰῶνες* ad *mundum* ſignificandum, quæ illius notio eſt *Hebr.* I. 2. & XI. 3. At nec minus verum eſt, S. *Lucam* eidem hanc ſignificationem non ſubjeciſſe. Quo igitur fine *Grotius* hæc attulit? Nonne enim hinc æque probari poteſt, *Lucam* non magis, quam *Paulum* epiſtolam hanc ſcripſiſſe? Recte dicitur, vocem *εὐλαβηθεὶς* ſignificare *reverentem*, *Actor.* XXIII. 10. & *Hebr.* XI. 7. eamque cum derivatis ſuis à nullo N. T. Scriptore, ſi *Lucam* & Interpretem epiſtolæ ad *Hebræos* exceperis, uſurpari. At enimvero vox *εὐλογία*, (quam alteri illi *εὐλαβηθεὶς* in Concordantiis Græcis proximam legis,) in epiſtola ad *Hebræos* bis, alibi autem in epiſtolis Paulinis *ſepties*, ſed in *Lucæ* ſcriptis nec *ſemel* occurrit. Nonne ex hoc æque recte confeceris, *Paulum* illius epiſtolæ *ſcriptorem* fuiſſe? Verum eſt, phraſin *εἰς τὸ παντελὲς*, pro, *εἰς τὸ διηνεκὲς* *Luc.* XIII. 11. & *Hebr.* VII. 25. adhiberi. At monere *Grotius* eadem opera candide debebat, poſterius illud, *εἰς τὸ διηνεκὲς frequentius* in epiſtola ad *Hebræos* exſtare, quæ ne ſemel quidem in *Evangelio* & *Actis* Lucæ legitur. Vide *Hebr.* VII. 3. X. 1. 12. 14. Præter hæc *Grotius* ad voces *μαρτυρούμενος* & *μαρτυρεῖσθαι* provocat, *Act.* VI. 3. XVI. 2. & *Hebr.* VII. 8. XI. 2. 5. 39. At idem ſibi probe cavit, ne moneret lectorem, *Paulum* illis vocibus *eo prorſus* ſenſu, quem in epiſtola ad *Hebræos* ſecum ferunt, uti, quando *Lucas* illis ſignificatum nonnihil *diverſum* tribuit. S. *Lucas* de illis loquitur, qui inter *homines* bonæ erant notæ; at epiſtola ad *Hebræos* de illis agit, qui à *Deo* in Scriptura Sacra præclarum teſtimonium reportarint. Atque hoc prorſus ſenſu *Paulus* in ſcriptis ſuis non dubiis vocem *μαρτυρούμενος* adhibet. *Rom.* III. 21. - - *μαρτυρουμένη ὑπὸ τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν, juſtitia Dei teſtimonium nacta eſt à Lege & Prophetis.* Convenienter his ad *Hebr.* VII. 8. dicitur: *μαρτυρούμενος ὅτι ζῇ, quem* (Melchiſedecum) *vivere teſtatum factum eſt*, ſcilicet in Veteri Teſtamento. His addi velim, S. *Paulum* hoc modo eandem verbo ſignificationem tribuiſſe, quam *Lucas* illi vindicavit, 1 *Tim.* VI. 10. - - *ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη*, vidua, bonum teſtimonium inter homines ex bonis ſuis operibus nacta. Si quidem *Grotius* cauſam hanc omnem hoc modo ediſſeruiſſet, fieri non poterat, ut Lectores deciperet, quorum multi ne decepti ſint, valde equidem vereor. His exemplis proxime jungit *Grotius* verbum *χρηματίζεσθαι*, tanquam quod *divinam admonitionem* inferat *Luc.* II. 26. & *Hebr.* VIII. 5. At nemo hic oſtenderit, quomodo id *Grotium* juvet; cum Paulus voce *χρηματισμὸς* eodem ſenſu utatur *Rom.* XI. 4. *Quid vero ait* reſponſio Dei *ad ipſum?* Nonne itaque *Pauli* ſtilus idem eſt, qui *Lucæ?* Addit vocem *ἡγούμενος*, quæ in epiſtola ad *Hebræos*, & in *Lucæ* ſcriptis, non vero item in Paulinis illis legatur. Vide *Luc.* XXII. 26. & *Hebr.* XIII. 7. 17. Huic autem oppoſuerim ego vocem *ἤδη*, i. e. *jam.* Illam Lucas *undecies*, Paulus vero *tredecies* uſurpavit; neque tamen vel *ſemel* in epiſtola ad *Hebræos* invenitur. Num vero ex hoc probaveris, epiſtolam hanc nec à *Paulo*, nec à *Luca* eſſe exaratam? Eadem

ſane veri ſpecie id dixeris, qua *Grotius* negat a *Paulo* ſcriptam. Non magis ſententiæ ejus ſuppetias fert vox *ἀρχηγὸς*, *princeps*. *Actor.* III. 15. V. 31. & *Hebr.* II. 10. XII. 2. Illi pro mea obverterim *ἁγιασμὸς*, *ſanctitas*, quæ in epiſtola ad *Hebræos*, & in epiſtolis Pauli *γνησίοις*, non vero in *Lucæ* ſcriptis obſervatur. Similiter voces, *ἀγὼν*, *ἀδόκιμος*, *αἰδὼς*, *αἱρέομαι*, *ἄκακος*, *ἀμελέω* (ubi notari velim, *Matthæum* hoc poſtremo uti cap. XXII. 5. quando *Lucas* in loco parallelo XIV. 18. aliud adhibet) *ἄμμος*, (*Matth.* VII. quam in narratione *Lucæ* parallela VI. 49. fruſtra quæras) *ἄμωμος*, *ἀναμιμνήσκω*, (pro quo *Lucas* habet *μνάομαι*) *ἀναστροφὴ* &c, in epiſtola ad *Hebræos*, & ſcriptis Pauli non dubiis, non autem in *Lucæ* Evangelio aut *Actis* exſtant. Manifeſtum vero eſt, & omni exceptione majus, S. *Lucæ* eandem occaſionem fuiſſe, voces *ἀμελέω*, *ἄμμος* & *ἀναμιμνήσκω* adhibendi, quam *Paulus* habuit, vocibus *ἡγούμενος* aut *ἀρχηγὸς* utendi. Supereſt ultimum exemplum à *Grotio* allatum. Id ſcilicet præpoſitione *πρὸς*, i. e. *quod attinet*, continetur. Eo enim ſignificatu in epiſtola ad *Hebræos*, & *Luc.* XX. 19. occurrit. *Cognoſcebant, quod parabolam hanc* quod ad ſe, *vel* de ſe (*εἶπε πρὸς*) *loqueretur*. *Hebr.* I. 7. *πρὸς ἀγγέλους λέγει*, *quod ad Angelos, ait.* Recte quidem hæc dicuntur. Falſum vero eſt, quod *Grotius* addit, hanc verbi ſignificationem *Lucæ* eſſe *propriam*. Ejusdem enim veſtigium etiam *Rom.* VIII. 31. *τί οὖν ἐροῦμεν πρὸς ταῦτα*; exſtat. Id ſane recte converteris: *quid* de *his rebus dicemus?*

Ex hactenus peroratis liquido puto apparere, quod nec umbra ponderis aut momenti alicujus ad epiſtolam hanc Paulo abjudicandam poſita ſit in iis, quæ *Grotius* ex ſtilo illius repetit. Si quis, *Grotium* legens, verba ejus, ſine inſtituto examine, admittat, nec, quæ ab altera parte dici poſſint, recogitet, is quidem argumenta ejus aliquam veri ſpeciem habere crediderit. Ubi vero examini ſubjicientur, nihil habebunt, quod permoveat legentem. Intelleximus itaque, non argumentis æque validis & idoneis, quam *Grotii* illa ſunt, probare poſſe, non *Lucam*, ſed *Paulum* epiſtolam ad *Hebræos* ſcripſiſſe. Summa vero hæc eſt, quod hæc argumentandi ratio pro neutra diſſentientium parte quicquam faciat. Neque digna futura erat examine, niſi a viro tam illuſtri adhibita fuiſſet. Quandoquidem vero *Grotio* ita agere placuit, *neceſſe* omnino erat, id penitus deſtruere, quamvis ita *ludere* & *tricari* videri aliis poſſis. Sed alia quidem ratione argumentum hoc depelli non poteſt.

Excipitur denique, *Paulum*, ſi epiſtolam hanc vere ſcripſiſſet, nomen ſuum præſcripturum fuiſſe, quod de ceteris tredecim epiſtolis feciſſe conſtat. Hoc vero plus infert, quam exceptionis hujus auctores pervident, & intelligunt. Nominis hic omiſſi, ſed in limine aliarum epiſtolarum commemorati, cauſa nos latet. Ex eo tamen non collegeris, nullam ejusmodi rationem in promtu fuiſſe Scriptori. Quicunque demum ejus fuerit auctor, res ipſa docet, eum nomen ſuum tacuiſſe. Alius quisque, ſiquidem alius epiſtolam ſcripſit, eadem de cauſa nomen ſuum præfigere poterat, qua Paulus, ſi auctor ejus exſtitit,

per-

permoveri poterat, ut nomen ſuum proderet. Et ſic ab altera parte fieri potuit, ut Paulus, ſi eam ſcripſit, ea de cauſa nomen ſuum omitteret, qua, idem ut facerent, *Lucas*, *Clemens* aut *Apollos*, ſi quis eorum pro Auctore haberi debeat, adduci poterant. Itaque nec hoc argumentum quicquam ponderis habet.

Quoniam itaque antiquiſſima & communiſſima Eccleſiæ traditio Paulum epiſtolæ ad *Hebræos* Scriptorem profiteatur, nec *argumento* ullo contrarium firmari poteſt; reliquum eſt, ut traditionem hanc ut veram & certam amplectamur, ipſamque epiſtolam illo ſtudio legamus, quod magni *Gentilium* Apoſtoli ejusdemque θεοπνεύστῳ ſcriptis debetur.

## II. *De* Lingua, *qua epiſtola ad* Hebræos *primum ſcripta eſt.*

Ut hæc cauſa definiri poſſit, præmonendus eſt Lector, *Hebræam* Linguam, quæ in Codice Veteris Inſtrumenti obtinet, patriam & vernaculam Judaicæ gentis linguam, *Judæis* ipſis in carcerem Babylonicum delatis, eſſe deſiiſſe; deinde vero, cum iidem libertati & regioni ſuæ vindicarentur, cum *Babylonica* ſeu *Chaldaica*, quæ antiquæ Hebraicæ dialectus eſt, permutatam fuiſſe. *Syriaca* tamen lingua ab illa Hebræorum antiqua nonnihil amplius differt, in regionibus, Judææ vicinioribus, uſu olim recepta. Hinc uſu venit, ut *Judæi* linguam *Syrorum* tum ante Salvatoris noſtri ætatem, tum ipſius temporibus imitarentur. Hæc lingua, ex *Chaldaico* & *Syriaco* conflata, poſt captivitatem *Babylonicam*, vernacula *Hebræis* lingua erat, atque hoc nomine *Hebraica* vocabatur, quamvis ab *Hebraica* vetere, qualis in V. T. exſtat, nonnihil differret. Apoſtolica ætate communem in *Judæa* linguam fuiſſe diſerte teſtatur *Lucas*, Act. I. 19. *Ager ille* propria *ipſorum lingua vocatur* Aceldama, *h.e. ager ſanguinis.* Vocem חקלא *Acela*, *Hebraica* vetus prorſus ignorat; ea vero in *Chaldaica* & *Syriaca agrum* infert. Ex quo conſequitur, *Chaldaicam* aut *Syriacam* linguam *Hebræis* ea ætate *propriam* fuiſſe. Sic etiam conſtat, Salvatorem noſtrum, ejusque diſcipulos, cum Judæis ceteris, cum quibus illi verſabantur, *Chaldaice* aut *Syriace* fuiſſe locutos. Apparet illud ex vocibus *Syro-Chaldaicis*, quæ in N. T. leguntur, v. c. *Abba*, *Bar Jona*, *Betheſda*, *Boanerges*, *Cephas*, *Eloi*, *Ephphata*, *Gabbatha*, *Golgotha*, *Lama Sabachtani*, *Maran Atha*, *Rabboni*, *Raca*, *Tabitha*, *Talitha kumi*, quæ non ad *Hebraicam* veterem, ſed ad *Chaldaicam* aut *Syriacam* linguam ſpectant. Et vel ſic tamen ipſæ illæ voces, tanquam ab *Hebræis* frequentatæ, *Hebraicæ* vocantur, *Johan.* V. 2. *Piſcina, qua* Hebraice *vocatur* Betheſda. XIX. 13. *Locus*, *qui dicitur* lithoſtrotos, *Hebraice autem* Gabbatha. v. 17. *Locus*, *qui dicitur* Calvariæ, *in lingua vero* Hebraica Golgotha. Jam nemo, literarum Orientis non penitus imperitus, ignorat, voces has, quæ *Hebraicæ* vocantur, nempe *Betheſda*, *Gabbatha* & *Golgatha*, vere *Chaldaicas* eſſe aut *Syriacas*. Interim cum hæc lingua, Salvatoris noſtri ætate, *Hebræis* fuerit recepta, & ab *Hebraica* vetere

tere fere tantum inſtar dialecti differat, non inconvenienter *Hebræa* appellatur.

*Hebræam* hanc vel *Syriacam* linguam Hebræis etiam poſt Domini noſtri aſcenſionem in cœlum, atque adeo *Pauli* ætate, receptam fuiſſe, ex vita ejus, in *Actis Apoſtolicis* enarrata, intelligitur. Cum enim a *Lyſia*, militum Romanorum præfecto, captus, libertatemque ad *Hebræos Hieroſolymitanos* verba faciendi nactus eſſet, Actor. XXI. 40. & v. 2. capitis proximi, auditores dicuntur *hoc magis ſiluiſſe, quod eum Hebraice ſe adloquentem audirent.* Apoſtolus, linguarum quippe dono valens, & diverſis linguis præ aliis utens (1 *Cor.* XIV. 18.) ſermonem quacunque alia lingua facere poterat. *Hebraice* itaque vel *Syriace* ideo tantum loquebatur, quod auditores *Hebræi* eam linguam, tanquam *ſibi propriam* & vernaculam (*Act.* I. 19.) omnium optime intelligendo adſequebantur. *Græce* loqui tum poterat, ſi voluiſſet; ſed probe norat, Judæos ſe non eſſe intellecturos. Nonne itaque in proclivi eſt inde colligere, quod *biennio* poſt epiſtolam hanc, illis inſcriptam, vernacula lingua ſcribere voluerit, ut eam gens, cui inſcripta erat, & legere, & in uſum ſuum convertere poſſet? Nonne eadem cauſa adduci poterat, ut *Hebraice* vel *Syriace* ſcriberet, ad *Hebræos*, qua, ut eadem lingua ad eoſdem verba faceret, antea ſe paſſus eſt permoveri (m)?

Quemadmodum ſic ſentire res ipſa proxime jubet; ita vetus traditio (n) omnis epiſtolam hanc *Hebraice* ſcriptam eſſe profitetur. Hujus mentio fit à *Clemente Alexandrino, Euſebio & Hieronymo*, quorum verba ſupra attulimus, nec illi veterum Scriptorum quiſquam contradicit. Cum autem præterea hac in re nihil abſurdi ſit aut inconvenientis, imo vero *Hebræorum* in Judæa, ad quos ſcribebat, conditio poſtularet, ut *Hebraice* vel *Syriace* ſcriberet; nihil cauſæ video, cur non illud *antiquitatis* teſtimonium, *a nemine in dubium vocatum*, recipiamus. Equidem a me impetrare non poſſum, ut *facto* me opponam, quod ab *idoneis* & *fide dignis* teſtibus firmatur.

Interim non neceſſe eſt, ut vi dictorum ſtatuamus, *Syriacum* epiſtolæ hujus contextum, quem in N. T. *Syriaco* hodie habemus, ab ipſo Apoſtolo eſſe profectum. Fortaſſe enim ille non minus, quam ceterarum epiſtolarum Interpreti cuidam ex *Græco* debetur. Ab altera vero parte non crediderim cum *Eſtio*, rem

(m) Enimvero Paulus loquebatur ad *Judæos Hieroſolymitanos*, lingua *Syro-Chaldaica* potiſſimum utentes. Scribebat vero ad *Ex-Judæos*, qui non *Hieroſolymis* aut in *Judæa* tantum verſabantur, ſed per varias regiones erant diſperſi, quod *not. l.* eſt admonitum. In illis vero regionibus vix fieri poterat, ut lingua ſibi alias vernacula uterentur Judæi, ſed eam potius adoptare neceſſe habebant, quæ eſſet communior. Talem autem *Græcam* fuiſſe nemo dubitaverit. Nihil igitur obſtat, quo minus *Paulum* ad *Ex-Judæos*, in variis Orbis partibus verſantes, *Græca* h. e. receptiſſima lingua ſcribere voluiſſe credamus. Taceo, Apoſtolum epiſtolam hanc præcipue quidem *Ex-Judæorum* uſibus deſtinaſſe, neque tamen credentium alios excluſos voluiſſe. Hoc poſito, neceſſe erat, ut *Græce* potius, quam *Syro-Chaldaice* ſcriberet

(n) Vide quæ contra hanc ſupra in Prolegom. p. 592. diximus, & infra not. 2.

rem ita *omnino* habere, (o) ob duas tresve voces *Græcas*, (nempe קבותא κιβωτὸς, & דיתיקא διαθήκη *Hebr.* IX. 4.) quæ in epiſtola hac leguntur. Multæ enim *Græcæ* voces *Chaldaica* vel *Syriaca* civitate, *Alexandro* M. ejuſque Græcis Succeſſoribus imperantibus, atque adeo trecentis annis ante Pauli ætatem donatæ erant. Lege in hanc rem *Danielis* Prophetiam, & *Richardi Simonis* Hiſtoriam Criticam verſionum N. T. cap. XV. Sect. II.

Quæ huic ſententiæ, epiſtolam nempe ad *Hebræos Hebraice* aut *Syriace* ſcriptam eſſe, opponuntur, in illis nullam veri ſpeciem adhuc deprehendi. Interim vel ſic paucis ea omnia perſequar. Primum enim obvertitur: Græcum, qui exſtat, contextum, verſioni non eſſe ſimilem; alioquin enim perpetuos exhibiturum eſſe Hebraiſmos, quales in Græca Codicis Hebræi verſione exſtent; quando potius Hebraiſmos raro ſiſtat, & dictionem elegantiſſimam referat. Facilis ad hæc & obvia admodum eſt reſponſio. (p) Interpres enim epiſtolæ ad *Hebræos*, ſive *Lucas* ille ſit, ſive *Clemens*, linguam longe rectius callebat, quam antiqui illi Veteris Teſtamenti Interpretes Græci unquam calluerunt. Poſtremorum ſane librorum Interpretes nec *Hebraicæ* nec *Græcæ* Linguæ vel mediocrem notitiam demonſtraſſe in Volumine I. Notarum & Diſſertationum mearum Diſſert. V. pag. 118. oſtendi. At enimvero *Lucas* & *Clemens* ſcriptis ſuis non dubiis Græcæ Linguæ notitiam abunde teſtatam fecerunt. Et ſicut *Lucas* ſpeciatim ſermones Domini noſtri & S. Pauli, *Hebraice* vel *Syriace* factos, *Græce* eleganter expreſſit; ita parem ſe oſtendit *epiſtolæ* ex eadem lingua in *Græcam* æque bene convertendæ.

Altero loco objicitur: S. Paulum epiſtolam ad Hebræos *Hebraice* non ſcripſiſſe, cum verba V. T. non ſecundum contextum *Hebræum*, ſed ſecundum *Græcam* verſionem afferat; v. c. *corpus præparaſti mihi Hebr.* X. 5. pro quo in Hebræo eſt: *aures aperuiſti mihi*, Pſalm. XL. 7. *Jacob adorabat ſummitati baculi ſui innixus* Hebr. XI. 21. ubi in Hebræo *apex lecti* legitur, *Geneſ.* XLVII. 31. Sed in his ne ſpecies quidem argumenti apparebit illis, quibus compertum eſt, erroris cauſam in *recentibus* exemplis Codicis Hebraici, quæ à Judæis accepimus, poſitam eſſe, (q) dum interim vera & germana verborum lectio in



(o) Fieri omnino non poteſt, ut *Syriacum* illud hujus epiſtolæ exemplum pro originali Pauli ſcripto habeatur. Illud enim conſignatum eſt dialecto *Maronitica*, quæ non minus literis, quam interiore ſua conditione a dialecto *Syro-Chaldaica*, quam alii *Syro-Hieroſolymitanam* vocant, diſtincta eſt, nec Judæis Hieroſolymit. unquam in uſu fuit. Vide quæ hanc in rem ex Anglis *Waltonus* Prolegom. XIII. ex noſtratibus autem *Pfeiferus* in Critica Sacra cap. III. qu. 12. & Vener. *V. E. Læſcherus* de Cauſis Linguæ Hebr. pag. 75. ſq. dixerunt.

(p) Nolim & ipſe hoc argumento admodum uti, cum alia non deſint, quibus noſter, quod mox videbimus, non ſatisfecit.

(q) Ita vero nodus non ſolvitur, ſed ſcinditur. Injuriam fieri Hebræo Codici, quando tot corruptelarum, quæ vel temporum injuriæ, vel incuriæ librariorum, vel Judæorum denique pravitati debeantur, a nonnullis poſtulatur, in limine Voluminis II. Bibliothecæ Hebraicæ ſatis oſtendiſſe mihi videor. Hebraica hodie Pſ. XL. & *Geneſ.* XLVII. 31. recte habere, ad epiſtolæ hujus loca citata a pleriſque Interpretibus recte eſt obſervatum. Vide, quæ ad illa ſcripſimus.

in Græca verſione ad nos transmiſſa eſt, quod in notis ad hæc commata oſtendi. Jam *Pauli* quidem ætate (r) contextus *Hebræus* librariorum incuria non tot corruptelas acceperat, quot ſequentibus ſæculis eſt temeratus. Tunc enim exempla Codicis Hebræi contextum V. T. eodem modo, quo ipſe illum excitavit, exhibebant. Si quis hæc exemplis ſibi cupiat probari, eum ablegatum velim ad eruditi *Whiſtoni* elegantiſſimum tractatum, (s) quem *Conatum, ad verum V. T. contextum inſtaurandum pertinentem*, inſcripſit, & ad *Indicem errorum, in hodierno Hebraico Codice exſtantium*, * quem ipſe ego in Volumine II. Notarum & Diſſertationum mearum ſuppeditavi.

Tertio loco a viris magnis urgetur: Si epiſtola hæc Hebraice ſcripta fuiſſet, fieri non poterat, ut Apoſtolus de *Teſtamento* ea quidem, qua id factum eſſe videmus, ratione differeret. Dum enim, inquiunt, vocem διαθήκη nunc in ſignificatu *fœderis*, nunc in ſignificatu *Teſtamenti*, vel *ultimarum tabularum* adhibet, talis certe ambiguitas a voce *Hebraica* ברית exulat, quæ nunquam *teſtamentum*, ſed ſemper *fœdus* infert. Hæc vero objectio a doctiſſimo *Peircio* ſolide eſt confutata. Hic enim egregie oſtendit, epiſtolæ hujus Scriptorem minime omnium, quod nonnulli præcipites affirmarunt, vocis διαθήκη ambiguitatem in rem ſuam convertiſſe, ſed illi ſemper unum eundemque ſignificatum, nempe *Teſtamenti*, tribuiſſe, Hebr. IX. 15. 16. 17. Vide notas ejus in hæc commata. (t) His poſitis hæc commentatio *Hebraice* vel *Syriace* ſcribi, & Apoſtolus ipſe vel ברית vel קימא vel ריתיקא adhibere potuiſſet.

Urgetur porro: Si hæc epiſtola Hebraice eſſet exarata, non opus erat futurum, ut Scriptor ejus voces *Hebraicas*, per ſe perſpicuas, *Melchiſedec* nominatim & *Salem*, interpretaretur, quod fieri videmus *Hebr.* VII. 1. 2. *Hic* Melchiſedecus, *Rex* Salem, -- *primum quidem ex interpretatione* Rex Juſtitiæ, *deinde vero etiam Rex* Salem, *quod eſt*, Rex pacis. Nonne, ajunt, *ſupervacaneum* eſt, de eo monere aliquem, qui Hebraicæ linguæ gnarus eſt? Quis *Anglum* v. c. doceret, vocem *ſchoolmaſter* idem eſſe, quod *maſter of a ſchool?* Valeret aliquid hæc objectio, ſi epiſtolam hanc lingua *Hebraica* vetere ſcriptam eſſe ſtatueremus. Jam vero nihil omnino ponderis habet, ut efficiatur, non eſſe exaratam lingua *Syriaca*, quam naſcentis Eccleſiæ Doctores una cum Scriptoribus Novi Teſtamenti *Hebraicam* appellant. In *Syriaca* autem lingua interpretatione ejusmodi opus erat. In illa enim æque ac in *Anglicana* non parum diſcri-

(r) Si *Pauli* ætate Codex Hebræus non tam miſere eſt habitus, ſequentibus temporibus, quibus idem in Chriſtianorum manibus verſabatur, fieri non potuit, ut univerſalis ejusmodi labes exempla ejus occuparet.

(s) Illum vero ſub eruditum examen ex noſtratibus vocavit Vener. I. G. *Carpzovius* Parte III. Criticæ Sacræ.

* De hoc indice fortaſſe alibi dicemus.

(t) Compara, quæ nos ad illa ſcripſimus.

diſcriminis inter *Melchiſedec* & *Regem juſtitiæ* intercedit. (u) *Rex juſtitiæ Syriace* non dicitur מלך צרק ſed, vel מלכא דכאנותא, vel propius, מלכא דזרוקותא quod utrumque a vocibus Hebraicis ſatis abit, ut explicatione indigeat. Vocem *Gallicam Neufchatel* homini *Anglo*, vernaculæ tantum linguæ gnaro, explicare fas eſt, quamvis a voce *Newcaſtle*, quam altera illa infert, non magis differat, quam *Hebraicæ* & *Syriacæ* voces, (x) modo memoratæ, à ſe invicem diſcrepant. Similiter *Rex Salem* in Hebraica vetere lingua vocatur מלך שלם at *Rex pacis* Syriace audit מלכא רשלמא, quæ voces quod ad pronunciationem & ſonum ab Hebraico ita abeunt, ut originem facile celent illum, qui *Syriacæ* tantum linguæ gnarus ſit. (y) His ex abundanti addo, dici quoque poſſe, quod hæ interpretationes ab *Interprete Græco additæ ſint contextui.* Ita S. *Lucas* alias interpretationi *Græca* ſermonis *Hebraici*, ejusmodi expoſitionem, quæ in ſermone ipſo deſiderabatur, inſeruit. Sermo hic *Petri* eſt, qui procul dubio *Hebraice* vel *Syriace* factus erat, & a *Luca* additamento ejusmodi locupletatus. *Act.* I. 19. *Notum erat omnibus Hieroſolymam inhabitantibus, adeo, ut ager ille propria ipſorum lingua vocaretur* Aceldama, *h. e.* ager ſanguinis. Hæc quidem verba a S. *Petro* in ſermone ad *Judæos Hieroſolymitanos* pronunciari non potuerunt, ſed totum comma repetendum eſt a *Luca* Interprete, qui illud inſtar *parentheſeos* ceteris addiderit. Eodem itaque modo fieri potuit, ut *Lucas* expoſitionem vocum *Melchiſedech* & *Salem* in *Græca* epiſtolæ hujus verſione adjiceret. Manifeſtum enim eſt, Auctorem in ſequentibus huic vocum interpretationi nihil omnino ſuperſtruere. *

Quinto loco obvertitur: Si hæc epiſtola *Hebraice* primum ſcripta eſt, unde evenit, ut nullum ejus in hac lingua exemplum unquam vel lectum, vel viſum, vel fando acceptum ſit a diligentiſſimis quibusque fragmentorum anti-



(u) Enimvero Biblicæ Hebraicæ Linguæ uſus inter Judæos Pauli ætate non prorſus antiquatus erat. Legebatur Codex Sacer Hebræus in Synagogis, ut hodienum fieri ſolet. Vide 2 *Cor.* III. 15. Itaque neceſſe eſt, nomen *Melchiſedeci* Hebraicum illis cognitum fuiſſe una cum proprio ejus ſignificatu. Ponamus itaque, Apoſtolum *Syro-Chaldaice* ſcripſiſſe; vel ſic non opus erat, ut expoſitionem adderet. Taceo, interpretationem non aliam eſſe potuiſſe, quam nomen ipſius erat Syriace prolatum.

(x) Qui ad pronunciationem Anglicanam vocis *Newcaſtle* attenderit, fatebitur, eam ita comparatam eſſe, ut non tam affinis Gallicæ illi *Neufchatel*, quam prorſus nova videri debeat illi, qui utriusque linguæ non ſit peritus. Idem vero de nomine hoc *Hebraico* altero, altero *Syro-Chaldaico*, non dixeris, inprimis ubi recogitaveris, ad Judæos ſcribi, qui Hebraicæ quoque linguæ periti erant.

(y) At *Hebræi*, ad quos ſcribebat Paulus, Hebraice etiam ſciebant.

* Non urget quidem Scriptor epiſtolæ in ſequentibus diſerte utriusque nominis originem & ſignificatum. Cum autem in tota fere epiſtola Dominus ut *juſtitiæ* & *pacis* apud Deum auctor repræſentetur, *Melchiſedecus* vero ut typus ejus exhibeatur; patet non ſine ſingulari conſilio hanc expoſitionem additam fuiſſe.

Digitized by Google

quorum naſcentis Eccleſiæ collectoribus? Hic vero obſervandum eſt, quod, quando veteres illi Chriſtiani expreſſis verbis epiſtolam hanc *Hebraice* ſcriptam eſſe teſtantur, idem hoc ſit, ac ſi profiteantur, ſe de exemplo aliquo in illa lingua *inaudiviſſe*. (z) Cum vero *Hieroſolyma* (a) *octo* annis poſt ſcriptam hanc epiſtolam everteretur, & *Hebræi*, quorum uſibus potiſſimum erat deſtinata, hinc inde eſſent *diſperſi*, factum eſt, ut *Hebraica* exempla raro eſſent obvia, præcipue cum *Græca* illa translatio authentica Chriſtianis Ex-Judæis, tum *diſperſis*, tum & aliis, communiorem uſum præſtare poſſet.

Ultimo & hoc affertur: Epiſtola hæc elegantiſſimis Græcæ Linguæ formulis & *Paronomaſiis* quoque abundat, quibus in *Hebraica* lingua nihil reſpondeat, v. c. V. 8. ἔμαθεν, ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε & X. 34. ὑπαρχόντων, & ὕπαρξιν. Vim hujus argumenti equidem fateor me non perſpicere. (b) Si enim ponamus, epiſtolam hanc primum *Syriace* ſcriptam, atque hinc a *Luca Græce* translatam eſſe, vix fieri poterat, ut Interpres *paronomaſias* ejusmodi evitaret. In quacunque enim lingua Auctor ſcripſerit: *Chriſtus* didicit, *obedientiam ex illis, quæ* perpeſſus eſt, & quam longe etiam voces illæ, *didicit* &, *perpeſſus eſt*, in lingua illa a ſe invicem diſtinctæ fuerint, quo minus vel ſonum vel originem eandem

(z) Quis vero præſtet, *Clementem Alexandrinum*, qui primus inter veteres epiſtolam hanc *Hebraice* ſcriptam eſſe literis prodidit, id omne non conjectura quadam ſua adſecutum eſſe, quod convenientius illi videretur, ad *Hebræos* ſcribi *Hebraice*. Scilicet *Clementis Alexandrini* Hypotypoſes, ex quibus hæc ejus ſententia ab *Euſebio* recitatur (vide ſupra pag. 809.) hodie non exſtant. *Euſebius* etiam ad ejús tantum fidem provocat, nec vel verbo monet, *Clementem* ex veterum auctoritate id adfirmare. Quæ præterea *Euſebius* (vide ſupra pag. 813.) in eandem ſententiam adfert, ex *Clemente* tantum hauſiſſe videtur, ſicut *Hieronymus* ex *Euſebio*. Itaque non video, allatis illis *Clementis* & ceterorum duorum teſtimoniis hanc opinionem ſuperſtrui ſat tuto poſſe. Imo vero, quid obſtat, quo minus illam *Clementis* pro *privata* ejus *opinione* habeamus, ſicut *Hallettus* (vide ſupra pag. 812.) *Origenis* de *ſtilo* hujús epiſtolæ à reliquis Pauli ſcriptis *diverſo*, aſſertum eo loco habendum eſſe pronunciat?

(a) Hæc ratio innititur ſententiæ nondum firmatæ, nempe quod epiſtola hæc ad Ex-Judæos, Hieroſolymis commorantes, ſcripta ſit. Cum vero, quod ante monuimus, probabilius ſit, eam ad Ex-Judæos, Pauli ætate jam in variis regionibus verſantes, exaratam eſſe, non ſane intelligitur, quo modo exemplum *Syro-Chaldaicum* authenticum, ſi quod tale unquam exſtitit, ex veterum manibus ita excuti potuerit, ut nulla ejus fragmenta ullibi appareant.

(b) Vis argumenti, quod a *paronomaſiis* hic petitur, ſequentibus momentis abſolvitur. *Paulus* illas in aliis epiſtolis ſuis frequenter adhibet. Exempla habes apud *Suicerum* Tomo II. Theſauri Eccleſiaſt. p. 658. Itaque probabile eſt, iisdem in hac quoque epiſtola more ſuo uſum fuiſſe. Et tales in ea plures, quam quas *Hallettus* hic adfert, exſtare ſupra p. 592. docui. Jam conſtat, *paronomaſias* ex alia lingua in aliam, quam Interpres adhibet, nunc prorſus non, nunc difficulter transferri imitando poſſe. Cum itaque tales in præſentis epiſtolæ contextu Græco liquidæ ſint, veriſimilius omnino eſt, eam ab Apoſtolo ipſo, paronomaſiarum amante, Græce ſcriptam, quam ab alio converſam eſſe. Huic rei major fides fit, ſi conſtet, linguam, qua Scriptor utitur, occaſionem præſentiſſimam paronomaſiæ ejusmodi feciſſe. Atque ita comparata eſt phraſis *Hebr.* V. 8. ἔμαθεν ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε. Ea enim nata eſt ex proverbiali Græcorum formula, παθήματα, μαθήματα, quam *Herodoto* receptam fuiſſe ad locum monui. Scilicet ſententiam hanc Scriptor epiſtolæ alia etiam ratione exprimere poterat: ut vero ita exprimeret, ipſius linguæ rationibus adductus merito exiſtimatur.

dem referrent; Græcus tamen Interpres commemoratam illam paronomaſiam, ἔμαθεν, ἀφ᾽ ὧν ἔπαθε, evitare non potuit. Interpres non videtur ullo modo *conſilium* habuiſſe *vocibus ludendi;* imo vero difficile ipſi futurum erat hoc loco efficere, ut voces, ſono ſibi ita affines, evitarentur. Eadem eſt alterius paronomaſiæ ratio. In quacunque demum lingua Scriptor aliquis meminerit *jacturæ bonorum*, & repóſitæ in cœlis *melioris ſubſtantiæ*, *Græco* ſane Interpreti proclive erat futurum, uti vocibus ὑπαρχόντων & ὕπαρξιν, non tam ob ſoni affinitatem, quam quod nihil illis in hoc argumento eſt convenientius. Accedit vero & hoc, quod, ſi Auctor ipſe *paronomaſiam* hoc loco deſtinata opera conſectari voluiſſet, eamque Græce ſcripſiſſet, ὑπαρχόντων potius & ὑπάρχοντα ſcripturus fuiſſe videatur. *Latine* ita diceres: *Vos cum voluptate direptionem* facultatum *veſtrarum pertuliſtis*, *in cœlo autem potiores* facultates *habetis*. Ex *paronomaſiis* ejuſmodi argumentari non licet, niſi appareat, eas à Scriptore data opera fuiſſe *quæſitas*. Sæpe enim præter *conſilium* & exſpectationem uſu veniunt. Speciatim vero in *verſionibus* frequenter occurrunt, etiam tum, cum nihil ejusmodi in contextu authentico obſervatur. S. *Pauli* ſermo ad *Synedrium Judaicum Act.* XXIII. procul dubio *Syriace* factus erat: & vel ſic *Lucas* in ſua illius interpretatione *paronomaſia* adhibuit v. 3. κατὰ τὸν νόμον & παρανομῶν. Latine dixeris: *Sedes judicaturus* legaliter, & illegaliter *jubes me vapulare*. Similis paronomaſia exſtat in Græco, *Matth.* XVI. 18. Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ Πέτρᾳ κ. τ. λ. Latine: *Tu es* Petrus, *&* *ſuper hanc* Petram &c. Interim nemo, credo, hinc collegerit, Salvatorem noſtrum vel *Latine*, vel *Græce* ad Petrum dixiſſe. Sine dubio enim *Syriaca* uſus eſt *lingua*, in qua *paronomaſia* hæc efficacior eſt, cum eadem vox *Syriaca* כאפא & *Petrum* & *petram* ſignificet. Itaque ex *paronomaſia* argumentum ducere non licet, niſi manifeſtum ſit, eam data opera *quæri* & *intendi*. Imo, ſi vel maxime *quæſita* fuerit, ac ſimul in diverſis linguis locum inveniat, ex ejusmodi *paronomaſia* nunquam definiveris, quæ lingua ſit *originalis*, quæve *interpretationis* loco ſit habenda. Cum vero in *Græca* hac ad *Hebræos* epiſtola nulla *paronomaſia* occurrat, quæ ab auctore Græcæ editionis *quæſita* ſtudio dici poſſit; infirmum omnino eſt argumentum, quod ex vocum affinitate, quæ *caſui* debetur, eo conſilio ducitur, ut conſtet, *Græcum* non *verſionis*, ſed *originalis contextus* loco eſſe habendum.

Summatim ut dicam, nihil cauſæ eſt, cur *veterem* illam nec *in dubium* unquam vocatam traditionem ſpernamus, quæ epiſtolam ad *Hebræos Syriaca*, i. e. ut ea ætate vocari ſolebat, *Hebraica* lingua ſcriptam credere jubet. Itaque perſuaſum mihi habeo, ea lingua exaratam primum eſſe; verique videtur ſimillimum, eam a *Luca Græce* converſam. Qui igitur illam nunc *Paulo*, nunc *Lucæ* tribuerunt, utrique non errant, cum Paulus *epiſtolam ipſam* ſcripſerit, *Lucas* autem, ut videtur, *Græcam* fecerit.

 INDEX

Digitized by Google

# INDEX I. VOCUM HEBRÆARUM.


א

אבן שתיא 519.
אדם *genus humanum*, collective. 86.
אחרית הימים 525. 601.
אלוף doctor. 804.
אם non. 634.

ב

ב interdum indicat fundamentum morale actionis, in alterius gratiam factæ. 17.
בכור *primogenitus*, quam varie dicatur? 287.
בעל 689.
ברית *fœdus*, non *Teſtamentum*. 705.

ג

גוף 311.
גירסא 656.
גמילות חסדים. 802.
גמר 313.

ח

חוקים 56.
חתומה 519.

י

ינוקא 655.
יצר הרע 336.

כ

כבוד 355.
כון 157.
כלי uxor. 364.
כרוב 289.
כרה 723. 724.
כרם *tempus*. 134.

ל

לקח *accepit*, *ut daret*. 85. ſq.

מ

מטה 764.
מטטרון 225.
מצוות 56.
משל 762.
משפחה 71.
משא ומתן 268.

נ

נגיד 804.
נמצא *res exiſtens*. 750.
נפש, נשמה & רוח 381.
נשא *rego*. 605.
נשיאים de Judæorum Præfectis. 313.
נתן *conſtituit*. 36.

ס

סבל *rego*. 605.
סגולה 30. 565. 566.
סוד *res magni momenti*. 143.

ע

עולם an *mundum* denotet? 747.
עולם הבא 618. 663.
עפל 737.
עצם 311.
ערבון *pignus*. 28.
ערף 647.

פ

פסק 515.
פרגוד 54.
פרנס 92.
פרקים 323.
פרקמטיא 508.




Digitized by Google

צ

צבא de cultu V. T. Judaico. 423.
צדיקים גמורים *juſti perfecti.* 792.
צעיר 65.

ק

קוביא *alea, fraus.* 100.
קרס'א *tempus* Rabbinice, ex *καιρός.* 134.

ר

רבנים 92.

ש

שכן, & שכינה 309.
שלל 306.

ת

תורה 54.
תחתיות ארץ 90.

# INDEX II. VOCUM GRÆCARUM.

A

*ἀγαθὰ* de *victu* vel *opibus.* 112.
*ἀγαθὸν, beneficium.* 580.
*ἀγαθὸν ἔργον.* 170.
*ἀγαθὸς, benignus.* 559.
*ἀγαπηταί.* 577.
*ἀγαπητός.* ibid.
*ἄγγελος* varia denotat. 453. an Apoſtolum? 454. an Prophetam & doctorem? 617.
*ἀγενεαλόγητος.* 675.
*ἅγια* an *bona cœleſtia?* 32.
*ἅγια* prior *Tabernaculi* pars, ſicut poſterior *ἅγια ἁγίων.* 695.
*ἁγιάζεσθαι*, purificari à peccatis. 622.
*ἁγιασμός.* 363.
*ἅγιοι*, fideles. 94.
*ἅγιον*, vaſa ſacra. 693.
*ἅγιον κοσμικόν. ibid.*
*ἁγιωσύνη.* 362.
*ἁγνεία*, caſtitas. 480.
*ἀγνοήματα* peccata.
*ἁγνός.* 480.
*ἀγρυπνεῖν.* 804.
*ἀγωγή.* 530.
*ἀγὼν*, periculum. 353.
*ἀγωνίζεσθαι.* 539.
*ἀδηλότης*, & *ἀδηλία*, incertum. 494.
*ἀδιάφθορος* & *ἀδιαφθορία.* 561.
*ἀδιαφορία.* 561.
*ἀδικία* an mendacium? 397.
*ἀδύνατον.* 661.
*ἀὴρ* tenebræ. 40.
*ἀθετεῖν νόμον*, deficere à lege. 732.
*ἀθετεῖν πίστιν.* 473.
*ἄθεος* is eſt, qui verum Deum non agnoſcit. 51.
*ἀθυμεῖν.* 343.
*αἰδὼς*, verecundia. 796.
*αἷμα καὶ σάρξ.* 150. 151.
*αἱρετικός.* 572.
*αἴσθησις*, experientia. 179.
*αἰσθητήρια.* 656.
*αἰσχρότης*, *αἰσχρολογία.* 119. 335.
*αἰσχροκερδής.* 440. 445.
*αἰσχύνη* non ſignificat *pudenda.* 257.
*αἴτιος.* 654.
*αἰχμαλωτεύω.* 88.
*αἰὼν* vita, ſeu vivendi ratio. 40. vita ſæcularis. 540.
*αἰὼν οὗτος καὶ μέλλων.* 35. 663.
*αἰῶνες* futuri de *poſteritate.* 46.

*αἰῶνες*

αἰῶνες an *Angeli?* 421. & 601.
αἰῶνες *mundus*. 601. 745. ſq. non *ſecula gratiæ varia*. 747.
αἰώνιοι χρόνοι. 502. 550.
ἀκαθαρσία. 118. 354. 367.
ἄκαρπος. 126.
ἀκοὴ, narratio. 641.
ἀκρίβεια & ἀκριβῶς. 133.
ἀκριβοδίκαιος. 263.
ἀκροβυστία. 50.
ἀκρογωνιαῖος. 60.
ἀκροθίνια. 676.
ἀλήθεια. 108. ἐν ἀληθείᾳ i. e. ἀληθῶς, *vere*. 279.
ἀληθινὸν opponitur *fictitio*. 353.
ἀλλὰ, *itaque*. 139. *imo*. 187. *nihilominus*. 221. tamen. 305.
ἀλυσιτελὴς, noxius. 804.
ἀμετάθετος. 667.
ἀμὴν. 805.
ἀμοιβὴν ἀποδιδόναι. 469.
ἄμωμος, utrum ad juſtificationem an renovationem pertineat? 18.
ἀνὰ, rurſum, &, ſurſum. 664.
ἀνάγκη. 706.
ἀναδέχεσθαι, *recipere* fide. 760.
ἀναζωπυρέω. 500.
ἀναθάλλειν, neutraliter & tranſitive. 266.
ἀνακεφαλαιῶν, recapitulare, vel comprehendere ſub uno capite. 22.
ἀναλαμβάνειν de *armis*. 158.
ἀναλογίζεσθαι. 779.
ἀναλῦσαι. 190. 538.
ἀνανήφειν. 523.
ἀναπληρῶν pro ſimplici πληρῶν. 236.
ἀναρίθμητος. 758.
ἀνάστασις an *ſuſcitatio?* 245.
ἀνασταυρῶν. 664.
ἀναστροφὴ. 798.
ἀνατέλλειν. 680.
ἀνελεῖν ἐκ μέσου. 318.
ἀνεπίληπτος. 438. 492.
ἀνεψιὸς. 345.
ἀνέχειν. 804.
ἀνῆκον. 121.
ἀνιέναι. 147.
ἀνοίγειν στόμα. 162.
ἀνόητος. 490.
ἀνόνητος. *ibid.*
ἀντὶ num idem, quod *inſtar?* 143. non ſemper verbis præmiſſum aliquid ſignificat. 299. 709. *loco*, vel *vice*. 779. *propter*. ibid.
ἀνταναπληρῶν. 298.
ἀνταπόδοσις. 343.
ἀντέχεσθαι. 552.
ἀντικαθήμενος. 390.
ἀντικείμενος. *ibid.*
ἀντιλαμβάνεσθαι. 484.
ἀντίλυτρον. 426.
ἀντίτυπον, idem quod τύπος, *exemplum*. 709.
ἄνω pro ἄνωθεν. 250.
ἀπαλγεῖν. 104.
ἀπαλλοτριόω. 50.
ἅπαξ, *plene*. 662. 712.
ἅπαξ καὶ δὶς. 268.
ἀπαράβατος. 682.
ἀπάτωρ. 672. 674.
ἀπαύγασμα. 603.
ἀπέραντος & ἀπέρατος. 411.
ἀπερίστατος. 776.
ἀπέχω, ſatis habeo, ſufficit mihi. 269.
ἁπλότης. 146.
ἀπὸ, *poſt*. 532. *ex*, vel, ἀ. 652. *propter*. ibid.
ἀποβάλλειν, *amittere*. 735.
ἀποβλέπειν. 766.

ἀπόβλη-

ἀπόβλητον. 460.
ἀποδέχεσθαι, & ἀποδοχή. 419.
ἀποδῦσαι, *detrahere*, de factis ſpoliis. 318.
ἀποζώννυσθαι, *exauctorari*, de militibus. 157.
ἀποκαθιστάνειν. 804.
ἀποκαλύπτειν, de revelatione per verbum. 252.
ἀποκάμνειν. 780.
ἀποκεῖσθαι. 279.
ἀπόκρισις, egeſtio ciborum. 331.
ἀποστασία. 390.
ἀπόστολος, *legatus*. 241. 628.
ἀποστομίζειν. 554.
ἀποτόμως. 557.
ἀποφεύγειν, abſolvi. 617.
ἀπόχρησις utrum *uſum*, an *abuſum* inferat? 332.
ἀποχρᾶσθαι, abuti. 332.
ἅπτεσθαι de cibis ſumendis. 331.
ἀργός. 556.
ἁρμοὶ. 646.
ἁρπαγμός. 212.
ἅρπαγμα, præda. 214.
ἀρραβών. 27.
ἄρτιος. 534.
ἀρχή, *κατ' ἀρχάς*, initio. 612.
ἀρχὴν λαμβάνειν. 617.
ἀρχαὶ an Præſides Eccleſiæ Judaicæ? 66. 151. Angelorum ordines. 67.
ἀρχηγός. 778.
ἀσπὶς & θυρεός quomodo differant? 158.
ἀσωτία. 135.
ἄτακτα, miſcellanea. 376.
ἄτακτοι. 305.
ἀτάκτως. 400.
ἄτοπος. 399.
αὐθάδης. 552.
αὐθεντεῖν. 432.
αὐτάρκεια. 489.
αὐτοκατάκριτος. 574.
αὐτοῦ vel αὐτῷ interdum pro αὑτοῦ vel ἑαυτῷ. 16.
ἀφέται qui? 658.
ἀφίημι, *omitto*, & *emitto*. 657.
ἄχρηστος, noxius. 580.

B.

βαθμός. 446.
βάρβαρος. 337.
βάρος, an *honorem* ſignificet? 355. an *arrogantiam?* ibid. an *auctoritatem?* 356.
βέβηλος. 461. 787.
βιβλία. 543.
βλασφημεῖν. 567.
βλέπειν, *operam dare*.
βραβεῖον interdum ſubintelligendum, v. c. in verbo λαμβάνειν. 246.
βραβεύειν. 339.
βρέφος. 532.
βυθίζω. 490.

Γ.

γάμος, conjugium. 797.
γαστὴρ de utero matris. 256. de homine guloſo. 557.
γάστρις, lurco, guloſus. 557.
γενεαὶ, ætates, ſeu ſæcula. 64.
γεύεσθαι θανάτου. 620.
γεύεσθαι nunc *qualemcunque*, nunc *pleniorem* rei cognitionem & guſtum infert. 662.
γνήσιος & γνησίως. 239. 409.
γνωρίζω, notum facio. 189.
γνῶσις. 497.
γνωστικός. *ibid.*
γόης. 531.

γράμματα ἱερά. 533.
γραφὴ interdum ſubintelligitur. 85.
γράφω num picturam, ſeu ductus implexos inferat? 403.
γυμνασία. 482.

Δ.

δὲ vim augendi habet. 224. *omnino.* 297. *nam.* 360. *ſed.* 649. *inquam.* 676. idem, quod δὴ 531. ſeu *καί.* 633. ſq.
δείκνυμι, declaro. 687.
δεξία, ſcilicet πλεῦρα. 686.
δέρματα αἴγεια. 771.
δέχεσθαι & παραλαμβάνειν differunt. 358.
δημιουργός. 756.
δήπου. 625.
διὰ, *inter.* 82. *in.* 434. interdum omittitur. 178.
διὰ χρόνον. 655.
διάβολος, *calumniator*, &, *malus dæmon.* 110. 443. 558.
διαβάλλειν, decipere. 149.
διαθήκη, vox proba. 682. *Teſtamentum* infert, alias vero *fœdus.* 705.
διαθῆκαι cur in plurium numero? 50.
διακονεῖν eleemoſynam largiri. 666.
διάκονος. 174. 297. 444. 446.
διαμαρτύρημα. 536.
διάνοια. 43. 297.
διαπαρατριβή. 488.
διαρρυεῖν. 615.
διαφέρον. 179.
διαφθείρεσθαι. 488.
διδακτικός. 439. 523.
διδάσκαλος. 92.
διδαχὴ, inſtitutio. 553.
διδόναι, conſtituere. 36. 93.
διδόναι χώραν, vel τόπον. 110.
διδόναι εἰς ψυχὴν, phraſis proba. 689.
διεστραμμένος. 236.
διηνεκής. 676.
δίκαιον, æquum. 176.
δικαίωμα. 693. 701.
δικαιοῦσθαι varia denotat. 452. ſq.
δίκην τίνειν. 385.
δίλογος. 445.
διό. 225.
δίστομος. 646.
διώκω. 376.
δόγματα, decreta. 54. an ab ἐντολὴ & νόμος diſtincta? *ibid.* ritus Judaici. 317.
δογματίζειν. 331.
δοκιμάζειν. 378.
δοκιμὴ, experimentum. 240.
δόματα an de hominibus donatis dicantur? 86.
δουλεύειν dicitur, qui rei cuidam deditus eſt. 558. 567.
δουλοῦσθαι. 558.
δυνάστης. 492.
δώη. 510.
δωρεὰ & δῶρον. 82.

E.

ἑβραῖος, *gentis*, non *religionis* nomen. 592.
ἔγγυος. 682.
ἐγκρατής. 552.
ἐθελοθρησκεία. 332.
εἰ, *quoniam.* 333. an idem, quod *non?* 634.
εἴγε, ſiquidem. 63.
εἰδέναι, perpendere. 147. honorare, vel æſtimare. 375.
εἶδος, habitus externus. 378.
εἰκὼν, prototypum. 714.
εἰλικρινής, εἰλικρίνεια. 179.
εἰμι interdum ſubintelligi debet. 80.

εἶναι

εἶναι ἐν τινί. 466.
εἴπερ pro ἐπεὶ, quoniam. 385.
εἴπως. 241.
εἰρήνη, unde dicatur? 80. *ſacrificium pacificum*. 52.
εἰρηνικὸς, *jucundus*. 783.
εἰς in commodum. 63. pro κατὰ, *ſecundum*. 72. εἰς & πρὸς promiſcue adhibentur. 94. *de*. 144. pro ἐν. 175. 391.
εἰσποιεῖν τέκνα, adoptare liberos. 19.
εἶτα; itane? 782.
ἔκγονος. 468.
ἐκθεατρίζειν. 734.
ἐκκαθαίρειν. 522.
ἐκκακεῖν. 70.
ἐκστρέφεσθαι. 573.
ἐκτρέπεσθαι. 417.
ἐκφέρειν, terra etiam fertilis dicitur. 665.
ἐκφεύγειν, abſolvi. 617.
ἐλαχιστότερος & ἐλαχιστότατος. 64.
ἔλεγχος, demonſtratio, argumentum. 739.
ἐλέγχεσθαι, protrahi in lucem. 127.
ἐλέγχω, redarguo. 478. 557.
ἑλίσσω. 613.
ἐλπίδα προσδέχεσθαι, προσδοκᾷν & παραμένειν. 564.
ἐμβατεύειν. 329.
ἐμψυχέω. 238.
ἐν abundat interdum. 14. pro εἰς. 31. 368. 456. 643. *per*. 597. & 708. *propter*. 79. *juxta*. 697.
ἐν λόγοις, *verbis*. 373.
ἐν Χριστῷ. 194.
ἐναργὴς & ἐνεργὴς an permutata? 578.
ἐνδείκνυμι, præſto.
ἐνδύεσθαι moraliter adhibetur. 108.
ἓν εἶναι, vel, ποιεῖν. 82.
ἐνεργεῖσθαι an ſemper in N. T. paſſivo ſenſu adhibeatur? 78.
ἐνοικεῖν. 341.
ἐνοχλεῖν. 784. 787.
ἔντευξις. 424.
ἔντιμον ἔχειν, vel, ποιεῖν. 241.
ἐντολὴ, νόμος & δόγματα. 54.
ἐντρέφεσθαι. 461.
ἐξαγοράζεσθαι. 134.
ἐξανάστασις pro ſimplice ἀνάστασις. 243.
ἐξέρχεσθαι ἐκ κοιλίας, naſci. 677.
ἐξηρτισμένος. 534.
ἕξις. 656.
ἐπὶ cum dativo, cauſam notat, *propter* quam aliquid fit. 49. 367. 512. *præter*. 158. 241. 701. *in*. 174. *coram*. 492. *ſub*. ibid. & 679. *de*. 680. *ad*. 422.
ἐπαγγελίαι. 639.
ἐπαγγέλλεσθαι, profiteri. 432. 497.
ἐπαρκεῖν. 472.
ἐπεισαγωγή. 681.
ἐπεκτείνω. 249.
ἐπέχειν, tenere. 237. interdum ſubintell. τὸν νοῦν. 467.
ἐπιδιορθοῦν. 550.
ἐπιεικὴς 440. ἐπιεικὲς, moderatio. 263.
ἐπιλαμβάνεσθαι. 626.
ἐπισκοπὴ, munus Eccleſiaſt. quodvis. 436.
ἐπίσκοπος. 174. 436. & 438.
ἐπισυναγωγὴ differt a προσαγωγῇ. 59. congregatio. 729.
ἐπιτελεῖν. 698.
ἐπιφάνεια θεῶν. 395.
ἐπιχορηγεῖν, ἐπιχορηγία. 101. 187.
ἐπουράνια. 14. 34. 60. 154. non permutandum cum ὑπουράνια. 154.

ἐπουράνιοι, cœlites. 46. an *doctores* ita dicantur? 68.
ἐργάζεσθαι ἀγαθὸν, phraſis proba, & quo ſenſu? 111.
ἐργάζεσθαι ἀργύριον, pecuniam fœnori locare. 112.
ἐργάζεσθαι, de quovis opere. 369.
ἐργάτης. 237.
ἔργον καλὸν vel ἀγαθὸν an beneficentiam inferat? 170. ſq.
ἔργον, munus. 189. 437. 538.
ἔργον, opus difficile. 350.
ἔργον πίστεως. 350.
ἔργον ποιεῖν. 537.
ἐρεθίζειν, irritare. 343.
ἔρχεσθαι εἰς τι, credere in aliquid. 180.
 πρὸς τὸν Θεὸν, precari. 752.
ἐρχόμενος & ἐλθὼν interdum abundant. 59.
ἐρωτᾶν, rogare. 388.
ἔτι, inſuper. 769.
ἑτοιμασία. 157.
εὐαγγελιστὴς. 93.
εὐαρεστεῖσθαι, delectari. 803.
εὐαρεστῆσαι. 751.
εὐδοκῶ. 293. cum infinitivo alterius verbi conjungi ſolet. 357.
εὐδοκία. 19.
εὐεργεσία. 484.
εὐλάβεια, *metus*, vel, *reverentia*. 651. an *Deus timendus?* 653.
εὐλαβεῖσθαι. 652.
εὐμετάδοτος. 494.
εὔνοια inferioribus in ſuperiores tribuitur. 147.
εὐπερίστατος. 776.
εὑρεθῆναι, eſſe. 223. 750.
εὑρίσκειν, mereri, acquirere. 702.
εὑρίσκειν χάριν. 649.
εὐσεβέω, utrum neutraliter an tranſitive adhibeatur? 468.
εὔσπλαγχνος. 115.
εὐτραπελία. 119.
εὔφημος. 265.
εὐχάριστος & εὐχαριστία. 121.
εὐχαριστία non *jucunditatem ſermonis*, ſed *gratiarum actionem* infert. 122.
εὐχάριστος, *comis, liberalis*. 340.
εὐχαριστεῖν, *gratias agere*, verbum probæ notæ. 383.
εὐψυχέω. 238.
ἐφιστάνειν. 536.
ἐφ᾽ ᾧ. 266.
ἐχόμενός τινος, cum aliquo conjunctus. 665.

Z.

ζῆν, vita. 187. 625.
ζῆν ἔν τινι, deditum eſſe rei alicui. 335.
ζωγρεῖσθαι. 524.
ζώννυσθαι. 157.

H.

H pro καὶ. 118.
ἦ μὴν, certe omnino, in jurandi formulis adhibetur. 667.
ἡγεῖσθαι ζημίαν. 240.
ἡγούμενος, *dux*, vel, ductor. 798. 803.
ἤδη ποτε. 265.
ἡλικία. 96.
ἡμέρα, an dies expiationis κατ᾽ ἐξοχήν? 685.
ἡμέραι ἔσχαται. 456. 525. 600.
καθ᾽ ἡμέραν. 685.
ἤπιος. 357.

Θ.

θέλων, an idem, quod *quivis?* 326. an interdum abundet? 327.

θέμα.

θέμα. 495.
θεμέλιος. 495. num *pactum* aut *ſyngrapham* ſignificet? 518.
θεοδίδακτοι. 369.
θησαυρὸς. 303.
θρησκεία, cultus. 327.
θυμιατήριον. 695.
θυρεὸς & ἀσπὶς quomodo differant? 158.

I.

ἴδιος, congruens. 427.
ἱεροπρεπής. 558.
ἱερωσύνη & ἱεροσύνη differunt. 679.
ἱλάσκεσθαι. 627.
ἱλαστήριον. 698.
ἱμείρεσθαι. 357.
ἵνα vim imperandi habet. 144. interdum elliptice adhibetur. 410.
ἴσα elliptice. 220.
ἴσος. 220. ſq.
ἰσόψυχος. 239.
ἴστε an pro ἐστὲ ſcriptum. 122.

K.

καθαίρειν, expiare. 715. unde? *ibid.*
καθαρμοὶ, luſtrationes. *ibid.*
καθίζειν ἑαυτόν. 391. 606.
καθὼς, *quod*, *quia*. 106.
καὶ per ellipſin interdum deeſt. 32. conſecutive adhibetur. 265. *tamen.* 266. *aut.* 268. *nempe.* 303. 307. *dum.* 305. *id eſt.* 450. *inprimis.* ibid. *ut.* 782.
καὶ -- καὶ, *partim -- partim.* 381.
καίπερ, quamvis. 653.
καίεσθαι. 789.
καινὸς ἄνθρωπος. 108.
καινοφωνία. 496. 516.
καιρὸς & χρόνος quomodo differant? 373.
καιροὶ ὕστεροι. 456.
κακοπαθεῖν. 507. 537.
κάμνειν. 780.
κανὼν num demenſum ſpatium ſignificet? 254.
καρπὸς, emolumentum. 188.
καρπὸς χειλέων. 802.
κατὰ interdum omittitur. 100. 335. cauſam impulſivam indicat. 197. 266. cauſam finalem. 498. 549. 553.
καταβολὴ de ſeminis ejectione. 757.
καταβολὴ κόσμου. 17.
καταβραβεύειν. 325.
καταβυθίζειν. 490.
καταλαμβάνειν, verbum athleticum. 247.
καταλείπεσθαι. 639.
καταντᾶν. 95. 242.
καταπατεῖν. 732.
καταργεῖν. 57.
καταρτισμὸς. 95.
κατάστημα. 558.
καταστολὴ. 429.
καταστρηνιᾶν. 472.
καταστροφὴ. 513.
κατατομὴ. 237.
καταφεύγειν. 668.
καταχθόνιοι θεοὶ, dii inferi. 228.
κατεργάζεσθαι, verbum militare. 155. perficere rem. *ibid.* & 232.
κατέχειν. 378. 304.
κατέχον. 394.
κατοικεῖν. 309.
καυτηριάζειν. 458.
κεῖσθαι. 417.
κέλευσμα, vox militaris & nautica. 372.
κενεμβατέυειν, vel, κενεμβατεῖν. 329. ſq.
κενοὶ λόγοι. 124. εἰς κενόν. 362.
κενολογία. 411.

κενοφωνία. 496. 516.
κενόω. 221.
κεφάλαιον, *ſumma*, &, palmarium momentum, ſeu *rei caput*. 685.
κήρυξ. 427.
κιβωτός. 696.
κληρονομεῖν, conſequi aliquid quocunque modo. 607.
κληροῦσθαι. 24.
κλυδωνίζεσθαι, ἐν κλύδωνι κινεῖσθαι. 98.
κοιλία, de voluptatibus. 256.
κοινωνία cum voce οἰκονομία permutata. 65. communio cum doctrina Evangelica. 169. an *beneficentia?* ibid. & 170. & 802.
κομίζειν. 772.
κόπτω, cædo. 693. tundo, pulſo, 180.
κόσμος. 716.
κόσμιος. 439.
κοσμικός. 693.
κοσμοκράτορες. 152.
κράτος, ſumma poteſtas. 624.
κρατεῖν. 649. *conſequi*. 667.
κρίμα, judicium, quod quis de altero fert, &, judicium, quo alter condemnatur. 443. an damnatio æterna? 660.
κρίνειν, condemnare. 322. vindicare. 733.
κτίζειν, condere. 702.
κτίσις, *creatura*, &, *creatio*. 286. non infert *eccleſiam*. 287. *ſtructura*. 702.
κυβεία. 89.
κυκεία, vox nihili eſt. 99.

Λ.

λανθάνειν & λανθάνειν τινὰ, phraſis frequens. 796.
λέγω, edico, præcipio. 103. explico. 143.
λειτουργία. 235. 614.
λειτουργός. 241. 614.
λογίζομαι. 248.
λόγος de verbo Evangelii. 182. *ſpecies*. 332. rumor. 354. Chriſtus ut λόγος ὑποστατικός. 645.
λόγος κολακείας. 354.
λυπεῖν λόγοις. 114.
λυτροῦν, & λύτρωσις. 702.

Μ.

μακροθυμία. 282.
μᾶλλον ἔτι. 179.
μᾶλλον comparativo junctum. 191.
μαλλωταί. 771.
μάμμη, avia. 499.
μανθάνειν cum accuſativo perſonæ. 106.
μάργαι. 556.
μαρτύριον, præconium, κήρυγμα. 427.
μάχαιρα. 161.
μεγάλως. 265.
μέγας, adultus. 766.
μεθοδεία, deceptio. 100. technæ & inſidiæ. 149. ubi etiam de verbo μεθοδεύειν.
μεθύσκεσθαι. 135.
μελέτη & μελετάω. 466.
μέλος an pro μέρος poſitum? 102.
μέμφεσθαι cum dativo perſonæ. 688.
μὲν οὖν autem. 679.
μένω, exſpecto. 795.
μέρος interdum in oratione omittitur. 90. de membro ſeu parte corporis. 192. de aliis rebus. 322.
ἐν μέρει. 322.
μεσότοιχον. 53.

μετα-

μεταλαμβάνειν. 665.
μετανοεῖν & μετάνοια de mutatione ſententiæ. 788.
μέτοχος. 612.
μέτρον, proportio. 85.
μέτριος. 650.
μετριοπαθεῖν. 650.
μέχρι. 780.
μηλωταί. 770.
μήποτε. 523.
μικρὸς, ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου. 691.
μνημονεύειν. 759. 798.
μόνος interdum ſubintelligendum. 480.
μονοῦσθαι. 469.
μόρφωσις. 527.
μορφὴ Θεοῦ. 199. ſq. μορφὴ paſſim *naturam* ſignificat, ſed non ſemper. 201.
μυεῖσθαι. 267.
μυστήριον. 143.
μωρολογία. 119.


N.


ναὶ, *etiam*, vel, *obſecro*. 582.
νεκροὶ cur peccatores dicantur? 38.
νέμεσθαι, ἐπινέμεσθαι, depaſcere. 517.
νεόφυτος. 442.
νεωτερικός. 522.
νέφος, multitudo. 775.
νεωτερικός. 522.
νήπιος opponitur τελείῳ. 98. ad intelligendas res non idoneus, imo *ſtultus*. ibid.
νηφάλιος. 439.
νήφειν. 374. 537.
νοεῖν, curate expendere. 510. certo noſſe. 740.
νομὴν ἔχειν, ποιεῖν, λαμβάνειν. 517.
νόμος, ſecta. 239.
νομικός. 575.
νομοθετεῖσθαι. 679.
νοσεῖν de inſano rei alicujus ſtudio. 487.
νουθεσία. 146.
νοῦς ſenſus verborum. 389.
νωθρός. 654.


Ξ


ξενία ſcilicet τράπεζα. 582.
ξηρὰ ſc. γῆ externis etiam Scriptoribus. 767.


O.


ὁ interdum pro οὐ in MSS. 234.
ὄγκος. 776.
ὅθεν. 760.
οἰκία, *familia*, vel, *aula*. 270. 273.
οἰκοδεσποτεῖν. 474.
οἰκοδομία. 414. 415.
οἰκονομία, diſpenſatio, adminiſtratio. 22. 65. prædicatio diſpenſationis. 301. an cum οἰκοδομία permutatum? 414. & 416.
οἰκουμένη. 609.
οἰκουμένη μέλλουσα. 618.
οἰκουρὸς, domiſeda, & rei domeſticæ ſtudioſa. 560.
οἰνοῦσθαι. 135.
οἷος admirationem interdum exprimit. 531.
ὀλίγος, *pauculus* & *parvus*, ſeu exilis. 481.
ἐν ὀλίγῳ, *paucis*, vel, *paulo ante*. 63.
ὁλόκληρος. 379.
ὁλοτελής. 379.
ὁμείρεσθαι. 357.
ὁμολογεῖν. 802.
ὁμολογία, *confeſſio*, an *profeſſio*? 628. an *fœdus*? ibid. & pag. 729.


ὁμολο-

ὁμολογεμένας. 450.
ὅμως interdum omittitur. 653.
ὄνασθαι. 582.
ὄνομα, auctoritas. 34. 325.
ὀνομάζειν, adorare & colere. 520.
ὀνομάζεσθαι. 119.
ὅπως interdum elliptice adhibetur. 410.
ὀργίλος, iracundus. 552.
ὀρθοτομεῖν. 513. 515.
ὁρκωμοσία. 681. ὁρκωμόσια. ibid.
ὅτι, interdum abundat. 389.
ὖ adverbium *loci*, an, *temporis?* 632.
ὅτω num interdum abundet? 261. 371.

Π.

παθήματα, μαθήματα. 654.
παλαιὸς ἄνθρωπος. 336.
πάλιν, contra. 655.
πανήγυρις & πανηγυρίζειν. 791.
πανοπλία. 149.
πανεργία. 100.
πάντα pro πάντως, *omnino*, ut ſubintelligatur præpoſitio κατὰ. 335.
πάντες pro πλεῖςοι. 239.
παραβολὴ. 699. num periculum præſentiſſimum inferat? 761.
παράβολος. 233. 242. 761.
παραβολεύεσθαι. 241.
παραβελεύεσθαι. *ibid.*
παραγγελία. 422.
παραδιατριβὴ. 488.
παραδόσεις, de doctrinis Apoſtolicis. 398.
παραθήκη. 496. 504.
παραιτεῖσθαι. 573. & 789.
παρακαλεῖν varia ſignificat. 558.
παράκλησις, *adhortatio* & *conſolatio.* 193. 781.
παρακαταθήκη. 496. 504.
παρακολεθεῖν. 461. 530.
παραλαμβάνειν, & δέχεσθαι, differunt. 358.
παραλογίζεσθαι, verbis & arte decipere. 304.
παραλύεσθαι. 783.
παραμένειν, ſuperſtitem eſſe. 682.
παραπλησίως, prorſus ſimiliter. 624.
παραῤῥυεῖν & παραῤῥυῆναι. 614. ſq.
παραςῆσαι. 140. 302. 513.
παράφορος, ſibi non conſtans. 98.
παρεῖναι, pervenire. 279. patrocinari. 545.
παρεπίδημος. 759.
πάροικοι, ἔποικοι & σύνοικοι. 59.
πάροινος, num *vinoſus*, an *petulans?* 439.
παρὸν, vile & leve, quod tamen in promtu eſt. 797.
παροξυσμὸς, incitamentum. 729.
παροργίζεσθαι. 145.
παῤῥησία. 69.
πᾶς, ſummus. 420. 563.
πᾶς ὀ, idem, quod ὐδείς. 124.
πατὴρ, auctor. 31.
πατραλῴαι an πατρολείαι ſcribendum? 418.
πατριὰ *familia*, an, *paternitas?* 71.
πεῖραν λαμβάνειν. 767.
πεποιημένος, fictus, de ſermone. 795.
περιεργάζομαι. 401.
περιεργία. 474.
περιζώννυσθαι. 156.
περιΐςημι, *vito*, vel, *cohibeo*. 516. *circumdo*. 777.
περιέσιος. 565.
περιπατεῖν ἐν ἁμαρτίαις. 39. περιπατεῖν ἀξίως. 281.
περιπείρειν. 491.

περι-

περιποίησις. 29. 298. 737.
περισσεύειν, facere, ut abundet. 20. 362.
περίστασις. 778.
περίτομη, circumciſus. 239.
περιφέρεσθαι. 99. 799.
περίφορος, tranſverſus abreptus. 98.
περιφορά. *ibidem.*
πιθανολογία. 304.
πίπτειν, mori. 638.
πίστις de fide politica, ſeu fidelitate. 399. 539.
πιστεύειν τινί, rem alicui committere. 504.
πιστεύεσθαι. 386. 455.
πιστός, credens. 551. an, qui fidem meretur? 630.
πιστὸς λόγος. 419. 435.
πιστοὶ qui? 13.
πλάνος, adjectivum. 457.
πλέγματα. 431.
πλείων, majoris pretii. 749.
πλεονέκτης, non ſignificat libidinoſum. 123.
πλεονεκτεῖν. 366.
πλεονεξία, avaritia. 105. an aviditas quæcunque & immoderata libido? 105. 117. & 354.
πλήκτης. 440.
πλὴν, tamen. 183. 268.
πληροῦσθαι. 77. 313.
πληροφορία. 352. 666.
πληροφορεῖν. 538.
πλήρωμα, de Eccleſia Chriſti. 36. de civibus urbis. 37.
πλήρωμα Θεοῦ, dona Dei, quæ credentibus pleniſſime conferuntur. 77.
πλήρωμα Χριστοῦ. 97.
πλήρωμα θεότητος. 310.
πληρῶσαι. 91. de munere bene geſto. 347.
πνεῦμα, cohors ſpiritualis. 42. mens ſpiritualis. 238.
πνεῦμα αἰώνιον, divina Chriſti natura. 704.
ποιεῖν, conſtituere. 630.
ποικίλος, prudens. 69.
ποιμὴν, miniſter verbi divini. 92.
πολίτευμα. 257.
πολιτεύομαι. 258.
πολυμερῶς. 596.
πολυποίκιλος. 68.
πολυτρόπως. 597.
πονεῖν & πονεῖσθαι. 794.
πόρνη, meretrix, &, cauponaria. 768.
πόρνοι an proſtibula maſcula? 418.
πρᾶγμα de re venerea. 367. *uxor.* ibid. interdum in oratione omittitur. 462.
πραγματεία. 508.
πραιτώριον. 181.
πράττω, rerum conditionem infert. 164.
πρεσβεύω, an *ſeneſco?* 163.
πρεσβύτερος, ſenior ætate. 473. Preſbyter. 475. & 551.
πρεσβύτεροι, majores. 740.
πρεσβυτέριον. 465.
πρεσβύτης, *ſenex.* 558. *ductor.* 579.
προάγειν. 422. 482.
προακούειν. 279.
προβλέπειν. 772. 773.
πρόδηλος pro ſimplice δῆλος. 482.
πρόδρομος. 669.
προελπίζειν. 25.
πρόθεσις. 501. 531.
προΐστασθαι. 571. 575.
προκαταλπίζειν. 25.
προκεῖσθαι. 668. de certamine imminente. 778.
πρόκλησις. 479.

προκοπὴ & προκόπτω. 180. 466. 517. & 529.
πρόκριμα. 579.
προορίζειν, προορισμός. 19.
προπέτης. 527.
πρὸς, *propter.* 64. *per.* ibid. pro εἰς. 94. 235. *apud.* 293. *de.* 610. 648. 760. *quod ad.* 610. *cum.* 648.
προσαγωγὴ differt ab ἐπισυναγωγῇ. 59.
προσέρχομαι. 485.
προσέχειν. 614. operam rei dare. 680.
πρόσκλησις. 579.
πρόσκλισις. *ibid.*
προσκολλᾶσθαι. 143.
προσοχθίζω. 633.
προστάται. 475.
προστῆναι. 442. 571.
προσφέρεσθαί τινι. 781.
ὁ πρότερον ſc. ὢν pro ὁ πρότερος. 733.
προτιθέναι, publice proponere. 21.
πρόφασις, ſpecies, prætextus. 183. 354. an accuſationem ſpecioſam ſignificet? 354.
προφητεία varia denotat. 422. 464.
προφήτης varie uſurpatur. 554.
πρῶτος, primarius. 420.
πρωτεύειν. 293.
πρωτότοκος κτίσεως. 285.
πρωτόκτιστοι de Angelis. 598.
πυρφόρα, tela. 158.

Ρ.

ῥιζοῦσθαι, metaphorice, ut & ῥίζα. 73.
ῥυτὶς & σπῖλος an differant? 140. ſq.

Σ.

σαθρὸς, vid. σαπρός.
σαίνειν, *adulari*, & *turbare*. 361.
σαλεύειν & σαλεύεσθαι. 389. 794.
σαπρὸς, varia denotat. 112.
σαπρὸς & σαθρὸς apud veteres promiſcue uſurpatur. 113.
σὰρξ, corpus Chriſti. 55. Judæi. 56. corpus humanum. 188. 305. circumciſio. 238.
σαρκικός. 680.
σβεννύειν. 377.
σέβασμα. 391.
σεμνός. 444.
σεμνότης. 425.
σημεῖον. 403.
σκέπασμα. 489.
σκεῦος, *uxor*, *corpus* & *pudenda*. 364.
σκιὰ & σῶμα opponuntur. 324. ſciagraphia. 714.
σκοπός. 250.
σκοπῶ. 197.
σκύβαλα. 240.
σοφία & φρόνησις differunt. 20.
σοφίζειν, ſenſu bono, *inſtituere*. 533.
σπαταλᾶν, & σπαθᾶν. 469.
σπένδομαι. 538.
σπέρμα, poſteri. 626.
σπῖλος & ῥυτίς. 140. ſq.
σπλάγχνα, de *amore* vel *amato*, v. c. liberis. 177. 580.
σπουδάζειν, operam ſedulo dare. 644.
στάμνος. 696.
στέγειν, ferre, vel, occultare. 361.
στέλλειν, στέλλεσθαι. 400.
στῆναι, vox militaris. 149. de luctatoribus. 345.
στοιχεῖον. 308. 655.
στολή. 430.
στόμα μαχαίρας. 768.
στρατολογεῖν. 509.
στρηνιᾶν. 472.

σύζυγ@, conjux vel collega. 261.
συλαγωγεῖν. 306.
συμβασιλεύειν. 512.
συμβιβάζειν. 101. 302.
συμπαραγίνεσθαι de advocatis. 545.
συμπαρεῖναι, eodem ſenſu. *ibid.*
συμπολίτης, civis, ſatis Græcum. 60.
συμφυλέτης pro φυλέτης. 359.
σύμψυχος. 196.
σὺν ſæpe præmittitur verbis ſimplicibus. 512.
σύνδεσμος. 80.
συνεστηκέναι, creatum eſſe. 289.
συντελέω an idem, quod *initio?* 711.
συντέλεια αἰῶνος. 710.
συντήκεσθαι. 143.
σφραγίζειν de baptiſmo. 27.
σφραγίζεσθαι, obſignari. 26. 114.
σφραγὶς in myſteriis Gentilium ſacris. 26. an obſignationem tabularum inferat? 519.
σχῆμα. 223.
σώζειν εἰς. 547.
σώζεσθαι, ſalvari. 48.
σῶμα, an interdum abundet? 260. *ſervus*. 723. ἐν σώματι εἶναι. 797.
σωτήρ. 138.
σωμασκία, & σωμασκεῖν. 462.
σωματικῶς. 310.
σωφρονισμός. 501.
σωφρονίζειν, erudire. 559.
σωφροσύνη. 430.
σώφρων. 439. 559.

T.

Τὰ ἑαυτῶν. 197.
τὰ κατ᾽ ἐμὲ, res meæ. 164. 180.
τὰ πρὸς Θεὸν, res divinæ. 650.
τὰ περί ἐμε rerum mearum conditio. 240.
τάξις, vox militaris. 305. ſignificatus ejus. 651.
ταπεινὸς & ταπεινοῦν. 224.
ταπεινοῦσθαι, inopem eſſe. 267.
ταπείνωσις. 259.
ταχέως, temere. 480.
τέκνον de utroque ſexu. 144.
τέκνα φωτὸς, cur dicantur? 125.
τεκνογονία. 434.
τεκνοτροφεῖν. 472.
τέλει@ quis phyſice & moraliter dicatur? 96. 656. an *adultum* ſignificet? 251. 656.
τελειοῦν an *conſecrare?* 621. 654. an *ſanctificare?* 681. an *luſtrare?* 700. an *conſummare?* 774.
τελειοῦσθαι. 247.
τελείωσις. 679.
τέλος, ſumma rei, vel, palmarium. 416.
τέμνειν γλώσσας, *ſilere*. 515.
τιθέναι, conſtituere. 601.
τιμᾶν, honorare, ſuſtentare. 468.
τιμὴ an ſalarium inferat? 476. munus publicum. 630.
τοίνυν ab initio ſententiæ. 801.
τομὸς adjectivum. 646.
τόπος interdum omittitur. 267.
τοῦτο μὲν--τοῦτο δὲ, *partim,--partim.* 733.
τραπεζῖται δόκιμοι. 378.
τραχηλίζεσθαι. 647.
τρέμειν & τρόμος. 424.
τρίβολος. 665.
τρόπος, mores. 797.
τύμπανον & τυμπανίζεσθαι. 768.
τύπος, *exemplum*. 254. 352. 401.
τυφωθείς. 442. 487.

Υ.

ὑγιαίνειν. 505. 536. 543. 558.
ὑγιής. 562.

ὑδροποτεῖν. 480.
υἱὸς de eo, qui rei alicui deditus eſt. 42. 125.
ὕμνοι. 136. ſq.
ὑπεναντίος, adverſarius profeſſus. 317. 731.
ὑπὲρ Genitivo junctum non ſemper ſubſtitutionem in alterius locum infert. 70. 298. *propter*. 234. *de* 388. Sæpe verbis ſimplicibus præmittitur. 419.
ὑπερβαίνειν. 365. 366.
ὑπερβάλλειν, ſuperare, vincere. 76.
ὑπερβάλλον, magnum, excellens. 76.
ὑπὸ in compoſitis ſignificatum nunc auget, nunc minuit. 317.
ὑποδείκνυμι. 317.
ὑποθῆκαι. 460.
ὑπομονὴ. 282. conſtantia. 736.
ὑπόστασις. 604. 635. & 738.
ὑποστέλλεσθαι. 737.
ὑποτίθημι. 460.
ὑποτύπωσις, *inſtructio* &, *exemplum*. 420. inſtitutio ſuccincta. 505.
ὑστερεῖν & ὑστερεῖσθαι. 640.
ὑστέρημα. 300.
ὑστερόποτμοι. 570.
ὑψηλοφρονεῖν. 493.

Φ.

φαιλόνη, num *pallium* an *manticam*, ſeu *thecam librariam* inferat? 541.
φαινόλη. 541.
φαινόμενα, res exiſtentes. 741.
φανεροῦσθαι, medio & paſſivo ſenſu. 127.
φελόνη, & φελόνιον. 541.
φέρω, guberno. 605.
φεύγω, accuſor. 617.
῀θάνειν. 254.
φιλάγαθος. 552.
φιλανθρωπία. 567.
φιλοξενία. 796.
φιλοσοφία. 307.
φιλοτιμεῖσθαι. 369.
φλύαρος & φλυαρέω. 474.
φρονεῖν, ſtudium rei vel perſonæ ſingulare infert. 176. 251. & ſententiam animi. 195.
φρόνησις & σοφία differunt. 20.
φύσις de re vere tali, vel conſuetudine etiam & moribus. 43. de nativitate carnali. 44.
φύσει, plene. 44.
φῶς & σκότος ex antiquitate expoſita. 125.
φωτίζεσθαι, *illuminari*, an, *baptiſari?* 662.

X.

χαρακτὴρ. 604.
χάρις, *comitas*, *jucunditas*. 340. *gaudium*. 578. ſq.
χάριν δοῦναι, jucundum alicui eſſe. 113.
χαριτόω, verbum externis Scriptoribus ignotum. 21.
χεῖλος θαλάσσης. 758.
χειρόγραφον. 316.
χειροποίητον. 702.
χθὲς καὶ σήμερον. 799.
χρῆμα interdum in oratione omittitur. 267.
χρηματίζεσθαι. 755.
χρόνος interdum ſubintelligi debet. 267.

Ψ.

ψαλμοί. 136.
ψεύδομαι, promiſſa non ſervo. 667.
ψηλαφάω. 789.

Ω.

ᾠδαί. 136.
ὡς interdum rei veritatem infert. 224. nunc abundat, nunc omittitur. 230. *eo quod*. 231. *quoniam*. 499. *ideo*. 634.
ὡς ἔπος εἰπεῖν. 678.
ὥστε, itaque, proinde. 231.

# INDEX III. RERUM.

## A.

*Aaronis* Sacerdotium. 651.
*Abel*, unde? 749. Chriſti typus. *ibid.* quomodo ſanguis ejus clamare dicatur? 795.
*Abram* & *Abraham*. 756.
*Abſtractum* pro *concreto*. 239.
*Abuti* pro ſimplici, *uti*. 332.
*Adamus* a Satana an ſeductus? 433.
*Adjectivorum* genus non ſemper ad *vocem* antecedentem, ſed ad *ſenſum* accommodatur. 103.
Adſpergillum Hebræorum rituale. 703. 708.
Adſperſiones rituales Judæorum. 699. 703.
*Alexander* a *Paulo* reprehenſus. 423. 544.
Altare thymiamatis. 695.
Anchoræ confertur ſpes vitæ æternæ. 669.
Anchora *ſacra* quæ? 669.
Angelorum in lege Moſis lata miniſterium. 616.
Angelus mortis. 625.
Angeli an electionis, per Chriſtum factæ, participes? 23. iidem ex Evangelica doctrina quædam edocti. 68. 455. eorum diverſi ordines. 289. num in redemtionis, à Chriſto factæ, communionem veniant? 295. 478. 626. cultus eorum quis, & quibus olim receptus? 328. 329.
Angelis Judæi in rebus mundi multum tribuebant. 329. quinam electi vocentur? 478. Angelorum cura in homines. 614.
Apotheoſis veterum apud paganos. 218.
Animæ variæ appellationes apud Judæos. 381. ſq.
Antichriſtus quis? 387. 391. non eſt gens Judaica. 392.
*Apollos*, de quo *Act.* 18. non ſcripſit epiſtolam ad Hebræos. 591.
*Appia*. 577.
Aquæ uſus ſalutaris. 480.
Arca fœderis typus rerum N. T. 649. Scriptores de ea. 696. quas res continuerit? 696.
Ara miſericordiæ apud Athenienſes. 649.
Armatura Chriſtianorum ſpiritualis. 148.
Armatorum deſcriptio. 156.
Arena maris non numerabilis. 758.
*Arrha*, & *pignus*. 27.
*Artemas*. 574.
*Aſyndeton*, orationis figura. 336.
Athletæ an *nudi* certarint? 156. Athletica exercitia. 462. alia de illis. 509. leges Athleticæ. ibid.
Avaritia cur cum idololatria comparetur? 123. eadem ad peccata incitat. 490. omnium malorum radix. 491.
Aulicis etiam honeſte & pie vivere licet. 270.

## B.

Baptiſmus ſanctificationis Chriſtianorum inſtrumentum. 139. 568. baptiſari veteres ſolebant nudi. 314.
Baptiſmi res cœleſtis *Spiritus S.* 570.

baptiſmi cur in plurium numero? 660.
*Barbari* qui dicantur? 337.
Benedictiones ſpirituales in Vet. Teſt. pag. 15.
*Beverlandi* Otia Oxonienſia MSS. 481. 556. &c.
*Bibliorum* nomine unde Scriptura S. appellari cœperit? 544.
*Bona* femina, i. e. officioſa. 560.
Buccinæ ſonus apud Judæos ſub initium novi anni auditus. 129.

C.

Cabbaliſtarum genealogiæ. 412. an eædem cum *Sephiroth*? ibid.
*Cain* unde? 749.
Calamitatum fructus. 783.
*Calcei* ſeu ocreæ militares. 157.
Cantica. Vid. *Hymni.*
Catecheſis veterum illuſtrata. 657.
*Cave canem*, proverbialiter. 236.
*Cherubim.* 698.
Chirographa adacto clavo abolita. 318.
Chriſtus in animis fidelium habitans. 72. quod ad humanam naturam omnipræſens. 91. ſecundum eandem ſapientia auctus. 97. Chriſti anima non exſtitit ante quam naſceretur. 198. aſſumtio in cœlum ante adſcenſionem ejus nulla. 199. exinanitio qualis? 222. Incarnatio. 624. 625. Exaltatio. 224. nomen quo cultu proſequendum? 226. cur *imago Dei* vocetur? 284. cur *primogenitus omnium*? 285. cur *primogenitus ex mortuis*? 291. *Chriſtus in nobis.* 301. Chriſti adventus ad judicium. 372. Pontifex M. N. Teſt. 648. 684. 692. fides a Chriſto demonſtrata in exemplum aliorum. 778. ſeſſio ad dextram Dei. 779.
Chriſtianæ vitæ ἀκρίβεια quæ ſit? 133. Chriſtiani ſunt victimæ Dei ſpirituales. 238.
Circumciſio ſpiritualis. 313. & 314.
Clypei. Vide *Scuta.*
Cognitio veri cum bonis operibus conjungi debet. 281.
*Coloſſæ*, rectius *Colaſſæ.* 277. Scriptores de illa urbe. 278.
*Coloſſenſes.* 276.
Comarum ornatus. 431.
Cometæ an in Scriptura memorentur? 610.
Conciliatio cum aliis quærenda. 110.
*Conjugium* ex mente Judæorum typus eſt conjunctionis Meſſiæ cum Eccleſia. 143. Conjugii prohibitio. 459.
Conſcientiæ malæ tormenta. 459.
Contentum rebus ſuis eſſe lucrum eſt. 489.
Coronæ lætitiæ inſigne. 200. corona vitæ æternæ. 540.
*Corpus* de ſocietate, ſeu collegio. 58.
Creatio ex nihilo. 741.
*Creſcens.* 540.
*Creta* inſula feris beſtiis an olim deſtituta? 555.
*Cretenſes:* de iis Apoſtoli ex vetere Poëta dictum. 555. mali eorum mores. ibid.
*Cybea*, navis oneraria. 99.

D.

Dæmones mali quomodo in aërem dominari dicantur. 40. ſq. Dæmonum varia genera. 41. Dæmonum princeps. 41. mundi domini. 152. in aëre & tenebris inprimis operari crediti.

Digitized by Google

diti. 153. Gentilium de iis doctrina. 457.
*Dativus* interdum pro *Genitivo*. 15. 733. *Dativus* commodi. 16.
Decimæ apud Judæos. 676. num Sacerdotibus an Levitis olim datæ? 677.
*Demas*. 385. 513. an idem, qui *Demetrius*? 345.
Deorum Gentilium variæ claſſes. 228. illorum teſtimonia de heroibus jactare ſolebant Gentiles. 749.
Deſcenſus Chriſti ad inferos. 88.
Deus cur *beatus* vocetur? 419. inviſibilis. 421. 493. vivus. 463. potens ſolus. 492. immortalis. 493. juſtus. 540. videt omnia. 646. cum igne comparatur. 796.
Dei voluntas gratioſa in homines univerſalis. 425. 426.
*Deuteronom*. IX. 19. 790. XXIX. 18. 784.
Diabolus cur princeps poteſtatis in aërem vocetur? 40. an primum ejus peccatum *ſuperbia*? 442. 443. angelus mortis. 625.
Dies cur *mali* vocentur? 134. dies hebdomadis ſeptimus Gentilibus quoque nonnullis ſacer habitus. 643.
Diſtinctio capitum N. T. hodierna fruſtra ſolicitata. 456.
*Divitiæ* & *vitia* ut nomine ita re affinia. 491. dolores creant. 491. Divitiæ fluxæ. 494.
Domiſeda uxor. 559. ſq.

E.

Ebrioſitas a Paganis nunc recepta, nunc improbata. 135. Fons eſt vitiorum plurium. 135. Ebrioſi etiam interdiu. 374.
*Ebrius* Latinis dicitur, qui quacunque re plenus eſt. 136.
Eccleſia Chriſtiana cum *Republica* comparata. 59. cum *domo*. 60. cum *templo*. 74. ejus elogia, *columna & firmamentum veritatis*, ex quorundam ſententia. 449.
Electio in Chriſto facta. 17. Electio & Prædeſtinatio Synonyma. 19. electio ad ſalutem. 397.
Eleemoſyna ex recte partis danda. 112. cur Deo placeat? 803.
Elenchus moralis. 478.
Eleuſinia ſacra præ ceteris inter Gentiles celebria. 283. an ad ea in ſacris alludatur? ibid. & p. 450.
Ellipſis verbi frequens. 61.
Emendatio vitæ non differenda. 634.
*Emporiæ* quæ? 54.
Enallage numeri. 434.
*Epaphroditus*. 240. an Epiſcopus Philippenſium? *ibid.* an idem, qui *Epaphras*? 280.
*Epheſiis* inſcripta epiſtola utrum circularis, an *Laodicenis* potius dicata? p. 1. ſqq.
*Epheſus* urbs & *Epheſina* Eccleſia. pag. 4.
Epiphaniæ Deorum. 452.
*Epimenides*. 554.
*Epiſcoporum* vitia & virtutes. 437. ſq. nominis origo & ſignificatus. 438.
*Epiſtolæ* in plurium numero pro *epiſtola* una. 166.
*Eſavi* mens profana. 787.
*Eſſeni* num in N. T. commemorentur? 462.
Evangeliſtæ officium. 538.
Evangelium per totum orbem prædicatum. 279.

Ethni-

Ethnicifmi ratio & idea. 49.
*Eunice.* 500.
*Euodia*, *Euodus*, *Euodius.* 261.
Experientia ſpiritualis. 179.
Expiatoria aqua. 703. Expiatio non ſine ſanguine. 708.
Exploratio ſpiritualis. 378.
*Exuere* Profelyti apud Judæos dicebantur *patriam*, parentes, liberos, &c. 107.

F.

Fabulæ Judaicæ. 410. 461. 537.
*Falaricæ* militares. 158.
Fides Dei donum. 48. Fides vocatur ἔργον Θεοῦ, ἔργον ἀγαθὸν, ἔργον πίστεως. 170. & 350.
Furtum gentibus nonnullis licitum. 110. aliis lege vetitum. 111.

G.

*Galatia* etiam *Gallia* vocata. 541.
Galeæ veterum. 161. criſtæ earum, ſive tutuli. ibid.
Gallio, Proconſul. 275.
Genealogiæ Judaicæ. 410. 412. illarum apud Judæos ſtudium. 413.
*Geneſ.* XLVII. 31. p. 762. XLVIII. 12. p. 763.
Genitivus interdum per Dativum expreſſus. 15.
Gentiles cur cum *canibus* comparati? 237.
Genuflexio precantibus recepta. 71. in cultu Dei recepta. 226.
*Gnoſticorum* genealogiæ. 412. 414. alia de iis. 496.
Gratiarum actioni inprimis ſtudendum Chriſtiano. 122. & 137. eam tempore Meſſiæ loco omnium ſacrificiorum futuram teſtantur Judæi. 731. 801.
Gynæcocratia a nonnullis expoſita. 138. non decet. 432.

H.

*Habac.* II. 3. 4. 736.
Hæreſes cum gangræna comparatæ. 517.
Hæreticus quis? 572.
*Halletti* (Joſephi) diſſ. de auctore & lingua originali epiſtolæ ad Hebræos. 806.
*Hebræa* lingua vocatur *Syro-Chaldaica.* 831.
ad Hebræos epiſtola an a *Paulo* ſcripta? vid. *Paulus.* an ab aliis v. c. *Barnaba*, *Luca*, *Clemente Romano*, 590. an ab *Apollone?* ibid. 807. an *Hebraice*, vel potius *Syro-Chaldaice* primum ſcripta? 591. & 831. ſq. num Judæi an Ex Judæi illi fuerint? 592. ubi degerint? 593.
Hebraiſmi exemplum. 634.
*Henochus.* 750. an obierit? 751.
*Hermogenes*, hæreticus. 506.
Hieroſolyma cœleſtis. 791. portæ ejus plures. 800.
Homo *vetus* quis? 107. 336.
Hominis partes tres falſo ſtatuuntur. 381.
Homines cum beſtiis comparati. 545. 555.
Homines ſine morte tranſlati ex Gentilium ſententia. 751.
*Hoſeæ* XIV. 3. p. 801.
Hoſpitalitas Judæis, Gentilibus & Chriſtianis olim commendata. 796.
*Hymenæus.* 423. 517.
*Hymnorum* Chriſtianorum diverſitas. 136.

Hyſſo-

Hyſſopus ad adſperſionem adhibita. 703.

I.

*Jambres.* 529.
*Jannes.* 529.
*Jeremias* lapidibus obrutus. 769.
*Jeremiæ* XXXI. 31. 688.
Jerichuntis muri collapſi. 767.
*Jeſaiæ* VIII. 18. p. 622. XLII. 1. p. 624.
*Jeſaias* ſerra diſſectus. 769.
Ignorantia augetur ex malo & pravo hominis animo. 103.
Illuminatio a Scriptoribus aliquot expoſita. 133.
Immortalitas quomodo a Chriſto prolata in lucem dicatur. 503. an a Gentilibus adfirmata? ibid.
Imputatio juſtitiæ Chriſti. 426.
Infamia nonnulli gaudent. 257.
Infantes recens nati lavari ſoliti. 570.
Infinitivus pro Imperativo. 253.
Innovatio mentis a Judæis etiam urgetur. 108.
Initiamenta veteris Eccleſiæ tria. 658.
Interceſſio Chriſti pro nobis. 683.
Interpunctio temere mutata. 105. 109. 111. 121. 162. 192. 507. 510. 636. 643. 700. interdum eſt dubia. 126. 351. 355. 448. 470. 694. 791.
Interrogationis nota præter rem invecta. 636. 780.
*Invenire* pro *adipiſci.* 703.
*Inutilis* i. e. noxius. 580.
*Ira* quomodo prohibeatur? 109.
Judæi paſſim in urbibus ſeparatim a Chriſtianis habitant. 54. Gentilibus exoſi & infeſti. 360.
Jurare per ſe ipſum indicium eſt Deitatis. 666.
Jusjurandum quomodo Deo competat. 666. Res, per quas Deus juraſſe dicitur Judæis, ridiculæ. ibid.
*Juſti perfecti* qui? 792.
Juvenes, in officio conſtituti, facile contemnuntur. 464.

L.

Laborem fugiens neque edat. Proverbium. 401.
Lana coccinea hirco emiſſario impoſita. 707.
*Laodicenis* an illa ad *Epheſios* ſit inſcripta? p. 1. ſq. an illi epiſtolam a Paulo acceperint? 346.
Lapidatio, ſupplicii genus. 769.
*Leonum* nomine homines feri appellantur. 545.
Lex bona. 417.
Legis volumina vetuſta & uſu detrita aboleri ſolebant a Judæis. 691.
Libationes in ſacrificiis. 238.
Liberi a Parentibus ipſis inſtituti. 500.
Liberos Judæi ad Scripturam S. mature adducebant. 533.
Liberos obſequium in Parentes decet. 144.
Liberorum educatio. 145.
Logomachia. 487. 512.
Lotio pedum adverſus advenas olim recepta. 472.
*Lucas* Evangeliſta an Medicus? 345.
Lucem habitare Deus dicitur. 493.
Luctus ſuper mortuis. 370.
Luſtrationes Hebræorum. 703.

M.

Mali ſpecies etiam vitanda. 378.
*Malleoli* militares. 158.
Manuum impoſitio. 465. 480. 660.
Maris rubri tranſitus. 767.
*Melchiſedecus* quis? 670. typus Meſſiæ ex Judæorum mente. 671. etymologia. 672.
Membranæ quæ? 544.
Meſſias a Judæis primogenitus vocatur. 609. Eum non moriturum Judæi finxerunt. 620. Moſi præfertur. 630.
*Metatron.* 225.
Metaphoræ in una phraſi plures & diſſimiles ſibi junguntur. 495. 669.
Militaris veterum res a Scriptoribus expoſita. 148.
Militum ætas & ſtatura apud gentes veteres. 96.
Miniſtri N. T. diverſi ordinis. 92. 93.
Mithræ ſacra. 570.
Moderatio animi. 501.
Monogrammatum uſus. 402. 403.
Mors lucrum eſt. 187. Mortis nomenclaturæ variæ & εὐφημοι. 190. Mors læto animo obeunda. 238 Mors omnibus definita. 712.

Mortificatio ſui ipſius. 334.
*Mortuus* de *peccatore*. 38. Mortuos Gentiles immoderato luctu proſequebantur. 370. de iis tamen nonnulli lætabantur. 371. Mortuus moraliter. 470. Mortui bis. 712.
Mulieres ab hæreticis perverti ſolitæ. 528. penetralibus ædium pudicitiæ cauſa incluſæ. 561.
Mundum ſui cauſa conditum Judæi gloriantur. 17.
*Myſteria* Paganorum rebus nefandis conſpurcata. 126. ad ea non reſpexerunt Apoſtoli, quando de myſteriis ſacris & ſublimiſſimis præcipiunt. 283. 451. 452.

N.

Naſus Atticus. 114.
Neomenia. 323.
Neophytiſmus quis? 442.
*Nero* a Paulo an leonis nomine indicetur? 545.
*Nicopolis*. 576.
*Noachus*. 755.
Nomina repetuntur, loco pronominum. 506.
Nominativus interdum locum habet poſt Infinitivum. 72. 80.
Novus annus apud Judæos & Gentiles buccina initiari ſolitus. 130.
Novus homo. 336.
Nuptiæ ſecundæ an Epiſcopis prohibitæ? 438.

O.

Obſcœnitas in ſermone fugienda. 120.
Obſignatio ſpiritualis. 26.
*Oculi* de *intellectu*. 32.
Olea olim coronati victores. 783.
*Oneſiphorus* 506.
*Oneſimus*, Philemonis ſervus. 579. familiare hoc nomen ſervis. ibid.
*Operæ pretium*. 189.
Opificia a Judæis cum literarum ſtudiis conjuncta. 544.
Ordinatio Eccleſiaſtica. 466.

P.

Pædobaptiſmus. 314. 569.
Pænula. 542.
*Parabolani* qui? 234.
Paronomaſias Paulinæ exempla. 401. 527. 536. 592. 654. 779.
*Parentheſium* Paulus eſt amantior. 62. interdum varie formantur. 251. nonnunquam præter rem ſtatuuntur. ibid. 266. 281. 341. 360. 370. 410. 659. 670.
Participium *præſentis* pro illo *Præteriti*. 110. non ſemper reſpondet antecedenti voci reſpectu caſus ſui. 281. 302. 341. 351. 458.
Paternitas ſpiritualis. 71.
Patris nomen de SS. Trinitate. 81.
Paulus elegantiſſime loquitur. 98. an plures ad Philippenſes epiſtolas ſcripſerit? 164. & 236. an conjugem habuerit? 262. aulicos quoſdam habuit familiares. 270. bis Romæ captivus. 498. num cum beſtiis pugnarit? 546. num epiſtolam ad Hebræos ſcripſerit? 583. & 807. ſqq.
Pax Dei. 265.
Pellibus veſtiti. 771.
Peregrini apud Athenienſes civitate non donati. 50.
Peccatum in Spiritum S. 661. 730.
2 *Petri* III. 15. 16. p. 822. ſqq.
Petri epiſtolæ an ad Chriſtianos Ex-Gentiles ſcriptæ? 822.
*Philemon*. 576.
*Philippenſium* urbs. 165.
*Philetus*, hæreticus. 517.
*Philo*, cur Meſſiæ & Apoſtolorum non meminerit? 588.
Philoſophiæ uſus & abuſus in ſacris. 306. 307.
*Photii* Lexicon Græc. MS. paſſim adfertur, v. c. p. 563. 572. 582. 616. 650. 654. 663. 673. 686.
*Phygellus*, hæreticus. 506.
Pietatis utilitas. 463.
*Pignus* & *arrha*. 27.
*Pluralis* numerus pro *ſingulari*. 51. ad dignitatem indicandam adhibetur. 709.
*Præſens* particip. interdum per *quamvis* explicandum. 447. interdum cum verbo eodem conjungitur. 667. 736.
Polygamia utrum ſimultanea an ſucceſſiva Epiſcopis prohibita? 438.

*Pon-*

Digitized by Google

*Pondus* pro honore. 355.
Pontificis M. V. T. ingreſſus in adytum annuus. 698. quater eodem die factus. ibid.
Portenta Satanica. 396.
Præda, vid. *Rapina*.
Prædantium mores & ratio. 213. ſq.
*Prædeſtinatio* a variis expoſita. 16.
*Prædeſtinatio* & *Electio* ſynonyma. 19.
*Præputium* de *peccato*. 315.
Prætorium apud Romanos. 181. 273.
Precari Judæi & Chriſtiani ſolebant pro Regibus & Magiſtratibus Gentilium. 424.
Precum diverſa nomina. 264. ſtudium earum commendatur. 377. 423. an fieri tantum in templo vel ſynagoga debeant? 428. ſublatis manibus factæ. ibid.
Presbyteri veteris Eccleſiæ. 465. 475.
Primogeniti in cœlis. 791.
*Primogenitus* a Judæis Deus vocatur. 288. Primogenitorum apud Judæos prærogativæ. 292. 787.
Pronomen relativum ſæpe cum ſequente, non antecedente Subſtantivo convenit. 301.
Prophetiæ in V. T. gradus. 597.
*Pſalmus* LXVIII. an ad Chriſtum ſpectet? 85. item Pſ. II. 607. Pſ. XCVII. 8. 609. Pſ. CIV. 4. 610. Pſ. CX. 7. 611. Pſ. CX. 1. 613. Pſ. VIII. 5. 618. Pſ. CX. 4. 651. Pſ. XL. 7. 717.
*Pudens*. 547.
Pugna ſpiritualis. 150.
Propitiatorium. 698.

Q.

Quæſtiones ineptæ veterum Philoſophorum. 522. Talmudiſtarum. 572.
Quies in Scriptura S. promiſſa quotuplex? 643.

R.

*Rahab*. 767.
Rapina facta omni ope ſolet vindicari. 213. jactari ſolet. 214.
*Remedium* an Latinis olim *deceptionem* ſignificarit? 100.
Reſurrectio ſpiritualis. 333. Reſurrectio mortuorum, quo ſenſu, & quo prætextu a veteribus aliquot Chriſtianis negata ſit? 517.
Revelationis divinæ varii in V. T. modi. 597.
Rex Regum. 492. ſq.
Ritus Judaici umbra rerum & bonorum N. Teſt. 324.

S.

Sabbati Chriſtiani moralitas. 323. Sabbatum ex mente Judæorum typus quietis in vita æterna. 644.
Sacerdos apud Judæos ex Sacerdotali familia natus eſſe debebat. 675. Sacerdotium hæreditarium apud Gentiles. 682.
Sacerdotii deſiderium & fuga. 432. Sacerdotio juvenes ætate olim non admoti. 442. 464. Sacerdotio admovendi teſtimonio vitæ recte actæ inſtructi eſſe debebant. 443.
Sacrificiorum V. T. varia genera ad cultum Chriſtianorum divinum adplicata. 116. tempore Meſſiæ ceſſatura dicunt Judæi. 801.
Salus æterna per gratiam conſequenda. 47.
Salutem hominum omnium Deus cupit. 425.
2 *Samuel*. VII. 14. ſq. utrum ad *Salomonem*, an *Meſſiam* pertineant? 607. ſq.
Sanctum Sanctorum. 695.
Sara & Sarai. 756.
Satisfactio Chriſti pro hominibus eſt pleniſſima. 300. contra Socinianos adſtructa. 426.
Sceptrum imperii indicium. 611.
Scripturæ S. θεοπνευςία. 533.
*Scuta* olim ex coriis bubulis facta. 160. tum vero ex alia materia. ibid. quomodo ignem exſtinguere dicantur? ibid.
*Scytharum* mores. 337.
Senes cultu proſequendi. 467.
Senex erat ſexagenarius. 471.
*Sephiroth* Cabbaliſt. 412. 414.
Sermonis vitia moralia. 119. illa diligenter cavenda, etiam ex Gentilium præceptis. 120. Sermones ludicros &c. Gentiles confectati ſunt. 121. Sermones ſale conditi qui? 344. Sermo ſine ſenſu. 417.



Digitized by Google

Serra diſſecti. 769.
Servorum miſera olim erat conditio. 146. Servi olim nequam. ibid. Servi *Oneſimi*, & *Utilii*, vocati. 579. Servis in V. T. aures perfoſſæ. 723.
Sigilla initiatis inter Gentiles tradita. 26.
*Simon Magus* an a Paulo ſubindicatus? 395.
Spiritus S. cur dicatur Spiritus promiſſionis? 27. quomodo dicatur triſtitia affici? 114.
Sponſæ ante nuptiarum diem apud Judæos & Paganos lavabantur. 140.
Stellæ quot? 758.
Sua plerique quærunt. 239.
Subſcriptiones epiſtolarum dubiæ. 407. 805. & alias.
Superlativus exSuperlativo alio factus. 65.
Supplicia varii generis expoſita. 769. Judæis recepta. ibid.
Suſpiciones pravæ. 488.
Synonyma emphatice conjuncta. 33.
*Syntyche*. 261.
*Syzygus* an viri nomen proprium? 263.

T.

Tabernaculum varias res ſacras complectebatur. 694. Partes ejus duæ. ibid.
Tabulæ v. c. contractus quomodo olim obſignatæ. 519.
Tabulæ legis. 698.
*Tautologia* a Paulo amovetur. 163. 195. 196. 236.
Tela ignita quæ? 158. venenata. 159.
Templi Hieroſolymitani atria a ſe invicem diſtincta. 53.
Temporis ratio maxime habenda eſt. 134.
Tentoria olim habitabantur. 756.
Teſtamentum Novum cur Veteri præſtantius? 682.
Teſtamenti utriusque differentia. 688.
*Theſſalonica*. 348.
*Theſſalonicenſes* an plures præter duas illas epiſtolas a Paulo acceperint? 406.
Thuribulum aureum. 696.
*Timothei* vita. 407. an Epiſcopus Epheſinus? ibid.
*Titus*. 548. Cretenſium Epiſcopus. 551.
Traditiones Pontificiorum rejiciendæ. 398.
Trajectiones vocum ſine neceſſitate non ſtatuendæ. 68. 94. 191. neque tamen prorſus negandæ. 72. 620. Trajectio particulæ *ἵνα*. 347.
Triumphus de hoſtibus actus. 321.
Tympaniſmus ſupplicii genus. 768.

V.

Vacca rufa. 703.
*Venter* de voluptatibus. 256.
*Ventres* dicti homines guloſi. 556.
Verbum per participium ejus & verbum *εἰμὶ* exprimitur. 223. 306. Verba quædam & neutraliter & tranſitive adhibentur. 266. Verba decompoſita. 299. Verborum mediorum vis & notio. 319. Verbum ſimpliciter poſitum interdum agendi conſuetudinem infert. 406.
Verbi divini efficacia. 644. idem cum gladio comparatur. 646.
Vetus homo. 107. 336.
Victimarum ſectio. 514.
Viduæ ab Eccleſia olim ali ſolebant. 471. quomodo debeant eſſe comparatæ? 472.
Vini immoderate ſumti noxæ. 135. nimius ejus potus etiam a Gentilibus diſſuaſus. 440. Uſus modicus ſalutaris. 481.
*Viſcera* de *liberis*. 177. 580.
Vitæ curſus. 539. cum ſtadio & palæſtra comparatur. 733. Vita æterna a Judæis urbs vocatur. 759. vitæ æternæ prægustus. 663.
Unio myſtica. 142.
Unitas credentium. 80.
Voluptuoſi quomodo deſcribantur. 256.
Urbes duæ, interjecto muro, a ſe invicem ſejunctæ. 54.
Urna in arca fœderis. 696.
Uxores obſequium adverſus maritos decet. 138. item *pudor* & *caſtitas*. 430. & ornatus alius. 431. an & quouſque etiam veſtium ille? 431. ſilentium. 432. amare decet maritos. 559. & rei domeſticæ curam agere & domiſedas eſſe. 560.

Z.

*Zenas* legisperitus. 575.

Digitized by Google

Digitized by Google